
8
9 L
5

BIBLIOTHECA THEOLOGICA



SEPTEM LIBRIS DISTINCTA.

IN QVA

Exacto ordine reponuntur cuncta ad completam Sacræ Doctrinæ, vel Theologiæ notitiam spectantia, tàm secundùm se, quàm secundùm diuersa eius munera, *Deducendi* conclusiones beneficio Artis Syllogisticæ, vndè *Scholastica*, vel *Argumentatiua: Ordinandi* & *explicandi* locos Theologicos, vnde *Positiua*, siue *Thetica*, & *Fundamentalis*: *Defendendi* sua principia aduersus omnia infidelium genera, vndè *Polemica*: *Disponendi* suas materias, vndè *Methodica*: *Vtendi* metaphoris, vndè *Symbolica*: *Prouocandi*, vel *dirigendi* affectum in Deum, vndè *Mystica*.


AVTHORE

F. DOMINICO A SS.MA TRINITATE

CARMELITA DISCALC. PROVINCIAE PARISIENSIS.

TOMI QVINTI PARS I.

Complectens Libri IV. in quo agitur de S. Doctrina, quoad munus defendendi sua principia aduersus omnia Infidelium genera, vndè dicitur Polemica, Sectionem Primam, de modo in communi propugnandi Fidei veritates; Secundam, in qua examinantur præcipua motiua, quibus Fidei Romano-Catholicæ mysteria sunt euidenter credibilia; Tertiam de existentia Dei aduersus Atheistas; Quartam, de vnitate eiusdem aduersus Politheistas; Quintam de necessitate Religionis, & in ea Fidei Diuinæ, vt rectè colatur, aduersus Philosophos; Sextam, de vnitate veræ Religionis contra Politicos in ea indifferentiã admittentes; Septimam, de aduentu Messiæ contra Iudæos; Octauam, aduersus fatuam Sectæ Mahumetanæ superstitionem; Nonam, de modis agendi in communi contra hæreticos; Decimam, vbi refelluntur præcipuæ hæreses in partibus Orientis primum ortæ, & in illis adhuc vigentes.



ROMAE,

Ex Typographia Philippi Mariæ Mancini. M. DC. LXXI.

SVPERIORVM LICENTIA.

INDEX

Librorum, Sectionum, & Capitum huius primæ Partis Quinti Tomi Bibliothecæ Theologicæ.

LIBER QVARTVS

De Doctrina Sacra, quatenus propugnando sua principia, aduersus omnia Infidelium genera, dicitur Polemica, aut Reflexiua.

SECTIO PRIMA.

Explicatur in communi Sacræ Doctrinæ munus, et modus propugnandi fidei veritates aduersus Infideles illas negantes.



SECTIO SECVNDA.

Examinantur in particulari præcipua motiua, vel argumenta, quibus fidei Catholicæ Romanæ mysteria, sunt euidenter credibilia.

Cap.

SECTIO TERTIA.

De varijs modis ex Sacra Doctrinæ præscripto obseruandis, in suadendo, aut defendendo fidei nostræ mysteria, secundum diuersitatem Infidelium ea negantium, primumque de existentia Dei aduersus Atheos.

ex sui

SECTIO QVARTA.

De Vnitate Dei aduersus Polutheismum, siue idololatras Deorum pluralitatem admittentes.

SECTIO QVINTA.

In qua aduersus Philosophos Gentiles, aut alios quoslibet Dei existentiam, & vnitatem admittentes, ostenditur vera Religionis, & in ea diuinæ fidei necessitas, indeque, quod illa sit vera, quam profitetur, ac docet Ecclesia Catholica Romana.

lica

SECTIO SEXTA.

De vnitate veræ Religionis contra Politicos in ea libertatem, vel indifferentiam admittentes.

SECTIO SEPTIMA.

De aduentu Messiæ, legisque Mosaicæ post illum cessatione aduersus Iudæos.

SECTIO OCTAVA.

Aduersus fatuam Sectæ Mahumetanę superstitionem.

SECTIO NONA.

Nonnulli proferuntur modi agendi contra hæreticos.

SECTIO DECIMA.

Præcipuæ refelluntur hæreses in partibus Orientis primùm ortæ, & in illis adhuc vigentes, iuxta ordinem à Diuo Thoma in summa obseruatum.

Cap.



INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ, quæ hac prima Parte Quinti Tomi Bibliothecæ Theologicæ continentur, & explicantur.

Ex Veteri Testamento, librorum eius ordine seruato.

GENESEOS.

SACRAE SCRIPTVRAE.

REGVM.

TOBIAE.

IVDITH.

IOB.

LIBRI PSALMORVM.

LIBRI PROVERBIORVM

LIBRI ECCLESIASTES.

CANTICI CANTICORVM.

SAPIENTIAE.

SACRAE SCRIPTVRAE.

ECCLESIASTICI.

ISAIAE.

IERE-

INDEX LOCORVM

IEREMIAE.

BARVCH.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEE.

IOELIS.

AMOS.

NAHVM.

MICHEAE.

HABACVCH.

AGGAE I.

ZACHARIAE.

MALACHIAE.

MACHABAEORVM.

EX NOVO TESTAMENTO Librorum eius ordine seruato.

MATTHAEI.

IOANNIS.

ACTVVM APOSTOLORVM.

ritus

EPISTOLARVM PAVLI.

Cap.

EPISTOLAE IACOBI.

INDEX LOCORVM

EPISTOLARVM PETRI.

APOCALYPSIS.



Puta-

PVtabat Author hunc Quartum Librum in quo agitur de Sacra Doctrina, quoad munus defendendi sua principia aduersus omnia Infidelium genera, vndè Polemica, vel Controuersialis dicitur, vnico Tomo comprehendere, verùm quia in nimiam cresciturus erat Molem, satius duxit illum duas in Partes diuidere, quarum prima in hoc, altera in sequenti habebitur volumine.

Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiepiscopus Vrbin. Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister.

BIBLIO-



BIBLIOTHECAE THEOLOGICAE

LIBER QVARTVS

De doctrina Sacra, quatenus propugnando sua principia, aduersus omnia Infidelium genera, dicitur Polemica, aut Reflexiua.

SECTIO PRIMA.

Explicatur in communi Sacræ doctrinæ munus, & modus propugnandi Fidei veritates aduersus infideles illas negantes.

CAPVT PRIMVM.

Quod Sacræ doctrinæ munus sit, Fidei veritates defendere.



SACRAM doctrinam vnà cum D. Thoma, alijsque Theologis Sapientiam omnium perfectissimam esse supra lib. 1. demonstrauimus, cuius inter præcipua munera & officia, cum sit, prima principia contra impugnantes tueri; nemini certè dubium esse potest, quin ad Sacram etiam doctrinam maximè pertineat, veritates fidei propugnare aduersus omnia infidelium genera, cum huiusmodi veritates, sint prima, & propria Sacræ doctrinæ ex reuelatis procedentis principia.

Itaque Sacra doctrina, qua perfectissima scientia, non est ita habitus adhęsiuus aliquid afferendo, iudicando, & ex principijs fidei nouas aliquas veritates inferendo, quin etiam sit eo-rum-

rumdem principiorũ aliquo modo probatiuus, vel persuasiuus; vt videtur manifestè colligi ex cap.3. posterioris Epistolæ D.Pauli ad Timotheum, dicentis; *Omnis Scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum*, id est, vt ibi explicant Patres ad veritatem fidei Christianæ docendam, & ad refellendos errores ei contrarios; vnde idem Apostolus ad Titum cap. 1. ait, *Episcopum debere amplecti fidelem sermonem, vt sit potens eos qui contradicunt arguere*; hoc est, tum apertis Sacræ Scripturæ testimonijs, tum firmis rationibus in illis fundatis cõtradicentes reuincere. Quod etiam sequenti ratione declaratur. Nam doctrina Sacra non habet superiorem aliquam scientiam, saltem pro pręsenti statu, cuius sit probare eius principia, contra negantes illa, sicut habent aliæ scientiæ, quarum principia probat, ac defendit Metaphysica tanquam superior; superest igitur vt ipsamet hoc prętare debeat, cum hoc tamen discrimine, quod sacra doctrina nunquam sua probat principia per aliquod medium altius, sicut Metaphysica, quando demonstrat principia aliarum scientiarum; sed per suum medium proprium, nempè per diuinam reuelationem; arguendo ex vno principio ad aliud, vel etiam assumendo principia inferiorum scientiarum, quas tanquam ancillas vocat ad arcem, secundum diuersitatem aduersariorum impugnandorum.

Quando ergò D. Thomas 1. p. q.1. artic. 8. alijque Theologi cum illo affirmant ad Theologiam non pertinere, sua probare principia, nimirum articulos fidei; sicut nec aliæ scientię sua probant, sed potius supponunt. Intendunt solùm Theologiam illa non probare veluti à priori, aut ex aliquo alio lumine altiori, quam sit lumen ipsum Diuinæ reuelationis, quæ virtualiter sumpta est ratio sub qua obiecti Theologici; aut etiam à posteriori, quasi sint aliqui effectus nobis euidentes, qui proportionem habeant, necessariamve connexionem cum ipsis fidei principijs ad eorũ veritatem demonstrandam. Insuper neque probat etiam Theologia sua principia, quasi ex necessitate & per se, ita videlicet, ac si non essent illa certa aliundè, nisi per probationem Theologiæ; sunt enim certa immediatè ex ipsa reuelatione diuina, quatenus hęc est formaliter sumpta ratio sub qua habitus fidei; talisque certitudo proculdubio sufficit ipsi Theologiæ per se, vt postea ex fidei articulis, tanquam ex principijs, arguitiuè multa possit inferre. Cœterum negari non potest, quin alijs rationibus, & modis inferiùs explicandis, probari aut suaderi possint à Theologo veritates nostræ fidei.

CAPVT II.

Quomodo Sacra doctrina vt talis, sua possit principia probare.

SVperiori capite breuiter ostendimus sacram doctrinam suorũ principiorum esse probatiuam, nunc explicandum est, qua via id præstare possit; pro cuius intelligentia, notandum est primò fidei nostræ articulos, in esse entis consideratos, esse in duplici differentia; alij enim sunt mediati, vt, *Christum Dominum duas habere voluntates*, alij verò immediati, vt, *Eumdem Christum, simul esse Deum & hominem*, vel, *Deum esse vnum & trinum*. Dixi si considerentur pręfati articuli in esse entis, quia si considerentur in esse credibilis; non valet adducta distinctio, sed omnes fidei veritates; quæcumque illæ sint, & cuiuscumque conditionis ęquè immediatè pertinent ad fidem. Obiecta enim æquè dicuntur pertinere ad aliquem habitum, quæ æquè participant rationem formalem, seu motiuum talis habitus: singula autem fidei supernaturalis obiecta, siue veritates, æquè participant rationẽ eius formalem, siue motiuum credendi; igitur si considerentur in ratione credibilium, seu secundum veritatem quam habent, non in esse entitatiuo, sed in esse credibilis, quæ consistit

sistit in ipsa conformitate obiecti crediti cum ipso testimonio Dei illud reuelantis; vnde etiam vocatur veritas extrinseca, quia fundatur in aliquo ipsi obiecto tantum extrinseco, scilicet in testimonio Dei, ad distinctionem veritatis illius in esse rei, quæ consistit in ipsa actuali connexione principiorum inter se, & ideo vocatur intrinseca, quia fundatur in principijs ipsum obiectum intrinsecè componentibus; si considerentur, inquam, præfato modo singuli fidei articuli, aut veritates, æque immediatè ad illam pertinent, æqualique certitudine, & firmitate credendæ sunt.

Obseruandum est secundò, alia item principia Theologica haberi ex sola reuelatione Dei, vt mox enumerata, alia etiam, quorum cognitio luminis naturalis viribus comparari potest, vt Deum esse omnipotentem, æternum, immutabilem, & cætera id genus. In præsenti non loquimur de huiusmodi principijs, certum est enim ea demonstrari posse aliquando à posteriori per creaturas via ascensus, aliquando à priori, probando vnum attributum per aliud, à quo virtualiter emanare concipitur, vt libro secundo huius operis dictum est. Difficultas ergò tota reducitur ad alia principia, sola Dei reuelatione cognoscibilia, quomodo sacra doctrina possit illa probare. Pro cuius resolutione.

Dico primò, *principia veluti mediata Theologiæ, in esse entis considerata, posse ab ipsa demonstrari à priori, scilicet per immediata sibi correspondentia*. Sic probatur contra hæreticos Monothelitas, Christum Dominum habere duas voluntates, quod est principium mediatum, per hoc quod simul sit Deus, & homo, quod est immediatum principiũ; istud enim est causa simpliciter necessaria illius. Similiter in diuinis, ex processione vnius personæ ab alia, quod est principium immediatum, colligitur demonstratiuè à priori, realis inter illas distinctio, quod est mediatum principium.

Dico secundò, *principia immediata Theologiæ non posse quidem demonstrari à priori, posse tamen aliquandò à posteriori, aut argumento ad hominem*. Prima huius propositionis pars clara est: nam demonstratio à priori, vt suppono, est per veram causam, at prima principia immediata nullam talem habent causam, aliàs non essent prima & immediata: Igitur non possunt demonstrari, vel probari à priori. Secunda etiam conclusionis pars facilè ostenditur; si quidem dantur plura principia mediata, quæ sunt veluti effectus primorum principiorum; igitur ista possunt per illa à posteriori demonstrari; sic ex distinctione reali, quam admittunt Græci inter Filium & Spiritum Sanctũ, colligimus à posteriori demonstratiuè, & argumento etiam ad hominem contra ipsos Spiritum Sanctum à Filio procedere; sic ex concessa Christi Domini Resurrectione colligimus ipsum mortuum esse. Sic tandem ex vno fidei articulo semel admisso, vel concesso possumus ad hominem, quemcumque alium colligere necessariam cum illo connexionem habentem. Cum argumentatio ad hominem sit: quandò ex quibusdam sibi ab aduersario concessis, deducit quis veritatem suæ conclusionis, aut cogit eum negare, quæ prius concesserat, vel admittere contradictoria, vt patet in exemplis adductis.

Quare simpliciter loquendo Theologia non argumentatur ad probanda sua principia; nec eiusmodi consequentiæ, in quibus vnus articulus potest ex alio inferri, sunt vtiles argumentationes nisi fiant ad eos, qui negant vnum principium, & concedunt aliud, vt probamus contra Iudæos mysterium Incarnationis iam à longo tempore peractum esse, ex sacris Veteris Testamenti libris, quos admittunt. Similiter ex testimonijs Sacræ Scripturæ, quæ recipiunt heretici, plures inferuntur veritates, quas negant; quorum exemplis plena sunt Sanctorum Patrum opera, & volumina.

CAPVT III.

Quod Sacra doctrina, solis naturę viribus, probare non possit, possibilia esse, siue non impossibilia supernaturalia Fidei mysteria.

EXplicuimus superiori capite, qua ratione sacra doctrina, manendo intra suum proprium diuinæ reuelationis lumen, possit esse suorum principiorum, siue supernaturalium fidei veritatum probatiua; nunc videndum est, an etiam seclusa diuina reuelatione, solis naturæ viribus, earumdem possibilitatem demonstrare posit.

Pro cuius intelligentia notandum est primò, dum agitur de necessitate fidei diuinæ, in ordine ad cognoscenda supernaturalia eius mysteria, siue quod idem est, an seclusa diuina reuelatione, solis naturæ viribus illa cognosci, ac demonstrari posint, duplicem in ea distingui debere necessitatem, vnam ex parte subiecti, & in ordine ad salutem æternam consequendam, siue quod idē est, ad cognoscendum obiectum per illam propositum, sicut oportet ad salutem. Altera est præcisè ex parte obiecti, siue in ordine ad cognitionem credibilium, seu veritatum per fidem obscurè reuelatarū, quatenus alia via non possumus deuenire in cognitionem illarum.

Aduertendum est secundò non impossibile, & possibile æquiualere, vnde si semel naturali ratione ostendi non potest mysteria fidei esse posibilia, sequitur eadem ratione, probari non posse, ea esse non impossibilia. Eiusmodi autem possibilitas, siue non impossibilitas duobus modis probari potest. Primò positiuè, id est afferendo medium, quo affirmatiuè probemus intrinsecam aptitudinem existentiæ ipsius rei, vt ex eo quod animal & rationale possunt simul coniungi per modum generis & differentiæ, demonstramus hominem posse esse. Secundò negatiuè, id est remouēdo illud omne quod videtur probare impossibilitatem; vt, v.g. posibilitas Mysterij Sanctisimę Trinitatis, supposita semel eius fide per diuinam reuelationem habita, ostenditur ex eo quod nec infinitas, nec vnitas naturæ diuinæ, aut alia eius perfectio impediant diuinarum personarum Trinitatem; vel etiā posibilitas Incarnationis Verbi diuini ostenditur, ex eo quod nec finitati naturæ humanæ, nec infinitati Verbi diuini, nec eius etiam immutabilitati, alteriue attributo repugnet.

His pręnotatis, dum asserimus in presenti capite sacram doctrinam, solis naturæ viribus probare non posse, possibilia esse, siue non imposibilia supernaturalia fidei mysteria, atque adeò necessarium esse simpliciter, & absolutè fidei lumen ad illa cognoscenda; hoc debet intelligi de necesitate tàm ex parte subiecti, quàm ex parte obiecti. Insuper de probatione positiua, non autem negatiua, cum hæc spectet potius ad modum dissoluendi contraria argumenta, supposita semel alicuius rei veritate, quam ad modum probandi illam.

Præcipuum assertionis ità explicatę fundamentum est, quia omnis cognitio naturalis, quæ ex rebus ipsis sumitur, absque testimonio, aut reuelatione, vel est à priori, & per causam, quam vocant propter quid, vel à posteriori, & per effectum, quam vocant quia, ad quā reducitur probatio per reductionem ad imposibile. At nullum est medium naturali lumine cognoscibile, quo vel à priori, vel à posteriori, aut per reductionem ad imposibile probari possint, vel in generali, vel in particulari Sacrosancta fidei nostræ mysteria: igitur solis naturæ viribus ostendi non potest illa esse possibilia, siue non impossibilia. Maior huius argumenti supponitur tanquam certa, tùm ex dialectica, tum ex eo quod ad comparandā alicuius obiecti cognitionem, vt docet D. Augustinus lib. 3. cōtra Academicos cap. vlt. & lib. 6. de or-

de ordine cap. 5. & 6. duplex tantùm nobis suppetit via quam sequamur, rationis scilicet, & authoritatis, vbi per rationem intelligitur quæcumque cognitio, etiam experimentalis, & per sensus acquisita.

Minor ergò, in qua est tota difficultas, probatur. Et primò quod in probandis fidei nostræ veritatibus, locum habere non posit probatio à priori, clarius est, quam debeat probari, si quidẽ nullum est assignabile medium intra naturæ limites, vel terminos contentum, quo, tanquam per causam proximam, vel remotam illarum possibilitas ostendi possit. Idem probatur de demonstratione à posteriori, quia hoc solum per illam, siue per viam ascensus ex creaturis tanquam ex effectibus, naturali ratione cognoscere possumus de rebus diuinis, quod necessum est competere Deo quatenus est primum omnium creaturarum principium, creaturæ si quidem nos ducunt in cognitionem Dei, sicut effectus in cognitionem suæ causæ. At respectu Dei, vt est primum omnium creaturarum principium, merè concomitanter, & veluti per accidens se habent omnia fidei mysteria de ipso reuelabilia, vt quod sit Vnus & Trinus, per essentiam ab intellectu creato visibilis, creaturis hypostaticè vnibilis, cũ ratio primi principij, primæque omniũ rerum causæ, sit quid tantùm pertinens ad vnitatem Dei naturaliter à posteriori demonstrabilem: Igitur respectu mysteriorum fidei, quæque sunt de Deo, quatenus est author gratiæ, nulli dantur effectus creati nobis euidentes, qui proportionem habeant, vel necessariam connexionem cum illis, vndè possimus à posteriori eorum possibilitatẽ ostendere.

Quod argumentum non solùm concludit, talem possibilitatem certò demonstrari non posse, verum etiam, nec cogitari posse cum aliquo assensu probabili, vel opinatiuo, aut formidoloso. Quin imo cum duplex actus in nostra cogitatione distingui posit, nimirum, inquisitio & assensio, siue apprehensiua cognitio, & iudicatiua, licet ratio statim allata maximè procedat de cognitione iudicatiua, cùm nullum sit mediũ, quo talis cognitio naturaliter efformari posit, seclusa omni reuelatione; adhuc tamen loquendo de inquisitione, vel apprehensione, probabilius est, supernaturalia fidei nostræ obiecta, sine diuina reuelatione nunquam ascendere potuisse in cor hominis, non solum ad apprehendendum illa vt possibilia, verùm etiam, nec ad reuocandum ea in dubium, inuestigando, vel inquirendo, an fortè possibilia, aut vera sint; cum nullum etiam sit naturale mediũ, quod talem apprehensionem, aut inquisitionem in homine excitare possit.

Vndè colligo non solùm naturaliter probari non posse fidei mysteria, verùm insuper quod hoc tentare, cederet in grauem illorum contumeliam. Primò quia significaretur illa posse apparere ratione naturali; cùm tamen pertineat ad fidei nostræ dignitatem, esse de rebus, quæ naturalem intellectus creati capacitatem excedant, iuxta illud Apostoli ad Hebræos 11. *Fides est argumentum non apparentium*: & 1. Corinth. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*. Secundò, quia inductis ad probanda fidei mysteria rationibus, quæ non essent cogentes, nec sufficientes, vt sine authoritate Dei reuelantis preberetur illis assensus, daretur infidelibus occasio deridendi nos, & existimandi Catholicos eiusmodi rationibus innixos, & propter eas credere mysterijs totum naturæ captum superantibus.

Quare D. Ambrosius lib. 1. de fide cap. 5. merito ait: *Tolle argumenta vbi fides quæritur*. Et Carolus Rex Francorum in epistola ad Elipandum, & alios Hispaniæ Sacerdotes tom. 3. Concil. *Nec ratiocinando*, inquit, *humano ingenio, diuina vos mysteria inuestigare arbitremini; sed magis credendo honorate, quę humana fragilitas temere perscrutando inuenire non valet*. Et Saluianus lib. 3. de ve-

de vero iudicio & prouidentia Dei, paulò post principium: *Humana*, inquit, *dicta argumentis & testibus egent, Dei autem sermo, ipse sibi testis est, quia necesse est, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis*.

Quibus tamen non obstat, quin præsupposita semel fide mysteriorum diuinorũ, Theologus posit, ac debeat pro diuersitate illorum, aliquas rationes probabiles, siue congruentias etiam ex principijs philosophicis, scientijsque naturalibus desumptas adducere, quibus ostendat illa rationabiliter esse credibilia, minimèque rationi naturali repugnare. Huiusmodi enim rationes maximè conducunt, tùm vt non fideles inducantur ad fidem, libentiusque iugo nostræ religionis colla subijciant; tùm etiam ad remouendas tentationes, quibus interdum fideles impugnantur contra fidei veritatem. Et ita à veteribus Ecclesiæ Patribus olim vsitatum fuisse legimus, inter quos videri potest D. Augustinus tom. 2. epist. 3. Ipseque D. Thomas in summa contra Gentes nostræ fidei dogmata plurimis elegantissimis rationibus, etiam naturalibus persuadet, semper tamen supposita illorum cognitione iam habita per fidem.

CAPVT IV.

Mysteria fidei ita superare omnem intellectus creati facultatem naturalem, vt tamen non sint contra rationem; nullumque afferri posse argumentum, quod ostendat illa esse impossibilia.

QVamuis ex præcedenti capite Sacrosancta fidei Catholicę arcana, ita superent naturalem omnem cuiuscunque intellectus creati capacitatẽ, vt nulla penitus ab eo ratione demonstrari posint, illi tamen non repugnant, nec dici possunt esse contra rationem, prout ly *contra*, distinguitur à *supra*. Licet enim veteres Theologi non fuerint ita religiosi, in distinguendis istis terminis, *contra*, &, *supra naturam*; vnde etiam non dubitarunt interdum asserere, multa in religione nostra fieri cõtra naturam, vt constat ex D. Ambrosio in lib. de his qui sacris initiantur mysterijs cap. 9. recentiores tamen Scholastici, non incongruè aserunt, in religione nostra, nihil ese, nec fieri contra, sed tantùm supra naturam: intelligentes id ese contra naturam, non quod repugnat huic duntaxat, vel illi naturæ, sed quod naturæ repugnat vniuersę; cuiusmodi est illud, quod inuoluit contradictionem. Cum igitur ab omnibus concedatur, nihil à Deo fieri posse, quod contradictionem implicet, meritò dicitur mysteria fidei nostræ in communi ese quidem supra, non tamen contra naturam. Et hoc ipso sensu in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. definitum est; nullam fidei veritatem repugnare cum aliqua veritate naturali. Quam etiam ob causam præcipitur ne quis se conferat ad studium Theologiæ, nisi Philosophicis disciplinis prius imbutus.

Asertio sic explicata facilè probatur: primò quia veritas non potest esse veritati contraria, imò iuxta receptisimum axioma, verum semper vero consonat: sed si mysteria fidei semel probarentur ese repugnantia naturali rationi, atque adeo imposibilia, iam verum verò contradiceret; si quidem omne illud quod dictat ratio naturalis, si non erret, est verum, nam si errat, iam non est ratio, sed deceptio. Similiter omne illud quod docet fides diuina, est etiam verum; ergò si semel ratio naturalis ostendere poset mysteria fidei esse impossibilia luminique naturali refragantia, verum contradiceret vero; quod est impossibile.

Secundò Deus, nec vt author naturæ, nec vt author gratiæ, potest mentiri, aut fallere, vt suppono; si quidem Deus est summè sapiens, ac proinde decipi non potest, rursum est summè bonus, vnde nos ab eo falli non possumus; mendacium autem, vel deceptio

ex

ex altero horum capite prouenire solet. At si demonstrari posset impossibilitas mysteriorum fidei, iam Deus, vel vt author naturæ, vel vt author gratiæ mentiretur, idem enim est author vtriusque. Igitur cum Deus, vt est author luminis naturalis, non possit per se inclinare ad falsum, nec ad aliquid, quod sit contrarium vero modo existendi ipsius Dei, pro certo tenendum est, ratione naturali non errante, ostendi non posse mysteria fidei nostræ esse impossibilia.

Tertiò tandem talis impossibilitas, aut contrarietas probari non potest, per ostensionem alicuius principij generalis fidei nostræ mysterijs repugnantis: quia in tali principio plerumque non comprehenduntur; vel si comprehenduntur, quoad illā partem ratione naturali demonstrari non potest. Quoniam ratio merè naturalis seclusa omni reuelatione, sua principia non desumit nisi à rebus finitis & limitatis ordinis naturæ, quibus omnibus superiora sunt mysteria fidei, pertinentia ad Deum, vt est author gratiæ, simpliciterque infinitus, de quo non potest sola ratio naturalis ostendere, metiendum esse eisdem legibus & principijs, quibus res finitæ, & inferioris ordinis. Ipsa enim ratio naturalis suadet in re simpliciter infinita, qualis est Deus, author fidei, & gratiæ, latere aliquid, quod naturali discursu nequeat inuestigari, aut sufficienter intelligi ab intellectu finito. Imo demonstrat euidenter ratio naturalis in huiusmodi rebus, adhærendum esse diuinæ reuelationi potius, quàm cuicumque argumento naturali, vel apprehensioni nostri intellectus. Nam cum experiamur, etiam in rebus sensibilibus & imperfectissimis nos multoties deceptionem pati: multo certius erit, in rebus supernaturalibus stultum esse, nostris ratiocinationibus naturalibus velle omnino confidere. de quo vide S.Thomam 1. contra Gent. cap.7.

Contra huc vsque dicta obijciet aliquis, videri pugnare cum doctrina capitis antecedentis, in quo asseruimus possibilitatem veritatum fidei nostræ, nulla penitus ratione naturali, secluso diuinæ reuelationis lumine esse demōstrabilem. Cum enim possibile & impossibile videantur contradictoriè opponi, & ex duabus propositionibus cōtradictoriè oppositis, vna debeat esse determinatè vera, & alia determinatè falsa formaliter loquendo; si semel ratio naturalis demonstrare non potest veritatum fidei impossibilitatem, vt hic asserimus; sequitur quod eadem ratio positiuè demonstrare posit illarum possibilitatem.

Respondetur doctrinam præsentis capitis minimè pugnare cum superiori. Primò enim possibile, & impossibile non opponuntur contradictoriè, cum vtrūque sit affirmatiuum ex lib. 2. de interpret. cap. 3. vndè inter posse demonstrari impossibilem, & posse demonstrari possibilem aliquam veritatem, datur medium, scilicet, non posse demonstrari possibilem, nec posse demonstrari impossibilem; fit enim plerumque vt noster intellectus careat medio, quo demonstret tam possibilitatem rei, quam eius impossibilitatem. Vt contingit in omnibus fidei nostræ mysterijs, quæ eo ipso quod sunt supra omnem rationis naturalis captum, & intelligentiam; inter hoc quod est, posse naturaliter demonstrari possibilia, & posse naturaliter demonstrari impossibilia, datur hoc medium, non posse videlicet, naturaliter demonstrari possibilia, propter rationes superius allatas, nec posse naturaliter demonstrari impossibilia; quia quod non est, demonstrari non potest, huiusmodi autem mysteria non sunt impossibilia, hoc igitur demonstrari non potest. Quod si præfatæ propositiones fiant contradictoriȩ, ita vt particula negans non amplius se teneat ex parte subiecti, aut prȩdicati, vt in præcedentibus, quæ propterea ambæ sunt affirmatiuæ, sed ex parte copulæ dicendo, potest demonstrari fidei mysteria esse possibilia, nō potest demonstrari fidei mysteria esse possibilia, tunc propositio affirma-

firmatiua est falsa, negatiua autem vera, & demonstrabilis, prout fuit à nobis superius demonstrata.

Secundò respondetur, in propositionibus etiam contradictorijs, aliud esse, quod vna sit determinatè vera, & alia determinatè falsa, aliud verò quod possit probari vnam esse determinatè veram, & aliam determinatè falsam. Ad primum enim nihil aliud requiritur, nisi quod extrema sint, vel non sint inter se repugnantia: ad secundum autem requiritur, quod habeamus aliquod medium positiuum ad probandam huiusmodi extremorum repugnantiam, vel non repugnantiam. Etsi ergò in omnibus fidei nostrę propositionibus vna sit semper determinatè vera, & possibilis, nimirum affirmatiua, v. g. *Deus est Trinus*; *Deus est per essentiam visibilis ab intellectu creato*; alia determinatè falsa, & impossibilis, nimirum negatiua, v. g. *Deus non est Trinus*, &c. ratione tamen naturali, defectu medij vnum, aut aliud à nobis positiuè probari non potest, primum quidem, quoniam est omnino supra rationem naturalem, secundùm verò, quia falsum & impossibile.

CAPVT V.

Nullum fieri posse argumentum contra fidei nostra mysteria, quod solui non possit.

CVm valdè conducat ad intelligēdum, declarandumque infidelibus, non esse contra rationem naturalem, aut impossibilia fidei nostrę mysteria; quod nullum aduersus ea fieri possit argumentum, quin à Theologo facilè soluatur. Postquam superiori capite ostendimus, eorum impossibilitatem esse penitus indemonstrabilem, cū manifestum sit fidei nostræ diuinæ non subesse falsum, & consequenter non posse esse veram demonstrationem contra res fidei; sic enim esset vera demonstratio contra veritatem, quod implicat, & repugnat naturæ demonstrationis, quæ definitur syllogismus faciēs scire veritatem. In præsenti agemus quomodo sacra doctrina possit soluere argumenta, quæ fiunt contra fidem; non quidem in aliqua particulari, aut determinata materia, suis enim id locis præstabitur, sed in vniuersali; pro cuius intelligentia,

Obseruandum est primò, argumenta quæ propriè fiunt contra Fidei Catholicæ mysteria aut esse Gentilium, siue eorum qui Christianismum non amplectuntur, aut hæreticorum, qui licet Christianismum profiteantur, à vera tamen eius fide deficiunt.

Notandum est secundò, à prædictis aduersarijs, aut etiam Catholicis, disputationis tamen gratia, & ad maiorem veritatis elucidationem, dupliciter argui posse contra fidem. Primò si quis ex pluribus Sacræ Scripturę locis, aut ex pluribus propositionibus, quę in aliquo sensu sunt de fide, vel certæ certitudine Theologica, malè tamen ab arguente intellectis, deduceret conclusionem aliquam repugnantem alicui veritati fidei; ita vt putaretur ab eo esse demonstrationem Theologicam. Secundò si quis ex pluribus propositionibus naturalibus, aut ex vna naturali, & altera de fide, vel Theologica, inferret aliā conclusionem veritati fidei contrariam.

Notandum est tertiò, ea quæ opponuntur fidei esse in duplici differentia, alia enim opponuntur ei directè, vt si diceretur, Deum non esse simul vnum & trinum; alia tantùm indirectè, vt sunt ea, quę ex se, & sua conditione spectant ad aliam scientiam naturalem, v.g. quod accidentia non possint separatim existere à suo subiecto, quatenus Philosophia docet inhærentiam actualem esse de essentia accidentis, hoc indirectè aduersaretur veritati fidei, nam eo semel admisso sequeretur substantiam panis, & vini remanere in Sacramento Eucharistiæ, cùm eorum accidentia ibi remaneant.

Aduertendum est quartò, esse quidem euidens lumini naturæ, Deum nō posse

posse mentiri, aut dicere falsum, siue quod idem est, authoritatem diuinam in dicendo esse omninò infallibilem; verùm quia nobis euidens non est Deum reuelasse hæc vel illa mysteria, quæ credimus, sed hoc sola fide certum est, hinc etiam nobis euidens non est talia mysteria esse vera, sed illa tantùm fide credimus, atque adeò nō est nobis positiuè euidens nullam aduersus ea fieri posse demonstrationem, sed hoc solùm per fidem est certum, aut per discursum Theologicum; quatenus exercitij gratia posset quis ita discurrere. *Quidquid Deus dicit est verum; Deus dicit se esse Vnum, et Trinum, Verbum fuisse incarnatum, Sacramenta instituta, et sic de alijs; Ergo hęc omnia vera sunt*. Itaque sicut ille, qui habet veram ac perfectam scientiam de aliqua veritate naturali, habet etiā ex hoc ipso euidentiam, nullam aduersus talem veritatem iam scitam, afferri posse veram demonstrationem; pariter ille, qui habet fidem diuinam de aliqua eius veritate, hoc ipso certissimam etiam habet notitiam, quod nulla penitus adduci possit demonstratio contra talem veritatem; vndè si aliquis inter arguēdum assumeret aliquam propositionē fidei repugnātem deberet à fideli Theologo indubitanter negari in eo sensu, in quo ipsi cōtradiceret; licet admitti & concedi posset in alio sensu non repugnante, si talis propositio pateretur aliquam distinctionem; sed hoc non esset omninò soluere argumentum, sed negare tantùm, quod in ipso assumeretur, quodque arguenti probandum incumberet.

Obseruandum est quintò, duobus modis posse aliquod argumētum solui: primò euidenter positiuè, scilicet, ostendendo ex euidentia fundamenti propriæ sententiæ, aut ex aliquo alio capite, esse euidenter falsum, quod tamen assumitur ab arguente tanquam verum: secundo euidenter negatiuè; qui modus soluendi in eo consistit, quòd nihil per eum probetur, sed solùm negetur id, quod alius manifestè probare non potest; & sic eneruatur argumentum.

Sextò tandem & vltimò notandum est, dupliciter posse esse vitiosum, & fallax aliquod argumentum contra fidem. Primò ratione formæ; nimirum si peccet contra disserendi artem in ipsa forma concludendi; Secundò ratione materiæ, quia scilicet assumitur aliquod principium falsum, ex quo consequens etiam falsum contra nostram fidem deducitur. Exempli gratia; si contra mysterium Sanctissimæ Trinitatis quispiam hoc modo argueret: Omnis res vna numero secundū essentiam, est etiā vna numero secundum hypostasim; sed Deus est res quędam vna numero, & singularis secundum essentiam: Ergò Deus est etiam vna res secundum hypostasim, atque adeò non erunt in illo tres hypostases, siue personæ. Quo in syllogismo, Maior illa vniuersalis, pro vt se extendit ad creata, & increata, est falsa, vt potè contradicens fidei mysterio Trinitatis personarum in vnitate essentiæ, quod est infallibiliter verum; atque ita eiusmodi argumentum dicitur peccare in materia.

In casu ergò quo falsitas argumenti consisteret in sola forma syllogistica, aut in aliqua fallacia merè naturali, nemini dubiū est, quin posset Theologus etiam cum euidentia positiua, & directè soluere huiusmodi argumētum ex habitu logicæ. Quæstio igitur omnis est, quandò argumentum peccat tantummodò in materia, quanta certitudine, & euidentia possit Theologus illud soluerę. Vbi etiam aduertendum est, quod dum agimus de hac certitudine, & euidentia solutionis, nō est difficultas de illa in ordine ad argumentantem, qui sæpe ratione suæ malitiæ, vel præ intellectus debilitate, & obtusione, capere non potest solutiones, atque adeo non conuincetur earum euidentia, aut certitudine; sed loqui-

loquimur de solutionibus secundùm se sumptis, & in ordine ad intellectum benè dispositum, & capacem. Sicut etiam parum refert ad tales solutiones, quod aliquis Theologus parum doctus, vel instructus nesciat illas adhibere. Satis enim est quod talis modus respondendi nō excedat vires intellectus Theologi maximè adiuti lumine fidei, & aliorum Theologorum, Patrumque studijs, & laboribus. His pro difficultatis apparatu prænotatis, iam pro illius resolutione subsequentes conclusiones pono.

Prima Conclusio. Argumenta omnia, quæ contra fidei mysteria proferuntur, siue fiant ab infidelibus, siue fiant ab hæreticis, possunt solui per Theologiam. Ista conclusio est certa, colligiturque manifestè ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. Vbi præcipitur Theologis, ac viris doctis, vt soluant rationes, quæ videntur pugnare cum rebus fidei; cuiusmodi sunt Gentilium, & hereticorum argumenta. Cum ergò Ecclesia præcipiat tantùm possibilia, quia nullum est præceptum, nec exhortatio impossibilium, vt per se patet, ex hac authoritate Concilij pro certo tenendum est, omnia penitus argumenta contra fidem factibilia dilui posse, ac solui; vt amplius patebit ex sequentibus cōclusionibus. Quod igitur fefellit Robertum Olkot, contrarium opinantem, est, quod non satis hæc duo distinxit, *esse supra captum puræ rationis naturalis, et pugnare cum ratione naturali*; primum enim non infert secundum: vnde mysteria fidei, licet quidem sint supra naturalem rationē, sicut & supra naturam, non tamen contra illam, vt supra ostendimus, atque adeo nullum aduersus ea fieri potest argumentum, quin solui possit.

Secunda Conclusio. Potest Theologus soluere euidenter negatiuè argumenta; à Gentili directè facta contra fidem. Ista conclusio videtur esse contra Durandum in prologo lib. 1. sentent quæst. 1. num. 42. quatenus negat præfata argumenta posse euidenter solui. Est tamen ad mentem Doctoris Angelici D. Thomæ 1. p. quęst. 1. artic. 8. vbi dicit, manifestum esse, eiusmodi rationes, quæ fiunt contra fidem, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta: & tractatu de Trinitate super Boethium art. 5. ad 5. sic habet: *Dicendum, quod duplex est humana ratio, vna demonstratiua cogens intellectum ad credendum, et talis non potest haberi de his, quę sunt fidei, sed potest haberi ad euacuanda ea, quæ fidem destruunt, vel impossibilem astruunt, quamuis enim ea, quæ sunt fidei demonstrari non possint, non tamen possunt demonstratiuè improbari*. Iuxta quam D. Thomæ doctrinam, ille modus respondendi, soluendique argumenta euidenter negatiuè, potest etiam aliquo modo vocari demonstratiuus, non quidem ad probandum, sed ad euacuandum, vt loquitur S. Doctor.

Probatur primò. Ad hoc vt euidenter negatiuè solui dicatur argumētum, vniuersaliter loquendo, nihil aliud requiritur, nisi quod à propugnante, aut respondente negetur id, quod arguens, aut impugnans manifestè probare non potest; sed Theologus in defendendis suis principijs aduersus Gentiles sic se habet, negando videlicet plura ab eis assumpta, quę manifestè probare non possunt: Ergò rectè dicuntur solui à Theologo euidenter negatiuè argumenta omnia à Gentilibus directè factibilia contra fidem.

Maior huius argumenti patet, nihil enim aliud per eiusmodi terminos intelligimus, siue per modum soluendi euidentem euidentia negatiua; quia re vera, si aliquis argumentetur ad aliquid contra alium probandum, & ille, vel absolutè, vel cum distinctione neget aliquam pręmissam, quam neque arguens, aut quiuis alius possit vnquam probare, defendente simili semper modo respondente, manifestè solutum videtur eius argumentum, nō

qui-

quidem positiuè, sed negatiuè, quia in hoc præcisè nihil probatur, sed solùm negatur id quod alius non potest manifestè probare, & sic eneruatur argumentum.

Minor autem probatur, eiusque veritas fundatur in hoc, quod cùm supponat Theologus veritatem impugnatam esse de fide, hinc veluti à posteriori infert, quod præmissæ illæ, quæ assumuntur, non possint habere illum sensum, ex quo sequatur aliqua conclusio contraria fidei, sed alium; & ex hoc fundamento regreditur semper ad distinctionem præmissarum, quàm cum Gentilis nunquam possit manifestè impugnare, remanet solutum argumentũ euidenter negatiuè.

Nota me dixisse in Conclusione, quod argumenta à Gentilibus contra fidem adducta sint euidenter solùm negatiuè solubilia, quia quædam argumenta ita proponuntur ab hæreticis contra aliquas fidei veritates, vt non solùm dilui possint indirectè, & cum euidentia negatiua, verùm etiam cum certitudine positiua, siue de fide, siue Theologica, quatenus eorum falsitas potest ostendi, vel ex diuinis scripturis quas admittunt, vel ex necessaria connexione & similitudine, quæ est inter articulum fidei, in quo dissentiunt à nobis, & alium articulum in quo consentiunt. Nunquam tamen possunt solui cum euidentia positiua, quia præmissæ de fide, in quantùm tales, nunquam possunt euidenter positiuè demonstrari esse veræ.

Insuper dixi in conclusione directè, quia argumenta quæ tantùm pugnant contra fidem ex consequenti, & directè sunt contra aliquam veritatem naturalem, quam articulus fidei supponit, non solùm euidenter negatiuè, sed positiuè quoque dilui possunt; sicut & veritas naturalis illis opposita potest euidenter positiuè probari. Vt si quis contra Mysterium Trinitatis ita argueret: *De nullis rebus realiter distinctis, prædicari potest aliquid, quod aliquo modo sit vnum; ergo Pater, Filius, et Spiritus Sanctus nullo modo sunt vnus Deus.* Tale argumentum esset contra mysterium Trinitatis, & nihilominus euidenter positiuè solui posset; quia euidens est falsitas antecedentis, cum homo, qui de pluribus hominibus dicitur, aliquo modo vnus sit. Non pugnat directè præfatum antecedens cũ mysterio, sed cum alijs rebus naturaliter notis, quæ Logici & Metaphysici docent agentes de vniuersalibus. Vndè talia argumenta, non tàm soluit Theologus ex proprio suo Theologi munere, quàm vt Philosophi personã gerit, vel vtitur alijs inferioribus sciẽtijs, quas vt ancillas ad arcem defensionis gratia, vbi opus est, vocare potest.

Secundò probatur conclusio. Vt aliquod argumentum ex parte materiæ vitiosum, dicatur absolutè solui euidenter negatiuè, non requiritur vt is, qui respondet, ostendat ex ipsa rei natura, aut veritate, falsitatem contrariæ propositionis assumptæ, vt opinatur Durandus, sed sufficit, vt idonea, & congrua reddatur ratio per alia motiua extrinseca, cur id quod in argumento assumitur, falsum esse, animus sibi prudenter persuadeat, atque adeò tali argumento de sua minimè sententia dimoueatur. Sed talis ratio adduci potest, cum respondetur ad quodcumque argumentum contra fidem factum ergo euidenter negatiuè solui possunt omnia argumenta à Gentilibus directè contra fidem pugnantia.

Maior probatur quo ad primam partem, tum quia in hoc distinguitur modus soluendi euidenter positiuè, à modo soluendi euidenter negatiuè, vt dicetur conclusione sequenti: tùm etiam quia aliud est respondere præcisè ad argumentum, & aliud redarguere etiam illum qui argumentatur: vt enim primum fiat, non est necesse ostendere euidenter positiuè falsitatem propositionis assumptæ in argumento: secus

secus autem si quis velit secundum præstare, nempè argumentantem redarguere. Iam probatur secunda pars, sufficere videlicet ad solutionem euidentem negatiuè, quod congrua afferatur ratio, cur ipse respondens prudenter sibi persuadere possit, falsam esse propositionem aliquam in argumento sumptam, sic enim statim apparet fallax esse argumentum; quod est soluere argumentum.

Probatur Minor: Si quis enim infidelis ita contra mysterium Trinitatis argumentaretur. *Ibi est distinctio naturarum, vbi est distinctio personarum; sed in diuinis datur distinctio personarũ: Ergò etiam naturarum;* Theologus soluet argumentum negata maiori, cuius cum aliam probationem adducere nõ possit infidelis, præter eam quæ consistit in inductione, dicendo v.g. *Hæc res distincta personaliter, & hæc, et alia omnes, quas nos cognoscere possumus, sunt etiam distinctę quantum ad essentiam, et naturam; ergo etiam illa res, quæ est Deus, erit multiplex secundum naturam, eo ipso quod est talis secundum personas.* Tali formæ probandi per inductionem, plura potest opponere is, qui respondet; ex quibus euidenter ostendat, non quidem ipsam veritatem mysterij, aut falsitatem illi contradicenté, sed prudenter se agere, quod propositiones mysterij fidei repugnantes falsas existimet: atque adeo quod non moueatur argumentis ex illis constructis.

Primum quod potest opponere, est, non esse absolutè impossibile, vt quod inuenitur in omnibus alijs singularibus, minimè reperiatur in vna quadam re singulari, maximè quando est infinitæ perfectionis, vt Deus.

Secundum est, quod lumen naturale rationis, tunc solùm inclinare nos debet ad assentiendum alicui propositioni vniuersali, quandò nullum aliud lumen altius, & perfectius, quod sit sufficienter testatum, nos docet, secus rem se habere in vno quodam singulari. Tunc enim secundum legem ipsam prudentiæ humanæ, debemus ita planè opinari, propter lumen videlicet nobilius, & excellentius, quod ita rem se habere docet: ac proindè lumen naturale minimè nos impellit, vt in contrarium sentiamus; lumen enim naturale impellere non potest ad aliquod contra prudentiæ leges, aut regulas amplectendum. In omnibus autem fidei nostræ mysterijs, quæ aduersus infideles propugnamus, suppetit lumẽ quoddam altius, ac certius, nempè lumen diuinæ reuelationis, idque sufficienter nobis testatum, communibus videlicet fidei nostrę motiuis, & argumentis; quo lumine cum doceamur, secus plerumque se habere, quam per inductionem probatur, in eo mysterio fidei singulari; non est vndè rationabiliter adhærere possimus propositioni vniuersali ipsi contradicenti, ad cuius confirmationem vsurpata fuerit inductio.

Tertium est, afferre solutiones, & rationes, quæ demonstrent euidenter nostrum intellectum multoties deludi, fictis & apparentibus euidentijs, inter se pugnantibus etiam circa res minimas, vt circa naturam continui; circa morbos corporis humani, eorumque causas & remedia; circa negotia quotidiana; imò circa proprias atque præsentes vniuscuiusque hominis actiones. Inde enim ratio naturalis prudenter dictat, diuinæ authoritatis comparatione, cunctis in rebus, calcandas esse quascunque laruas euidentiæ, & certitudinis, quibus in eius præiudicium, veluti solidis corporibus nos tutò, ac firmiter subnixos esse deliramus, in densissima vitæ præsentis nocte somniantes meridianam lucem.

Quartum denique est; quod etsi diuina mysteria conuenientiam aliquã habeant cum alijs rebus naturalibus, in communissima quadam vocabulorum, aut nominum ratione, propriè tamen illorum rationes infinitè distant

à ra-

à rationibus rerum naturalium creatarum, Quod cum ita pro certo se habeat, humanæ rationi minimè videri debet incredibile, si quiddam aliud longè diuersum competat rei singulari diuinæ, quod rebus alijs singularibus creatis conuenire non potest. Vt enim rectè aduertit D. Athanasius, æternā filij generationem aduersus hæreticorum Arrianorum argumenta defendens in epistola de Synodi Nicænæ decretis ante medium: *Tametsi eadem dictiones de Deo et hominibus, in Sacris Scripturis habentur, hominum tamen perspicacium est, vt Paulus 1. ad Timoth. præcipit, lectioni attendere, vt rem cum iudicio discernant, et pro natura rerum vocabula accipiant, sine intellectus confusione: ne quæ Dei sunt humana more intelligant, id enim est vinum aqua miscere, et alienum ignem altari inferre.*

Idem docet Diuus Gregorius Nazianzenus oratione 5. de Theologia respondens ad argumenta Eunomianorum contra processionem Spiritus Sancti. *Valde*, inquit, *profectò turpe est, nec turpe solum, sed etiam admodum stultum, et inane, ex humilibus, ac terrenis rebus superorum simulachrū sumere, quodque Isaias ait, viuentia in mortuis quærere.*

Ex his igitur alijsque simillbus argumentis, ac motiuis extrinsecis potest Theologus euidenter negatiuè soluere omnia argumenta veritatibus fidei ab infidelibus opposita, ostendendo se prudenter agere, si propositiones in eis assumptas falsas existimet, atque adeò constanter affirmet, non procedere in eiusmodi materia probationes ex illis desumptas.

Obijciet aliquis contra nostram conclusionem: si semel doctrina sacra soluere posset euidenter rationes fidei contrarias, & eius mysterijs; sequeretur quod euidenter etiam cognosceret illa esse possibilia; cuius tamen oppositum supra docuimus.

Respondetur ad hoc argumentum, concedendo sequelam illius, si doctrina sacra solueret tales rationes euidēter positiuè, ostendendo videlicet ex ipsa rei veritate, aut euidentia fundamenti propriæ sententiæ, falsitatem propositionum in illis assumptarum. Neganda verò est, si procedat de solutione habente tantùm euidentiam negatiuam, & quæ ostendit talem falsitatem, per alia motiua, & rationes extrinsecas, quibus fideles sunt prudenter persuasi de rei veritate, vt probauimus fieri posse.

Igitur magnum est discrimen, inter hoc, quod ratione naturali possit euidenter positiuè demonstrari possibilitas mysteriorum supernaturalium, supposita etiam illorum cognitione per fidem; & inter hoc, quod ratio naturalis, eadem fide semper supposita, possit aduersus infideles defendere talia mysteria non esse impossibilia: ad istud enim sufficit ostendere per solutionem omnium argumentorum, nullam penitus rationem posse demōstrare impossibilia esse talia mysteria; quod tamen non sufficit, vt dicatur positiuè probari eorum possibilitas. Ex hoc enim quod vna pars non probetur efficaciter, aut euidenter negatiuè tantùm ostendatur non ita probari, non continuò sequitur, quod altera pars opposita simpliciter, & absolutè ostendatur esse vera, sed solùm quod ex vi talium probationum non sit falsa.

Vltima conclusio. Solui non possunt euidenter positiuè argumenta ab infidelibus facta, directè contra fidem. Hæc conclusio debet esse communis, & certa inter Theologos; probaturque efficaciter. Quia soluere euidenter positiuè argumenta directè contra fidem ab infidelibus opposita, nihil est aliud, quam euidenter ostendere falsitatem principiorum ab eis assumptorum, aut ex natura rei, aut ex ipsamet euidentia fundamenti propriæ sententiæ. Theologus autem id præstare nō potest; vt si quis v. g. in materia Trinitatis obijceret: *Nulla natura singularis, vel numero vna, potest esse eadem*

tribus

tribus suppositis realiter distinctis: *ergo Pater*, *Filius et Spiritus Sanctus non sunt vnus numero Deus*: talia, inquam, obijcienti, non posset Theologus euidenter ostendere falsitatem antecedẽtis; neque ex natura rei, si quidem nõ datur medium aliquod naturale, quo euidenter demonstrari posit; neque etiam ex euidentia fundamenti propriæ sententiæ, cum Theologus, vt supponimus, euidentiam non habeat eorum quæ credit, vt ex tali euidentia soluat errorem oppositum: & sic non posset reddere euidentem fidei veritatem ab intrinseco, & ex proprio fundamento, quod est idem, ac non posse illum soluere euidenter positiuè. Vnde non minus est certum, ita solui non posse argumenta infidelium, quàm nõ haberi à nobis mysteriorum fidei euidentiam, nec posse à nobis naturaliter eorum veritatem, aut possibilitatem demonstrari.

In fine huius capitis, si petat aliquis vndè proueniat talis euidentia negatiua, qua intellectus cognoscit argumenta omnia contra fidem proponibilia esse solubilia.

Respondetur à lumine naturali, vt tamen adiuto, & eleuato per fidem: fides enim, reddendo intellectum certum de suis veritatibus, excitat illum ad inquirendas, & inuestigandas propositiones illas communes, quibus vt diximus ab extrinseco ostendi potest, argumenta in contrarium ab aduersarijs facta nihil conuincere. Dumque habet aliquis Theologiam, eaque est perfectè instructus, longè adhuc melius id totum præstare valet; accedente etiam diuinæ gratiæ auxilio: Cum enim soluere omnia argumenta, quæ contra fidem adduci possunt, sit res difficilis, & ardua; valdè probabilis est sententia Aegidij Romani quodlib. 5. quæst. 7. docentis, hoc ab homine Theologo rectè præstari non posse, sine peculiari Dei auxilio, quo mens dirigatur in ijs opportunè obseruãdis, quæ sint neganda, concedenda, vel distinguenda. Quare non mediocris in aliquo temeritatis nota esset, qui tali operi, præsertim publicè, se accingeret, non præmissis ad Deum precibus, ad implorandum eius auxilium.

Imo Sanctus Gregorius Nazianzenus in orat. 1. de Theologia tradit, hoc munus differendi de rebus diuinis, præsertim vbi agitur de illis defendendis ab aduersariorum obiectionibus, non cuiuslibet esse sed illorum tantum, *qui exactissimè explorati sunt*, *contemplandique acumine excellunt*, *qui etiam*, *et corpus*, *et animam vitiorum sordibus purgarunt*; *aut iam in hoc toti sunt*, *vt se à vitiorum labe purgent*. Vbi preter ingenium peracutum, singularemque doctrinæ peritiam, requiritur insuper in eo, qui de fide disputaturus est, vt se à vitiorum sordibus, impuritatibusque emundet; vt hostes inuisibiles superando, visibiles nullo cum negotio propulsare, ac debellare valeat. Sed de hoc satis, de quo longior sermo redibit sect. 9. huius libri cap. 5.

CAPVT VI.

Quod Fidei Christianæ mysteria, quæ docet Ecclesia Catholica Romana sint euidenter credibilia.

CVm ad declarandã Fidei Christianæ veritatem, quodque eius mysterijs assensum præbentes; leuiter haud credant, quasi indoctas fabulas sequerentur, non parùm imo efficaciter conducat euidentia credibilitatis talium mysteriorum, tanquam diuinitus reuelatorum; si quidem implicat esse aliquid ex natura sua euidenter credibile fide diuina, aut tanquam à Deo reuelatum, quod sit falsum, aut impossibile; quia multa ex signis, & argumentis, quibus ea, quæ sunt Fidei Christianæ, proponuntur tanquã euidenter credibilia fide diuina, nullum alium habent, nec habere possunt authorem præter Deum, quem facilè

constat

constat nulla penitus ratione mentiri, aut falsum testificari posse. Postquam superiori capite in hunc eundem finẽ declarandi veritatem mysteriorum fidei nostræ, defendendique illam aduersus omnes inimicorum eius insidias, ostendimus cuncta eorum argumenta apertè solui, ac dilui posse; superest vt in præsenti agamus de euidẽtia credibilitatis eiusdem.

Relictis igitur speculatiuis omnibus considerationibus, primò circa principium eiusdem, vtrum nimirum proueniat à lumine fidei, habituque supernaturali illius, vel ab aliquo alio: secundò circa necessitatem illius ad susceptionem fidei; vtrum nimirum prærequiratur ad illam in singulis fidelibus euidens notitia obiectorum per fidem credendorum secundum rationem credibilitatis, de quibus omnibus, alijsque similibus disputant inter se Doctores in tractatu de fide 2.2. quæst. 1. artic. 4. Iam solùm probare contendimus in communi (quod est proprium Theologiæ Polemicæ munus) ita fidei Christianę obiecta, quæ tenet Ecclesia Catholica Romana, esse obscura, & à Deo obscurè reuelata, omnique lumini naturali imperuia, vt tamen habeant euidentiam credibilitatis testimonij diuini secundum se, ratione cuius propositio illorum facta cum motiuis, & argumentis talis credibilitatis proprijs, sit sufficiens, vt quis possit, ac debeat rationabiliter illis assentiri tanquam veris, & à Deo reuelatis.

Pro cuius intelligentia notandum est primò, cum Fides Christiana innitatur solo Dei reuelantis testimonio, & eatenus res sint credibiles fide diuina, quatenus constat Deum esse, qui illas testificatur, aut reuelat, dupliciter intelligi posse, quod euidenter probari possit credibilitas fidei Christianæ. Primò quia fiat euidens ipsa testificatio Dei: secundò, quia licet non fiat euidens, fit tamen euidenter credibile Deum testificari. Etsi autem aliqui Theologi putent cum Caietano loco citato 22. argumenta credibilitatis fidei Catholicæ, esse ita efficacia, vt nõ solùm probent esse euidenter credibile Deum testificari, sed euidentem etiam faciant locutionem, & testificationem Dei, quam tradunt minimè destruere rationem fidei, sed cum eius obscuritate compossibilem esse; In præsenti tamen difficultas procedit solùm de euidentia credibilitatis secundo modo, videlicet, euidenter credibile esse, Deum testificari veritates per Ecclesiam Catholicam ad credendum propositas, hoc enim sufficit, vt tales veritates sint, & dicantur absolutè credibiles fide diuina, atque adeò dignæ, quibus firmissimum, sine vllo erroris, aut leuitatis periculo præbeamus assensum. Quia autem intellectus dupliciter cõuinci potest ab obiecto euidenter credibili, vno modo ad iudicandum tantùm euidẽter esse credibile; alio modo ad illud credendum. Ad primum non requiritur vt intellectus iuuetur à voluntate nisi quantùm ad exercitium, sicut in assensu scientifico; secus autem ad secundum, vbi necessaria est motio voluntatis determinantis, & captiuantis intellectum in obsequium fidei, ex communi doctorũ sententia. Vnde non est opus, vt omnes qui euidenter iudicant aliquod esse credibile, statim credant, nec possint dissentire. Vt satis patet in infidelibus positiuis, qui habita sufficienti rerum per fidem diuinam credendarum propositione, illas tamen non credunt. In tantum enim sufficienter proponuntur alicui res per fidem diuinam credendæ, atque adeò tenetur ex pręcepto diuino ad illas credendum, in quantum habet euidentiam credibilitatis talium rerum; siue dictamen prudentiæ euidens, quod facit eiusmodi euidentia, præsupponit esse aliquas rationes speculatiuas, quibus intellectus inducitur ad credendum; sine quibus non esset prudentia credere, sed leuitas cordis. Sicut illis semel positis non

cre-

credere, eſt ſumma cordis ſtultitia, & durities.

Obſeruandum eſt ſecundò, rem aliquam dici poſſe euidentem tripliciter, vno modo maximè propriè, quãdo ipſa in ſe immediatè cognoſcitur, ita vt vel ſenſibus percipiatur, vt res omnes, quæ ſunt in conſpectu noſtro, vel habita terminorum explicatione ſtatim apprehendatur: vt ſunt prima principia, v. g. omne totum eſt maius ſua parte. Secundò propriè, quandò res per ſuas veras, & immediatas cauſas cognoſcitur. Cùm enim in cauſis maximè æquiuocis eminenter contineatur, tota ratio, & eſſentia effectus, ſi ſemel tales cauſæ clarè, & euidenter cognoſcantur, ſecundum illam rationem, vel habitudinem principij, & cauſæ, quam habent ad ſuos effectus, debent etiam illis, & per illas clarè, & euidẽter cognoſci huiuſmodi effectus, non ſolùm quo ad an eſt, ſed etiam quo ad quid eſt ipſorum. Ratio eſt, quia ſicuti ſe habet res in ratione ſuæ entitatis, ita quoque ſe habet in ratione ſuæ intelligibilitatis, cum vnumquodque ſit intelligibile, in quantum & eo modo, quo eſt ens; vnde cauſa quæ continet in ſe totam rei alterius entitatem, & quidditatem, eius quoque ratio, ſeu intelligibilitas continet totam illius rei alterius intelligibilitatem. Tertiò res aliqua poteſt dici euidens impropriè, & imperfectè, quãdo cognoſcitur per cauſam, aut in cauſa merè virtuali, & inſtrumentali, vel in effectu, vel in ſigno habente rationẽ effectus; Etſi enim cauſa, quæ effectũ tantùm virtualiter continet, & tanquã inſtrumentum non poſſit clarè repræſentare effectum quo ad quid eſt, poteſt tamen id præſtare, quo ad an eſt, quando talis cauſa inſtrumentalis, & effectus neceſſariam inter ſe habent connexionem; ſimiliter cauſam in effectu ſuo, aut in aliquo ſigno habente rationem effectus, quodque non ſit merum ſignum, non videri clarè & euidenter quid ſit, ſed tantum quod ſit; id quoque patet, quia idcircò Deus non videtur quidditatiuè in creaturis, per quas tamen videtur quo ad an eſt.

Nota me dixiſſe, rem in effectu, vel in aliquo ſigno habente rationem effectus clarè videri, quod ſit: quia qui videt merum alicuius rei ſignum, & quod non eſt effectus illius: quomodo verba noſtra ſunt ſolummodo ſigna conceptus, ſeu iudicij loquentis, nec videt euidenter quid, aut etiam quod ſit res illa cuius eſt ſignum. Vndè qui audiret Deum clarè dicentem, aut reuelantem ſe eſſe Vnum & Trinum, vel Petrum dicẽtem, ſibi lapidem eſſe grauem, videret quidem; ſeu clarè cognoſceret vocem, ſeu verbum; & locutionem Petri; clarè quoque cognoſceret, quod Petrus vult loqui, & quod concipit verba, quæ profert; non enim loquitur niſi ex intellectu, & vt agens artificiale; attamen non videret, ſed tantùm obſcurè intelligeret, & lapidem eſſe durum, & Petrum id ita de facto iudicare; quia iudicij iſtius nullo modo effectus, ſed tantummodò ſignum eſt illud verbum, ſeu propoſitio vocalis Petri, quandoquidem Petrus poteſt mentiri id dicendo, quo in caſu non habebit illud de lapide duro iudicium, & tamen producit ſignum. In quo diſtinguitur à locutione Dei, qui cùm nulla penitus ratione mentiri poſſit, ſtante euidentia talis locutionis ex parte Dei atteſtantis, non ſolùm poſſumus cognoſcere euidenter Deum velle loqui, & quod concipit verba quæ profert, ſed etiam quod loquitur conformiter ad ſuam mentem; non tamen propterea clarè, aut euidenter, ſed certò tantum cognoſcimus per fidem rem ipſam, quam atteſtatur, vt docent illi Theologi, qui exiſtimant euidentiam teſtificationis, vel atteſtãtis non officere fidei, & quantumcumque ſit euidens Deum teſtificari, manere ineuidens obiectum ipſum.

Obſeruandum eſt tertiò nomine *credibilitatis* nihil aliud à Catholicis intelligi, quam *dignitatem quandam*, *& qua-*

& quasi meritum in obiecto, vt credatur: quæ dignitas formaliter ei conuenit ratione motiuorum, quæ sunt rationes sufficienter propositæ, ob quas obiectum, quod sic denominatur credibile, prudenter iudicatur esse dignũ, quod credatur; vndè credibilitas duo respicit; primum sunt ipsa motiua fidei, seu rationes, propter quas veritas proposita, est digna, quæ credatur, & hæc respicit tanquam formalem suam rationem; secundum, quod ipsa credibilitas respicit, est assensus fidei Diuinæ, vel humanæ, secundum quod res aliqua per vnam aut alteram credenda proponitur, & hunc assensum respicit tanquam finem vltimum, ad quem in genere credendi ordinatur. Hinc aliud est aliquid esse verum, & aliud esse credibile, etiam dicta de vno & eodem obiecto, id enim dicitur esse verum, quod ita est in se, vt à me cognoscitur, credibile verò quod dignũ est, vt à me, vel ab altero credatur.

Ex quibus omnibus colligo vltimò, hæc duo valdè inter se distingui, aliquid esse euidenter verũ, & aliquid esse euidenter credibile; tunc enim aliquid est euidenter verum, si vno trium modorum primo notando enumeratorum nobis innotescat, euidenter verò credibile, quando euidenter constat de motiuis illis, aut rationibus ob quas dignum est, quod ab vnoquoque credatur. Vndè etiam hæc duo valdè inter se distinguntur, posse probari aliquid esse euidenter verum, aut possibile, & posse probari aliquid esse euidenter credibile; nam id, per quod aliquid ostenditur esse euidenter credibile, est semper externum rei ipsę creditæ, sunt enim ipsa motiua fidei, quæ ostendunt rem esse dignam, cui à viro prudenti sine vlla leuitatis nota fides adhibeatur; medium autem per quod aliquid ostenditur esse possibile, aut verum, est intrinsecum rei cognitæ. Quare ex eo quod mysteria nostrę fidei, seu principia Theologica possint probari euidenter credibilia, non sequitur illa etiam posse probari euidenter possibilia, aut vera, cum radix possibilitatis, aut veritatis non sit ipsa credibilitas, est enim omnino extrinseca rei cognoscendæ, sed debeat esse aliquid ei intrinsecum, aut intrinsecè coniunctum, vt fusiùs explicabitur in solutione argumentorum.

His prænotatis certissimum puto, Fidem Catholicam Romanam, mysteriaque per illam proposita tanquam diuinitus reuelata, esse euidentia in generali ratione credibilis.

Primò id apertè colligitur ex Sacra Scriptura Psalmo 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Illa enim particula *nimis* non videtur minorem quam euidentem credibilitatem significare. Et ita D. Thomas 2.2. quæst. 1. artic. 4. ad 2. ait, *Ea quæ subsunt fidei, dupliciter considerari posse. Vno modo in speciali,* (siue secundum propriam materiam;) *et sic non possunt esse simul visa et credita. Alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis: et sic sunt visa* (seu euidenter cognita) *ab eo qui credit. Non enim crederet, nisi videret, ea esse credenda, vel propter euidentiam, vel propter aliquid eiusmodi.* Eamdem doctrinam habet ibidem artic. 5. ad 1.

Etsi autem principalis huiusce nostræ conclusionis probandæ, & infidelibus persuadendæ ratio cõsistat in eo, quod adduceremus de facto motiua omnia, seu notas aut signa veræ, & à Deo reuelatæ religionis, quæ ad amussim nostræ religioni Christianæ conuenire ostenderentur: non desunt tamen aliæ etiam rationes communes, & ex principijs ab infidelibus facilè concedendis desumptæ, quibus euidentiam, & certitudinem fidei Catholicæ Romanæ, quo ad eius credibilitatem demonstrare possimus.

Prima igitur ratio desumitur ex suauitate diuinæ prouidentiæ, libenter enim admitent infideles, Deũ tamen agnoscentes, ipsum singulari cura rebus creatis maximè humanis prouide-

re, & inter omnes creaturas corporeas peculiarem homini gubernando prouidentiam impendere; quamobrem quem salutis, beatitudinisque veræ, ac æternæ capacem creauit, eidem quoque media ad illius consecutionem apta, & commoda suppeditare debuisse; vndè cum inter illa primum locum teneat veræ religionis cognitio, profectò credendum est nobis Deum in illa indicanda, certoque demonstranda non defuisse. Quia autem ob maius fidei nostræ meritum, talem cognitionem potuit velle esse in se obscurā & ineuidentem, solique suæ reuelationi tanquam vnico assentiendi, & cognoscendi medio innitentem, sicuti de facto est illa cognitio, quam per fidem Catholicam habemus de rebus à Deo reuelatis, oportuit diuinam huiusmodi reuelationem notis suis proprijs adeò claris, & euidentibus esse insignē, vt omnibus veram religionem per illā edoctam sincerè, ac seriò, & cum ea, quæ in tanto negotio exigitur, diligētia inquirentibus facilè occurreret, manifestèque & euidenter credibilis fieret.

Secunda ratio desumitur ex natura, & conditionibus fidei, quam sibi religionem aliquam reuelanti Deus adhiberi petit. Fides enim Diuina, & supernaturalis, qua Deo aliquid attestanti credere debemus nullam secum patitur dubitationem, sed dicit firmam adhæsionem, & qui existimat aliquid esse dignum, quod credatur fide diuina, debet simul iudicare illud tam esse certum, vt eius oppositum non possit eadem fide credi, vel æstimari ab vllo posse credi; vt facilè concedet quicumque infidelis, cui solo luminis naturalis ductu euidenter cōstare potest Deū nulla penitus ratione posse mentiri, aut fallere: Igitur supposito quod fides Catholica Romana, sit vera & diuina fides, vt patebit infra ex proprijs veræ, ac diuinæ fidei notis illi competentibus, debuit prouidere Deus de medio, quo circa veritates supernaturales ab illa propositas, tanquam à Deo reuelatas, firmissimum, qui decet fidem diuinam, assensum elicere possemus; stante autem obscuritate obiectiua talium veritatum, nullum aliud medium aptius, conditionique humanæ accommodatius esse potuit, quàm si redderentur euidenter credibiles, omnis enim certitudo cognitionis petitur ex aliqua euidentia, quia autem in fide diuina deficit euidentia intrinseca, certè firmissima certitudo, & intellectus adhæsio, quam exigit à nobis assensus fidei, debuit saltem dispositiuè reduci in aliquam aliam euidentem præcognitionem, qualis est in fide credibilitatis ipsius cognitio.

Confirmatur hæc ratio, vt aliquis assensus eliciatur prudenter circa aliquod obiectum, ea animi firmitate, qua maior esse, aut concipi non potest, certè cognitio credibilitatis illum antecedens debet proportionari firmitati & certitudini, quæ debet inesse tali assensui eliciendo, quia vnumquodque debet credi pro ea dignitate quam habet, & vt conditio postulat; sic quādò assensus scientificus debet elici, cognitio credibilitatis obiecti scibilis talem assensum antecedens, debet esse maior & perfectior in tali genere cognitionis, quam sit cognitio credibilitatis obiecti antecedens assensum topicum, seu probabilem circa illud eliciendum; Cum ergò firmitas, & certitudo, quæ debet inesse assensui fidei diuinæ, qualis est Catholica Romana circa veritates supernaturales ab illa propositas, tanquam à Deo reuelatas, ad quem etiam assensum eliciendum ipsa talium veritatum credibilitas tanquam ad vltimum omnino finem ordinatur, sit summa in genere istius cognitionis, ita vt nulla alia maior dari possit: certè ad eiusmodi fidei supernaturalis assensum prudenter, & conformiter ad naturam rerum eliciendum, ipsa etiam veritatum supernaturalium tanquam à Deo reuelatarum credibilitas, vt prius cognita, quam assensus

fidei

fidei circa illas producatur, debet esse summa: vndè, cum nulla detur maior, quam quæ est cum euidentia, ad hoc vt fides Catholica, veritatesque supernaturales per illam propositæ, tanquã diuinitùs reuelatæ acceptarentur; necessè fuit, vt id prius hominibus non quidem euidenter verum, sed euidenter credibile appareret. Nec sufficiebat probabilis tantùm credibilitas, stãte tali firmitate, & immutabilitate assensus; si quidem dispositiones saltem proximæ, proportionem maximam cum forma habere debent: at iudiciũ hoc euidens de credibilitate obiecti per fidem diuinam credendi, est vltima dispositio ad assensum fidei diuinæ ex parte intellectus, ergò non tantùm debet esse probabile, sed firmissimum, & immobile, sicut est assensus ipse respectu veritatis rerum credendarum; talis autem certitudo iudicij prærequisiti non potest esse obscura, & sine euidentia; nam certitudo cum obscuritate solùm conuenit fidei, & cognitioni Theologicæ, quæ ex fide generatur, cum tamen iudicium illud credibilitatis præcedat fidem: ergo est certitudo coniuncta euidentiæ.

Insuper cum eius, quod propriè cẽsetur probabile, vtraque pars tam negans, quam affirmans, meritò & prudenter credibilis apparere possit, si semel ad amplectendam fidem diuinam sufficeret iudicium probabile de credibilitate obiecti, cum hoc facilè mutari possit, ob plerasque rationes probabiles, quæ in tali casu pro parte opposita occurrere possent; sequeretur eum, qui mysterijs fidei ritè propositis, tanquam à Deo reuelatis assensum dedit; posse prudenter & sine peccato fidem diuinam abijcere; quod sanè dici non potest, non alia ratione, nisi quia in rebus fidei, antequam credantur, debet constare de earum euidenti credibilitate, tanquam rerum diuinitùs reuelatarum, qua excluditur omnis prorsus probabilitas credibilitatis circa oppositum, nec non etiam formido, seu potentia prudenter formidandi, ne fortè id, quod creditur, non sit prudenter credibile. In tantum enim quis in rebus probabiliter solùm & nõ euidenter credibilibus potest vni sententiæ ita prudenter adhærere, vt cõtraria sit ei probabilis, vnaq; relicta possit alteram amplecti, in quantum neutra pars est firmiter credenda, vt vera, sed tantùm vt probabiliter vera, & cum formidine ne pars opposita sit vera; eo quod non rarò duæ propositiones etiam contradictoriæ, tot apparentibus rationibus fulciri possint, vt ambæ appareant probabiles.

Itaque fides diuina in hoc distinguitur ab alijs virtutibus, quod ad prudenter, & honestè operandum in illis non prærequiritur semper iudiciũ euidens, v.g. ad volendum ex misericordia succurrere alicui pauperi, non oportet cognoscere, quod sit euidenter pauper, sed posito solùm iudicio probabili de paupertate illius, datur actus prudentiæ rationabiliter dictans, hic & nunc honestum esse sequi illud iudicium probabile; cum non tantum vera, & necessaria, sed etiam probabilis proximi miseria subleuanda, sit sufficiens materia exercendæ misericordiæ, ad quam pertinet quãcumque miseriam alienam subleuare. Cæterũ stante firmitate, & immobilitate fidei diuinæ, cui sola ratio assentiendi est reuelatio Dei, idem est penitus prudenter illam amplecti, ac præuia euidentia credibilitatis illius, tanquam à Deo reuelatæ.

Tertiò tandem & vltimò probatur conclusio, quia illud est propriè euidenter credibile, tanquam reuelatum diuinitus, ad quod iudicandum, esse dignum, vt credatur fide diuina, & supernaturali, habemus omnia prorsus argumenta seu motiua, quibus res aliqua potest dici certò & euidenter credibilis tali fide: atqui ad indicandum fidem Catholicam Romanam, veritatesque supernaturales per illam propositas esse dignas, quæ credantur

fidẽ diuina, tot dedit Deus, & ita euidentia motiua, maximè si sumantur collectiuè, vt si per impossibile deciperentur, qui fidem Catholicam amplectuntur, posset non immeritò quisque eorum vsurpare, verba illa Riccardi à Sancto Victore lib. 1. de Trinitate cap. 12. *Domine si error est, quod credimus, à te decepti fuimus; nam in nobis tantis signis, et prodigijs confirmata sunt, et talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt*: ergò fides Catholica Romana, veritatesque supernaturales maximè per illam propositæ, tanquam diuinitus reuelatæ, sunt euidenter credibiles fide diuina, & supernaturali.

Maior huius argumenti patet, si quidẽ nomine credibilitatis nihil aliud intelligitur in præsenti, quam dignitas quædam, & quasi meritum in obiecto, vt credatur, sicut in principio huius capitis prænotauimus; quæ dignitas cum non sequatur præcisè naturã rei, sed formaliter ei conueniat ratione motiuorum, quæ adducuntur, vt obiectum, quod denominatur credibile, prudenter iudicetur esse dignum, quod credatur, manifestè sequitur illud esse euidenter credibile, quod euidentibus, & irrefragabilibus nititur argumentis ac motiuis, sicut per oppositum aliquid dicitur tantùm probabiliter credibile, quod probabilibus solùm comprobatur signis, aut suasionibus, cum credibilitas præcisè sequatur cõditionem suasionis, & argumentorum eius. Vnde maiorem hanc sic explicatam non negaret infidelis, maximè si semel sibi persuaderet inter signa illa, & motiua esse aliqua, quæ nullum alium quàm Deum possunt habere authorem.

Minor autem in qua sicut, & in alijs præcedentium argumentorum, tota est difficultas, efficacius probari non potest, quàm notando primò, nos in illa non subsumere, aut intendere, quod doctrina fidei nostræ possit euidentibus argumentis demonstrari, quo ad euidentiam aut certitudinem rei, sed tantùm quo ad euidentiam, & certitudinem credibilitatis: Deinde adducendo de facto omnia argumentorum genera, quibus Deus optimus, maximus testimonia sua credibilia nimis fieri voluit, quod in subsequenti sectione accuratè præstare conabimur, si prius breuiter satisfecerimus aliquibus obiectionibus, quæ possunt fieri contra doctrinam à nobis huc vsque stabilitam.

CAPVT VII.

Soluuntur obiectiones, maximè cur stante euidenti fidei Catholicę credibilitate, tot sunt homines qui illi assensum non præbent.

MVltæ possent in præsenti adduci obiectiones contra doctrinam superiori capite stabilitam de euidentia credibilitatis fidei Catholicæ, à qua doctrina sacra sua accipit principia, verum quia multæ illarum potius pugnãt contra necessitatem euidentię credibilitatis ad susceptionem fidei, vtrum nimirum ad susceptionẽ diuinæ fidei euidens notitia obiecti debeat necessariò præsupponi secundum rationem credibilitatis, loquendo modo ordinario, cũ inquam plures obiectiones pugnent potius contra hanc necessitatem, cuius examen in tractatu de fide reseruamus, quam contra euidentiam credibilitatis fidei catholicæ absolutè, & secundum se consideratæ, quam in præsenti probare intendimus, libenter ab illis abstinebimus, solumque aliquas difficiliores afferemus cõtra prædictam euidentiam credibilitatis vt sic.

Obijcitur primò, si tanta esset fidei Catholicæ euidentia in genere, & in vniuersum, vt spectatis diligenter omnibus motiuis & argumentis infra explicandis, non seorsim, sed simul sumptis, ac inter se comparatis, dicenda esset euidenter credibilis, siue digna cui firmissima adhibeatur fides. Quomodo tot infi-

infidelium genera, Paganorū, Iudęorū, Mahumetanorum & hæreticorum, non solum illam non amplectuntur, sed ita obstinatè impugnant, ac persequuntur.

Respondeo hanc obiectionem retorqueri posse; si enim fides Catholica Romana, non esset in genere, & in vniuersum euidenter credibilis: quomodo tot, ac pęnè innumeri sapientissimorū, & sanctissimorum hominum milliones illam amplexi sunt, ac in dies amplectuntur, vt patet ex historijs noui orbis, ita vt rectè dici possit cum Beato Augustino lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8. qui toto mundo credente non credit, magnum ipse est prodigium.

Quod ergò tot sapientissimorum, ac sanctissimorum hominum millionibus firmiter credentibus alij non credant, non est in causa, quod fides Catholica non sit in se, & ex natura sua euidenter credibilis, sed ad alias rationes, quęcumque illæ sint, recurri potest ac debet; cum tamen alia esse non possit tot hominum millibus fidem Catholicam carni & sanguini repugnantem amplectendi, quam sola eius veritas, & euidens credibilitas, præ omnibus alijs credibilibus.

Causæ igitur cur tot infidelium genera in sua huc vsque infidelitate perseuerarunt, possunt esse primò ex defectu propositionis, quia plerumque fidei nostræ argumenta, ac motiua, vel numquam, vel sufficienter eis, & vt oportet explicata non fuerunt, cum debita videlicet diligentia, asiduitate, facilitate, & ordine quo fieri debet.

Vel secundò, si sic exposita fuerunt, ad illa penetranda peruenire non potuerunt septem de causis, quas affert Guillelmus Parisiensis lib. 1. de fide cap. 2. Prima est ignorantia mensuræ, & capacitatis intellectus humani. Qui enim intellectum suum omnia capere existimat, credit ex necessitate non esse, quidquid in intellectu suo non inuenit. Quemadmodum si quis crederet intra circulum, vel cœlum lunæ esse omnia, necesse haberet credere non esse, quidquid intra ipsum non inueniret. Hæc igitur est causa, propter quam quidquid intellectus eorum non capit, non esse credunt. Tu ergò aduerte hoc, & crede intellectum humanum mensuratum, & limitatum in sua capacitate, ab ipso Creatore suo Deo, qui posuit ei terminos, quę, quot & quanta capiat capacitate sua naturali, multa apud se secreta reseruans, reuelanda cum voluerit, & quando voluerit.

Secunda causa, est auersio intellectus ab eis, quæ credenda sunt. Quemadmodum enim qui auersos habet oculos ab eis, quæ videnda sunt, & conuersos ad alia videnda, videre non potest in ista auersione: sic qui intellectum habent auersum ab eis, quę credenda sunt, & conuersum ad contraria credenda, credere non possunt in ista auersione. Hi sunt, qui tanto amore amplectuntur opiniones suas, & sectas, vt de contrarijs ne quidem cogitare velint, tantoque odio auersi sunt, & contrarij contrarijs errorum suorum, vt ea nec respicere vllatenus velint. Tu autem scias quia idem est cogitare, quod corde siue intellectu intueri, atque respicere, & quia amor conuersio est ad amatum, & odium auersio est ab eo, quod oditur; quod ipsæ conuersiones, & auersiones corporales indicāt & ostendunt, velut vmbræ & similitudines quædam interiorum siue spiritualium conuersionum, & auersionum. Manifestum igitur est, propter quid huiusmodi homines ea, quæ credenda sunt, credere, seu videre non possunt: non enim datum est hominibus videre post tergum suum, neque videre sine intuitu, & aspectu.

Tertia causa erroris est, ipsa rerum subtilitas, quæ turbido, & grosso intellectui visibiles non sunt. Quemadmodum enim visus adeò turbidus, & grossus est, vt ab eo pilus videri non possit, est, & visus quo pilus, & pilo gracilius videri potest; sic & in intellectibus hominum similem differentiam, & comparationem esse contingit. Quemadmodum igitur homines grossi, & turbidi

bidi pilum non videntes vbi est, & contendunt, & iurant ipsum ibi non esse, propter eius subtilitatem & gracilitatẽ ipsum non videntes, & ipsum videntibus credere nolentes: sic ea, quæ ex fide, quam diximus, credenda sunt, propter sui subtilitatem, grossities, & turbiditas intellectus vulgarium, & indoctorum hominum non capiens, ea non esse, & credit, & contendit, & deierat.

Quarta causa est, remotio, siue distantia, hoc est lõginquitas à rebus credendis: & hæc longinquitas est imperitia, & inexercitatio in illis: sicut dicit Aristoteles, imperiti veluti longè distantes speculantur. Qui enim in sensibilibus versantur, aut in alijs quæ longè sunt à credendis, versantur, & commorantur assiduè, longè sunt indubitanter ab illis, & propter hoc illa videre non possunt, qui nec studio, nec exercitatione ad illa appropinquauerunt.

Quinta verò causa est stultitia, qua volunt intelligere intellectu naturali per se id, quod per se capi non potest. Quemadmodum si quis visu humano vellet videre, quidquid aquilino visu videri potest, aut altitudinem staturæ suæ longè desuper eminentem contingere, & quæ in ea sunt manu capere: sic breuior intellectus credendorum altitudinem non attingit, & intellectus naturalis ad ea, quæ supra ipsum sunt, per se nullatenus extendit se.

Sexta causa est inquisitio probationum, probationes enim velut scalæ sunt quibus attingitur ad probata. Quia verò ad ea, quæ fidei sunt, scala huiusmodi non pertingit, cum non habent aliquas probationes inde quales vellent; ideo deest illis scala, vel omnino, vel saltem eius altitudinis, quæ huiusmodi res attingat. Hi tanquam deficiente scala, altitudine ascendenda incomparabiliter breuiori, ad ea, nullatenus ascendunt, eo quod solas probationes scalam, qua illuc contingat, ascendere opinantur.

Septima causa est peccatum, siue negligentia, qua diuinum adiutorium ad ipsa credenda non quæritur, seu quodcumque aliud, quod viam gratiæ obstruit, & concludit. Hactenus Guillelmus Parisiensis simplici quidem stylo, sed eleuato sensu.

Insuper vt aliquid de nostro proferamus, existimo tot infidelium genera, etiam diligenter, & vt oportet expositis credibilitatis fidei Catholicæ motiuis, & argumentis, in sua huc vsque infidelitate perseuerasse, primo defectu præsertim studiosę attentionis, & considerationis ad illa penetranda requisitæ, iuxta illud Psalmi 45. *Vacate, & videte quoniam ego sum Dominus.* Quam tamen diligentiam, & examen ipsi terrenis rebus dediti, & immoderato sęculi affectu excęcati volunt adhibere: non tamen ideo excusantur à peccato, deberent enim attendere, & inquirere, & non inquirunt. Quod potissimum habet locum in Paganis, & Mahometanis. Secundò multi apud se taciti agnoscunt optima quidem, & efficacissima esse ad probandam euidenter fidei Catholicæ credibilitatem argumenta: nihilominus aliquando in proprijs retinentur erroribus spiritu superbię & ambitionis, vel mundano, & diabolico metu, ne videantur victi à Catholicis, vel habeantur indocti, quod hactenus in errore, & ignorantia versati fuerint; sæpè etiam id agunt & dissimulant spe alicuius lucri, vel præmij temporalis, ne suis priuentur pensionibus & honoribus, quod maximè verum est in hæreticis, quemadmodum plures ex ijs proprio ore confessi sunt. Denique sæpius cõtingit occulto, sed iusto Dei iudicio, vt nec hæretici, nec cęteri infideles auditis Catholicorum rationibus conuertantur, quia grauissima peccata perpetrarunt, quibus reddiderunt se gratia diuina indignos, vndè etiam incidunt in reprobum sensum, vt peccatum sit causa peccati, & videntes non videant, audientes non intelligant, quoniam Deus spreuit eos. Quod Apostolus asserit de Iudæis 2. Corinth. cap. 3. dum ait, velamen positum esse antè faciem eorum, quandò legitur ab illis Moyses. Quod

totum

totum præclaro quodam D. Augustini testimonio illustrare placet ex tractatu 1. in Ioannem ad illa verba, *erat lux vera*, &c. vbi ait lucem hominum, esse verbum diuinum, quo homines illuminantur non pecora. *Sed fortè*, inquit, *stulta corda adhuc capere istam lucem non valent, quia peccatis suis aggrauantur, vt eam videre non possint, non ideo cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt: ipsi enim propter peccata tenebræ sunt, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Obijcitur 1. Euidentia cogit intellectum ad assensum, ergò si fides Catholica semel esset euidens in ratione credibilis, illi necessariò, veritatibusque ab illa propositis assentiretur intellectus; cuius tamen oppositū experimur, pateque ex eo quod opus sit pia affectione voluntatis pro determinando intellectu ad præbendum illis assensum, captiuando illum in obsequium fidei.

Respondetur ad hoc argumentum euidentiam quidem credibilitatis rectè penetratam cogere intellectum ad assensum credibilitatis fidei Catholicę, veritatumque illius tanquam diuinitus reuelatarum, non tamen ad assensum veritatis illarum: hæc enim duo inter se maximè differunt, cum euidentia veritatis causetur in nobis, vel ex cognitione rei per causam, vel per proprios effectus, vel ex eo quod penetretur immediata connexio prædicati cum subiecto in illa; euidentia autem credibilitatis petatur ab aliquibus signis, aut motiuis, quæ sunt omnino extrinseca rei credendę, & eius veritati: vndè euidentia potest tantum cogere, seu necessitare intellectum ad assensum sibi correspondentem, ita vt sicut euidentia rei necessitat intellectum ad assensum veritatis illius, sic etiam euidentia credibilitatis necessitabit tantummodò intellectum eius, in quo est, ad assensum credibilitatis, & non ad assensum veritatis fidei, quæ non obstante euidentia credibilitatis, remanet semper in se obscura, cum fides tali euidentiæ non innitatur tanquam motiuo credendi, sed tantum testimonio Dei obscurè cognito saltem obiectiuè: adeoque requiritur semper vt voluntas erga res fidei piè affecta intellectum moueat ad earū assensum; etsi enim quod euidens est intellectum conuincat, nolentemque trahat, vt ipsa experientia satis demonstrat; obscurum tamen, quale est semper obiectum fidei ex parte rei reuelatæ, etiam post penetratam euidentem eius credibilitatem, cum non penetretur ab intellectu, non ei tantam vim inferre potest, vt ipsum per se determinet ad assensum, sed necesse est vt talis determinatio fiat à voluntate captiuante intellectum in obsequium Dei, quatenus per eius impulsum fidei Christianæ & Catholicæ subijcitur.

Itaque sicut licet plerumque sciamus euidenter bonum virtutis ex. gr. temperantię esse nobis prudenter amabile, possumus tamen illum non amare, quia vel mala consuetudo, vel libido, aut alia perturbatio nos transuersos rapit. Ita similiter licet nobis euidens sit, obiectum fidei Catholicæ esse prudenter credibile, nullasque alias sectas posse prudenter retineri, possumus tamen nolle credere, & affectu deprauato in alijs sectis retinendis, aut sequendis relicta fide Catholica imprudenter agere; eo quod euidentia credibilitatis, vt iam diximus, non sit euidentia ipsorum mysteriorum in se, nec assensus quo iudicamus immediatè, aut intrinsecè esse vera, sed quo iudicamus tantùm bonū, & honestum, & debitum esse illa credere: & ita cum fides Catholica, eiusque veritates sint ratione talis obscuritatis, suæque supernaturalitatis maximè difficiles, & captum humanum longè excedentes, nisi pręter rationes illas, & motiua, quibus eas esse prudenter credibiles & credendas euidenter constat, accedat adhuc pia quædam voluntatis affectio ex supernaturali Dei auxilio, vel etiam certa quædam cognitio, quod

Eccle-

Ecclesia, quę ea proponit, regatur à Spiritu Sancto, & eo nomine infallibiles sint eius propositiones, nunquam talia motiua sufficient, vt de facto credatur, sicut oportet, eaque firmitate qua opus est.

Indè colligendum est, ad assensum fidei duplicem pręrequiri actũ voluntatis, vnum quo voluntas moueat intellectum, ad cogitandum de obiecto fidei, & ad quęrendas rationes propter quas obiectum illud fiat credibile: alterum quo post tales sufficientes rationes inuentas, ac propositas, voluntas determinet intellectum ad eliciendum assensum fidei. Cum tamen ad scientiam sufficiat actus voluntatis, quo moueatur intellectus ad cogitandum de illius obiecto, semel enim propositis rationibus, quibus obiectum scientiæ euidenter verum esse demonstratur, manet intellectus intrinsecè determinatus ad illius assensum, absque eo quod vlla de nouo extrinseca voluntatis determinatione indigeat. Quo fit vt Concilia, & Patres doceant hominem nonnisi volentem credere, ipsum credulitatis affectum spectare ad initium fidei, homines credendo mereri, quia actus fidei à libera voluntate proximè præcipitur. At actus scientię dicitur necessarius, esto actus liber voluntatis ad eam remotè concurrat.

Obijcitur 3. si principia Theologica, seu veritates fidei supernaturales, essent euidenter credibiles, essent etiam euidenter possibiles, adeòque euidenter veræ, quia in æternis, quale est v.g. Trinitatis mysterium, idem est esse, & posse; sed repugnat ex doctrina superioribus capitibus tradita, quod supernaturales fidei nostrę veritates sint nobis euidenter verę, aut possibiles, ergo & credibiles.

Respondetur ad hoc argumentum negando sequelam maioris, nam primò credibilitas rei alicuius, & eius possibilitas, aut veritas, loquendo de illis in tota sua latitudine, & prout abstrahunt à materia fidei diuinę, non habent inter se connexionem, non solùm respectu diuersorum intellectuum, sed neque etiam respectu vnius, & eiusdem intellectus, quasi, qui positiuè iudicat aliquid esse euidenter credibile, iudicet etiam positiuè saltem implicitè & consequenter illud idem esse possibile, aut verum; vt enim superiori capite iam præmonuimus, contingit plerumque vt res impossibilis fiat credibilis, vt vel ex eo patet, quod non raro duę propositiones contradictoriè oppositæ tot rationibus, ac momentis hinc indè fulciantur, vt fiant ambæ credibiles; cum tamen vna sit determinatè vera, alia determinatè falsa, atque adeo impossibilis. Cuius rei hæc est ratio, quod possibilitas, aut veritas sequuntur naturam rei, petunturque ex intrinsecis eius principijs; intantùm enim aliquid est verum, aut possibile, in quantùm extrema illius positiuam habent aptitudinẽ, aut saltem non repugnantiam, vt coniungantur inter se, sicque rem, quam dicimus veram aut possibilem constituant; vndè etiam in tantum aliquid dicitur euidenter verum, aut possibile, in quantùm vel videtur in seipso, vel cognoscitur per causam, vel per effectũ aliquem connaturalem; ipsaque necessaria connexio prædicati cum subiecto penetratur.

At credibilitas sequitur conditionẽ suasionis, & argumentorum eius, siue res ita se habeant, vt hęc testimonia afferunt, siue non: si quis enim diceret aliquid verum, è contra verò triginta alij viri sanctitate, & eruditione clarissimi assererent oppositum, cuius tamen falsitas minimè appareret, licet deciperentur, ille verò minimè, tunc quod isti triginta dicerent, esset magis credibile, quamuis non æquè verum, quàm quod vnus ille assereret, quia credibilitas innititur solùm authoritate, & testimonio; authoritas autem, & testimonium triginta hominum tam doctrina, quàm magna sanctitate pręditorum, præponderat authoritati vnius tantum priuatæ, & ordinariæ personæ.

Mani-

Manifestè ergò patet hęc duo, credibilitatem videlicet rei alicuius, & eius posśibilitatem aut veritatem, non habere necessariam inter se connexionem in ordine ad nostrum intellectum; cum enim medium probandæ, & ostendendæ possibilitatis rei, vt iam diximus, sit intrinsecum, medium verò credibilitatis eiusdem sit extrinsecum, sicut hæc media, & obiecta non seruant inter se necessariam connexionem, sed vnum illorum potest esse sine alio, ita etiam nec assensus vnius, puta, credibilitatis, habet necessariam connexionem cum assensu posśibilitatis rei, sed ille prior potest esse sine isto posteriori; dummodo tamen non habeatur dissensus certus, & euidens, de ipsa imposśibilitate talis rei, siue obiecti, quia qui sic iudicat aliquod obiectum esse imposśibile, quamdiu sic iudicat, non potest iudicare illud esse credibile, siquidem iudicat etiã eos decipi, qui asserunt oppositum, neq; eorum testimonia esse sufficientia pro credibilitate illius, cùm aliter testentur de illa re, quàm ipse certò, & euidentèr iudicet; & sic est verissimum, illud quod est euidenter impossibile, esse etiam euidenter incredibile; non tamen vice versa, quod est euidenter credibile, est euidenter possibile, valet, aut est propositio vera, quin potius falsa; quatenus potest fieri, vt quis habeat euidentiam credibilitatis rei (quia pro illa habet motiua & argumenta tam aperta, vt sit indignum viro prudente illud, in cuius sunt testimonium, iudicare non esse dignum quod credatur) qui tamen non habeat euidentiam possibilitatis eiusdem istius rei, vt potè qui non attingit, aut penetrat, conuenientiam, vel non repugnantiam extremorum illius inter se.

Secundò respondetur, quod etiam si in materia fidei diuinæ, & supernaturalis, hæc duo nimirum aliquod obiectũ esse credibile, & posśibile aut verum, necessariam inter se connexionem habeant, propter diuinæ prouidentiæ suauitatem, cuius nõ est permittere aliquid sub suo nomine & authoritate, tam firmiter & per tanta motiua confirmari, vt prudenter iudicari posset esse illud firmiter, & immobiliter credendum, quod tamen reipsa esset falsum; maximè cùm ad assentiendum per fidem diuinam, & infusam, nulla alia via de lege ordinaria nobis præsto sit, quàm per iudicium illud, quo articuli fidei & credibiles, & reipsa credendi euidenter iudicãtur: vndè si huic viæ ordinariæ falsum reipsa subesset, non posset hic error in fidem ipsam non refundi. Etiamsi, inquam, ita res se habeat in materia fidei infusæ: nihilominus tamen motiua illa, & argumenta credibilitatis obiectorum fidei, necessariam & euidentem connexionem non habent cum assensu veritatis eorumdem, ita vt quicumque assentitur ipsis motiuis, iudicando ex illis res fidei esse euidenter credibiles, deueniat illicò ad cognitionem possibilitatis illarum; quia cùm non attingantur positiuè, nisi cognitis earum extremis, & intrinseca quam habent ad inuicem connexione, & entitas eiusmodi mysteriorum transcendat vim, & limites intellectus creati secundùm naturæ suæ vires præcisè considerati, ipsa autem illorum credibilitas minimè, quia motiua eius sunt nostro intellectui sic considerato proportionata, hinc fit, vt cognoscat quidem euidenter credibilitatem illorum, nulla tamen habita positiua cognitione possibilitatis, aut veritatis illorum. Hinc propositio illa, *omne reuelatum à Deo, est euidenter verum, aut possibile*, est falsa, vt etiam patet ex definitione fidei ab Apostolo tradita ad Hebræos cap. 11. *quod sit argumentum non apparentium*; E contra ista propositio, *omne reuelatum à Deo, est euidenter credibile*, est vera, cum fidei nostræ motiua & argumenta euidenter ostendant, illam esse dignam, cui firmiter & immobiliter adhæreatur.

Instabit aliquis & dicet, quod est euidenter impossibile, est euidenter incredibile, vt statim diximus; ergò per oppositum quod est euidenter credibi-

le, eſt etiam euidenter poſſibile; ſed fidei noſtræ myſteria ſunt euidenter credibilia, ergò etiam & euidenter poſſibilia; Antecedens huius argumenti eſt certum; probatur prima conſequentia, quia iuxta regulam Dialecticorum benè arguitur ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis, ſed in præſenti ſic arguitur, nempè ab euidenter credibili, quod opponitur euidenter incredibili, quod erat conſequens in priori argumento, ad euidenter poſſibile, quod eſt oppoſitum euidenter impoſſibili, quod erat antecedens prioris argumenti, ſeu propoſitionis hypotheticæ.

Reſpondetur ad hoc argumentum concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ad cuius probationem dicimus regulam illam allatam, quam docent Dialectici, *conſequentiam valere ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis*, habere tantummodò locum inter oppoſita contradictoriè, ſic enim datur immediata oppoſitio, ratione cuius neceſſe eſt vno exiſtente vero, alterum eſſe falſum; habetur exemplum in hoc argumento, *Petrus eſt homo, ergò eſt animal*, non enim argueretur benè, *Petrus non eſt animal, ergo eſt brutum*, cum tamen brutum ſit oppoſitum hominis, quia non opponitur homini contradictoriè, ſed contrariè; ſolùm ergò poteſt argui, *Petrus non eſt animal, ergo non eſt homo*, quod eſt arguere ad contradictoriam antecedentis, ſeu ad negatiuam illius. Sic in præſenti cum iſti duo termini poſſibile, & impoſſibile, ſecundum quod ponuntur in argumento non ſint contradictorij; nam copula verbalis ponitur in vtraque illa conſequentia modo affirmatiuo, vt per ſe patet, at lex contradictoriarum eſt vt vna ſit affirmans, altera negans, & propoſitio in ratione propoſitionis, non tantùm attenditur penes ſubiectum, & prædicatum, ſed penès conuenientiam, vel diſconuenientiam, quam habent ad ſe inuicem, quatenus coniunguntur inter ſe, vel negantur per copulam verbalem; cùm, inquam, iſti duo termini poſſibile, & impoſſibile non opponantur contradictoriè, non eſt mirum quod allata conſequentia non valeat.

Vt igitur argumentum hoc fieret ex oppoſito conſequentis, ad oppoſitum antecedentis, deberet hoc modo conſtrui; *Hoc obiectum eſt euidenter impoſſibile, ergò eſt euidenter incredibile*, per oppoſitum, *Hoc obiectum non eſt euidenter incredibile, ergo non eſt euidenter impoſſibile*: tunc enim ſeruaretur regula, & argueretur ad oppoſitum contradictorium antecedentis; quæ conſequentia ſemper debet eſſe bona; nihil tamen obſtaret inſtituto noſtro, non tantùm, quia ambæ ſunt negatiuę, & non oppoſitę contradictoriæ; ſed etiam quia libenter admittimus, quod infertur in hac vtraque conſequentia, cum enim veritates fidei noſtræ ſint veriſsimę, & euidenter credibiles, vt diximus, & omne verum vel exiſtat, vel ſaltem ſit poſſibile, rectè ſequitur illas non poſſe eſſe euidenter incredibiles, nec euidenter impoſſibiles.

Ob eamdem etiam rationem, quod poſſibile & impoſſibile non ſint contradictoriè oppoſita, non ſequitur, quod intellectus nihil iudicando de poſſibilitate, ſtatim iudicet ſaltem interpretatiuè tale obiectū eſſe impoſſibile, vt enim diximus ſupra, datur medium inter illa duo, ſcilicet nec iudicare poſſibile, nec impoſſibile, quia nimirum intellectus ſecundum ſua naturalia conſideratus, tam caret medio ad probandam poſsibilitatem, quàm ad probandam impoſſibilitatem myſteriorum fidei, cum tamen non careat medio ad cognoſcendā credibilitatem eorum, ſicque in illo priori quo intellectus ſolā obiecti credibilitatem cognoſcit euidenter, aſſenſus, nec eſt impoſsibilium, nec poſsibilium reſpectu noſtri, ſed credibilium tantùm. Dixi reſpectu noſtri, quia in ſe ſunt omnino poſſibilia, & nullo modo impoſsibilia ſupernaturalia fidei noſtræ myſteria.

SECTIO

SECTIO SECVNDA

Examinantur in particulari præcipua motiua, vel argumenta quibus Fidei Catholicæ Romanæ mysteria sunt euidenter credibilia.

CAPVT PRIMVM.

Affertur generalis quædam diuisio argumentorum seu motiuorum, quibus Theologus probare possit euidenter credibilem esse Christianam Fidem, vel doctrinam quam vt à Deo reuelatam profitetur Ecclesia Catholica Romana.



OSTQVAM duobus superioribus capitibus ostendimus veluti in generali euidentiam credibilitatis Christianæ Fidei, & Religionis, quam tenet Ecclesia Catholica Romana, tanquam diuinitus reuelatæ, nunc pro instituti nostri ratione accuratè explicanda sunt in particulari motiua omnia & argumenta, quibus de facto Deus voluit dictam Fidem,& Ecclesiam præ omnibus alijs sectis munire. Quod quantæ sit necessitatis, & vtilitatis;patet ex eo, quod in huiusmodi motiuis, & argumentis attentè consideratis, diligenterque expositis, primum habemus vnde satisfaciamus infidelibus, qui Christianam religionem, tanquam indignam,quæ crederetur, ludibrio habere, & Christianos tanquam leues corde sugillare possent, quod ita firmiter per fidem adhæreāt rebus adeò difficilibus, & obscuris, omnemque humanæ rationis captum superantibus, tantum enim abest, vt in hoc aliqua vel minima leuitatis nota laborēt, quin potius non possunt non argui summæ cordis duritiei omnes illi, qui Christianæ fidei mentem subijcere recusant, post tot argumenta, & motiua, non quibus in se euidens fiat, sed quæ, seu signa clarissima lumine naturali nota cuilibet veritatem diligenti demonstrāt illam esse euidenter credibilem tanquā à Deo reuelatam, ac proindè certam & infallibilem.

Insuper cùm explicatio motiuorū, seu argumentorum fidei Christianæ,nihil sit aliud, quàm ipsamet explicatio singularum veræ Ecclesiæ proprietatū, ac notarum ob necessariam quam inter se vera fides, & vera Ecclesia habent connexionem, habemus quoque in illis vndè veram Ecclesiam, qualis est Catholica Romana, ab omnibus alijs falsis sectis diiudicare possimus. Ita vt Ecclesia Catholica tot à Deo illius authore motiuis, & argumētis ornata,sit quasi sol quidam, qui radios lucis clarissimos vndequaque diffundit, vt facillimè per eos ab omnibus cognosci possit.

Tandem hac vna ferè via secundum prouidētiam Dei ordinariam possumus infi-

infideles ad fidem pertrahere, cùm enim duo potissimum in illa reperiantur, vnum est assensus intellectus in ea, quæ credenda tanquam diuinitùs reuelata, media prædicatione proponuntur, alterum ipsæmet res, seu mysteria ad credendum proposita; ita Deus est author, & causa primi, homines interius prouocando, & mouendo, tum per illustrationes, & inspirationes, quas immittit; tum per ipsum lumen fidei internum quod infundit, vt tamen totum negotium conuersionis infidelium, quãtum est ex parte ministrorum Euangelicorum, consistat in debita, & accurata explicatione motiuorum externorum, hoc est, argumentorum à rebus sub aliquem sensum exteriorem per se cadentibus desumptorum, quibus tanquam sensibilibus notis ac signis, debet primùm venienti ad fidem euidenter innotescere non quidem veritas, sed credibilitas illius. Ita enim ex vna parte Deus voluit dare locum merito, dum captiuamus intellectum in obsequium fidei certò & immobiliter assentiendo tot mysterijs in esse rei nobis omninò ineuidentibus & obscuris, ob solam Dei sic illa obscurè reuelantis authoritatem, vt tamen ex alia voluerit illud idem obsequium nostrum esse rationabile, neminem proindè ad fidei susceptionem obligando, quin prius euidentem illius habeat cognitionem secundũ rationem credibilitatis, vt ex communiori Theologorum sententia suo loco Deo dante docebimus.

Cum ergò res ita se habeat, quod veritas fidei sit obscura, & quod intellectus, vt præbeat assensum rei obscuræ, prærequirat hanc euidentiam credibilitatis, qua alliciatur ad formandum assensum; quodque proindè præcipuum sedulorum ac prudentum doctrinæ Euangelicæ prædicatorum studium, & labor in illa credibilitate veritatis fidei suadenda versari debeat; maiori quà poterimus claritate conabimur proponere, & explicare motiua illa, & argumenta extrinseca, quibus hæc euidens cognitio credibilitatis necessariò prærequisita in adulto ad susceptionem fidei, potest ipsi facilius ingenerari, non solùm de obiecto materiali fidei, seu veritatis fidei propositæ ad credendum, sed de ipso formali obiecto fidei, id est, quo res illa, quæ sub ijs motiuis proponitur credenda fide diuina, sit à Deo reuelata.

Et quamuis in numero eiusmodi motiuorum, aut argumentorum designando, ipsisque recensendis Catholici Scriptores nonnihil varient, dum alij plura, alij pauciora enumerant; alij vocant signa diuinæ testificationis, alij notas Ecclesiæ Dei, reipsa tamen nulla est dissensio; si quidem diuersa ratione plura aut pauciora numerari, diuersisque nominibus motiuorum, notarum, ac signorum appellari possunt; neque semper propositum fuit singulis scriptoribus, exactè omnia numerare, sed ea, quę vel potissima, vel magis perspicua & notabilia viderentur. Qualia mihi quidem præcipue videntur subsequentia, quæ memoria iuuandæ causa in quinque principales classes possunt contrahi; vt prima complectatur, quæ sumuntur ex parte eius cui creditur, qualia sunt miracula, & signa in fidei Catholicæ confirmationem à solo Deo primario eius authore facta; vaticinia, veræque prophetiæ oracula, seu consensus veteris, & noui testamenti, cùm sint in veteri testamento propheticè annunciata, quæ in nouo referuntur adamussim impleta. Qualia denique sunt qualitates, & conditiones primariæ causæ efficientis in genere moris ipsius Christianæ religionis, id est, authoris eius, scilicet Christi, causarumque instrumẽtalium in eodem genere, vt fuerunt Apostoli, & alij discipuli Christi Domini.

Secundæ classis sint, quæ deducuntur ex parte eius quod creditur; qualia sunt integritas, & sanctitas doctrinæ Christianæ, eiusque concordia cum ratione humana, & disciplinis, vis & efficacia in mutandis, & afficiẽdis animis.

Ter-

Tertiæ, quæ ex parte eorum qui credunt, qualia sunt sanctitas insignis, mutatio admirabilis, patientia inuincibilis, multitudo innumerabilis eorum, qui ex omni conditione, ætate, & sexu fidem Christianam & Catholicam amplexi sunt.

Quartę, quæ ex modo stabilitæ, & propagatæ fidei; vt quod tam ardua & difficilia creditu, tot Philosophis, Principibus, populis, & tyrannis contradicentibus, persuasa sint à viris rudibus, & simplicibus; Secundò huc facit interminabilis eius amplitudo, qua non solùm omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia denique hominum genera ita complectitur, vt perfectissimam tamen doctrinæ concordiam & vnitatem habeant. Eodem pertinet tertiò cõtinuata successio Romanorum, adeòque Summorum Pontificum; quartò ordo pulcherrimus in magna varietate, atque differentia graduum, & officiorum Christianæ disciplinæ.

Quintę tandem & vltimæ, quæ ex parte eorum qui non credunt, quatenus primò doctrinæ Christianæ ea vis & authoritas est, vt aduersarij etiam vel inuiti coacti fuerint perhibere testimonium eius veritati; pertinet secundò ad hanc classem punitio & infaustus exitus eorum, Iudæorum maximè, qui fidem nostram expugnarunt.

CAPVT II.

Explicatur primum Fidei Catholicæ Romanæ motiuum à miraculis ductum.

AD primam classem argumentorũ, aut motiuorum euidentiam credibilitatis fidei Catholicæ probantium, ex parte eius cui creditur, Dei videlicet reuelantis, primùm omnium reduco argumentum à miraculis ductum. Illa igitur fides est euidenter credibilis tanquam diuinitus reuelata, adeoque certa & infallibilis, ad quam fundandam, & confirmandam innumera à Deo patrata sunt miracula, & prodigia: talis est fides Christiana & Catholica siue Romana, quæ toto orbe diffusa est; nequaquã autem vlla alia infidelium, aut hæreticorum secta: ergo illa sola pro vera fide ac religione prudenter habenda est.

Hoc argumento vtuntur Arnobius lib. 2. contra Gentes, D. Chrisostomus homilia 3. in 2. epistolam ad Corinthios D. Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8. & libro de vtilitate credendi cap. 14. 15. & 16. alijque SS. PP. passim. *Quin etiam hanc fidei notam, & tesseram dedit Christus Dominus Marci* 16. *signa autem eos, qui crediderint, hęc sequentur in nomine meo dæmonia eÿcient linguis loquentur nouis*, &c. & D. Matthæi 11. Christus, vt se Messiam ostenderet, *euntes*, inquit, *renuntiate Ioanni, quę audistis, & vidistis, cęci vident, claudi ambulant, surdi audiunt*, &c.

Ad explicandam autem irrefragabilem huius argumenti authoritatem & efficaciã sex à nobis sunt breuiter examinanda. *Primò* quid sit verum miraculum; *Secundò* quod sola virtute diuina possint patrari vera miracula; *Tertiò* fidem aut religionem veris, ac diuinis miraculis confirmatam necessariò esse veram, siue repugnare quod religio veris, ac diuinis miraculis comprobata, sit falsa; *Quartò* veræ religionis propria esse miracula, ita vt non aliter vera Religio conuenienter fundari, & institui possit, quam miraculis; *quintò* miracula veritatem alicuius religionis probantia, debere esse publica, & euidentissima; *Sextò* tandem & vltimò tot ac tantis, tamque certis de facto confirmatam fuisse miraculis fidem Catholicam Romanam, vt nemo sanæ mentis, de eius veritate iam dubitare possit.

†



CA-

CAPVT III.

Traditur vera ratio miraculi, & ad Deũ solum miraculorum editionem pertinere ostenditur.

ETsi aliquoties in veteri testamento nomen miraculi habeatur, nusquam tamen in nouo vsurpatur, sed loco illius, substituitur nomen signi, & prodigij, quotiescumque fit mentio aliquorum operum vires naturæ excedentium, sic actuum Apostolicorum cap. 2. *Iesum*, inquit, *Nazarenum virum approbatum à Deo in nobis, virtutibus, & prodigijs, & signis quæ fecit Deus per illum*, &c. & cap. 5. *per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe*, quæ græcè simeia, & terata dicuntur: ea fortè ratione quod talia opera tam à Christo, quam ab Apostolis supra naturæ vires præstita, non tantùm admirationem excitarent, quod significat vox miraculi; sed quod aliquid aliud nobis indicarent, nempè Christum Messiam, esse Deum & hominem, & mundi seruatorem.

Verùm quidquid sit de hoc, certum est omnia ista nomina miraculum, prodigium, signum, portentum, mirabile & similia, pro vno & eodem indifferenter, ac promiscuè vsurpari posse, vndè si sumantur in tota sua latitudine, nihil aliud significant, quam quodcumque opus sua vel magnitudine, vel nouitate, vel raritate propter occultæ causæ ignorationem, in admirationem inducens, vt colligitur ex D. Augustino lib. de vtilitate credendi cap. 16. Sic tripliciter intelligi potest aliquid esse miraculum, aut opus miraculosum: primò simpliciter & absolutè, comparatione videlicet cuiuslibet naturæ: & hac significatione nullum est signum, aut miraculum: nihil enim est, quod respectu diuinæ potentiæ ac sapientiæ miraculum dici queat. Etenim miraculum alicui dicitur, quod eius tam facultatem, quam intelligentiam excedit: Deus autem, nihil est quod admirari possit, cum & causas omnium quæ fiunt, & possunt fieri, perfectissimè cõprehendat, & princeps ipse causa sit efficiendi omnia. Secundò modo aliquid dici potest miraculum respectu idiotarum, qui ea, quæ sunt ipsis insolita & inusitata, & quorum causas ignorant, quoniam maximè admirantur, vocare solent miracula. Et hac quidem ratione dicuntur interdum miracula non dęmonum modo, & magorum, sed sapientum etiam hominum inuenta quædam noua, & artificiosa opera, cuiusmodi fuerunt illa Architæ, Archimedis, Boetij, & aliorum plurium, quorum primus, vt refert Gellius lib. 10. cap. 12. Simulachrum columbę è ligno, ratione quadam mechanica, ita fecit, vt volaret: sic erat videlicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa atque occulta concitum. Archimedes ingentem nauem onerariam, quam plurima hominum turba, vix, labore maximo, mouere poterat, hominibus insuper multis, multisque ponderibus impositis, procul assidens, & quieta impellens manu, vi cuiusdam multi fidæ machinæ, quasi tranquillo mari prolaberetur, ad se adduxit. Seuerinus autem Boetius, in epistola quadam siue à Cassiodoro, siue à Theodorico ad eum scripta, dicitur miracula quædam fecisse: nempè, vt metalla mugirent; ęneus anguis sibilaret; aues simulatę canerent dulcissimè; homines aërei in aëre buccinarent. Tãdem latini authores pro miraculis coluerunt & celebrarunt septem illa ingentia mundi opera, hominum industria, siue viribus confecta, atque elaborata. Tertiò tandem verè ac propriè miraculum dicitur id opus, quod ita est insolitum, vt etiam omnis naturę creatę vim ac potestatem superet.

Quia autem talis excessus tribus modis potest contingere, dantur etiam tres gradus verorum miraculorum. Primò excessus virium naturę creatæ potest esse in eo quod fit, quod nullo modo tale natura posit facere, quale est, quod duo

duo corpora sint in eodem loco, aut vnum in duobus &c. & hæc primum tenent locum, aut gradum in miraculis, quia superant vires totius creaturæ secundum substantiam eius quod fit. Secundò excessus virium naturę creatæ potest esse, non in eo quod fit, sed in eo, vel ex quo res fit, vel in quo fit: potest enim natura facere aurum, vel arborem, sed non ex nihilo; potest etiã natura generare hominem viuentem, sed non eum qui mortuus fuerat, etsi enim natura potestatem habeat in hembryone ad ingenerandam in eo vitam, non tamen in hoc cadauere; potest item largiri videndi facultatem homini, sed nõ ei, qui cæcus natus fuerat; hęc porrò secundum in miraculis habent ordinẽ, quia superant vires naturæ, non secundum substantiam, sed solum secundum materiam, quatenus per creaturam ex tali materia, aut in tali produci non possunt. Tertiò tandem excessus viriũ naturæ creatæ, nec est in eo quod fit, neque in eo ex quo, & in quo fit, sed vel in modo, vel in ordine, aut alia simili circunstantia, vt si morbus curetur sine vllo medicamento, aut in instanti: atque hic est infimus miraculorum gradus.

Hanc miraculorum differentiam, ac diuisionem docet D.Thomas in quæst. disputatis 96. quando asserit miracula quędam dici supra naturam, vt est incarnatio verbi; quædam contrà, quandò in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit: sicut cum seruauit tres pueros in camino ignis, manente tamen virtute comburendi in igne, qui Regis Chaldæorum ministros exussit, & quando aqua Iordanis stetit, salua grauitate deorsùm fluendi. Quædam verò sunt præter naturam, cum producit effectum, quem producere natura valet, sed illo modo, quo natura producere non potest: vel quia deficiunt instrumenta, quibus natura operatur, sicut cum Christus conuertit aquam in vinum Ioannis 2. Quod tamen natura aliquo modo facere potest, dum aqua in nutrimentum vitis assumpta, suo tempore in succum vuæ perdigesta producitur, vel quia est in diuino opere maior multitudo, quàm natura facere consueuerit, sicut patet de ranis, quę sunt productæ in Aegypto. Vel quantum ad tempus, sicut cum statim ad inuocationem alicuius Sancti aliquis curatur, quem natura non statim, sed successiuè, & in alio tempore non in illo curare posset.

Ex his quę huc vsque circa naturam veri miraculi breuiter adnotauimus, facilè colligitur sola virtute diuina posse patrari vera miracula; Etsi enim dœmones per se ipsos, aut per magos multa mira, eaque vera & non simulata, hoc est inani specie, atque imagine veritatis, sensus hominum fallentia præstare possint, nihilominus tamen loquendo de veris miraculis solus Deus est illorum patrator.

Quod in primis aduersus hæreticos diuinas scripturas admittentes, illarum authoritate probari potest, nam Psalmo 71. dicitur, *Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia solus*; & Psalmo 76. *Deus in Sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.* Rursus Psalmo 85. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.* Vbi per mirabilia, quæ solum Deum facere, ac prę-stare posse asserit Scriptura, certè debent intelligi vera miracula; nam alia etiam opera mira, quę non sunt vera miracula possunt aliquando dij gentiũ dœmonia illa edere.

Secundò idem apertè colligitur ex illis omnibus noui testamenti locis in quibus Christus Dominus, maximè D. Ioannis cap. 10. 14. 15. & vltimò, ex à se, propriaque virtute, & authoritate editis miraculis ostendit se esse Deum, Dei filium, & Patri ęqualem, quod argumentum non esset efficax, si alius quispiam, præter Deum, propria virtute posset aliqua vera patrare miracula.

Tertiò, edere signa aut miracula,

ita

ita est veri Dei proprium, vt omnes falsi gentium dij, quos Psalmista dœmones vocat, *omnes dij gentium dæmonia*, non aliter se colendos hominibus persuaserint, vt rectè notat D. Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei, cap, 18. quàm mirabilibus operum effectibus.

Quartò S.Thomas in quæstionibus disputatis quæst. 6. artic. 2. ex his tribus, scilicet quod Deus sit rebus naturalibus causa essendi; & quod propriam cognitionem, & prouidentiam habeat de vnoquoque; & quod non agat ex necessitate naturæ, infert, quod Deus solus possit præter cursum naturæ aliquid agere in particularibus eff. ctibus, vel quantum ad esse, in quantum aliquam formam inducit rebus naturalibus, quam natura inducere non potest sicut formam gloriæ, aut huic materiæ sicut visum in cæco, vel quantum ad operationem, in quantum retinet operationes rerum naturalium ne agant, quod sunt natæ agere, sicut quod ignis non cõburat Danielis 3. vel quod aqua non fluat, vt patet de aqua Iordanis, Iosue 5. sed ex eodem Sancto doctore articulo sequenti, in rebus creatis aliquid operari præter causas naturales, vel contra naturam, aut cursum illius, est verum miraculum, ergò ad solum Deum, qui sic operari potest, pertinet vera signa & miracula edere.

Quemadmodum enim ad eum solũ spectat in lege dispensare, qui legem condidit, ita cum solus Deus sit totius entis creati institutor, ad eum solum pertinet patrando miracula, solitum naturæ cursum pro voluntate sua immutare & peruertere. Non ideò tamen, quod aliqua contra consuetum naturæ cursum, atque ordinem à Deo fiant, intelligendum est, totum vniuersi ordinem tolli aut peruerti; sed tantùm illum cursum, qui est ex ordine vnius creaturæ ad aliam; atque hoc propter salutem hominis, quæ finis est vniuersi. Quemadmodum enim contra naturam particularem est, quod graue ascẽdat; considerata tamen natura vniuersali, quæ horret vacuum, illud, quod, licet sit graue, ascendit, non est contra naturam. Ad eum modum Deus optimus maximus dum miracula aut signa edit, etsi aliquid contra cursum naturæ, qui est secundum ordinem vnius creaturæ ad aliam faciat, non tamen contra ordinem creaturæ vniuersalem, quæ bonum, & salutem hominis respicit, & propter quem conditus est orbis. Quod totum rectè explicat S. Thomas quæstione citata de potentia articulo 1. ad 1. & in hoc sensu intelligit quoddã S. Augustini dictum, quod Deus nihil contra naturam facit.

Et de his satis pro instituti nostri ratione, de quibus suo loco longior aliquando forsan redibit sermo. Breuiter tantùm note, si quando visi sunt dœmones, vel magi dœmonum opera, vera aliqua miracula edere, mortuos exsuscitando, ex lapidibus aut lignis equos, vel leones, aliaque animalia perfecta producendo, non esse putandum, sic ea fuisse tunc generata, sed aliundè inuisibiliter illuc allata; vel ea non secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam tantùm facta fuisse. Quod dupliciter contingere potest ex D.Thoma: vel ab interiori, quia dœmon mutat phantasiam hominis, & sensus corporeos, faciens aliquid ei videri, aliter quam sit, quod etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporalium: vel id contingit extrinsecus, cum enim posit dœmon formare quodlibet corpus ex aëre, cuiuscumque voluerit figuræ humanæ, leoninæ, equinæ, &c. vt illud assumens, in eo visibiliter appareat: eadem ratione cuicumque rei corporeæ potest circumponere quamcumque formam corpoream, vt in eius specie videatur.

CA-

CAPVT IV.

Assignantur aliquæ regulæ, & differentiæ ad dignoscendum falsa Dæmonum, ac Magorum præstigia à veris miraculis, quę in sacris litteris, & Ecclesiasticis historijs facta legimus ad confirmationem Fidei Catholicæ Romanę.

CVm inter opera miraculosè à Deo facta in confirmationem fidei Catholicæ sint aliqua, quæ secundùm substantiam considerata non ita excedunt naturales dęmonum vires, quin eorum ope à Pseudoprophetis aliquando fieri possint, sicut Christus Dominus prædixit de Antichristo, multa editurum fore signa, & prodigia, vt precludamus omnes hæreticorum vias audacter asserentium, efficax proindè & firmum non posse desumi argumentum ex tot miraculis ad fidei Catholicæ confirmationem editis, quod difficile sit dijudicare, an illa fuerint à Deo, vel à dæmonibus facta, assignandæ sunt aliquæ regulę, & differentiæ, quibus vera Dei opera, à falsis & mendacibus dæmonum signis luce meridiana clarius discernere possimus.

Primum igitur, loquendo de veris ac propriè dictis miraculis, quæ omnē naturæ creatæ potestatem excedunt, qualia sunt v. g. mortui excitatio, illuminatio cæci nati, sanatio paralytici & similia, solius Dei concurrentis virtute possunt effici, vnde Actuum Apostol. cap. 3. cùm Petrus & Ioannes claudum ad speciosam portam templi mendicantem in nomine Iesu Christi Nazareni ad sanitatem restituissent, respondit Petrus ad populum, *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum,* &c.

Magi autem, & incantatores faciunt opera sua, vel virtute quarumdam rerum naturalium, quibus vtuntur occultè, vel adiutorio dæmonum, qui clam illis auxiliantur, vndè licet talia opera mira quidem dici possint, quod in admirationem spectatores eorū causas ignorantes inducant, vera tamen miracula nequaquàm, quoniam naturalium virtutem agentium non excedunt. Et ita dicendum de pseudochristis, & pseudoprophetis, siue de Antichristo, qui opera dæmonis adiutus, admiranda est editurus.

Secundò vera miracula, & signa facilè dignoscuntur à falsis ex qualitate eorum, qui illa faciunt tanquam ministri, & instrumenta causæ principalis, vera enim miracula, quamuis interdum etiam faciant homines improbi ob rationes capite subsequenti adducendas, rarò tamen faciunt, nec nisi ad confirmationem veritatis, diuinæque virtutis declarationem, ordinariè autem fiunt à personis sanctissimis, & innocentissimis, quales fuerunt Christus Dominus, & Apostoli, alijque Sancti eorum successores. At Magi, siue malefici, & incantatores, omnesque Pseudoprophetę, homines sunt improbissimi, atque flagitiosissimi, quos proindè adire, & consulere diuinis humanisque legibus grauiter interdictum est.

Tertiò veræ Dei miracula & opera, à falsis & mendacibus dęmonum, pseudoprophetarumque signis dijudicari possunt, diuersitate materiæ, aut factorum, cum enim Magorum signa vnius ferè generis esse soleant, & ad paucas res se extendant; vera Dei miracula & opera diuersorum sunt generum: nam & in terra, & in aqua, & in aere, & in cælo, & in panibus, & in spiritibus immundis, & in hominibus morbosis, leprosis, à dæmonibus obsessis, mortuis, alijsque innumeris rebus, signa à Christo Domino, eiusque discipulis facta, Sacræ, & Ecclesiasticæ contestantur historię, quæ magna factorum diuersitas manifestè videtur arguere, talia signa non posse non ab eo prouenire, qui perfectissimum, & absolutissimum habet

totius naturæ creatæ dominium, qualis est solus Deus.

Quartò, quotiescumque ventum est maximè ad probationem religionis per miracula, aliaque opera admiranda, Magi, & Pseudoprophetæ nunquam tot & tanta ediderunt, quin Deus alia longè plura, maiorisque roboris opposuerit, nostrique semper vicerint, sic in antiqua lege exodi cap.8. Moyses superauit Magos Pharaonis, ipsimetque illud inter sua & Moysis signa discrimen confessi sunt, quando se digito Dei victos agnouerunt; lib. 1. regum cap.5. arca Dei reportauit victoriam de Idolo Dagon; lib. 3. regum cap.8. Elias de prophetis Baal. Et in noua lege Euangelica D. Petrus Simonem Magum, D.Paulus Elimam vicit; Manichæum frustra conatum filio regis ægrotanti sanitatem restituere scribit Sanctus Epiphanius hæresi 66. Cyrolam Episcopum Arianum planè excæcasse miserum quemdam, qui se cæcum finxerat,& ab eo præsidium implorabat, refert Gregorius Turonensis lib. 2. historię Francorum cap. 3. Eunomianum quemdam à Sancto Machario victum in contentione de suscitatione hominis mortui, scribit Ioannes Cassianus collat.15. cap.3. tandem vt innumera alia sileam exempla, Patres sextæ Synodi generalis victoriam reportarunt de Polichronio Monacho hęretico profitente vnam tantum voluntatem in Christo Domino, & in confirmationem huius hæresis volente suscitare mortuum, quem non potuit resuscitare, vt fusè refertur citata sexta synodo actione 15. Et quamuis Antichristo maiora quidem permittenda sint à Deo signa & prodigia, quam eo vsque Pseudoprophetis fuerint vnquam permissa,eorum tamen falsitatem poterit facilè deprehendere quilibet fidelis & prudens Catholicus, non solùm ex dissensu Vniuersalis Ecclesiæ reprobantis illa,& falsam doctrinam illorum exhibitione confirmatam, sed etiam ex veris miraculis, maiorisque roboris signis, quę Deus tunc Antichristi prodigijs opponet, iamque opposuit, ipsam pręsertim eorum prędictionem, quæ maius est miraculum, quam ipsamet signa falsa, & mendacia Antichristi: vndè etsi talia futura sint, vt quasi in errorem per ea inducantur electi, & prędestinati illius temporis, ipsi tamen de facto, vt ex Euangelio colligitur, non decipientur, sed fraudē, & fictionem eorum deprehendent.

Quintò si quantitatem operum spectemus, permulta fuerunt Christi, eiusque discipulorum, dicebant enim Iudęi de Christo Ioannis 11. *hic homo multa signa facit*; & cap.7. *Christus cum venerit,nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit*: Pręterea si adstantes spectemus, tam Christus quam eius discipuli faciebant signa coram multis, & coram paucis; coram amicis, & inimicis acribus, imò magis coram inimicis, & in illis, quam coram amicis; cum tamen signa falsa, & mendacia non in tanto numero, & quantitate, nec coram multis, sed paucis, illisque ignaris, & benignè affectis siue amicis fieri soleāt. Tandem si temporis & loci circumstantias attendamus, legimus miracula à Christo Domino,& Apostolis, alijsque Sanctis viris facta omni tempore, & diurno & nocturno, & die festo, & profesto, & in omni loco, & magis apud pauperes, & infirmos qui plus egebant, nec solùm in vicis aut villis, sed etiam coram regibus & principibus, in ipsis florentissimis, & amplissimis mundi ciuitatibus; cùm contra superstitiosi, & malefici tempora quędam obseruent & loca, quibus ita sunt plerumque alligati, vt extra illa nihil facere possint.

Sextò vera Dei miracula & opera maximè distinguuntur à falsis penes modum quo fiunt, Magi enim in suis operibus edendis, vtuntur multis pręstigijs, mendacijs, ludificationibus hominum, varijsque signis & figuris, solent insuper ignota quædam carmina, barbara & insolita nomina, aut verba nihil penitus, vel absurda significantia assumere, & vt plurimum clanculum his

operibus vacare: ita vt apertè ostendant se lucem reformidare, & pactum cum dęmone tenebrarũ principe inijsse; vbi Christus & Apostoli, eorumque in fide Christiana successores in edendis miraculis aut signis, nihil vnquam tale fecerunt, sed vel interiori, vel exteriori oratione omnibus nota, atque inuocatione Diuinæ maiestatis, adhibẽdo interdum vtilia, interdum inutilia, vt cum lutum factum ex sputo Christus adhibuit oculis cęci nati, vt cum bis cęcum redderet, opera sua miraculosa perfecisse legimus.

Septimò si attendamus finem, pręstigiatorum, & circulatorum finis est, signis suis opes sibi comparare, gloriam venari, curiositatem & vanitatem hominum alere, à diuinis abducere, eosque ad omnia flagitiorum genera, vti sunt furta, adulteria & homicidia impellere. Christum autem, & omnes Sanctos eius imitatores nihil minus, quàm sua quæsiuisse nouimus, cum & diuitias contemnant, & fugiant honores, Dei ergò gloria, & fructus salutis nostræ, finis semper fuerunt miraculorum tàm à Christo, quàm à veris Christianæ, & catholicæ religionis cultoribus editorum. Similiter non ediderunt signa ob curiositatem, & oculos hominum pascendos; imo reprehendebat Christus Lucæ 23. ex curiositate quęrentes signa, vt Herodem, quem ne verbo quidem dignatus est Dominus; vel ex infirmitate, vt Regulum cui Ioãnis cap. 4. dixit, *Nisi signa & prodigia videritis non creditis*; vel ex malitia vt Pharisęos, quibus Matth. 12. dixit, *Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*. Eadem ratione coram dęmone tentante & petente, vt ex lapidibus efficeret panes, aut se pręcipitem daret è pinnaculo templi, nullum tale signum, aut simile facere voluit. Quærentes etiam signum non vt Christum cognoscerent, sed vt commoda temporaria consequerentur Ioannis 2. reprehendens dixit: *quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*; quasi diceret, abutimini meis signis, quæ in id adhibentur, vt trahant infideles ad me fide amplectendum, & manducandum, qui sum panis vitę, non vt trahant ad panem materialem, & ad communicanda hęc bona temporaria. Ob quam causam Christus Dominus, in his, quæ magis sunt necessaria, quæque magis ad spiritualem hominum salutem conducunt, vt in reddenda sanitate, & pellendis spiritibus malignis largior & profusior fuit. Contra verò, in his, quę putamus spectare ad externã rerum affluentiam parcior. Quod totũ egregiè docuit S. Petrus apud Clementem Romanum lib. 3. recognitionum; Arnobius lib. 2. aduersus gentes, & Eusebius Cęsariensis lib. 3. de demonstrat. Euangelica cap. 8. quorum verba possunt consuli.

Octauò tandem & vltimò vera Dei opera à falsis dæmonum signis distinguãtur ex parte effectuum, ad miracula enim aut alia admiranda opera Dei virtute facta, consequuntur pręsentium admiratio simul & animi reuerentia, & magnificatio Dei, gratiarumque actio, quod talem potestatem dederit hominibus, maximèque prosunt ad alendam fidem, ad confirmandam spem, & ad inflammandam charitatem nostram ergà Deum, cum interim falsa & mendacia Pseudoprophetarum signa contrarios omnino effectus operentur.

Hæ sunt igitur octo principales regulę ac differentię, quibus Deus Optimus Maximus vera sua, & Sanctorum opera, à falsis dęmonum discerni voluit, cum enim non solùm vera miracula, sed etiam ea dederit opera pro signis efficacissimis ad confirmandam veram religionem & fidem, certè prouidentia Dei, quę nec in necessarijs deest, nec patitur nos tentari supra id quod possumus, exigebat, non permittere in dæmone, eiusque instrumentis ea signa, & cum

cum ea frequentia, alijſque circumſtã-tijs, in quibus non poſsent prudenter à veris, ac diuinis miraculis, & operibus dignoſci, dum agitur de confirmãda, vel infirmanda aliqua veritate fidei noſtræ. Ita vt ſint inexcuſabiles omnes illi, qui ſpretis veris ac diuinis Eccleſiæ Catholicæ miraculis, alijſque diuinis operibus in eius approbationẽ factis, falſis potius dæmonum & Pſeudoprophetarum præſtigijs eorumque doctrinæ fidem adhibent.

Placet hoc caput inſigni D. Auguſtini authoritate ſigillare lib. 83. quæſtionum quæſt. 79. Vbi docet Magorũ miracula à veris miraculis Sanctorum virorum diuerſa eſſe dupliciter; tum fine propter quem fiunt; tum iure, id eſt authoritate & poteſtate qua fiunt; *Magi*, inquit, *faciunt quæ videntur miracula, quærentes gloriam ſuam; Sancti viri miracula faciunt, quærentes gloriã Dei: & illi faciunt per quædam poteſtatibus conceſſa in ordine ſuo, quaſi priuata commercia, vel beneficia, iſti verò publica adminiſtratione, & iuſſu eius, cui omnis creatura ſubiecta eſt. Aliter igitur faciunt miracula magi, & aliter boni Chriſtiani, & aliter mali Chriſtiani: Magi per priuatos quoſdam contractus: boni Chriſtiani per publicam iuſtitiam: mali Chriſtiani, per ſigna publicæ iuſtitiæ; interdum enim vel ſchiſmatici, vel hæretici per nomen Chriſti, aut per ſacra verba, aut per ſacramẽta Chriſtiana exigunt aliquid a dæmonibus, quibus indictũ eſt, honori Chriſti cedere. Quemadmodum nonnunquam mali milites, quos imperialis diſciplina condemnat, ſignis imperatoris ſui nonnullos poſſeſſores territant, & ab eis aliquid, quod publicè non iubetur, extorquent. Cùm autem, malis iubentibus dæmones voluntate cedunt, ad ſeducendos homines cedunt, quorum errore lætantur: cum autem inuiti cedunt, in honorem Chriſti cedere coguntur. Nec mirum eſt, ad hoc valere ſacra Chriſti ſigna à malis chriſtianis adhibita, cum etiam ab ijs, qui nullomodo chriſtiani erant, vſurpata ſimiliter valuerint, propter honorem videlicet excellentiſſimi Imperatoris. Talis fuit is, de quo diſcipuli dixerunt Domino, quod in nomine eius dæmonia eijceret, cùm tamen eum non ſequeretur. Si quandò tamen Dæmones non cedunt eiuſmodi ſacris ſignis, Deus eſt, qui prohibet occultis modis, cum id iuſtum & vtile iudicat. Non enim Dæmones audent iſta ſigna contemnere; quin etiam contremiſcunt ad ea, vbicumque proſpexerint; ſed nec ſcientibus hominibus, aliud iubetur diuinitus, vel ad confundendos malos, ſicut de Scæuæ filijs ſcriptum eſt in actis Apoſtolorum cap. 19. quibus dixit Dæmon, Ieſum ſcio & Paulum noui; vos autem qui eſtis? vel ad monendos bonos, vt proficiant in fide, neque illa iactanter, ſed vtiliter poſſint; vel ad diſcernenda dona membrorum Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus dixit 1. Corint. cap. 12. Nunquid omnes virtutes? nunquid omnes dona habent curationum? propter has igitur cauſas, plerumque neſcientibus hominibus iubetur diuinitus, vt his ſignis adhibitis Dæmones voluntati hominum nequaquam obtemperent.* Hactenus D. Auguſtinus.

CAPVT V.

Afferuntur rationes, cur Deus aliquando patiatur Magos, & Pſeudoprophetas facere ſigna, & prodigia in finem decipiendi, & à veritate fidei abducendi, ſimilia veris miraculis.

QVia fortaſſe mirum alicui videri poſſet, Deum Optimum Maximum aliquando permittere, vt magi, & Pſeudoprophetæ, qui fidei noſtræ veritatibus contradicunt, ſigna aliqua & prodigia faciant, ſimilia veris Sanctorum miraculis: cum ea res, & diuinam virtutem, quæ per Sanctos operatur, obſcurare, & vim argumenti deſumpti à tot ſignis, & prodigijs in fidei Catholicæ confirmationem editis, infirmare videatur, poſtquam ſuperiori capite aſſignauimus regulas, & differentias, quibus luce meridiana cla-

clarius, vera Dei signa, & opera à falsis dæmonum, Pseudoprophetarumque præstigijs dijudicari possunt; nunc adducendæ sunt aliquæ rationes, cur sine vllo diuinæ potestatis præiudicio, & efficaciæ argumenti desumpti ab innumeris signis & prodigijs, quibus testimonia sua, hoc est fidem nostram credibilem nimis fieri voluit, aliquandò permiserit Deus, eadem signa, & prodigia quantum ad substantiam fieri a Pseudoprophetis etiam in confirmationem falsæ alicuius doctrinæ, aut dogmatis.

Ad hanc igitur quæstionem primùm respondens in homilia 46. super acta Apostolorum D. Chrisostomus ita scribit: *Non doleamus, quod multæ sint sectæ, & multi Pseudochristi veritatem obscurare conantes, sed illa magis fulget manifestaque fit vbique. Hoc, etiam tẽpore Prophetarum euenit; fuerunt enim tunc plures pseudoprophetæ: verum ex illorum conspiratione, veri prophetæ illustriores fuerunt. Etenim morbus sanitatem magis demonstrat, & tenebræ lucem, & tempestas tranquillitatem. Non possunt dicere Græci, quod Prophetæ & Apostoli, impostores & magi fuerunt; cũ istud genus hominum maximè contrariũ illis fuerit, & ab illis confutatum & redargutum. Hoc etiam Moysi contigit. Permisit Dominus aliquid Magis contra Mosem, ne magus putaretur esse Moses. Permisit, magorum exemplo discere omnes, quantum ars magica imponat sensibus: sed non permisit vltra eos progredi, ne ab illis deciperentur homines; sed ipsimet se victos esse à Mose cõfessi sunt. Nihil nobis nocent impostores, sed meliores potius reddunt*: Hæc D. Chrisostomus, quibus ad præsens institutum nihil clarius, aut elegantius dici potest.

Theodoretus hanc ipsam quæstionem, quæ est decima octaua inter quæstiones eius in librum exodi, excitans his verbis: ad quid permisit Deus incantatoribus eadẽ facere, quæ Moses? sic illi satisfacit. *Reperiuntur*, inquit, *etiam nunc quidam homines impij dicere audentes, Mosem prodigia illa fecisse arte magica. Quam ob rem Deus concessit tunc incantatoribus, vt quædam facerent similia eorum quæ faciebat Moses, quo magis vtrorumque discrimen patesceret. Mutabant illi quidem virgas in serpentes; sed virga Mosis, virgas illorum deuorabat. Mutabant illi aquã in sanguinem; sed sanguinem in priorem aquæ naturam reducere non poterant*. Postea subiungit; *imprudentissimum igitur mendacium est dicere, Mosem artibus magicis prodigia illa perpetrasse: cum contra magi clamarent, signa illa, virtutis esse diuina. Si enim erat imaginarium, quod per Mosem gerebatur, illos quoque similiter effingere oportebat, & artificij sui socium conuincere: at verò disertè confitentur, hoc esse digitum Dei*.

Præter has tam D. Chrisostomi quam Theodoreti rationes, non desunt complures aliæ, cur Deus aliquãdo patiatur Magos & Pseudoprophetas signa aliqua facere similia veris ac diuinis miraculis, primùm in pœnam eorum qui flagitiosè viuunt, Christique doctrinam auersantur; nec studio veritatis, sed vanæ curiositatis cupiditate quærunt miracula; tales enim iusto Dei iudicio permittuntur, vt, qui veritati consentire & acquiescere nolunt, circumueniantur mendacijs, & falsis miraculis persuasi, prauam doctrinam, & falsa dogmata veris ac pijs repudiatis, amplectantur. Hoc enim est quod docuit D. Paulus 2. epistola ad Thessalonicenses, cap. II. præmonens venturum Antichristum: *In omni virtute, in signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, ijs qui pereunt: eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideò mittet illis Dominus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*.

Secundò id quoque permittit Deus ad tentandam, exercendamque, ac probandam

bandam fiduciam & constantiam, & pietatem fideliũ talia Pseudoprophetarum signa cernentium; num propter hæc in fide diuinorum promissorum, & veri Dei cultu deficiant, aut titubent. Sic Deuteronomij cap. 13. legimus Deum prædixisse Hebræis, suo permissu venturos pseudoprophetas, signa & portenta facientes, vt ea ratione tententur atque explorẽtur Hebræorum animi, nùm sincerè ac perseueranter Deum suum colant, & diligant; & Dominus noster Iesus Christus apud S. Matthæum cap. 24. loquens de die iudicij: *Surgent*, inquit, *pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.*

Tertiò Pseudoprophetarum signa facientium exemplo, voluit Deus, vt intelligeremus, quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia Sancti facere non possunt; nec ideò tamen potiori loco apud Deum esse arbitrari debere. Non enim acceptiores Deo, inquit D. Augustinus in opere 83. quæstionum, quæst. 79. quàm populus Israel, erant magi Aegyptiorum, quod non posset populus ille facere, quod illi magi faciebant, quamuis Moses in virtute Dei maiora facere potuerit. Sed ideo non omnibus Sanctis ista tribuuntur; ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona esse, quã in operibus iustitiæ, quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus Lucæ cap. 10. prohibuit gaudere discipulos, cum ait; *Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis subijciantur; sed in hoc gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Quartò vt ex his clarius nobis infinita Dei potentia ac virtus, fideique nostræ veritas appareret, in cuius confirmationem plura semper, eaque maiora & excellentiora præstitit opera Deus, quàm vnquam ob rationes allatas fieri permiserit à Pseudoprophetis in probationem falsæ suę doctrinæ, vt superiori capite diximus. Vnde si aliquorum spiritualis ruina indè aliquando oriatur, certè talis ruina merè per accidens, & ex malitia adstantium sequitur ad eiusmodi falsorũ signorum visionem, cuius proindè non est author Deus, nisi permissiuè; sufficit enim primùm quod nunquã Deus ad vera aliqua miracula simul cum Magis aut Pseudoprophetis concurrerit in confirmationem alicuius falsæ doctrinæ, ob rationem sequenti capite afferendam; aut si aliquando per modum primæ causæ, ad aliqua signa aut prodigia virtute naturali dæmonum factibilia concurrit simul cum Magis, & Pseudoprophetis ad falsæ doctrinæ probationem illis abutentibus, sufficiunt tot verorum & falsorum miraculorum discrimina, quibus sua ab illis dæmonũ ita distingui, illisque præcellere voluit Deus, vt illis muniti, ac plenè persuasi, omnes fidei scrupulos, & dubitationes, quas Satanas spargit, facilè diluamus, & falsa hæreticorum aliorumque Pseudoprophetarum signa oculis nostris conspecta, vt de fide suspecta, & mendacia reijciamus, & confutemus.

CAPVT VI.

Repugnare quod fides, aut religio veris, ac diuinis miraculis probata, sit falsa.

HAEc conclusio facilè colligitur ex dictis, eadem enim ratione qua repugnat Deum posse mentiri, aut falsum dicere, eadem penitus repugnat rem, quam suo testimonio cõfirmat, posse esse non veram aut falsam; atqui vera miracula pro religione confirmanda facta, sunt propria Dei loquentis testimonia; ergò repugnat, quod religio veris ac diuinis miraculis probata non solùm sit falsa, sed vel minimam habeat falsitatis vmbram; vt enim rectè ait D. Augustinus epistola

stola 8. quæ est ad Sanctum Hieronymum, *quàm testimonia mendacia esse non debent, tam non debere fauere mendacio*; si igitur miracula Dei semper & ex fine suo proprio sunt eiusdem Dei loquentis testimonia, nullo modo mendacio fauere dicenda sunt; talia autem esse, non solum ex eo constat, quod ita sint proprij Dei effectus, vt à nullo alio quam ab ipso fieri possint, sed etiam apertè colligitur ex modo loquendi Sacræ Scripturæ, in qua miracula appellari solent testificationes Dei, ad Hebræos cap. 12. *contestante Deo signis & portentis*. Marci vltimo, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, & ideo Christus Ioannis 10. de operibus suis dicebat: *ipsa testimonium perhibent de me, operibus credite*. Semel ergò ac alicui constabit per regulas superius assignatas, aliqua vera miracula, aut alia signa extraordinaria à Deo fuisse facta in confirmationem alicuius fidei, aut religionis, non est quod amplius de eius veritate dubitetur, sunt enim eiusmodi miracula ipsamet vox Dei, vt docet D. Augustinus epist. 49. qu. 6. *Deus*, inquit, *mirabilibus operibus loquitur*; sunt, inquam subscriptiones, & sigilla, quibus ea, quæ proponit, voluit Deus ad maiorem eorum notitiam, maioremque certitudinem obsignare.

Posset aliquis dicere repugnare quidem quod religio veris, ac diuinis miraculis probata, sit falsa, quando eiusmodi miracula immediatè à Deo fierent in confirmationem illius; at quia fortasse potest Deus cum aliquo alio concurrere ad vera miracula, quibus ipse abuti velit ad persuadendum & confirmandum aliquid falsum, iam ex hoc capite miracula facta aut exhibita in confirmationem alicuius doctrinæ, non videntur esse infallibile signum, aut argumentum veræ fidei, quodque eam faciat verè credibilem & credendam.

Respondetur ad hanc instantiam, eo ipso quod vera miracula vt potè totam naturæ potestatem exuperantia sola virtute diuina supernaturaliter fieri possint, iamque ob eam rationē ex communi hominum sensu à natura ipsa insito censeantur specialia signa & sigilla, quibus Deus in scripturis specialiter voluntatem suam, & doctrinam à se reuelatam contestari dicitur: omnino repugnare quod cum aliquo concurrat ad talia vera miracula, quando petuntur ab illo, vel vult illis vti in confirmationem falsitatis, maximè in illis circunstantijs, in quibus nō posset aliundè facilè constare per se vera miracula, prout à Deo procedunt, non fieri ad confirmandam aut probā-dam illam doctrinam falsam, sed ob alium finem bonum ab ipso intentum, quia hoc esset planè Deum testificari falsum, aut mentiri, hominesque directè & per se inducere in errorem, vt statim probabo.

Imò in talibus circumstantijs, dūque agitur maximè de probatione religionis per aliqua signa, existimo repugnare, quod Deus concurrat cum aliquo ad ipsamet opera, quæ naturaliter à Pseudoprophetis dæmonum ope ac virtute fieri possunt, vt colligitur ex lib. 3. regum cap. 18. vbi refertur ignem non descendisse de cælo ad preces pseudoprophetarum Baal ope diaboli, sed ad preces Eliæ virtute Dei, non quod ignem ex superiori aëris parte in terram demittere, quo multa verè consumantur & perdantur, superet virtutes naturales dæmonis; cum enim Iob cap. 1. ignis de cælo cecidit, & familiam Iob vnà cum gregibus pecorum vno impetu consumpsit; & turbo domum deijciens, filios eius occidit; ea fuerunt opera Sathanæ, non sanè phantastica, sed vera, vt ex D. Augustino docet D. Thomas 1. parte quæst. 114. Sed quia repugnabat infinitæ veracitati Dei, suauitatique prouidentiæ eius, qua non permittit homines grauiter & supra vires tentari, post eiusmodi prophetæ sui factam ex instinctu Dei stipulationem

de

de descensu ignis de cælo in testimonium & signum veræ religionis, verique Dei colendi, sinere diabolū exaudire per ignem Pseudoprophetas in testimonium, & signum colendi falsum eorum Deum Baal. Aut si aliquandò id permittit alia semper excellentiora, maiorisque roboris signa facit, vnde facilè deprehendi posſit falsitas oppositæ doctrinæ, vt legimus de Magis Pharaonis exodi 7. & 8.

Quod totum à fortiori dicendum videtur de veris miraculis, nā eo ipso quod à solo Deo fieri possunt, ob eamque rationem non solùm ex institutione Dei, quam apertè colligimus ex diuinis Scripturis, sed etiam aliquo modo ex natura sua, sunt quasi voces, vel melius litteræ & nutus, quibus nō solùm auribus, sed etiam visu percipimus Deum nobiscum loquentem, certè Deus non posset non mentiri, falsitatique testimonium perhibere, si semel ad vera miracula edenda concurreret cum aliquo illis vtente ad confirmandam falsam doctrinam in talibus circumstantijs, in quibus per se loquendo non posset aliundè nobis constare talia miracula nō fieri à Deo ad confirmandam illam falsam doctrinam, sed ad alium finem bonum diuersum.

Ratio autem huius rei est, quia vt aduersus Hurtado optimè notat Eminentiſsimus Cardinalis de Lugo tract. de fide disp. 2. sect. 1. num. 19. & sequentibus; virtus veracitatis obligat, vt non solùm non exhibeamus signa ad significandum falsum, sed neque etiam ad aliud verum significandum, quandò talia signa ex se in his circumstantijs determinata sunt per se loquendo, & non solùm per accidens ob ignorantiam priuatam alterius, ad significandum illud falsum. Vndè si interrogatus aliquis, an sit filius Petri qui re vera est eius pater, responderet non sum, certè ille talis non videretur excusandus à mendacio, & deceptione, ex eo præcisè quod non habet intentionem proferendi ea ad respondendum, sed vel ad probandam vocē, aut exercendam linguam latinam, vel aliquid simile. Nam in ijs circumstantijs voces illæ per se loquendo, significant determinatè intentionem respōdendi, & ideo responsio externa illis facta, non potest aliter accipi, quia intentio sola non variat significationem determinatam externam, quam voces vel signa de se habent, & ideo non sufficit ad excusandum à falsitate & mendacio, cuius malitia præcipuè cōsistit in vsu vocum, vel signorum externorum habentium determinatam significationem externam contra id, quod verum est. Sic dicendum videtur de miraculis veris, eo enim ipso quod determinatè significant authoritatem diuinam contestantem, non potest Deus qui est infinitè verax, neminemque decipit illa operari nisi in confirmationem doctrinæ veræ; alioquin enim deciperet, vtendo signis, quæ determinata sunt ex se ad significandam veram contestationem, vt illis confirmaret aliquam falsitatem, in illis circunstantijs maximè vbi per se loquendo, nobis constare non poſset, talia miracula, provt à Deo procedūt, non fieri ad confirmandam illam doctrinam falsam, sed ad alium finem bonum diuersum.

Semper dixi, non poſse fieri à Deo, salua manente infinita eius veritate in testificando, vera miracula in ijs circumstantijs, quibus, aliquo illis abutente ad confirmandam doctrinā falsam, per se loquendo non poſset colligi aliundè, quod procederent à Deo, non propter falsam doctrinam confirmandam, sed propter alium bonum finem diuersum. Nam si semel poſset nobis apertè constare de tali bono fine à Deo intento, casu quo homo, cui Deus generalem etiam patrandi miracula potestatem dediſset, illa abuteretur ad alium finem comprobandi aliquid falsum, poſset fortaſse Deus absque vlla deceptionis aut mendacij nota,

nota, cum illo tali ad verum miraculũ concurrere, si quidem vt suppono aliundè manifestè constaret Deum nõ operari hic & nunc miraculum ad finem illum prauum falsæ doctrinæ cõfirmandæ, sed propter alios fines bonos, quos iam semel intendisset in prima illa generali concessione potestatis ad patranda miracula. Quod potest declarari exemplo potestatis consecrandi, & conuertendi miraculosè panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, quæ conuersio, licet sensibiliter fieret, sicut debent fieri miracula, quæ sunt motiua, & argumenta credibilitatis fidei nostræ, adhuc fieret, quando Sacerdos consecrare vellet ad finem prauum, vel ad comprobandum errorem, quia aliundè certò & per se constaret vt suppono tale miraculum non fieri à Deo propter illum finem prauum, sed propter veritatem institutionis Sacramenti Eucharistiæ sustinendam.

CAPVT VII.

Quod conuenientissimus Religionis inter homines constituendæ modus fuerit, illam esse publicis, & euidentibus miraculis, quasi sigillo diuino munitam, & confirmatam.

ETsi loquendo de possibili, vel de Deo, apud quem non est impossibile omne verbum, multis alijs modis, quàm miraculis eorumque exhibitione animos nostros flectere, & ad veram fidem pertrahere potuerit, vt egregiè docet S. Thomas quodlib. 2. artic. 6. & in cap. 15. S. Ioannis lect. 5. Attamen de facto Deus elegit tanquã conuenientissimum religionis inter homines constituendæ modum, vt qui ab ipso edocti eam diuinitùs acceptã hominibus alijs suscipiendam proponerẽt, suam missionem miraculis, quasi diuina subscriptione, & sigillo munitam, & confirmatam probarent.

Primum id colligimus aduersus hæreticos apertè ex diuinis Scripturis in quibus, quoties Deus nouum religionis ritum, nouamque legem tradere voluit, id per signa & miracula fecisse legimus.

Itaque Moyses populum Israeliticum de manu Pharaonis liberaturus, legemque laturus, primum miraculis tanquam à Deo missus claruit; & hoc sibi necessarium fuisse ad suæ missionis probationem videtur significasse illis verbis exodi 4. *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent non apparuit tibi Dominus.* Quam Moysis tergiuersationem aut excusationem non reprehendit Dominus, sed addixit legato suo signa in testimonium missionis.

Et quamuis de Sancto Ioanne Baptista dicatur Ioannis cap. 10. nullum fecisse miraculum, cuius rationem affert D. Thomas 3. p. quæst. 38. art. 2. ad 2. *quod tota doctrina, & operatio Ioannis ordinabatur ad Christum, qui multitudine signorum, & suam, & Ioannis doctrinam confirmauit. Si autem Ioannes signa fecisset, homines ex æquo Ioanni & Christo attendissent. Et ideo, vt homines principaliter Christo intenderent, non est datum Ioanni, vt faceret signum.* Alia tamen ratione non defuit ipsi miraculorum authoritas, qua eius missionem prædicandique officiũ confirmatum fuisse dicamus. Præterquàm quod enim miraculosè conceptus est de sterili & vetula, in vtero prophetauit, parens eius subito mutus miraculo loquelam recuperat, & de nato puero prophetat, ipse denique Ioannes vitæ suæ austeritate & sanctitate, fuit tam grande miraculum, & adeò Iudæis conspicuum, vt non solùm suffecerit ad testimonium reddendum de Christo, sed etiam ipse putaretur Christus, quia vt Chrisostomus dicit super Matthæum, mirabile erat in humano corpore tantam pœnitentiam videre. Ob quam etiam causam existimo non immeritò fuisse appellatum

vocem

vocem Dei clamantis, quia ſicut homo loqui cognoſcitur per vocem ſuam ſibi propriam, ita S.Ioannes cognoſcebatur eſſe miſſus à Deo, tanquam miraculoſa vox Dei ſolius, quia manus Domini miraculorum effectrix erat cum illo.

Ad Chriſtum autem Dominũ quod attinet, quamuis ea eſſet eius ſanctitas, vt omnino fidem de his, quæ prædicatione ſua intendebat perſuadere, mereri deberet ſine miraculis, ea tamen, ad confirmandum ſe eſſe Meſſiam in lege promiſſum, & non purum hominem, ſed etiam verum Deum, adhibuit: quia nimirum hoc ipſum tanquam infallibile Meſsiæ ſignum prædictum fuerat Iſaiæ 35. Vnde & à diſcipulis Ioannis interrogatus Matthæi 11. an ipſe eſſet Meſſias, qui expectabatur, non aliud reſpondit, quàm, *euntes renunciate Ioanni quę audiſtis & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant*. Sæpiuſque doctrinam ſuam à miraculis, quibus eſt corroborata confirmat; ait enim Ioannis cap. 5. *Ego habeo teſtimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi pater vt perficiã: ipſa opera quę ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia pater miſit me*. Et infra cap. 10. *loquor vobis & non creditis, opera quę ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me; ſi autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite*. Hinc Iudæi tali argumento conuicti Ioannis 3. dicebant, *Scimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quę tu facis niſi fuerit Deus cum eo*. Quo fortaſſe reſpexit Chriſtus, quandò Ioannis cap. 15. dixit, *ſi opera non feciſſem in eis, quę nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Vbi loquitur de peccato infidelitatis Iudæorum, ad quam vincendam, præter vocationem interiorem, de qua dicitur Ioannis 6. *Omnis qui audit à patre, & didicit, venit ad me*: præter doctrinam & prædicationem exteriorem ſecundũ illud Apoſtoli ad Romanos 10. fides ex auditu, auditus per verbum Chriſti, innumera adhibuerat ſigna & miracula viſibilia & exteriora, vt nullam penitus ſe ſe excuſandi à tali peccato occaſionem haberent. Vide Suarez tom. 2. in 3. partem quæſt. 33. diſp. 31. ſect. 1.

Denique Chriſtus Dominus quàm primum diſcipulos emiſit per Iudæam ad prædicandum, dedit illis virtutem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent, & dixit illis Matth. 10. & Luc. 10. *Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum: infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite*. Quando verò ſecundò amandauit illos ad euangelizandum per vniuerſum vrbem, dixit eis, Marci cap. vlt. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. illi autem profecti prædicauerunt vbique: Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Imo Chriſtus Dominus voluit per Apoſtolos maiora præſtare miracula, quàm per ſe ſolùm vt fusè diſputat S. Auguſtinus tract. 72. in Ioannem; quia nimirum maximè agebatur, vt prima tunc iacerentur fundamenta naſcentis religionis Chriſtianæ, ſeu quæ à Chriſto inſtituta eſt, fideſque de eodem, & doctrina ab illo tradita per Apoſtolos populis, ac gentibus ſuſcipienda proponeretur, quibus nihil prius erat de Chriſto annuntiatũ: adeò verum eſt illis, qui noua prædicant, neceſſarium eſſe, vt miracula faciant, non ſolùm ad hoc vt homines eis credant, ſed etiam, vt teneantur eis credere, quidquid in contrarium oblatrent hæretici Caluiniſtę inferius adducendi; ſed quis, niſi inſanus hæreticorum ſententiam pręferat Chriſti, & Apoſtolorũ conſilio, qui ad prædicandum miſſi, nullis alijs armis magis, quam ſignorũ vſi ſunt. Vnde in Actis cap. 2. dicitur; *Fiebat autem omni animæ timor. Multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos in Hieruſalem fiebant*. Et capite 5. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquã illorum, & liberarentur omnes ab infirmitati-*

tati-

tatibus suis. Et Apostolus Hebreos instituens cap.2. ait, *quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum ab eis qui audierunt in nos, confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem*. Quare idem Apostolus 1. Corinth. cap. 2. gloriatur in signis & miraculis, quasi in testimonijs sui Apostolatus, dum ait: *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & veritatis, vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Et in 2. ad eosdem Corinthios cap.12. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigijs, virtutibus*. Quasi diceret hanc esse veram Apostoli notam, & authenticum veræ missionis, verǫque doctrinę ab eo prędicandæ, tanquam diuinitus reuelatæ signum, & argumentum.

Quibus omnibus accedit commune Sanctorum Patrũ suffragium, qui vnanimiter miraculorum necessitatem afferunt, in ijs maximè, qui noua aliqua tanquam à Deo sibi reuelata prędicăt. Tertullianus de prescript. cap.30. *Probent se nouos Apostolos esse*: sic enim Christus Apostolos solet facere, dare illis prætcrea virtutem eadem signa edendi, quæ & ipse. S. Clemens lib.8. constitutionum cap. 1. Origenes lib.2. contra Celsum post medium. Chrisostomus homil. 39. in Ioannem & homil.60. Gregorius Nyssenus de vita Moysis; *ijsdem*, inquit, *miraculis hostes expugnantur, fideles muniuntur*. Augustinus lib.22. de ciuitate Dei cap.8. & alibi passim. Gregorius Magnus homil. 4. in Euangelia, alijque plures; *adiuncta sunt*, inquit D.Gregorius, *prædicatoribus Sanctis miracula, vt fidem verbis daret virtus ostensa, & noua facerent qui noua prædicarent*.

Ratio autem cur hanc miraculorum viam ad ingenerandam primitus fidem, & ad eam fouendam & reficiendam, quasi mortalibus magis familiarem, accommodatam & propriam, adde etiam minus improbabilem, minusque calumnijs expositam diuina elegit prouidentia; desumitur ex supernaturalitate Fidei Catholicæ, cum enim ea, quę sunt fidei, humanam rationem excedant, atque adeò non possint per rationes humanas probari, conuenientissimum fuit, quod probarentur per argumenta diuinæ virtutis, vt dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credantur ea, quæ dicuntur, esse reuelata à Deo, sicut cum aliquis defert litteras annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse, quæ in illis continentur. Miracula autem vera, esse opera solius Dei virtute factibilia demonstrauimus supra, igitur conuenientissimum fuit, vt Apostolos, & discipulos, non tam mundi sapientia, vel eloquentia, quàm signorum potestate, & sancta quadam simplicitate instructos eligeret tanquam Euangelicos pręcones vniuersum orbem expugnaturos, & in obsequium fidei Christi illum captiuaturos.

Secunda ratio qua vtitur Sanctus Thomas quodlib. 2. artic. 6. desumitur ex parte conditionis humanæ, quia nullus tenetur ad hoc quod est supra vires suas, nisi per hunc modum quo fit sibi possibile, credere autem est super potentiam hominis naturalem: vnde ex dono Dei prouenit; homo ergò tenetur tantùm credere secundũ hoc, quod adiuuatur à Deo ad credendum. Adiuuatur autem à Deo aliquis ad credendũ tripliciter. Primò quidem per interiorem vocationem: de qua dicitur Ioannis 6. *Omnis qui audit à Patre & didicit venit ad me*, & ad Romanos 8. *quos prædestinauit, hos & vocauit*. Secundò per doctrinam, & prædicationẽ exteriorem, secundum illud Apostoli ad Roman. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Tertiò per exteriora miracula, vndè dicit 1. Corinth. c.14. *Quod signa data sunt infidelibus, vt scilicet per ea prouocētur ad fidē*. Cuius

Cuius discursus summa hæc est, quod cum homo non solùm sit naturæ intellectualis, sed etiam corporeæ, ad hoc vt sine vllo penitus excusationis prætextu, teneretur ad amplectendam fidem tanquam diuinitùs reuelatam, pertinuit ad suauitatem diuinæ prouidentiæ subministrare illi media non solùm merè interna, & inuisibilia, sed etiã externa & visibilia, inter quæ, cùm primum videantur habere locum signa & miracula, conuenientissimum fuit, quod Deus illis vteretur ad confirmandam, sufficienterque proponendam Christi doctrinam, tanquam ab ipso reuelatam.

Preterea quicumque mittitur, debet ostendere testimonio eius à quo mittitur, suam authoritatem, alioquin innumeræ sequerentur fraudes, nemoque teneretur eum recipere: omnis autem, qui mittitur ad predicandum, vel mittitur à Deo missione visibili, vt loquitur Innocentius III. *de hæreticis cap. cum ex iniuncto*, vel mittitur, inquam, missione visibili; seu qua ordinariè à pastoribus, & prelatis Ecclesiæ mittuntur doctores ad annuntiandum fidem, vel mittitur missione inuisibili, seu extraordinaria à solo Deo immediatè facta: & quidem qui mittitur per ordinarium prelatum, debet ostendere testimonium prelati ordinarij, nimirum litteras eius sigillo munitas, propriaque manu subscriptas; qui verò mittitur à solo Deo, debet ostendere sigillũ Dei, quod nihil est aliud, quam verum miraculum à solo Deo factibile.

Miracula etiam, quę pro religione fundanda, constituendaque, & authoritate fundatoribus eius, magistrisque primis concilianda à Deo fiunt, ea euidentissima, & publica esse oportere, nec priuata, aut dubia sufficere, docet D. Augustinus lib. 17. de ciuitate Dei cap. 13. *cum*, inquit de lege mosaica loquutus, *oporteret Dei legem in edictis Angelorum terribiliter dari, non vni hominum, paucisque sapientibus, sed vniuersæ genti, & populo ingenti, coram eadem populo magna facta sunt in monte, vbi lex per vnum dabatur, conspiciente multitudine metuenda, ac tremenda quæ fiebant: non enim populus Israel sic Moysi credidit, quemadmodum suo Lycurgo Lacedæmonij, quod à Ioue, seu Apolline leges quas condidit accepisset: cum enim lex dabatur populo, qua coli vnus iubebatur Deus, in conspectu ipsius populi, quantum sufficere diuina prouidentia iudicat, mirabilibus rerum signis, ac motibus apparebat ad eandem legem dandam creatori seruire creaturam.*

Idem docet D. Thomas 3. p. qu. 29. artic. 1. ad 2. *Sciendum*, inquit, *quod miraculorum Dei, quædam sunt, de quibus est fides, sicut miraculum virginei partus, & resurrectionis Domini, & etiam Sacramenti Altaris, & ideo Dominus voluit ista occultiora esse, vt fides eorum magis meritoria esset: quædam verò miracula sunt ad fidei comprobationem, & ista debent esse manifesta.*

Cuius ratio afferri potest ex eodem Sancto doctore 3. par. quęst. 43. artic. 2. vbi docet duabus de causis à Deo fieri miracula, primò ad ostendendam presentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti, siue vt sanctitatem alicuius, quem alijs virtutis exemplum proponere vult, demonstret. Secundò magisque principaliter ad confirmandam veritatem, quam aliquis docet; si ob priorem causam fiunt, ab eodem Sancto, aut ad eius inuocationem illa solùm fiunt; si verò ob posteriorem causam, etiam à malis hominibus fieri possunt; sicut enim repugnat, Deum edere signa ad comprobandam falsam doctrinam, ita ad comprobandam sanctitatem alicuius, qui impius & flagitiosus existat: benè tamen ad doctrinam Catholicam, quam & impius predicat, confirmandam, quod docet D. Thomas 1. p. quæst. 110. art. 4. ad 2. 2. 2. quæst. 178. art. 2. secunda ad Thessalonicenses cap. 2. lect. 2.

Quemadmodum ergò prioris generis miracula debent esse nota ijs, quibus illius viri sanctitas vtilis esse debet: ita poste-

posterioris generis miracula palam, & publico testimonio, seu scientia communi euidentia esse debent, quia religio cuius sunt argumenta, & motiua quoad euidentiam credibilitatis illius tanquam diuinitùs reuelatę, est quid omnibus commune, & ad salutem necessarium.

CAPVT VIII.

Satisfit obiectionibus Caluini contra doctrinam superiori capite traditam, quod miracula sint necessaria ad nouam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam.

ETsi doctrina superiori capite tradita ita sit vera, vt inimicorũ etiã nostrorum iudicio comprobetur; hęretici enim Lutherani fatentur miracula esse instar litterarum, quas vocant credentię, sine quibus non est credendum reformatori religionis vulgò receptæ extraordinariè misso. Ita Brentius in Lucam, & Philippus Melancthon in cap. 3. Matthęi, vbi ait, quandò magnę sunt tenebrę, vocari nouos doctores, & semper addi à Deo miracula, vt certò sciamus, à Deo esse missos.

Caluinus tamen illam negat, duoque dicit in præfatione institutionum; primò sibi in particulari non opus fuisse miraculis, vt potè qui doceret illam ipsam doctrinam, quam Christus, & Apostoli satis miraculis confirmarunt, hac ratione eludere putans vim argumenti desumpti ex necessitate miraculorum ad nouam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam, quo manifestè demonstratur nec apud Caluinum, nec apud alios hęreticos esse veram Ecclesiam.

Secundò, quia per oppositum ex innumeris miraculis, quæ singulis ętatibus Ecclesia Catholica habuit plurima, & testatissima, manifestè sequitur eam solam esse veram Dei Ecclesiam, vt vim huius argumẽti infirmaret Caluinus, absolutè dicit ex miraculis in confirmationem alicuius fidei aut doctrinæ factis, firmum & efficax non posse desumi argumentum ad asserendam illius veritatem. Cum multi infideles, & hęretici plura etiam ediderint miracula in confirmationem suæ falsæ doctrinæ.

Primò enim Magi Pharaonis fecerunt miracula similia illis, quæ Moyses faciebat exodi cap, 2. Secundò ad sepulchrum Ieremię, inquit Caluinus plura fiebant miracula ope dęmonum, quod indè patere ait, quia fiebant in eorum vtilitatem, qui Ieremiam sacrificijs diuinisque honoribus pro Deo colebant. Tertiò Gentiles ipsi & Ethnici miracula fecerunt, Suetonius enim & Tacitus referunt Vespasianum Imperatorem cęco lumen, & claudo gressum restituisse. Quartò plures etiam hęretici, quemadmodum narratur in Ecclesiasticis historijs multa ediderunt miracula, & de Antichristo Matthæi 24. Apocalip. 13. & 2. ad Thessalonicenses cap. 2. dicitur quod sit facturus signa, & prodigia magna.

Quibus omnibus accedit authoritas S. Chrisostomi homil. 49. in Matthęum asserentis signorum operationem suo tempore iam ablatam fuisse, & extitisse apud falsos Christianos; & D. Augustini tract. 13. id Ioannem dicentis non esse credendum Donatistis etiam si miracula faciant, vbi per contemptum vocat eos mirabiliarios, opponens eis ex cap. 24. S. Matthæi prædictum esse à Christo, etiam Pseudoprophetas facturos signa.

Similia docet idem D. Augustinus libro de vnitate Ecclesiæ c. 16. vbi postquam docuit non esse credendum miraculis Donatistarum, addit nec etiam miraculis Catholicorum: *quæcumque*, inquit, *talia in Catholica fiunt Ecclesia, ideo sunt approbanda quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia hæc in ea fiunt.*

Tandem cum vera miracula facilè non possint discerni à falsis, multaque interdum putentur esse miracula, quæ

tamen

tamen vera non sunt, non est cur firmũ, aut sufficiens ex illis duci posit argumentum ad comprobandum alicuius fidei aut religionis veritatem.

Hæ sunt principaliores Caluini & sectariorum eius obiectiones, quibus distinctè & accuratè est à nobis respondendum.

Ad primum igitur, quando dicit Caluinus sibi non fuisse opus miraculis, libenter ab eo peterem, cur ergò ea facere tantoperè affectauit si sibi necessaria non esse putauit. Vt enim refert testis oculatus Hieronymus Bolsecus in vita Caluini cap.13. quemdam pauperem nomine Brulæum subornauit vt se mortuum simularet, moxque ad imperium suum quasi suscitatus resurgeret, sed vicit veritas. Apostoli de mortuis viuos faciebant: Caluinus de viuo mortuum fecit, Apostolos in peruersum æmulatus, vt olim sui temporis hæreticis improperauit Tertullianus libro de præscriptionibus cap.30. Cum enim Caluinus comędiam vellet absoluere, Brulęoque vt surgeret imperaret, inuenta fuit pro comędia tragędia, ita vt Brulæus nullum prorsus vitæ sensum præberet, sed post multas vociferationes remaneret exanimis omni sensu & vita carens, moxque vxor defuncti inciperet seriò in Caluinum debacchari, impostorem, sicarium, latronem vocando, suumque ab illo virum repetendo, adeo vt facinus omnibus innotesceret.

Respondeo secundò negando absolutè hæreticis, maximèque Caluino & Caluinistis apertè gloriantibus se extraordinariè missos fuisse à Deo ad Ecclesiæ collapsæ ruinas instaurandas, vt patet ex confessione Gallicana num.15. nego, inquam, non esse talibus necessaria miracula, ad suam misionem & doctrinam confirmandam. Eo enim ipso quod constat eos aliter docere, quam doceant ordinarij pastores & prælati Ecclesiæ, nec ab illis fuisse missos, certè non tantùm non tenemur, sed etiam tutò non possumus eos recipere, nisi suam missionem, & Apostolatum probent diuino testimonio, maximè cum illa quæ ipsi conuellere tentant, magnis & innumeris miraculis stabilita sint: & nullo modo de Dei prouidentia sit existimandum, quod, quę tot ac tantis miraculis confirmauit, velit ab impiæ & palam sceleratæ vitæ hominibus euerti, sine vllo signo diuinæ missionis.

Quod autem in sui patrocinium adducunt, iniuriosè ab eis miracula exigi, qui prædicant doctrinam antiquã, innumeris iam olim miraculis ab Apostolis & martyribus confirmatam; præter quam quod est falsissimum, suis enim locis Deo dante demonstraturi sumus doctrinam eorum esse nouam, & cum tota antiquitate pugnantem; hoc eodem subterfugio potuissent vti omnes, qui post Apostolos sexdecim iam pęnè sæculis Fidem Catholicam propagarunt. Vsi tamen non sunt, sed illam ipsam, quam ab Apostolis eorumque discipulis fidem acceperant, maioribus nostris prædicarunt, Domino sermonem contestante, & confirmante sequentibus signis. Deindè miracula sunt maximè necessaria propter incredulitatem eorum qui prouocantur & inducuntur ad fidem, vt colligitur ex Apostolo 1. Corinth. cap. 14. dicente, signa data esse infidelibus: atqui totus orbis Christianus non minus reclamauit, & etiam nunc reclamat doctrinæ Caluinianæ & Lutheranæ, quam olim Christianæ doctrinæ repugnabant Ethnici & Iudæi, cum primum annuntiaretur. Tandem hoc ipsum, quod aiunt Caluinistę, se antiquam ac proindè veram doctrinam prædicare, aduersum quam miracula quantumuis prodigiosa nihil valere volunt, insignis profectò videtur esse petitio principij, quasi non esset eis nobiscum contentio, vtri potius faueat Dei veritas, Caluino an successioni Sedis Apostolicę Romanæ Catholicæ Ecclesiæ, cuius miracula ideò à Caluinistis reijciuntur, quia in eius fidei confirmationem fiunt, quæ repugnat falsis Cal-

Caluini dogmatibus. Quandò igitur Caluinistæ negant necessaria sibi esse miracula, certè tyrannidem impij Mahumetis ęmulantur & imitantur, qui gladio, non miraculis suam perfidiam volebat propagari, & lege sanxit, suis tanquàm Dei verbis, nullo desiderato miraculo, fidem simpliciter adhibendam.

Ad secundum, dato quod infideles & hęretici aliqua fecerint, aut possint facere miracula vera, non tamen inde sequitur, vt malè arguit Caluinus, firmum & efficax ex miraculis duci non posse argumentum, ad probandum certò & euidenter fidei Catholicę credibilitatem, cum talia miracula nunquam fuerint facta, nec possint vnquam fieri ab infidelibus in confirmationem falsæ eorum religionis, aut falsi cuiusdam dogmatis, sed potius in approbationem alicuius veritatis ab Ecclesia Catholica receptæ, & commendatę. Sic quando Claudia vestalis, quo suam castitatem probaret discinxit se, zonamque naui immobili alligans, eam quo volebat deduxit; Tucia quoque Vestalis, quo suam etiã probaret pudicitiam, aquam è Tyberi haustam cribro tulit vsque ad Capitolium anno Vrbis conditę 609. vt tradit Plinius lib. 28. cap. 2. & S. Augustinus lib. 10. cap. 16. de ciuitate Dei. existimat S. Thomas in quęstionibus de potentia, quæst. 6. artic. 5. etiam ministerio bonorum Angelorum, opera illa de facto fieri potuisse, Deo nimirum sic volente virtutis castitatis dignitatem & excellentiam hominibus commendare. Sic Sancti Lucæ cap. 9. Iudæus ille, supposito quod non fuerit Christianus aut Christi discipulus vt volunt aliqui, in nomine Christi dicitur eiecisse dœmonia, ad illustrandam nimirum veritatem Christi Domini.

Sic denique possunt intelligi illa opera, quæ tanquam miracula ab hæreticis Nouatianis facta refert Socrates Nouatianus lib. 1. Historiar. Ecclesiast. cap. 7. Primum Constantinopoli in magno vrbis incendio, per miraculum Ecclesiam Nouatianorum fuisse seruatam: libro verò 7. cap. 17. tribuit Paulo Episcopo Nouatiano miraculum, quo aqua præparata ad baptizandum Iudæum, aliàs eo nesciente iam baptizatum, euanuit. Etsi enim talia non fuerint vera miracula superantia virtutem diaboli, cui facilè fuisset subito ignem auertere, & aquam auferre, ea tamen & similia iuuat à Deo facta fuisse credere, non ad commendandum, aut perhibendum testimonium errori Nouatianorum, quod est impossibile Deo, qui est prima & summa veritas, sed ad confirmationem Catholicæ veritatis de erectione templorum contra hæresim Manichæorũ, Petrobusianorum & aliorum, nec non, de non iterando baptismo semel ritè & legitimè suscepto; nam Iudæus ille, qui ad corradendas pecunias simulauit se non esse baptizatum, postulabatque ab illo Paulo Episcopo Nouatiano baptizari, iam antea fuerat legitimè baptizatus ab Attico Episcopo, vt ibidem prædictus Socrates refert. Quã ob causam etiam asserit D. Augustinus superius citatus schismaticos, & hæreticos posse facere miracula per signa publicę iustitiæ, non autem per publicam iustitiam, vt faciunt boni Christiani. Et ex ipso D. Thomas 1. p. quæst. 110. artic. 4. ad 2. quæst. 114. artic. 4. ad 3. 2. 2. quæst. 178. artic. 2. ad 3. de veritate quæst. 27. artic. 3. Etsi enim miracula ad commendationem Sanctitatis propriæ tantùm fieri possint à Sanctis, vt diximus supra, attamen ad commendationem doctrinæ possunt fieri, fiuntque interdum à malis Christianis per veram fidem & nomen Christi, ab hæreticis verò aut schismaticis per signa tantùm publicæ iustitię, id est per nomen Christi, vel per aliqua eius Sacramenta, vt docet idem Sanctus Doctor locis statim citatis.

Vndè tantùm abest vt ipsa infidelium,

lium, & hæreticorum miracula, si quæ ab illis facta sunt, à fide nostra euidentiam credibilitatis ex illa parte auferant, quin potius eam summoperè confirmant. Deindè quando recensemus miracula inter præcipua motiua credibilitatis nostræ religionis, quæque in nulla alia religione possunt habere locum, nos id præcipuè intelligimus de his, quæ fuerunt facta in confirmationem alicuius rei propositæ ad credendum fide diuina, seu etiam ad confirmandam aliquam religionem tanquam veram, vel aliquam propositionem ad illam spectantem; quo casu nostros semper vicisse vidimus supra.

Verùm quia hæretici, vt aliquid in sua obiectione probent debent intendere infideles & hæreticos in confirmationem falsæ suæ religionis, aut alicuius dogmatis contrarij veritati fidei Catholicæ plura fecisse miracula. Respondeo hoc esse falsum & absolutè impossibile loquendo de veris miraculis, cum enim vera miracula, vtpotè totum naturæ creatæ ordinem superantia, sint opera solius Dei virtute factibilia, dederitque insuper Deus Apostolis, eorumque sectatoribus, tanquam suis ministris talem virtutem faciendi miracula, vt quædam sigilla, quibus veritatem ab illis prædicatam obsignaret, si semel hæretici possent facere miracula in confirmationem falsæ religionis, aut falsi cuiusdam dogmatis, Deus posset falsum testari, & proindè mentiri, cuius oppositum vt fide Catholica tenendum suo loco docebimus.

Ad primum igitur de Magis Pharaonis, dico opera ab illis facta, non fuisse vera miracula, & ea talia quæ superarent vires totius naturæ creatæ: applicando enim actiua passiuis, permissi à Deo dęmones, mirà qua pollent celeritate & sagacitate ea facilè patrare potuerunt, vt ad cap.7. exodi communiter docent interpretes sacri; vndè si qui Sancti Patres dicunt Magos aut alios Pseudoprophetas fecisse aut posse facere miracula in confirmationem suorum falsorum dogmatum, debent intelligi de miraculis non propriè dictis, sed in ampla illa significatione, qua omne opus mirum solet vocari miraculum, vel loquuntur de veris miraculis vt opponuntur præstigiosis & illusorijs, non autem de veris vt opponuntur ijs, quæ virtute alicuius creaturæ fieri possunt.

Ad secundum libenter admittimus plura olim ad sepulchrum Hieremiæ Prophetæ fieri potuisse vera miracula mendacium autem est Caluini opera dæmonum illa fuisse facta, in vtilitatem eorum, qui Hieremiam pro Deo colebant; nam nullum huius rei testē adducit Caluinus, nisi quod in margine ponit (Hieronymus præfatione in Hieremiam) Cęterum neque in pręfatione D.Hieronymi in Hieremiam à se translatum, neque in pręfatione commentariorum Hieremiæ vlla fit mentio huius historiæ. Præterea extat alia quædam præfatiuncula in Biblijs Benedicti, Hieremiæ pręfixa, ad quam fortasse Caluinus respexit: sed ea non est D.Hieronymi, neque in ea fit mentio sacrificiorum, diuinorumque honorum: sed solùm quod miracula facta sint ad sepulchrum eius, quod idem asserunt D. Epiphanius & Isidorus in vita Hieremiæ Prophetæ.

Ad tertium quod dicitur de Imperatore Vespasiano, primum respondet Cardinalis Baronius tomo 1. annalium ad annum Christi Domini 71. n.6. & tom.2. ad annum Domini 139. ista miracula tributa Vespasiano fuisse conficta. Secundò respondeo, admissa adhuc veritate huiusmodi operum, si verba Cornelij Taciti illa referentis expendantur accuratè, nullum in eis reperiri miraculum, nam vt ait Cornelius lib.4. historiæ, interrogati medici, an morbi duorum illorum curabiles essent, responderunt esse curabiles. *Medici*, inquit, *variè differere, huic non exesam vim luminis, & rediturum, si pellantur obstantia; illi elapsos in pra-*

in prauum artus, si salubris vis adhibeatur posse integrari; At miraculum non est, si morbi suaptè natura curabiles sanentur, quales fuisse illos, colligimus facilè ex verbis Cornelij asserentis ex medicorum consilio illi cœco non fuisse excesam vim luminis, sed solummodo oculos illius fuisse impeditos aliqua tabe: vndè possumus intelligere aliqua arte medica virtute alicuius agentis naturalis probè cognoscentis naturam, proprietates & cõditiones visus, & oculorum & rerum etiam naturalium, tabem aut aliquid aliud simile exercitiũ visus impediens posse tolli, & ita dæmonem id fecisse ad pręsentiam Vespasiani, aut Vespasianum fecisse ope dæmonis, qua sępius vsum fuisse valdè credibile est, si quidem ex Philastrio lib. 5. Vespasianus Apollonio Tyanæo insigni mago familiarissimè vtebatur. Adde quod, vt Tertullianus docet c.22. Apologetici, credibile est, illos morbos fuisse à diabolo, qui insidens in oculo vnius, & alterius tibia impediebat vsum eorum membrorum (quod sæpius videre est in personis à dæmone vexatis) idque eo fine, vt videretur sanare, cum desineret nocere, & illustre Christi miraculum, quo cæcum à natiuitate modo singulari, & admirabili illuminauit, deprimeret, & extenuaret, quod ex eodem Tacito colligi potest, qui refert cœcum istum id postulasse à Vespasiano monitu Serapidis.

Ad quartum similiter dicitur, plures Pseudoprophetas, & hæreticos sępius quidem tentasse non solùm vera miracula, sed etiam alia tantùm mira opera facere, sicque Deum in suæ falsitatis testimonium adducere, semper tamen infelici exitu, vt vidimus supra, & statim retulimus de Caluino ex oculato testi Hieronymo Bolseco, qui in vita Theodori Besæ etiam scribit de eodem Caluino, cum vellet Geneuæ seruum quemdam exorcizare, ab eo fędissimè verberatum, ac penè discerptum fuisse. Idem narratur de falso Propheta Martino Luthero, cum Wittembergæ dæmoniacam puellam liberare vellet, pessimè à dæmone acceptũ esse, ita vt totis artibus contremiscens cogeretur coram omnibus turpissimam fugam arripere, teste Federico Staphylo eius discipulo, qui toti actioni seu potius passioni interfuit, ex eaque, fauente Deo suę conuersionis occasionẽ feliciter sumpsit. De quo videndus est ipse Staphylus libro contra Sandelinũ, nec non Bredebachius lib.7.cap.4. Rursum, vt scribit Ioannes Cochlæus in actis Lutheri anno 1523. Nesenum in Albi miserè submersum, spe miraculi Lutherus vanis immurmurationibus frustra in vitam reuocare tentauit.

Ad quintum de Antichristo, respondeo maiora quidem ei permittenda fore à Deo signa & prodigia, quam eo vsque falsis alijs prophetis fuerint vnquam permissa: non tamen erunt vera miracula, aut mirabilia illa, quę Dauid propheta dicit solum Deum posse facere psal.135. sed solummodò mira quædam opera, quæ non excedent naturam & efficaciam virtutis naturalis dęmonum.

Ad sextum desumptum ex authoritatibus Sanctorum Chrisostomi, & Augustini: respondeo primò, verba ibi citata non esse D.Chrisostomi, sed auctoris incogniti, qui scripsit opus illud imperfectum, multisque in locis grauiter errauit, vt ad oculum demonstrant Sacri Sanctorum Patrum eorumque operum critici, Baronius in annalibus, Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, Posseuinus in apparatu sacro, & alij plures à nobis suo loco citati. Præter quam quod obiectio allata continet mendacium, quasi author operis imperfecti sentiat vera, & propriè dicta miracula mansisse apud falsos Christianos, non enim ipse hoc asserit, sed tantùm falsa & ficta signa, vt disertè illic legitur.

Secundò respondetur, etsi B. Chrisostomus esset author illius operis, non tamen negare simpliciter omnia miracula suis temporibus, sed ea solùm, quæ initio

initio nascentis Ecclesiæ omnibus ferè Christianis communia erant, vt tunc Spiritum Sanctum acciperent specie visibili, vel signo aliquo sensibili ad impositionem manuum Episcoporum, vt baptizati sanarentur ab infirmitatibus suis, & linguis loquerentur nouis; hęc enim & alia similia concedimus libenter re vera desijsse saltem quantum ad illam frequentiam, nec tamen consequens, vt nulla alia penitus ex mente S.Chrisostomi remanserint, cum ipsemet varia miracula affirmet singulis fere diebus suo tempore adhuc contigisse, vt patet ex eius orat. aduersus Gentiles, quare etiamsi gratis admitteretur prædictum opus, verbaque ex eo citata esse D.Chrisostomi, non tamen de omnibus miraculis & explicari possent, sed eo tantùm modo, quem diximus, & quo etiam loquitur D. Augustinus libro de vera religione cap. 25. dum ibi videtur negare miracula, id enim asserit eo tantum sensu, quem statim explicuimus, vt constat ex propria eius interpretatione lib. 1. retractationum c. 13. manifestèque colligitur ex lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8. vbi maximi facit vera miracula, pluraque adducit contra Paganos facta ad reliquias Sanctorum præcipuè Sanctissimi Protomartyris Stephani.

Vndè quando S. Augustinus citato loco tract. 13. in Ioannem miracula Donatistarum contemnit, eisque docet non esse credendum, manifestum est non fuisse vera miracula, aut talia, qualia in Ecclesia Dei fiunt, sed occultas quasdam visiones tantùm, quas sine vllo teste iactabant se vidisse: qualis etiam fuit visio Mahumetis, quem Alcorani interpretes ad cap. 64. referunt aliquando vidisse lunam in duas partes diuisam, tuncque eam in manus accepisse, & reparatam ad cęlum remisisse: qualis etiã fuit visio Zuinglij, qui in libro inscripto subsidium de Eucharistia, dicit se vidisse spiritum, sed non potuisse decernere, essetne albus an niger. Itaque non sine causa similia Donatistarum miracula aut signa S. Augustinus irridere, eaque fabulas vocare potuit. Similiter ad id, quod affertur ex libro de vnitate Ecclesiæ cap. 16. vbi D. Augustinus dicit Ecclesiam non demonstrari ex miraculis, sed ex scripturis: cum idẽ D. Augustinus contrario modo loquatur, non tantum citatis locis, sed insuper in libro contra epistolam fundamẽti cap. 4. & 5. vbi expresè asserit, Ecclesiam demonstrari ex miraculis non ex scripturis, immo scripturas demonstrari ex Ecclesia: nè tantus doctor secum apertè pugnet, dicendum est in vtroque loco eum loqui de miraculis, aut prodigijs in sensu à nobis adducto.

Vel secundò responderi potest, videturque esse legitimus eorum duorum locorum sensus, D. Augustinum in eis fuisse loquutum ex hypothesi, & arguendo ad hominem, qui est efficacissimus aduersus Hęreticos disputandi modus: quia igitur Manichęi admittebant miracula, & negabant scripturas: nam veterem dicebant esse à diabolo, nouam verò corruptam à falsarijs: D. Augustinus in libro contra epistolam fundamenti Manichæorum, ad hominẽ ex miraculis ab ipsis admisis demonstrat Ecclesiam, deindè ex Ecclesia Scripturam. At quia Donatistæ per oppositum credebant Scripturæ tam veteri, quam nouæ, & suas iactabant visiones, contemnentes vera Ecclesiæ Catholicæ miracula: ideò D. Augustinus aduersus Donatistas alia via procedit, & ex Scripturis demonstrat Ecclesiam, deindè per Ecclesiam vult iudicari de miraculis, maximè quo ad certitudinem fidei; rectè enim probatur ex miraculis Ecclesia, & ex Ecclesia miracula, diuerso tamen genere demonstrationis: quemadmodum ex effectu demonstratur causa, & ex causa vicisim effectus: nam ex miraculis vera demonstratur Ecclesia non quo ad euidentiam aut certitunem rei, sed tantum quoad euidentiam & certitudinem perfectissimæ, & prudentissimæ credibilitatis: At ex Ecclesia iam stabilita demonstratur miraculum

sum quo ad certitudinem rei, quia quandò Ecclesia quæ est columna veritatis declarat miraculum factum esse verum miraculum, certi sumus rem ita se habere, nullo tamen interueniente errore facti circa patrati miraculi narrationem.

Ad vltimum patet ex dictis supra cap. 4. vbi tot regulas attulimus, vnde vera Dei miracula & opera, à falsis demonum, aut Pseudoprophetarum signis facilè dijudicari possunt.

CAPVT IX.

Miracula pro Christiana religione facta referuntur, primumque aduersus Gentiles, Christi Domini nostri signa verissima, atque certissima extitisse, comprobatur.

POstquam in superioribus capitibus, manifestè vt puto, ostendimus omninò repugnare, quod religio veris ac diuinis miraculis confirmata sit falsa, superest vt pro conclusione demonstremus primò religionem Christianam contra gentiles, secundò verò nostram Ecclesiam Catholicam Romanam contra hæreticos, esse veram & vnicam Dei Religionem, & Ecclesiam, ex veris miraculis, diuinisque operibus, & signis, quæ singulis ætatibus habuit plurima & testatissima.

Incipiendo ergò à Christo Domino primo Religionis Christianæ institutore, probandum est eum re vera extitisse, pluraque signa & miracula vera in confirmationem suæ doctrinæ præstitisse; relictisque illis argumentis ex authoritatibus veteris testamenti desumptis, quæ infra aduersus Iudæos Deo iuuante ad longum prosequemur, id apertè colligitur ex historia Euangelica, in qua magna cum diligentia & fidelitate tota Dominicæ Incarnationis œconomia, miraculaque ab eo patrata conscribuntur, & enarrantur. Qua in re si aliquid à Sacris Euangelistis peccatum fuisset, profectò neque Iudæi qui eo tempore vixerunt, neque Gentiles qui aduersus nostram religionem scripserunt illis pepercissent. Si igitur falsa essent miracula, quæ de Christo in Historia Euangelica narrantur, dicendũ esset illam ab aliquo, aut ab aliquibus postea in hoc fuisse corruptam, quod tamen esse falsum oculari demonstratione supra demonstrauimus agendo de incorruptione Sacræ Scripturę.

Præter historiam Euangelicam, & innumeros Scriptores nostros Ecclesiasticos habemus insuper allatæ veritatis testimonium ab ipsismet inimicis nostris. Et si enim Gentiles historiographi de Christo eiusque miraculis nihil quod legatur tradiderint, ea fortè ratione quod ad plures eorum talis Christi non peruenerit notitia, vel si peruenit, ea suis historijs inserere & monumentis illustrare noluerunt, quæ tanquam homines destituti fide pro meris fabulis, & deliramentis habebant, & quæ parum erãt plausibilia & grata futura illis principibus, aut populis, quibus suæ historię libros dicabant. Etsi inquam, res ita se habeat, nihilominus tamen cum cælitus ad salutem vtriusque populi, Iudęi atque Gentilis à Patre filius mittendus esset in terram, consilium Dei fuit, vt longè ante eius aduentum, tantæ rei Sacramentum non solùm Iudæis multifariam multisque modis loquendo illis in prophetis, sed etiam Gentilibus innotesceret, per suos ipsorum vates, cum enim à veritate veri cultus procul abessent, nec facilè externæ religionis hominibus admouissent aures, per suos ipsorum vates, de Christi aduentu miraculisque ab eo patrandis, voluit Deus eos præmoneri. Hi fuerunt Mercurius Trismegistius Hydaspes, præcipuèque Sybillæ, sic dictæ à Dei consilijs denuntiãdis, quasi Theo boulai, decem numero, vt aiunt, omnes virgines; quibus ob Virginitatis insigne meritum diuinationem esse concessam D. Hieronymus existimauit lib. 1. contra Iouinianum, quam & ob causam eas appellare PP. consueuerunt Prophetis-

ſas Gentilium, ſicque illarum teſtimonium aduerſus ipſos tam validum eſt, quam validum prophetarum aduerſus Iudæos; vt iam tom. 1. lib. 2. ſect. 5. c. 19. notauimus.

Vndè etiam crebrò vſi ſunt Sancti Patres, ad conuincendos errores Gentilium, Sybillarum oraculis: quamobrem Gentiles ipſi (vt auctor eſt Origenes contra Celſum lib. 5.) Chiſtianos Sybilliſtas appellabant, vt rectè notauit Cardinalis Baronius in apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, vbi etiam tribuit ſpeciali Dei prouidentiæ & conſilio, quod longè ante Chriſti aduentum carmina Sybillina diſquiri, examinari atque probari, in omnibus voluerit ab ipſiſmet Gentilibus, nè cum ea aduerſus ipſos citarentur à Chriſtianis, ijdem falſitatis, vel impoſturæ argui poſſent, tanquam minus recepta, ac recens ab illis eſſent excogitata.

Sybilla igitur Lybica ita de Chriſti miraculis cecinit:

Ille quidem preſſos morbis ſanabit, & omnes
Laſos quotquot ei fident, cæcique videbunt,
Incedent claudi, ſurdiſque audire licebit,
Inſolitas mutis dabitur formare loquelas,
Expellet furias, oppreſsi morte reſurgent.

Lege Lactantium Firmianum lib. 4. diuinarum inſtitutionum cap. 15. vbi ex teſtimonijs Sybillarum colligit, Chriſtum verbo edidiſſe ſigna, expuliſſe omnem infirmitatem: & verſus Græcos prædictam ſententiam continentes proponit: addit etiam alia carmina, quibus firmat, quod ventos compeſcet, ſternet mare inſanum, & pedibus calcandum exhibebit.

Poſt Sybillarum teſtimonium, primus ex Scriptoribus externis Ioſephus Iudæus reperitur, qui Chriſti miraculorum meminerit, etſi enim Chriſtianus non eſſet, tamen ne inofficioſi hiſtorici quęrela tam iuſta vrgeri poſſet, quod rem roto orbe perſpicuam obuolutam ſilentio reliquiſſet; potius cum videret Iudęorum res penitus eſſe collapſas, Veſpaſianumque defeciſſe, cui vaticinatus tribuerat, quod Chriſto re vera oculis Prophetarum prænuntiatū erat imperium; iamque tempus Meſsiæ aduentus pręterijſſe videri poſſet: prudentis potius quam pij hominis partes agens, ſubſequens de Ieſu, quod Chriſtus haberetur à plurimis tam Iudæis, quam Gentilibus, perhibuit teſtimoniū lib. 18. antiquit. cap. 4. *Eo*, inquit, *tempore* (ſcilicet quo Pilatus adminaſtrabat Iudęam:) *fuit Ieſus vir ſapiens, ſi tamen eum virum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorū, qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimoſque tam de Iudæis, quam de gentibus ſectatores habuit, Chriſtus hic erat: quem accuſatum à noſtræ gentis principibus Pilatus cum addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cæperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitùs de eo vates hæc & alia multa miracula prædixerunt: & vſque in hodiernum diem Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Hęc Ioſephus: cuius teſtimonium in perueruſto Iudæorum Codice, in quo eius hiſtorię è Gręco in Hæbraicum tranſlatę, antiquitùs ſcriptæ ſunt, cum Romæ requireretur, abraſum inuentum eſſe narrat Cardinalis Baronius tomo 1. Annalium ad annum Domini 34. nu. 226. adeò vt nulla ad excuſandū ſcelus poſſet afferri defenſio, cum membrana ipſa id exclamare videretur. Habetur eiuſdem Ioſephi de Chriſto teſtimoniū ab Euſebio recitatum hiſtor. lib. 2. c. 11. & à Hieronymo lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 13. de quo quidem teſtimonio illud tantum monuiſſe ſufficiat, aliter ſe habuiſſe eius lectionem S. Hieronymi temporibus, ab ea quæ legitur in præſentiarum. Nam quod latina verſio habet: *Chriſtus hic erat*: S. Hieronymus ſic ex Gręco reddidit: *Et credatur eſſe Chriſtus*, quam etiam lectionem magis probat Cardinalis Baronius,

ronius, vt quæ consentiens videatur authoris studio & professioni; quippè qui se esse Iudęum, & non Christianum in omnibus prę se ferret: licet in cęteris quæ in eam sententiam de Christo scribit, numine ipsum cogente, professus sit veritatem.

Tertium testimonium pro miraculis Christi sunt duæ litterę Pilati ad Tiberium de quibus videndus est predictus Cardinalis Baronius ad annum Christi 34. num. 225.

Quartò Philostratus octo libros conscripsit de vita Apollonij Tyanęi insignis magi, & Hierocles Pythagoricus totidem alios elucubrauit: quos confutauit Eusebius Cęsariensis tom. 1. qui non ob aliam causam videntur scripsisse, quam vt Apollonium Christo in signis edendis non inferiorem fuisse comprobarent. Sed vt serpens Moysis, Magorum serpentes deuorauit, & in tertio signo Pharaonis sapientes defecerunt: ita Christi sapientia mundi sapientiam stultam reddidit atque infatuauit; & vera Christi miracula, omniq; acceptione digna, mendacia illa & falsa Apollonij, Simonis & aliorum Dęmonis organorum euicerunt.

Quintum & vltimum testimonium est Mahumetis, etsi enim Christo Domino Deitatis formam deneget, illum tamen inter prophetas, supremo in loco reponit, & tam miraculorum gloria, quam Sanctitatis pręstantia, toto orbi fuisse conspicuum fatetur: insuper & eius Matrem, Virginem concepisse, Virginem peperisse, & Virginem in æuum permansisse. In Alchorano enim cap. Elbachera, introducit Deum loquentem in hunc modum: *Dedimus Iesum filium Mariæ, vt faceret miracula & prodigia manifesta, & fecimus eum per Spiritum Sanctum, & insufflauimus in Mariam de Spiritu Sancto, & conceptus est Christus ex virtute Dei de matre Sanctissima & purissima super omnes mulieres.* Habemus igitur non tantùm ab Euangelijs, & Prophetis, sed etiam ab externis, & inimicis Crucis Christi, verissima extitisse miracula quæ Christus edidit.

Quod si quisquam sit adeò corde & animo durus, vt tot testimoniorum authoritate adhuc non persuadeatur, audiat S. Augustinum, qui lib. 10. de ciuitate Dei cap. 18. sic respondet: *An dicet aliquis, ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta? quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omnino vllis litteris esse credendum, potest etiam dicere, nec Deos vllos curare mortalia; Non enim se aliter colendos esse persuaserunt, nisi mirabilibus operum effectibus, quorum & historia gentium testis est, quarum dij se ostentare, mirabiles potius quam vtiles ostendere potuerunt. Porrò autem si multorum Deorum cultores, qualescumque Deos suos esse arbitrentur, ab eis facta esse miracula, vel ciuilium rerum historię, vel libris magicis, siue, quod honestius putant, theurgicis credunt: quid causæ est, cur illis litteris nolint credere, ista facta esse, quibus tanto maior debetur fides, quantò super omnes est magnus, cui vni soli sacrificandum pręcipiunt.* Hæc D. Augustinus, quibus certè nihil efficacius ad obstinatam animi duritiem superandam, nihil rationabilius dici posse videtur. Si enim ista creduntur, quæ Liuius, Cicero, Valerius Maximus & alij referunt? quid ni nostra veracius conscripta? si quæ enim nostri referebant miracula, vera non erant: quid est quod tot libris Apologeticis nostrorum nemo ausus est contradicere.

Iterum idem D. Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 5. excellenti dilemmate totam hanc rem absoluit; miracula enim quæ in Euangelio, & actibus Apostolicis recensentur facta in confirmationem nostræ fidei, vel sunt verè facta, vel non sunt facta; si primum, habetur intentum; si verò secundum dicatur, scilicet miracula hæc non fuisse facta, sequitur aliud maius miraculũ, nimirum Apostolos, homines obscuros, pauperes, abiectos, & aliorum iudicio idiotas, destitutos humano auxilio & eloquentia, nullis factis miraculis traxisse

xisse totum orbem terrarum in eam doctrinam, quæ superat humanum captũ, quæq; omnino repugnat humanæ prudentiæ, & concupiscentiæ carnis. Quod argumentum euidentiæ credibilitatis pro doctrina fidei Christianæ tanti est ponderis, vt Sanctus Thomas lib. 1. cõtra Gentes cap. 6. non vrgeat aliud motiuum pro euidentia credibilitatis. Et idem Sanctus Augustinus eodem lib. 22 de ciuitate Dei cap. 8. *Possem quidem*, inquit, *dicere necessaria fuisse prius quam crederet mundus, ad hoc vt crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.*

CAPVT X.

Refelluntur sophistica infidelium argumenta, quibus miracula à Christo Domino facta infirmare conati sunt.

ALiqui vi argumentorum superiori capite allatorum oppressi fatentur quidem libenter Christum extitisse, multaque de facto tam ab ipso, quam ab eius Apostolis & discipulis miracula facta fuisse; negant tamen sufficiens, aut efficax propterea ex illis desumi posse argumentum ad demonstrãdam fidei nostræ tanquam diuinitus reuelatæ credibilitatem; quod varijs modis & vijs explicare & ostendere conantur.

Quidam enim similia miracula apud Ethnicos in Gentilibus historicis patrata fuisse dicunt. Alij Astrologiæ, & signis cæli illa tribuunt. Sunt qui ad artem Cabbalisticam illa referenda putent. Rursus alij secretiori magia, hoc est, virtute lapidum, herbarum, aut animalium edita fuisse contendunt. Ad hæc alij naturæ quodam temperamẽto, siue hominis Idiosyncrasia miraculosas morborum curationes fieri posse affirmant. Postremò alij illas reijciunt in vim imaginationis, vel animæ, aut in spiritus qui ab homine exhalant.

Hæc sunt, quibus, vt fatear verum, non tàm infideles Deum agnoscentes, quàm insipientes Athei, non solùm Christianæ religionis veritatem, sed etiam veri Dei, ac numinis existentiam, quot miraculis, tot firmissimis argumẽtis stabilitam oppugnare contendunt; dum asserunt nullum esse effectum quantumuis miraculosum, qui virtute alicuius agentis naturalis perfici non posit.

Verùm cum in præsenti, ex tot miraculis à Christo Domino, eiusque discipulis in Christianæ fidei confirmationem editis, non Dei existentiam præcisè aduersus Athæos demonstrare, sed, illa supposita, supposita etiam veritate alicuius religionis in communi, qua verum Deum coli debere natura ipsa duce nobiscum sentiunt Gentiles, intendamus tantùm ostendere religionem Christianam, esse hanc veram religionem, qua sola se coli velle infinita miraculorum multitudine declarauit, quæ etiam vera miracula à solo Deo fieri posse admittunt infideles; absque eo quod examinemus in præsenti prædictos omnes modos, quibus, nullo existente Deo, vanè contendunt Athæi vera miracula præstari posse, vt suo loco fusè demonstrabitur, sufficit in præsenti aduersus infideles probare miracula à Christo Domino eiusq; discipulis edita, fuisse vera miracula, in tantum enim talia miracula, quæ de ipsis referuntur, possent infidelibus rationabiliter videri non efficacia ad confirmandam veritatẽ fidei Christianæ tanquam à Deo reuelatæ, in quantùm dubitarent ea non esse vera sed ficta miracula, merasque dæmonum prestigias. Sic igitur pro instituti nostri ratione arguo.

Illa opera sunt verè & propriè miraculosa, quæ sunt supra totum ordinẽ naturæ, omnesque eius vires excedunt, sed inter opera, quæ de Christo, & Apostolis, eorumque successoribus nostri narrant Historici, quibus infideles dant fidem, vt suppono, & ita debere superiori capite probaui, sunt aliqua quæ supe-

superant totum ordinem naturæ, omnemque eius potestatem, ergò sunt opera verè, & propriè miraculosa.

Maior est certa ex definitione miraculi, & ex conuentione circa illam prius facta cum Gentilibus; qua semel facta, consequenter etiam admittere debent vera miracula, aut opera miraculosa à solo Deo fieri posse, qui cum mentiri, nec falsitati testimonium perhibere possit, impossibile esse supra demonstrauimus, quod religio veris ac diuinis miraculis confirmata, sit falsa, vndè tota difficultas consistit in probãda Minori argumenti facti.

Probatur Minor, quia inter Christi miracula, referuntur plures mortuorum resuscitationes, leprosorum mundationes, restitutio visus cœco etiam nato, Dæmonum fugationem, sed ista, & alia huiusmodi, sunt opera totum ordinem naturæ superantia, nam à priuatione ad habitum naturaliter regressum non dari docent communiter omnes Philosophi ex Aristotele in Physicis, quibuscum prȩsertim agimus in prȩsenti, & contendimus de veritate fidei, ac religionis Christianæ.

Has autem omnes morborum curationes, maximèque mortuorum resuscitationes à Christo factas, fuisse verè, ac propriè dictas resuscitationes, patet ex eo quod ad veram ac propriè dictã resurrectionem nihil aliud requiritur, nisi quod prȩcesserit animȩ à corpore separatio, hanc autem in resuscitationibus à Christo Domino factis primum prȩcessisse manifestè colligitur ex insigni Lazari suscitatione, qui iam sororis testimonio fȩtebat, erat enim quatriduanus; quemque ideo Christus suscitauit vt appareret Dei gloria: quapropter Ioannis 11. eleuatis oculis dixit, cùm alij lapidem è sepulchro tollerent. *Pater gratias ago tibi quoniam audisti me ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras. Et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & finite abire.* Quibus peractis, *multi*, inquit D. Ioannes, *ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Alij verò postquam retulerunt Pharisæis, quæ fecerat, illicò concilium fecerunt, dicentes. Quid facimus quia hic homo multa signa facit? & ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum.* Pharisæi enim, cum miracula Christi in hominum corporibus curandis in Beelsebud patrata esse calumniari potuerunt, nunquam de illo tollendo deliberarunt; At vbi, ipsa rei euidentia non solum Pharisæorum, sed etiã totius populi mentes vrgente; in nullam magiam, & in nullam diaboli potestatẽ Lazari quatriduani suscitationem, quæ cæteris fuit illustrior, vnquam refundere potuerunt, ne, si sic dicerent, aperti Sycophantȩ à populo haberentur, tam de Christo quam de Lazaro è medio tollendo deliberare cæperunt.

Sed quia ad veram resurrectionem, non solùm requiritur præcedens animȩ à corpore separatio, sed etiam subsequens postea eiusdem animæ cum eodẽ corpore reunio; hæc etiam conditio non defuit Lazaro per Christum Dominum suscitato, vt patet ex vitalibus operibus per illum longo post tempore exercitis. Etsi enim dæmones magna qua præditi sunt potestate, valeant aliquandò assumere corpora quorumdam defunctorũ, eaque & illorum organa ita artificiosè mouere, vt apparenter existimentur viuere, & resuscitati, id tamen nunquã fecerunt ad longum tempus, sed solummodò ad breue, ita vt paulò post constiterit de ipsa falsitate. Insuper dæmones in coporibus assumptis ita simulant actiones vitales, & æmulantur calorem natiuum, vt, qui voluerit attentè, & cum magna consideratione illa attrectare statim deprehendat non esse vera corpora, id est, humana, sed fictitia seu composita ex aëre, vel si sunt vera corpora hominum proximè defunctorum

motus

motus tamen & actiones per illa exercitas non prouenire ab anima rationali, tanquam vera forma informante, vt solet doceri in materia de Angelis: at constat de Lazaro diutissimè post suam resurrectionem vixisse, cum alijs familiariter conuersatum fuisse, verasque actiones vitales exercuisse, qui plerumque fuit de numero conuiuantium cũ Christo Domino,& in cuius vitam conspirauerunt ipsimet Iudæi aduersarij Christi Domini.

Idem penitus asserendum est de suscitatione Archysinagogi filię, in qua precessisse animæ à corpore separationem, colligitur ex eo, quod cùm Christus illam dormientem tantùm appellaret, ab omnibus circumstantibus irrisus fuit, vt dicitur apud Marcum cap.5.quã certè ridendi occasionem non habuissent, si puella re vera non fuisset mortua: Ideò autẽ Christus Dominus puellam quantumuis mortuam, dormiẽtem tantùm appellauit, quia Scriptura solet mortis horridiorem vocem, somni, & dormitionis meliori vocabulo commendare, aut quia diu in morte non debebat manere, vt enim somnus diuturnus esset mors, ita mors breuis quidam esse videtur somnus; vel melius Christus Dominus dixit, *puella non est mortua, sed dormit, non est mortua mihi: quia illam multò facilius à morte, quam homo hominem à somno excitet, reuocabo: & sum ille Rex, cui omnia viuunt.*

Christus itaque eiectis omnibus, assumptisque patre, & matre puellæ,& ijs qui cum eo erant,ingressus vbi puella erat iacens, eiusque manum tenens clamauit, dicens: *Puella surge*, & confestim surrexit puella, duoque signa veræ resurrectionis exhibuit, alterum, quod ambulabat; alterum, quod precepit illi dari cibum.

Idem denique dicendum est de filio viduę resuscitato Lucæ 7. à Christo Domino cum enim iam defunctus efferretur,multa ciuitatis turba illum cum matre ad locum sepulchri comitante, Christus Dominus misericordia motus super eam, dixit illi: *Noli flere: Et accessit & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, steterunt, & ait: Adolescens tibi dico, Surge. Et resedit qui erat mortuus, & cæpit loqui. Et dedit illum matrĩ suę.* Sicut enim signa verę resurrectionis in puella fuerunt ambulare, & comedere: ita in hoc adolescente, surgere vt sederet, & loqui.

Vndè apparet quanta sit illorum insania, qui non tantùm morborum curationes à Christo Domino factas, sed etiam mortuorum suscitationes in artem magicam refundunt,ex dictis enim sufficienter falsitatis conuinci videntur, nec non ex omnibus illis regulis, quibus supra certò certius vera Dei opera & miracula, à falsis dæmonum & magorum præstigijs dignosci posse ostendimus.

Sed certè longè maior est illa insipientium Atheorum, qui resurrectionẽ absolutè negant,vel eam in causas merè naturales reducere conantur, ne ex hoc ingenti miraculo Deum aliquem inferamus; verum quam vanè & ridiculè id asserant, patet ex ipsismet modis, quibus hanc rem explicare conantur, quos refert, doctissimèque impugnat Pater Mersennius Ordinis Minimorũ S.Francisci de Paula in Genesim. Potest etiã de hac materia videri Pater Salmeron Societatis Iesu tomo 6. in Euangelia, vbi non minori pietate, quàm doctrina veritatem miraculorum Christi Domini, tam in communi quàm in particulari ab obtrectatorum, & calumniatorũ omnium cauillis, & sophismatis vendicat. Vt enim aurum igne rutilantius, & defæcacius efficitur, ita quò signorũ Christi veritas magis illustrata, & apud omnes diligenter illa examinantes inconuulsa maneret, Deus Optimus Maximus ineffabili suæ prouidentiæ dispositione ordinauit, vt multis inimicorum mendacijs impeterentur.

CA-

CAPVT XI.

Ostenditur aduersus hæreticos maximè, Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Dei Ecclesiam ex perseuerantia doni miraculorum in ipsa.

QVamuis non sit necessarium, nec etiam expediat modo signa tot ac tanta, vt olim in primitiua Ecclesia fieri, quia fides nostra satis iam probata, satis confirmata fuit, & planta diligentius rigari solet, quando est recens, & tenella, donec in terra coaluerit, radicesque fixerit, inquit D. Gregorius homil.25. in Euang. nihilominus tamen vt nulla nobis deesset nota dignoscendi veram Dei Ecclesiam, ac doctrinam præ omnibus alijs falsis hæreticorum sectis, quibus hodiè mundus miserè distrahitur, & quod sola Ecclesia Catholica Romana est illa, quæ antiquæ similis est, in qua durat & perseuerat adhuc donum miraculorũ, Deus Optimus Maximus singulis ætatibus illam innumeris, ijsque testatissimis miraculorum signis ornare voluit.

Ac primùm de vndecim primis sæculis planum est ex 11. tomis historiæ Ecclesiasticæ Centuriatorum Magdeburgensium. In singulis enim centurijs illis cap.13. annotant ex authoribus illorum temporum omnia miracula, & in singulis sæculis reperiunt plurima in confirmationem dogmatum fidei Catholicæ, vt confessionis Sacramentalis, reliquiarum, imaginum, Eucharistiæ, pontificatus, monachatus, inuocationis Sanctorum, &c. ipsi enim hos titulos ponunt, & quamuis postea subiungant illa omnia fuisse dęmonum præstigias, aut falsas narrationes, non alia ratione, nisi quod ea miracula pugnent cum Euangelio Lutheri, tamen quam insulsa sit talis responsio constabit ex dicendis infra.

Interim iuuat breuiter, ac distinctè per omnia sæcula potius adnotare, quàm referre si non omnia, saltem insigniora miracula, quibus semper Ecclesia Catholica floruit.

Primo sæculo habemus miracula Christi, & Apostolorum in Euangelijs & Actis, de quibus possunt consuli interpretes Sacri, & Cardinalis Baronius tomo 1. & 2. Annalium, alijque Historici Ecclesiastici.

Secundo sæculo ab anno 100. ad 200. primum occurrit miraculum Sancti Clementis, qui vt constat ex actis eius in deserta ciuitate Chersona, quo ad locum exilij fuerat amandatus, diuina ope implorata, vberrimum aquæ fontem ad potum necessariam (nam illa insuper molestia inter plures alias vrgebantur pauperes Christiani illuc relegati, vt humeris aquam sex millibus passuum, procul positam, iugiter ferrent) è terra in loco diuinitus agni signo monstrato fecit erumpere: quo miraculo edito, Christi fidem loci accolis annuntiãte Clemente mirificè Christiana Religio fuit propagata; adeo vt idololatria, quæ in ea regione antè vigebat, extincta propemodum fuerit. Similiter Gregorius Turonensis de gloria martyrum cap.35. & 36. narrat alia insignia miracula ad eiusdem S. Clementis sepulchrum facta.

Habemus insuper miracula Christianorum militum in exercitu Marci Antonini; miraculum S. Narcyssi Hyerosolimorum Episcopi, qui aquam ex puteo statim haustam in oleum mutauit; miraculum de libris Sacris incendio traditis, & ab illo diuinitus liberatis; miraculum de fonte scaturiente in martyrio S. Iulittæ, de quibus omnibus videndus est Cardinalis Baronius to.2. Annalium.

Tertio sæculo ab anno 200 ad 300. præter innumera miracula quibus D. Gregorius indè Taumaturgus dictus claruit; de quibus pręcipuè agit S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap.29. Gregorius Nyssenus in vita eius: Hieronymus de viris illustribus & alij; Eusebius etiam lib.10. cap. 12. asserit miracula per Dei gratiam Constantino ostentata, nec

nec dicendo quidem exprimi posse.

Quarto sæculo ab anno 300. ad 400. Romanum Martyrem Antiochenum præsecta abs tyranno lingua locutum esse refert Chrisostomus in Encomio Romani, & Prudentius in hymno ipsius. Albanus Verolamiensis Tamesis fluuij alueum cum mille viris sicco pede transgressus est: ex Beda lib.1.cap.7.histor.Anglic.Per Paphnutium non minus quàm dudum per Apostolos signa facta fuisse narrat Rufinus lib.1. cap.4. Nam & dæmones verbo tantùm fugauit, ægros sola oratione curauit: sed & cæcis visum reddidit, & paraliticos ad stabilitatem corporis reuocauit. Innumera tandem habemus miracula Antonij, Hilarionis, Martini, Hilarij, Nicolai, & aliorũ scripta ab Athanasio, Hieronymo, Sulpitio, Fortunato & alijs in eorum vitis.

Quintò sæculo ab anno 400. ad 500. prçter miracula plurima, quæ describit D. Augustinus facta suo tempore lib.22.de ciuitate Dei cap.8.plura alia refert Theodoretus in philotheo cap.9. 16. & 22. de Petro Eremita, Simeone Stylita, & Thalasio; Dynamius de Maximo Rhegiensi Episcopo in eius vita; Gregorius Turonensis lib. 2. Hiust.Franc. cap.34. de Mamerto Viennensi Episcopo; Matthæus Vvectmonasteriensis de S. Patritio Hiberniæ Archiepiscopo; Idem Gregorius Turonensis de S. Remigio cap.31.

Sexto sęculo ab anno 500.ad 600. in Annalibus Ecclesiæ Catholicæ laudantur duo miracula duorum Summorum Pontificum Ioannis & Agapeti ex lib. 3. Dialogor. Sancti Gregorij cap.2. & 3. quorum primus Constantinopoli in conspectu omnium roganti cæco lumen reddidit; secundus verò claudum curauit & mutum.Idem Gregorius lib.2. plura alia refert miracula de S. Benedicto Abbate; de S.Mauro & Placido, Faustus & Gordianus in eorum vitis: præterea idem D.Gregorius lib. 9. epist.58. & Venerabilis Beda lib.1. Histor.Anglic.c.31. referunt miracula facta in Anglia à S.Augustino, & socijs illuc ad fidem Euangelicam prædicandam missis.

Septimo sæculo ab anno 600. ad 700. miraculis floruit Theodosius Archimandrita ex Georgio Presb.in eius vita; Anulphus Metensis Episcopus ex Surio tom. 4. Amandus Episcopus Traiectensis ex Gaudemundo in eius vita; Eligius Nouiomensis Episcopus, ex Audoëno in eius vita; Trudo Presbyter ex Theodoro Abbate in eius vita; Florentius Episcopus Argentinensis ex Surio; Agatho Papa ex Platina in eius vita.

Octauo sæculo ab anno 700. ad 800. miracula S. Gudberti, & S.Ioannis in Anglia ex Beda lib.4. & 5. hist. S.Suniberti Episcopi, ex Marcell. in eius vita, S. Erhardi Treuirensis Episcopi, ex actis Episcoporum Treuirensium.

Nono sæculo ab anno 800.ad 900. miracula Tharasij scripta ab Ignatio Nicæno; Ioannicij Abbatis ex Metaphraste in eius vita, Angarij ex Alberto Stradensi; Remberti Hamburgensis Danorum, & Suedorum Apostoli, ex Alberto Crant. in Metrop. lib.2. cap. 10. Rumoldi Scotiæ regis filij ex Surio tom.7. & tandem innumera alia quæ in ciuitate Suessionensi in translatione reliquiarum S. Sebastiani Martyris facta referunt Annales Francorum, scripti summa fide ab authore qui illo ipso sæculo floruit.

Decimo sæculo ab anno 900. ad 1000.miraculis claruerunt in Ecclesia Catholica S.Romualdus cuius vitam scripsit Cardinalis Petrus Damianus, S. Vvenceslaus Bohemorum Rex, S. Vdalricus ex Bernone in eius vita; S.Dunstanus Cantuariensis Episcopus, ex Osberto in eius vita; Maiolus Cluniacensis Abbas, ex Odilone Presbytero in eius vita cap.11.

Vndecimo sæculo ab anno 1000. ad 1100.habemus miracula S.Eduardi Regis

Regis Angliæ; Heriberti Coloniensis Archiepiscopi ex Ruperto Tuitiensi in eius vita; Odilonis Abbatis Cluniacensis ex Petro Damiano in eius vita, S.Anselmi Cantuariensis Episcopi, ex Edinero in eius vita.

Duodecimo sæculo ab anno 1100. ad 1200. miraculorum gratia insignes fuerunt, Beatus Malachias Hiberniæ Episcopus legatus Pontificis Romani, ex D.Bernardo in eius vita; S.Bernardus, qui vt scribit Gofridus lib.4. c.4. vitæ eius, vna die in Constantiensi diœcesi illuminauit cœcos vndecim, curauit mancos decem, & claudos decem & octo; Thomas Cantuariensis Episcopus, qui aquam in vinum sua benedictione conuertit ex Helmoldo in Chronico Sclauorum lib.2. c.19.

Decimo tertio sæculo ab anno 1200 ad 1300. SS. Franciscus & Dominicus duorum insignium Ordinum fundatores, insignium quoque miraculorum fuerunt operatores. Clarucrunt eodem sæculo miraculis B. Petrus Martyr, & B. Thomas ex ordine Prædicatorum; & B. Antonius, ac Beatus Bonauentura ex ordine Minorum; Elisabeth Vngariæ regis filia, quæ septemdecim mortuos suscitauit, & cœcum natum illuminauit ex Bonfinio lib. 7. dec. 2. rerum Vngaricarum; Petrus Cælestinus V. Pontifex Romanus, tam ante Pontificatum, quàm post eius abdicationem ex Petro Aliacensi in eius vita.

Decimo quarto sæculo ab anno 1300. ad 1400. claruerunt miraculis etiam multi, sed præcipuè S.Rochus, S. Catharina Senensis, S.Bernardinus Senensis, S.Nicolaus Tolentinas, de quibus videndi Scriptores vitarum Sanctorum.

Decimo quinto sæculo ab anno 1400. ad 1500. claruit S. Vincentius Ferrerius viuus & mortuus miraculis plurimis, adeovt B. Antoninus 3.p.hist. tit. 23. dicat constare de 38. mortuis per eum excitatis. Eodem etiam sæculo idem Beatus Antoninus defunctum vita excitauit, & parum olei, ac mellis instar Eliæ multiplicauit, ex Vincentio Mainard. in eius vita.

Decimo tandem sexto sæculo ab anno 1500. ad 1600. omni genere miraculorum claruerunt multi sed præcipuè S.Franciscus de Paula, Ignatius Loiola Societatis Iesu fundator, Sanctus Franciscus Xauerius, S. Mater Theresia Ordinis Carmelitici restauratrix, Discalceatorum Fratrum in eo fundatrix, S. Carolus Borromæus, S. Philippus Nerius, alijque plures quos omitto, sicut & miracula quæ ad Diuorum, Mariæ Dei Genitricis, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & Viduarum imagines, sepulchra, memorias, aut aliàs ad rerum sacrarum præsentiam, vel vsum diuina virtute contigerunt, cùm copiosè satis eadem apud diuersos, & studiosè congesta reperiantur.

Pro conclusione tantùm, & coronide huius capitis, paulò longius examinabo perseuerans euidenter in Ecclesia Catholica Romana miraculorũ donum, circa dæmonum corpora humana possidentium expulsionem: Etenim Christus Dominus suæ promisit Ecclesiæ potestatem calcandi supra omnem potestatẽ inimici, supra scorpiones, & serpentes, Lucæ 10. & Marci 16. *in nomine meo dæmonia eijcient*; Catholici igitur Exorcistæ dæmones corpora humana possidentes vel cogunt exire, vel si non statim, quia Deus plerumque ad honorem nominis sui vult diuturniorem esse vexationem, vt veritas magis elucescat, nec dicatur fraus aliqua subesse, plerumque etiam ad vtilitatem eorum qui vexantur, vel ad exemplum, & terrorem aliorum, vel propter tepidiorem fidem exorcistæ, aut circumstantium: nam & Mathæi 17. & Lucæ 9. legimus etiam Apostolos aliquando non potuisse eijcere Dæmonia, interim tamẽ Exorcistæ, solo iussu, suisque verborum flagellis eosdem dæmones cruciabiliter exagitant donec exierint; compellunt etiam


etiam respondere de rebus occultissimis, quæ ipsos energumenos penitus lateant, compellunt loqui peregrinis linguis, vel si non loquantur, cogunt saltem facere, & exequi omnia, quæ sibi Græcè, vel Hebraicè iussa fuerint, & directè obedire ad sensum huiusmodi verborum, neque id semel duntaxat, & casu fortuito, sed multoties & constanter per integras horas, cùm tamen obsessi harum linguarũ sint omnino imperiti.

Quæ omnia certè non ex aliquo pacto, & conuentione cum dæmone, sed sola Dei virtute ab Exorcistis Catholicis fieri posse manifestissimè sequentia demonstrant argumenta. Primo enim si ex tacito pacto id fieret, nõ iam vterentur exorcistæ asperrimis verbis, & acerbissimis conuicijs aduersus dæmones, sed potius quasi rogarent, ac obsecrarent, nec perpetuas maledictiones, sed preces adhiberent, nec imperando, sed potius impetrando negotium peragerent, cuius tamen contrarium quotidiana docet experientia, nullus enim in Ecclesiæ Catholicæ exorcismis reperitur modus alloquendi dæmonem, nisi comminatorius, execratorius, varijsque maledictionibus, & probris plenus; quod egregiè olim Tertullianus docuit lib. de anima cap. 57. *Nos*, inquit, *spiritalia nequitiæ, non inuitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus, non socia conscientia, sed inimica scientia*; idem penitus tradit S. Cyprianus lib. aduersus Demetrianum circa medium. Et epistola 76. nec non D. Damascenus lib. 1. de Imaginibus, *Magi*, inquit, *adiurant, Ecclesia quoque exorcizat; sed magi inuocant dæmones, Ecclesia autem Deum contra dæmones inuocat*.

Secundò dato quod aliquando etiam magi ex conuentione & pacto cum dæmone superiori cogere possint dæmones inferiores obiurgando, & comminando; attamen illud est rarissimum, nec potest fieri per pactum cũ dæmone inferiori, sed tantùm superiori, qui postea ex vi promissionis mago factę torqueat alium inferiorem sibi subditum; At nostri exorcistæ, vt optimè notauit Philippus Gamachæus doctor, & socius Sorbonicus 12. quæst. 1. de Theolog. Virtut. nullo prorsus discrimine, eodem modo, ijsdemque formulis adoriuntur quoscumque dæmones, cuiuscumque ordinis summi, medij, infimi, nec vni tantùm, aut alteri imprecantur, vel maledicunt, sed pariter omnibus sine vlla exceptione, eorumque pompis abrenuntiant, hortanturque ipsos dęmoniacos, vt forti animo & magna fide id ipsum præstent: quod satis arguit nullum penitus intercedere consensum tacitum cũ dæmone, alioqui suo ipse se iugularet gladio, suis armis periret, propriumque suum regnum data opera euerteret ac destrueret: quod tamen negat Christus Dominus Matth. 12. Iudæis enim aduersus ipsum blasphemantibus, vt hodiè faciunt hæretici aduersus Ecclesiam eius sponsam, quod in Beelzebut eijceret dæmonia, respondit: *Si Sathanas aduersus se diuisus est, quomodo stabit regnum eius, omne enim regnum diuisum desolabitur*.

Tertiò si mirabilia ista, quæ in Ecclesia Catholica per eius exorcistas fiunt, niterentur aliqua fraude, & conuentione diabolica, quare igitur non fiunt etiam inter Mahometanos, Iudæos, aliosque infideles toto terrarum orbe, sed solùm inter Catholicos Romanos, & Pontificios. De hoc argumento vide præcitatum doctorem.

†



CA-

CAPVT XII.

Satisfit hæreticorum obiectionibus contra perseuerantiam ac durationem doni miraculorum in Ecclesia Catholica Romana.

TAntæ miraculorum multitudini superiori capite relatæ, nihil aliud habent, quod opponant nostri temporis hæretici miraculis carentes, nisi illa omnia fuisse ficta, & supposita; quod miracula post Christum, & Apostolos omnino desierint.

Putabam sanè tam absurdam, & insulsam obiectionem relinquere, nec ei respondendo satisfacere, cum Sapiens dicat Prouerb. cap. 26. *Noli respondere stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris illi similis.* Verumtamen quia subiungitur; *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Primum dico falsissimum esse, quod miracula post Christum, & Apostolos omnino desierint, præterquam quod enim euidenter constat de contrario ex relatis superiori capite, Christus ipse Marci 16. ait: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient; loquis loquentur nouis: serpentes tollent: etsi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt, &c.* nec restringit ad certum tempus, sic & Ioannis 14. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Matth. 28. *Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi.*

Vbi tria sunt adnotanda; primum, non obstante hoc, quod Christus ipse suam doctrinam ingentibus, ac plurimis confirmarat miraculis, adhuc tamen necessarium visum fuisse, vt Apostolis quoque consimile patrandorum miraculorum donum diuinitùs conferretur.

Secundùm non ea tantùm miracula à Christo fuisse commemorata, quæ ex suo genere vniuerso, omnem naturalem, seu creatam virtutem excederent, sed insuper etiam quædam alia, quale est, linguis nouis loqui, serpentes innocuè tollere, à mortifero haustu non lædi: vt ne statim videlicet, cũ aliquid eorum factum subindè à Sanctis, & Catholicis vident, impudenter exclamare ausint hæretici, id dæmonum ope, aut vi creata esse perfectum. Non tamen putandum est, Christum ea signa ita commemorasse, vt excludere voluerit alia, pleraque etiam maioris momenti, totumque naturæ ordinem superantia, ab Apostolis, eorumque successoribus pro fidei confirmatione perpetranda; si quidem ipsemet Christus loco statim citato Ioannis 14. de credẽtibus in se dixit, facturos opera quæ fecit, & adhuc maiora.

Tertium est, eam potestatem non solùm spectare ad Apostolos, sed ad eorum quoque successores, aliosque Christi fideles: etsi enim necessarium non sit, nec etiam expediat, à fidelibus singulis eiusmodi edi miracula, vt rectè notauit D. August. & ideò Christus non dixit, omnes eos, qui crediderint, ea signa esse sequutura; sed indefinitè eos, *qui crediderint*, hoc est, Christi fideles; certè tamen in vera Dei Ecclesia nunquam omnino defutura sunt miracula, & potestas illa patrandi: id quod etiam ex supra citato textu Euangelico manifestè colligitur. Illud enim Christi mandatum, quod ibidem præcesserat, quodque miraculorum virtute concessa obsignauerat, *euntes in mundum vniuersum, &c.* non ad solos Apostolos, sed etiam ad eorum sucessores, totamque adeò Ecclesiæ posteritatem se extendit; quandoquidem hactenus ad finem vsque mundi, nunquam defuerunt, nec deerunt nouæ gentes, quibus Christi fides prædicanda, ac miraculis confirmanda sit, vt diximus superiori capite, & sequenti paulò latius explicabitur.

Vndè

Vndè hæretici negantes omnia miracula post mortem Apostolorum, quod ea sibi deesse videant, faciunt apertè Christum mendacem.

Deindè quando asserunt hæretici miracula, aut signa in Ecclesia Catholica patrata esse ficta, vel intelligunt ea esse ficta ab ijs, qui illa ediderunt, ita vt ope demonum, aut aliquibus prestigijs in hoc vsi fuerint, vel intelligunt ea esse ficta, aut supposita ab historicis illa referentibus; certè si hæretici primum afferant, hac in parte se ostendunt Iudæorum imitatores, qui manifestis Christi miraculis conuicti objiciebant ea esse falsa, & diabolica, & fieri in Beelzebuth principe dæmoniorum; sed sicut hæc Iudæorum blasphemia aduersus Christum, ita & hæreticorum aduersus Ecclesiam Catholicam sufficientissimè falsitatis arguitur, ex ijs omnibus regul is, quibus supra vidimus vera Dei signa, & opera à falsis demonum prestigijs distingui.

Si secundum dicatur, miracula videlicet superiori capite allata fuisse à nostris Historicis conficta, & supposita. Nos excipimus debuisse hoc non dici, sed probari, atqui è contrario eadem miracula, vel sunt litteris mandata ab aliquibus viris sanctissimis, vel sunt publicis tabulis, & suffragijs confirmata, post longam & diligentem inquisitionem, & adhibitos iuratos testes omnis ætatis, sexus, conditionis, sicut patet ex processu celebrari solito in solemni declaratione, & apotheosi Sanctorum, quandò in canonem referuntur. Præterea inter illos testes, aliqui sunt Reges & Principes, alijque Magistratus nonnunquam integræ ciuitates: quis verò tam fatuus, vt credat, tot personas tamque illustres gratis mentiri voluisse, & ad mentiendum simul conuenire potuisse; vel etiam ita alijs imponere potuisse, vt mendacium ab aliquo tandem non deprehenderetur? Etenim fraus diu latere non potest; & veritas est filia temporis; & quibuscumque angustijs interclusa respirat: nec Deus in necessarijs deest, nec patitur nos tentari supra id quod possumus.

CAPVT XIII.

Afferuntur aliquæ rationes, propter quas non expediat modo signa tot ac tanta communiter fieri, vt olim in primitiua Ecclesia facta legimus.

QVia aliqui non tam ex aduersarijs, quàm ex nostris vrgere possent, quod sit in causa cur perindè modo tot signa, & miracula non fiant, quot olim in primitiua Ecclesia facta fuisse legimus? Et nominatim, cur modo nemo per impositionem manuum Episcoporum, & acceptionem gratiæ Spiritus Sancti, accipit intelligentiam variarum linguarum, sicut solitum, & solemne erat illis primis nascentis Ecclesiæ temporibus; vt huic dubio satisfaciamus adducendæ sunt aliquæ rationes cur Deus ita ineffabili sua prouidentia disposuerit.

Prima ratio sumitur à simili, quemadmodum enim in rebus naturalibus, v.g. vt producatur homo, & vt genitus adolescat, requiruntur multa adiumenta, quæ in ætate virili essent ei, aut superflua, aut etiam noxia: quemadmodum in rebus moralibus, plura solemnibus quibusdam ceremonijs, & nobili pompa principio firmantur, non item postea quam hominum consensu sunt comprobata: eligitur enim v.g. rex, aut Imperator ingenti ceremoniarum apparatu, quæ tamen postea non repetuntur: tandem sicut in rebus artificialibus, v.g. in ædificijs, primum ligna & trabes, aliaque plura eiusmodi, quæ operi extruendo supponi solent, necessaria sunt, quæ peracto opere tolluntur: ita similiter maiora, magisque frequentia miracula & signa fuerunt necessaria, vt fundaretur Ecclesia, & vt primum constitueretur, quam vt ea iam fundata conseruaretur, maximè apud eos qui iam credunt, nam vt Apostolus ait, 1. Corinth. 14. *Linguę in signum sunt, non fide-*

fidelibus sed infidelibus, vt scilicet ad fidem adducantur.

Secunda ratio est, quia veteribus adhuc fidem facientibus, & quo ad authoritatem suam adhuc perseuerātibus, tanta nouorum miraculorum multitudo necessaria non fuit, Ecclesia iam constituta, vt docet S. Augustinus lib. 22 de ciuitate Dei cap. 8. *Necessaria*, inquit, *fuerunt miracula priusquā crederet mundus, ad hoc vt crederet mundus, ea enim vt fidem facerent innotuerunt, & eadem per fidem quam fecerunt multò clarius innotescunt; leguntur quippè in populis, vt credant, nec in populis tamen nisi credita legerentur*. Vndè etiam si idem S. Augustinus eodem loco dicat, etiamnunc fieri miracula in Christi nomine, siue per Sacramenta eius, siue per orationes vel memorias Sanctorum eius, non eadem tamen claritate illustrari docet, vt tanta quanta vetera gloria diffamentur. Canon quippè sacrarum litterarum, quem diffamatum esse oportebat; illa facit vbique recitari, & memoriæ Sanctorum inhærere populorum; hæc autem vbique fiunt, ibi sciuntur, vix à tota ipsa ciuitate. Nam plerumque etiā ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maximè si magna sit ciuitas: & quandò alibi, alijsque narrantur, non tanta ea commendat authoritas, vt sine difficultate, vel dubitatione credantur, quamuis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur. Hactenus D. Augustinus docens veram rationem cur modo ad confirmationem fidei, & apud eos maximè qui iam credunt non edantur tot miracula, ac in prima Ecclesiæ fundatione, cum illa quæ scripta sunt in Euangelio, nobis credentibus deseruiant; & si quæ modo fiunt non tanta gloria illustrantur, quod non confirmentur vt illa, testimonio Euangelico.

Tertia ratio desumitur ex natura miraculi apud S. Augustinum cap. 25. de vera relig. & cap. 16. de vtilitate credendi, quia si in Ecclesia continuò fierent miracula ea multitudine & frequētia, qua principio nascentis Ecclesiæ facta referuntur, iam non essent insolita, & ita desinerent esse miracula, de quorum ratione est, ita esse opera supernaturalia solius Dei virtute factibilia, vt etiam sint insolita & inusitata. Imo ex tali frequentia sequeretur homines illis parumadmodum moueri, nec deessent fortasse, qui contenderent ea non esse præter cursum naturæ.

Quartò, quemadmodum Deus non deficit in necessarijs, ita nec abundat in superfluis, & non necessarijs, semel autem iam fundata & instituta Ecclesia, tot tamque frequentia miracula non solùm non sunt necessaria, sed etiam superflua videntur, quia qui scripturæ, quam scit confirmatam tot miraculis, non credit, aut à peccatis non recedit, neque si coram illo innumera patrarentur miracula, crederet; dixit enim Dominus Lucæ 16. *Si Moysem, & prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit credent*. Dicam ego, qui toto mundo credente non credit, cum tot populorum in Christum credentiū fides, & vnio sit veterum miraculorum effectus, & in isto adhuc se prodant, neque si innumera per singulos dies fierent, credet. In tantum enim post tot miracula, quorum veritas satis constat ex tot sæculorum, totque sapientū cuiuslibet conditionis virorum consensione, intantum inquam aliquis post illa non credit, in quantum putat non fuisse vera sed ficta miracula; at eadem ratione posset dubitare de illis quæ modo fierent, & ab illo viderentur. Multa si quidem admiranda Christi signa viderunt Pharisæi; neque propterea, vel à peccatis resipuerunt, vel à morte Christo patranda destiterunt.

Quinta ratio est, quia cum iam miraculorū authoritati successerit authoritas Ecclesiæ, modò tot ac tanta signa non sunt necessaria, quanta olim facta legimus: In tantùm enim Apostoli eorumque discipuli, primis illis Ecclesiæ nascentis temporibus innumera ediderunt miracula, vt per illa tanquam per authen-

authentica suæ missionis signa, probarent se à Deo missos,& vt legatos ipsius esse audiendos;Iam ergò constante,quinam sint homines illi diuini, qui Dei reuelationes annuntiant, quique sunt in rebus ad religionem pertinentibus audiendi, & apud quos eamdem doctrinã ad posteros transmittendam deposuerunt, quosque suæ fidei, & religionis hęredes reliquerunt; non est amplius opus tanta miraculorum multitudine ac frequentia; vt enim docet D.August. libro de vtilitate credendi cap.16. dupliciter mouemur partim miraculis,partim multitudine, *facta autem sunt opportunissimè miracula, vt his multitudine credentium congregata, atque propagata, in ipsos mores vtilis conuerteretur authoritas*; quasi diceret authoritate miraculorum constitutam fuisse Ecclesiam,cuius authoritas illi alteri miraculorum authoritati succedens sufficit nobis,absque eò quod tot fiant de nouo miracula, vt vndè sit petenda veritas fidei, & religionis sciamus; *Ecclesia enim Dei viui*, inquit D.Paulus 1.ad Timoth. cap.3. *est columna,& firmamentum veritatis*, quia quemadmodum in columnis proponi & describi solebant leges, aut sicut columna erecta signum est manifestum locum aliquem indicans, ita in Ecclesia & adunata fidelium multitudine vera Christi lex & doctrina visibiliter, & infallibiliter omnibus illam requirentibus proponitur.

Sextò tandem & vltimò, loquendo in particulari de dono linguarum, quod ordinariè in primitiua Ecclesia per impositionem manuum Episcoporum diuinitùs conferebatur, dici potest tunc ideò fuisse frequentius tale donum, vt facilius per illam diuersarum linguarũ intelligentiam Euangelium per vniuersum orbem annuntiaretur, & Ecclesia Christi propagaretur; qua semel propagata in nationes varias & populos, cum ex illis ad fidem conuersis plures doctores electos habeat, non est amplius necesse, vt per miraculosam institutionem conferatur ordinariè intelligentia variarum linguarum, sicut solitum & solemne erat illis primis nascentis Ecclesiæ temporibus.

Hæ sunt ergò præcipuæ rationes, quibus sufficienter comprobatum puto, non esse tot modò signis opus ad conseruandam Ecclesiam, quot olim ad illam fundandam; quamuis absolutè loquendo voluerit Deus omnibus sæculis illam aliquibus miraculis ornare, potestateque illa patrandi munire, vt etiam nunc ex hac nota intelligeremus illam solam,esse veram Dei Ecclesiam, in qua perseuerat hoc donum.

CAPVT XIV.

Explicatur secundum argumentum ex prophetarum oraculis ac prædictionibus desumptum.

SEcundum argumentum, aut motiuum pro euidentia credibilitatis fidei Christianæ & Catholicę tanquam diuinitùs reuelatæ deducitur ex prophetarum oraculis ac prædictionibus: Dubitari enim non potest, quin illa meritò pro vera fide, & Ecclesia tenenda sit, quæ partim propheticis oraculis approbata, & collaudata; partim etiam asseclas quamplures habuit vero prophetiæ dono insignes: talis est fides Christiana, & Catholica Romana; non autem vlla alia secta; ergo,&c. Hoc argumentum primùm nos docuit Christus Ioannis 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illę sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et paulò inferius, *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Vndè hoc etiam argumẽto vsi sunt Iustinus Apologia 2. ad Antoninum Pium, Tertullianus in Apologetico cap.20. Clemens Alexandrinus lib.6. Stromat. Lactantius lib.4. diuinarum Institut. cap. 9. Augustinus lib. de cathechizandis rudibus cap. 26. lib.17. de ciuitate Dei à c.15. & lib. 13. contra Faustum à cap.8.

Vt

Vt vis istius argumenti illustrius appareat, primum stabiliendum est tanquam certum, & indubitatum etiam apud Gentiles, & hæreticos neminem posse certò, infallibiliter, in particulari, & cum omnibus circumstantijs multò ante prædicere futura merè cōtingentia sine speciali, & supernaturali Dei afflatu iuxta illud Isaiæ cap. 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos*, & cap. 46. *Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est vltra Deus, nec est similis ei: annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt*. Qua etiam de causa Christus seruator, vt se Deum verum ostenderet, maioremque fidem suæ doctrinæ tanquam à Deo proficiscenti conciliaret, futura multa prædicere voluit in scripturis, Io: 14. *Dixi vobis priusquam fiat, vt cum factū fuerit credatis*, & capite sequenti 15. *Hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum rem iniscamini, quia ego dixi vobis*. Idcircò & dæmones in suis oraculis affectarunt maximè diuinationem futurorum, & ambiguè loquebantur. Vt enim ait Tertullianus in Apologetico cap. 20. *Idoneum testimonium diuinitatis est veritas diuinationis*. Quod etiam probat D. Hieronymus in cap. 41. & 46. Isaiæ, & communiter interpretes sacri, inter quos videri potest Christophorus Castro Societatis Iesu in libris prolegomenicis ad 12. prophetas, vbi hanc materiam accuratè pertractat. Alijque Theologi ad quæst. 171. 2. 2. Sancti Thomæ.

Si igitur ex hoc quod vera miracula solius Dei virtute perfici possunt, repugnat ex dictis supra, quod religio veris ac diuinis miraculis confirmata, & in qua perseuerat potestas & facultas miracula patrandi, sit falsa, quia scilicet Deus illorum author nec mentiri, nec falsitati testimonium perhibere potest; eadem etiam ratione supposito semel, vt suo loco, Deo dante probabitur, quod certa accurata, & infallibilis futurorum merè contingentium cognitio non possit esse nisi à Deo eiusque afflatu, apertè sequitur, vt quàm impossibile est, Deum falsitatis testem esse, tam etiam certum meritò credi debeat, eam veram esse fidem, Deique religionem, quæ propheticis oraculis contestata sit.

Hoc supposito pro explicatione & probatione maioris, argumenti superius allati, nunc pro explicatione & probatione minoris propositionis ostendendum est, quod sola religio Christiana, solaque Ecclesia Catholica fuerit propheticis oraculis collaudata & approbata, pluresque habuerit asseclas, qui prophetiæ dono insigniter enituerunt.

Nam I. Sybillarum antiquissimis vaticinijs, quorum etiam Varro, alijque Scriptores Etnici meminerunt, vt suo loco supra vidimus lib. 2. præcipui fidei nostræ articuli iam olim clarè & perspicuè prædicti, & collaudati fuerunt, vt speciatim etiam contra Ethnicos referunt & obijciunt Clemens Romanus lib. 5. Constitut. Apostolic. cap. 6. Iustinus oratione Parænetica ad Gentes, Lactantius lib. 1. institut. cap. 46. & Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 43.

II. Veteris testamenti prophetæ, alijque libri, pleraque fidei Christianæ mysteria perspicuis verbis vaticinando asseruerunt v. g. *non deficiet sceptrum de Iuda, &c. orietur stella ex Iacob. Ecce Virgo concipiet. Et tu Bethleem Iuda. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt*; aliaque eiusmodi complura, suis locis afferenda, quæ non fuisse post Christū Dominum ficta, vt Gentiles possent nobis obijcere, sed verè longè ante ipsum à Deo prædicta, tantò certius esse debet, quantò Iudæi infensissimi hostes fidei Christianæ prophetias illas diligenter asseruant, easque maximè reuerentur, fatenturque multis sæculis ante Christum fuisse conscriptas: ita vt in hac causa iure possimus illud Deuteronomij 32. vsurpare, *Inimici nostri sint Iudices*.

Quare Sanctus Augustinus lib. 12. contra Faustum Manichæum cap. 23. Gen-

Gentem Iudaicam hodiè nihil aliud esse docet, nisi quædam scriniariam Christianorum baiulantem legem, & prophetas, vt nos honoremus per Sacramentum, quod nuntiat illa per litteram; & lib. 13. cap. 14. enumeratis prophetijs aliquibus sic concludit; Cum ergò Gentilis iste his atque huiusmodi alijs testimonijs prophetarũ, de persecutione regũ, & populorum, de fide regum, & populorum, de abolitione idolorum, de cæcitate Iudæorum, de probatione codicum ab ipsis custoditorum, de amentia hæreticorũ, de excellentia Sanctæ Ecclesiæ verorum, & germanorum Christianorum antè prędicta, & nunc impleta conspiceret; quid inueniret fide dignius quã illos prophetas, quibus de diuinitate Christi eligeret credere? Etenim si antequam ista fierent, ingererem gentili prophetas Hebræos, quibus ea futura crederet, quæ facta nondum videret, meritò fortasse diceret, quid mihi est cum istis prophetis, quos vndè veraces probem, non mihi ostenditur: cùm verò tam magna, & tam multa, quæ prædixerunt, iam ad effectum, manifestationemque perducta sunt, planè si ille peruersus esse nollet, nec ista vllo modo contemneret, quæ tanto antè, & tanto apparatu pręuidendo, & prænunciando commendari meruerunt, nec illos à quibus præuideri, & prænuntiari potuerunt; nullis enim prudentius credimus; vel de pręteritis, quę olim facta sunt; vel de futuris, quę nondum facta sunt, quam eis, qui nobis fidem verborum suorum in tam multis, tamque magnis, quæ ab eis prędicta iam facta sunt, probauerunt. Ita S. Augustinus qui de earumdem prophetiarum authoritate disputat, etiam in lib. 16. contra Faustum c. 21. & sequentibus.

Et diluit obiectionem, qua potest dici Iudæos non credere prophetias illas, esse iam in Christo impletas, cui ita respondet, vt indè nostræ doctrinæ, veritatisque religionis Christianæ argumentum debile non petat. Nam eorumdem Iudæorum incredulitas & dispersio, ab ipsis prophetis prędicta est, & ea signum euidentissimum est, eas prophetias, non esse fabellam ad libitum compositam à Christianis, quo faciliùs religionem nostram mundo obtruderemus. Sed de hac Iudęorum toto orbe exulantium deplorata calamitate redibit sermo inferiùs. Interim tam de illa quam de alijs prophetijs de Christo Domino, eiusque doctrina & Ecclesia, inter alios videri potest D. Augustinus lib. 17. & 18. de ciuitate Dei: cuius ætate si hæ prophetiæ à Iudæis propositæ, & à Christianis explicatæ, satis virium, satisque euidentiæ ad quoslibet infideles arguendos, & de Christianæ Religionis veritate instruendos habuerunt; quid modo respondere potest quiuis infidelis? an eas prophetias fuisse confictas? at tunc à Iudæis agnitas, & vt fidele Dei testimonium acceptas fuisse patet ex dictis supra. Et certè si Aristoteles, & Plato à Gentilibus credantur suorũ operum architecti, & Sybillæ suorum carminum, quæ à Romanis tanto in pretio habita sunt, cur prophetas suarum prophetiarum authores non fatebuntur: adde quod opera Ptolomei regis infidelis Biblia à septuaginta interpretibus, vt refert Aristeas antiquissimus scriptor, ex Hebræo in linguam Græcam translata fuerunt, in qua translatione omnes ipsæ prophetiæ continentur, quod argumento est eas non fuisse à Christianis mendaciter suppositas.

An fortè, cum obscuræ pleræque sint ex illis prophetijs, ab Sanctis Patribus ingeniosius potius, quam verius ad suum institutum accommodatè explicatas fuisse contendet infidelis? at ita eas explicuerunt, vt iam post decursa tot, plusque quam quindecim sæcula id ipsum, & eodem prorsus modo, quem in illis tanto ante & prædictum, & prænuntiatum esse asseruerunt, contigisse manifestè videamus;

mus. Nam & modo Iudæos, vt prædictum est, se habere cernimus, & religionem Christianam dilatari, mundumque vniuersum occupare, & per eam, quod & fuerat prophetatum, idololatriam profligatam.

An denique instabit infidelis? estò prophetiæ illæ non fuerint confictæ, aut ad libitum explicatæ, non tamen propterea euidens esse prophetas diuino numine afflatos fuisse, cum opera dæmonum potuerint ea longè ante prędicere. Sed esto dęmones possint interdum aliqua, quæ ipsi facient, aut ad quæ impellent ipsos homines, vt docet Augustinus prædicere; Attamen non possunt certò, infallibiliter, in particulari, & cum omnibus circumstantijs multò antè prædicere futura contingentia, dependentia partim à sola diuina voluntate, partim à voluntate humana freta, & adiuta auxilio diuino, cuiusmodi sunt illa, quæ à prophetis in veteri testamento prædicta legimus, vt satis patet in mysterio conuersionis gentiũ, & idololatriæ euersione; vndè sequitur Prophetas veteris Testamenti, qui singula mysteria nostræ religionis longè antè prædixerunt, ea absque diuino afflatu, non cognouisse, & prædixisse: ac per consequens religionem nostram non aliundè, quàm à Deo deriuari.

III. Christus Dominus ipse vaticinans præuidit, prędixitque sui collegij fugam & perfidiam; necis suæ propudia, Euangelij promulgationem, ruinam Hierosolymorum, Iudæorum supplicia, & calamitates; aliaque id genus plura, quibus ab euentu fides, & constans veritas.

IV. Tandem quod speciatim contra hæreticos pugnat, præter Prophetas veteris Testamenti, & eos, qui fuerunt primis quingentis annis à Christi aduentu, vt Agabum, de quo in actis cap. 11. Gregorium Taumaturgum, de quo Basilius libro de Spiritu Sancto cap. 29. & Antonium, de quo Athanasius in eius vita: & Abbatem Ioannem, de quo Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei cap. 26. fuerunt etiam posterioribus sæculis, quibus iuxta Lutheranos perierat apud Romanos Ecclesia, fuerunt inquam, plures, & quidem Monachi, ac Romano Pontifici addictissimi, qui prophetiæ dono floruerunt, dum occultas hominum cogitationes patefecerunt, dum mirabiles animorum, & morum mutationes, itemque pœnas diuinitus quibusdam ob peccata infligendas prędixerunt. Quod mirabile vaticinandi, sicut & miracula patrandi donum siue concessum ipsis fuerit à Deo, ad ipsorum sanctitatem manifestandam, siue ad fidem, quam tuebantur, directè contestandam, maximum certè fidei nostræ præbet argumentum; neque enim, aut vera Sanctitas sine vera fide esse, *quia iustus ex fide viuit*, Hebręor. 10. neque vera fides non esse potest, quam Deus eiusmodi signis testatam facit.

Igitur de Sancto Benedicto ita scribit S. Gregorius libro secundo Dialogorum cap. 15. *Benedictus*, inquit, *regem* (Totilam scilicet Arrianum) *de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus, cuncta quę illi erant euentura, prę nunciauit dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti, iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam egressurus es, mare transiturus: nouem annis regnans, decimo morieris.* Quæ omnia completa se vidisse, ibidem Gregorius testatur.

Similia multa afferri possunt ex historia Sanctorum Bernardi lib. 4. cap. 3. Francisci, Dominici, & aliorum; ferè enim nulli coluntur in Ecclesia Sancti homines, qui simul cum miraculis, non etiam hoc insigni prophetiæ dono claruerint.

Ex aduerso autem neque Ethnici, neque Iudæi, neque Mahometani, neque hæretici pro sua quique religione adstruenda, nulla vera vaticinia, nisi fortè fierent in testimonium nostræ fidei, vt fuerunt vaticinia sybillarum, & aliqua oraculorum, in medium producere possunt. Etenim Ethnici habuerunt

runt plurima oracula Apollinis, tamen illa, vel per ambages respondebant, quandò scilicet Apollo non sciebat re vera, quid esset futurum: vel ea prædicebant, quæ dæmones ipsi facturi erant: vel ea quæ cępta erant fieri, ignorantibus nuntiabant tanquam futura: vel demum ea prædicebant, quæ naturales habent causas nobis ignotas, illis autem notas propter maiorem naturæ subtilitatem; de qua re videndus est S. Athanasius in vita S. Antonij, S. Augustinus libro de diuinatione Dęmonũ, & Theodoretus libro de oraculis, Christophorus Castro in libris Prolegomenicis ad 12. Prophetas minores.

Mahumetus quidem, atque Hęresiarchæ prophetas se iactant, verùm non tantùm nullam in suorum dogmatum confirmationem, aut approbationem prophetiam adferunt: quam, omnes illos (Christi & Apostolorum exemplo) oportet adferre, qui nouæ fidei fidem adhiberi volunt; sed quotiescumque aliquid prædicere voluerunt decepti sunt; fuit olim Montanus, qui propheta videri voluit cum duabus Prophetissis Prisca & Maximilla, & prędixerunt bella, & nescio quæ alia tunc futura: sed planè contrarium accidit, vt notat Eusebius lib. 5. Historiar. cap. 16. & 18. Nostris etiam temporibus Lutherus, quem Lutherani constanter Prophetam Germanicum, & Heliam vocant, multa prædicere tentauit; quæ tamen falsa inuenta sunt, vt patet ex Cochlęo in actis Lutheri; nullumque Scripturæ locum reperio, qui ad hanc rem pertineat, prętérquam illos 1. Corinth. 11. *Oportet hæreses esse*, & Matthęi 24. *Surgent Pseudoprophetæ*, & 1. Timoth. cap. *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris*, &c. hę nimirum Euangelij sectariorum sunt prophetiæ; non aliæ.

CAPVT XV.

Explicatur tertium argumentum deprompum ex qualitatibus, seu conditionibus primorum fundatorum Christianæ Religionis, quæ asseruatur in Ecclesia Catholica Romana.

ILla enim fides ac religio pro vera merito habenda est, cuius author tam insigni vitæ innocentia, & sanctitate etiam hostibus irreprehensibili, tanta vi, ac potentia miraculorum in sanādis omnis generis morbis & infirmitatibus, in dęmonibus eijciendis, in naturis rerum variè commutandis, ipsisque mortuis suscitandis; tam admirabili etiam rerum abstrusarum, ac longè postea futurarum cognitione, & prędictione claruit: talis autem est fides, & christiana religio; si quidem primaria causa efficiens ipsius in genere moris fuit Christus Dominus, quem virum admirabilem, & vndequaque perfectũ, potentemque in opere & sermone, non solùm Euangelicæ historiæ Scriptores, sed ipsimet etiam Christiani nominis hostes, & aduersarij testantur; quorum testimonia refert Card. Baronius tom. 1. Annalium.

Et vt nihil dicam de illius absoluta sapientia præsertim in prudentissimis responsis, quibus ex tempore soluebat captiosa dilemmata suorum aduersariorum, quæ tamen iudicio Pharisęorum & Scribarum aliorumque doctissimorũ videbatur, non posse euadere, qualia sunt hęc; primum *de soluendo tributo Cæsari*; secundum, *de muliere adultera*; tertium *de potestate qua omnia faciebat*: Item ex varijs eius interrogationibus, responsis, & parabolis, quibus non tantùm plebem, sed & primates Synagogę Iudaicæ instruebat. Vt nihil dicam de singulari innocentia vitæ sic in ordinē missę, sic exactæ ad libellam; vt Momus ipse nil addere quiuerit, vel demere. Vt nihil dicam de patientia admiranda, de signis stupendis, quæ illius vitam, & mor-

mortem, & resurrectionem admirabilem toti mundo reddiderunt: de virtutibus denique omnibus, quæ conciliare doctrinæ alicuius apud homines authoritatem possunt; nonne sufficienter veritatis se doctorem ac magistrū esse, multarum rerum prophetica prędictione, quarum aliquas iam euenisse constat, luculentissimè probauit. Nonne Hierosolymitanæ vrbis excidium, Lucæ 19. conuersionem Gentiū Ioan. 12. & 17. prædicationem Euangelij vbique Matth. 24. futuram in Ecclesia hæreticorum perfidiam Math. 7. trinã Petri negationem, Matth. 26. Iudæ proditionem, Ioan. 13. Apostolorum martyrium prædixit? Et hæc omnia quemadmodum prædixit, ad amussim contigisse narratur in Euangelica historia, quam si quis neget, planè barbarus tum erit, qui pari ratione historijs aliarum rerum, quas ipsi non vidimus, nullam deberemus adhibere fidem, vt argumentatur D. Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 18. Vndè etsi Gentiles & Iudæi Euangelicæ historiæ libros non admittant, nec eos pro Sacra Scriptura habeant, tamen eis saltem fidem humanam iure abrogare non possunt; vt potè recenti adhuc rerum gestarum memoria, iam dudum olim publicè & in oculis hostium fidei editis, & à diuersis diuerso tempore, diuersoque etiam loco, magna consensione conscriptis.

Quod spectat ad qualitates, seu conditiones causarum instrumentaliū in genere moris, quales sunt Apostoli, & alij discipuli Christi, illorumque successores, per quos religio Christiana est plantata, & doctrina nostræ fidei propagata, adeò Sancti, omniumque virtutum laude conspicui extiterunt, vt nihil eis posset obijci à Gentilibus nisi quod essent Christiani, sic docet Tertullianus in Apologetico cap. 3. & cap. 44. referens etiam Plinium laudasse Christianos, sic S. Iustinus in fine Apologiæ secundæ, refert epistolas trium Imperatorum in commendationem christianorum, sic Philo Iudęus ex S. Hieronymo libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Marco laudauit Christianos, qui Alexandriæ vixerunt, & qui per instructionem S. Marci erant insignes propter continentiam & Sanctitatem, de qua iterum redibit sermo infra.

At Ethnicorum doctores fuerunt vel Poetæ leues, vel Philosophi superbi, vtrique autem impurissimi, vt testatur Athenæus lib. 13. cap. 17. & ex nostris Theodoretus libro de legibus: Mahumeto autem nihil incontinentius fingi potest; nam ipse in Alcorano, cap. 43. dicit se à Deo priuilegium accepisse coniungendi sibi omnes fœminas, quas dilexisset, etiam consanguineas.

Similiter de Hæresiarchis plurima adduci possent ex annalibus Ecclesiasticis, sed vnum est vitium omnibus commune, superbia, teste D. Augustino libro de pastoribus cap. 8. *Diuersis locis*, inquit, *sunt diuersæ* (scilicet hæreses) *sed vna mater superbia, omnes genuit, sicut vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos*. Hæc Augustinus loquens de sui sęculi hæresibus, quod æquiori iure profectò dici potest de innumeris huiusce nostri temporis sectis, quas ex mera ambitione, superbia, inuidentia, & odio exortas fuisse Lutheri, Caluini, & aliorum dicta, & facta testantur; Quid Luthero superbius aut arrogantius, dum in libro contra Regem Angliæ ita iactat se & sua, vt dicat Reges, Principes, Pontifices, &c. non esse dignos, qui soluant suorum corrigiam calceamentorum: & se non magni facere mille Cyprianos, & mille Augustinos.



CAPVT XVI.

Explicatur quartum argumentum deductum ab integritate, & Sanctitate ipsius Doctrinæ Christianæ, & Catholicæ.

POstquam in superioribus egimus de motiuis fidei, veluti ex parte eius cui creditur, quatenus miracula & prophetiæ, quibus supra religionem Christianam fuisse confirmatam probauimus, sunt opera solius Dei propria; nunc incipimus agere de motiuis desumptis ex præstantia & perfectione doctrinæ Christianæ & Catholicæ, tam secundum suam substantiam, quàm secundum varias eius conditiones & circumstantias consideratæ: Primumque argumentum hunc in modum efformo.

Nemini potest esse dubium quin ea sit vera religio, veraque Dei Ecclesia, quæ verè Sancta est, & disciplina Sanctitatis; loquor enim in præsenti de doctrina, & institutis, non verò de personis singulis; at, qui Religionem Christianam, Ecclesiamque Catholicã Romanam accuratè pro vt decet considerauerit, is apertè deprehendet nihil in eius doctrina, & institutis non esse sanctum, in aliarum autem sectarum ab ea separatarum doctrina, & institutis multas esse labes, corrupletas, vitia, & Sanctitatis defectus: Ergò sola religio Christiana, & Ecclesia Calholica Romana est vera Dei religio, & Ecclesia.

Maior huius argumenti est clara, soloque lumine naturali nota, ex ipsamet notione veræ religionis; quare si semel ostendatur solam Christianam religionem, & in ea Ecclesiam Catholicam esse Sanctam, sanè probatum remanebit eam solam esse veram religionem. Quia autem perfecta numerisque omnibus absoluta Sanctitas plura comprehendit, vt ordinatim procedamus, primum agemus de veritate doctrinæ, quæ duplex est, speculatiua & practica, illa fidei, seu credendorum, ista morum, seu agendorum.

Loquendo ergò de ijs dogmatibus, quæ fides Christiana docet & continet, tanquam partes intrinsecas & substantiales, tantùm abest vt rationi aduersentur, quin potius, quæ de summa diuini numinis natura lumen dictat naturale, mirum profectò, quam pulchro ordine stabiliat nostra fides, quæ Deum infinitum, immensum, æternum, incomprehensibilem, ineffabilem, independentem, omnipotentem docet. Item visibilium omnium, & inuisibilium creatorem, rerum omnium etiam minutissimarum absque alio labore, aut molestia prouisorem, infinitè bonum, sapientem, misericordem, iustum, liberalem in bonos, in improbos seuerum, primam perfectionem, à qua omnis, qualiscumque sit perfectio tanquam à suo fonte deriuatur; Purum actum, omnis materię, compositionis, ac potentialitatis expertem, planè immutabilem, cui nihil demi valeat, aut addi, seipso denique beatissimum. Alia verò mysteria, etsi naturalem rationis captũ excedant, tamen & per se dignissima sunt diuinæ naturæ, ac prouidentiæ maiestate, & nullam adeò patiuntur grauẽ ex ratione naturali difficultatem, cui non commodè satisfieri possit, vt fusè docet Sanctus Thomas tota suo opere cõtra gentes, & speciatim omnes Scholastici, vbi agunt de singulis mysterijs nostræ fidei, solent enim afferre varias congruentias, & rationes, quibus illorum conuenientiam explicent, vt prima parte, Sanctissimæ Trinitatis, prædestinationis, 12. Beatitudinis supernaturalis, & mediorum eius; tertia parte Incarnationis Diuini Verbi, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, Sacramentorum & reliquorum eiusmodi mysteriorum, quorum aliqua, etsi primo aspectu humilia appareant, intimius tamen considerata summam Dei sapientiam, potentiam, iustitiam, ac bonitatem, egregiè testata relinquunt.

Similiter, si agatur de agendis, est certè admirabilis legis Euangelicæ Sanctitas,

ctitas, Christianæque & Catholicæ religionis præceptorum rectitudo? Quid enim sanctius decalogo, & duobus illis præceptis de diligendo Deo super omnia, & proximo tanquam seipso, quibus tota lex Christi continetur? lege S. Augustinum libro de vera relig. cap. 3. & 4. & lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 8. & seq. vbi enumerat præcepta viuendi in Euangelio tradita, & nominatum cap. 11. & 12. explicando illud S. Pauli ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* & cap. 13. quomodo Sanctus sit, qui plena, & integra charitate flagrans Deo potius, quam huic mundo conformatur; cap. verò 14. & sequentibus refert Euangelij præcepta, de quatuor illis virtutibus, quibus reliquæ contineri dicuntur. Quis ergò Catholicam fidem neget, sinceram esse virtutum omnium scholam, perfectam bonorum operum disciplinam, cui non alius scopus & finis, quàm in omnibus suis præceptis hominis officia præscribere ad Deum, erga se, aduersus reliquos; quàm virtutem altè animis imprimere, leuissimas culpas auerruncare, minimas iracundiæ scintillas extinguere, primos comprimere concupiscentiæ motus, vno verbo, vitium radicitus euellere.

Secundum Sanctitatis caput in aliqua religione, est vis eius sanctificatiua, hanc autem inesse Ecclesiæ Catholicæ, vel ex eo colligitur, quod non tantum doctrinam, & instituta sanctitatis suis discipulis tradit, omneque peccatum quantumuis secretum, aut paruum prohibet, sed etiam media habet, & profert, quibus quiuis homo cuiuslibet conditionis & status sanctificari potest. Id patet ex virtute Sacramentorum Ecclesiæ. Baptismus enim regenerat, & Christianos sanctificat; Confirmatio contra tentationes corroborat; Eucharistia Sanctitatem auget, & nutrit; Pœnitentia lapsos reparat, commissaque peccata emaculat; homines diuino cultui consecrati, propriam vniuscuiusque statui Sanctitatem in ordinum Sacramentis sibi suppeditatam habent; coniugatis matrimoniũ amoris mutui, & continentiæ coniugalis sanctitudinẽ dat, & tandem contra mortis horrorem, tentationesque ex morborum vi oriri solitas armat, & munit Extrema Vnctio. Quam aptè autem & religiosè, nihil inutile, superfluum, superstitiosum, aut vanum admittendo, illa omnia celebret, & administret Ecclesia Catholica, patet ex eius ritualibus libris.

Tertium Sanctitatis caput, quodque in Ecclesia Catholica reperitur, est publica professio Sanctitatis, qualis est in Clericorum continentia, Monachorum, religiosorumque Sanctimonia, & in alijs eiusdem Ecclesiæ statibus, pietatis, virtutumque reliquarum officijs, & exercitijs.

Addo tandem pro quarto Sanctitatis Christianæ capite, quod omnium aliorum simpliromã rectè vocaueris, Sanctitatem vitæ, quam gessit Christus Dominus, quamque imitandam sibi proponit Ecclesia Christiana, de qua Christi Domini Sanctitate, cum non sit hic longiorem de ea protrahendi sermonem locus, iuuat solum audire Sanctum Augustinum libro de vera religione cap. 16. vbi contra omnes vitiorum illecebras, obseruat fuisse perfectissimũ absolutissimæ Sanctitatis exẽplar: *Satellites*, inquit, *voluptatum diuitias perniciosè populi appetebant*, *pauper esse voluit*, & alia quæ persequitur, concluditque, *omnia quæ habere cupientes nõ rectè viuebamus, carendo vilia fecit: omnia quæ vitare cupientes à studio deuiabamus veritatis, perpetendo deiecit. Non enim vllum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit. Tota itaque eius in terris per hominem, quem suscipere dignatus est disciplina morum fuit.*

Est igitur Ecclesia Catholica Sancta dogmatibus, præceptis, virtute sanctificandi, officijs & exemplis, vnde nemini dubium esse potest, quin ea sit vera religio, & Ecclesia Catholica sit fide-

fidelium Dei cultorum cętus ac respublica: atque hoc præcipuè argumento Indi, apud quos alia motiua non erant tanti ponderis, dicuntur fuisse conuersi ad fidem Christianam; Lex quippè Domini immaculata, domumque eius decet sanctitudo.

CAPVT XVII.

Quod Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, religionisue Christianæ Sanctitatem non contaminet, personalis aliquorum malorum Christianorum iniquitas.

CVm hæc sit vetus Schismaticorũ querela, & vt plurimum apparens eorum ab Ecclesia separationis prætextus, hæc sit quoque hæreticorum contra Ecclesiam accusatio, infidelium offensio, & scandalum, quod in ea permulti fuerint hactenus mali Christiani, malique ministri, negligentes, auari, luxui, & ambitioni dediti, breuiter explicandum est quomodo non solùm nullum indè Sanctitatis, & authoritatis suæ detrimentum patiatur Ecclesia Catholica Romana, sed potius firmissimũ pro illius veritate stabilienda argumentum à quouis prudente petendum esse videatur.

Quia autem in huiusce nostræ assertionis probatione rem possumus habere, vel cum infidelibus nullam penitus diuinarum Scripturarum authoritatem admittentibus, vel cum alijs illas recipientibus, cuiusmodi sunt Iudæi, hæretici, aut Schismatici, primum ex authoritate Scripturæ aduersus istos ostendã nunquam Sanctitatem Ecclesiæ malorum communione fuisse contaminatam.

Fatentur Iudæi, nosque cum ipsis antè aduentum Christi Domini fuisse Synagogam Iudeorum, & Cathedram Moysis, id est fuisse cætum religiosum, & in eo institutos præsides Sacrorum, legis Mosaicæ Doctores, & Antistites, ad quos omnes de religione Iudaica quæstiones referendæ erant, & quorum iudicio tanquam legitimorum iudicum omnes Iudæos acquiescere oportebat: fatentur quoque omnes Christiani tam Catholici quam hæretici institutam esse à Christo Ecclesiam, quam qui non audierit, est tanquam Ethnicus à nobis habendus; sed tam in Iudæorum Synagoga, quàm in Ecclesia Christi, eo ipso tempore, quo eas veras & legitimas extitisse concedunt omnes, permulti fuerunt mali non solum ex plebe, & ignobiles, sed etiam Pontifices & Pastores; ergò non est cur nobis obijciant inimici nostri Ecclesiam Catholicam Romanam per malorum etiam pastorum cõmunionem suam perdidisse Sanctitatẽ, sine qua vera Dei Ecclesia stare non potest. Maior huius argumenti est certa ex admissis, aut necessariò admittendis ab illis cum quibus disputatur, tantùm ergò minor probanda est.

Eam autem probo primò de Synagoga, vt enim omittam Aaronem qui vitulum aureum conflauit, & vt ei exprobat Moyses exodi cap. 32. induxit super populum peccatum maximum: ob quod tamen crimen non desijt esse Sacerdos legitimus, nec Synagoga Iudæorum perijt; manifestũ est Ezechielis tempore fuisse prophetas Israel prauos, quique peccata populi fouebant, vt ipse cap. 13. & 14. fusè prosequitur, & ante Ezechielem Ieremias cap. 23. inuehitur in pastores populi Israel, aitque *quod Sacerdos, & propheta polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum ait Dominus*: nec tamen tunc cessabat esse populus Israel, & suam adhuc domum agnoscebat Deus; non alia certè ratione nisi quia legis Sanctitas, & Ecclesiæ seu communitatis authoritas per mores prælatorum peruersos non polluitur nec labefactatur. Vnde etiam Christus Dominus Matthæi 23. quantumuis frequentissimè Scribarum, & Phariseorum sui temporis superbiam, auaritiã, hypochrisim, & alia similia crimina increparet, nihilominus tamen probat authoritatem cathedræ Mosaicæ: quia nondum ea

per

per Euangelicæ & Christianæ Ecclesiæ fundationem exauthorata fuerat; vultque vt Iudęi illi cathedræ adhæreant, nec ab ea se separent, licet tunc in ea sederent pessimi ministri: *Super Cathedram Moysi*, inquit, *sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergò quæcumque dixerint vobis seruate & facite; secundum opera verò eorum nolite facere*; vt fusius tom.3. lib.3. sect.3. diximus.

De Ecclesia verò Christi, quod per pastorum ipsorum, & prælatorum peruersitatem non corrumpatur, clarissima tàm in Scriptura, quàm in historia antiqua, Sanctisque Patribus habemus testimonia. Et ne quid dicam de perfido Iuda, quem D. Augustinus lib. 2. contra Parmen. cap. 11. ait Euangelium fidei sine detrimento fidelium prędicasse, & in nomine Christi baptizasse, & reliqua Apostolici muneris officia validè exercuisse; de Sancto Petro blasphemante, & Christum abnegante, quē tamen supremum Ecclesiæ caput visibile constituerat; nonne etiam post dies Pentecostes in Ecclesia primitiua dicit S. Paulus ad Titum cap. 1. multos fuisse inobedientes, vaniloquos, & seductores; & ad Philippenses cap. 1. quod quidam propter inuidiam, & contentionem Christum prædicabant, & ex contentione Christum annuntiabant, non sincerè existimantes pressuram se suscitare vinculis Pauli, qui ait de eo se gaudere, quia hoc etiam modo Christi Euangelium annuntiabatur, pluresque ad illius fidem conuertebantur.

In consequentibus verò temporibus idem ipsum obseruare licet ex antiquis historiæ Ecclesiasticæ Patrumque monimentis, vt enim omittam libellos in Nicęa Synodo contra plerosque Episcopos oblatos, & in pluribus alijs contra Simoniacos, & alijs criminibus implicitos decreta, quæ certè nunquam nisi ex criminosorum prælatorum occasione ab Ecclesia facta fuissent; vt hęc inquam, & similia prętermittam, meminerim tantùm, quales suo tempore plures Episcopos fuisse dicat S. Martyr Cyprianus, ait enim eos, *diuina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta Cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari: Esurientibus in Ecclesia fratribus habere argentum largiter, velle fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fęnus augeri*. Hactenus D. Cyprianus. Nec tamen Apostolorum, aut etiam D. Cypriani temporibus Ecclesiam desijsse, siue quod idem est, Sanctam non extitisse nullus hęreticorum asserit, qui enim ęam corruptā aliquando & adulteram fuisse factam contendunt, id ante tertium aut quartum sæculum contigisse dicunt. Atque ita manet sufficienter aduersus ipsos probatum Ecclesiam Sanctam esse posse, licet malos pastores & ministros habeat. De quo etiam videndus D. Augustinus libro de vnico Baptism. contra Petilian. cap. 16.

Ratio autem, cur Ecclesiam non maculet malorum communio, nec eius Sanctitas pendeat à Sanctitate ministrorum suorum, etiam si longè plures in ea mali quam boni reperirentur, ratio, inquam huiusce rei est, quia, quod Sancti sint aliqui, id habent ex doctrina & institutis Ecclesiæ, quod autem alij mali sint, non tantùm præter, sed etiam contra leges, mores, & instituta disciplinamq; Ecclesiæ sunt eiusmodi, quos proindè grauiter detestatur, ac reprehendit; eoque ipso quo mali esse incipiunt, peccatoq; mortali perdunt charitatem vinculum vitale membrorum Christi, & Ecclesię, non tam partes propriæ eiusdem corporis, quàm purgamenta quædam & excrementa esse videntur; loquendo de Ecclesia vt Sancta formaliter, non vero vt sanctificatiua est, seu sancta efficienter. Scio enim pessimos posse esse pastores ipsos qui tamen, quamdiu ab Ecclesia tolerantur plenissimam habent vim & potestatem tam ordinis, quam iurisdictionis in ordine ad aliorum sanctificationem, vt suo loco dicetur.

Et in supradicto sensu intelligendus est Sanctus Augustinus, cum aliquandò videtur docere solos iustos esse in Ecclesia, sic enim seipsum explicat lib. 5. de baptis. contra Donatistas c.16. & cum dicat lib. 6. cap.2. *Quisquis non habet charitatem, intus videtur esse cum foris sit*, postea tamen cap.3. se explicat, & ita negat malos habere primatum, aut etiam locum in Ecclesia, secundum charitatem & gratiam sanctificantem, vt tamen admittat operationes munerũ Dei bonis malisque communes, quæ sunt gratiæ gratis datæ, seu institutæ ad ędificationem Ecclesiæ, aliorumque vtilitatem & sanctificationem. Idem habet cap. 4. & 14. & fusius libro 7. cap. 51. vbi ait in domo Dei esse alios, qui ipsi etiam sunt ipsa domus Dei. Alios verò in domo Dei, ita vt non pertineant ad compagem domus: nec ad societatem fructiferæ pacificæque iustitiæ, sed sicut palea dicitur esse in frumento: & postea ait hęreticos & schismaticos esse magis ex domo, quàm in domo, vt libri 3. sect. 3. fusè diximus.

Secunda nostræ assertionis ratio sic potest deduci. Per Ecclesiæ Sanctitatem vel intelligitur Sanctitas effectiua, vel Sanctitas formalis, vtraque autem Ecclesiæ Sanctitas potest stare cum malitia etiam pastorum, & prælatorum; loquendo enim primò de effectiua, quæ posita est maximè in ministratione verbi, aut doctrinæ fidei, & Sacramentorũ, certum est vtriusque sanctificationis ministros posse esse malos, cum igitur Ecclesiæ prælati sint tantum ministri Christi, & sit ipse qui sanctificat, ad hanc sanctificationem nihil conducit sanctitas seu iustitia illorum, sed tantum vis pędicandi, & potestas Sacramenta conferendi, quæ diuersa est à iustitia, & sanctitate. Vt enim aliquis doctrinã Euangelicam proponat ac doceat, satis est si illam sciat, at potest scire, & non velle, nec amare, nec qui virtutis pręclara documenta tradit, cum necesse est esse studiosum, & probum, sed tantummodò doctum, & scientem. Similiter, vt quis tanquam Christi minister, & instrumentum conferat validè Sacramenta, & per ea gratiam sanctificantem ritè suscipientibus; sufficit, quod habeat potestatem ordinis, aut etiam iurisdictionis; quod eleganti similitudine explicuit S. Augustinus lib.6. de baptis. contra Donat. cap.1. ait enim in arundine sterili, atque arida alligatam solere vuam pendere, quæ arundo non fęcundatur tunc suò, sed fructu oneratur alieno.

Si verò loquamur de Sanctitate formali, & qua ipsa Ecclesia in se Sancta solet appellari, hęc etiam haberi potest, licet in Ecclesia mali sint ipsi pręlati, & rectores, si enim istorum quantumuis malorum opera, & ministerium conferre potest ad aliorum sanctificationem, quid prohibet eos non solùm esse Sanctos, sed etiam per Ecclesiam eiusque malos ministros sanctificari.

Ex quibus omnibus, satis vt puto remanet explicatum, & probatum, quomodo Ecclesiæ Catholicę Sanctitati nõ obsit, quod tam multi in ea mali, nec solummodò quilibet, sed etiam nonnulli pastores, & pręlati aut extiterint, aut etiam fortè adhuc existant, *Ecclesia*, inquit Optatus Mileuatanus lib.2. contra Parmen. initio, *vna est, cuius Sanctitas de Sacramentis colligitur, non de superbia personarum ponderatur*. Nunc retorquendum est argumentum, breuiterque ostendendum ex hac iniquorum, aut pręlatorum, aut aliorum mistione cum bonis, non solùm non minui, sed maximè patefieri Ecclesiæ Catholicę Sanctitatem, ac veritatem, quæ in tali morum prauitate suam tamen legum, rituũ, ceremoniarumque perfectionem incolumem, & illibatam conseruat.

Primam huius rei rationem suggerit D. Bernardus in sermone 33. in cantica, vbi enumerat quatuor Ecclesiæ tentationes significatas à regio Propheta verbis illis Psalmi 90. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano*: Et per dæmonium

monium intelligit Antichristum, cuius persecutio erit omnium grauissima, per timorem nocturnum intelligit tyrannorum persecutionem, qua afflicta est Ecclesia primitiua: sagittam volantem in die interpretatur hereticos, quos sedata tempestate illa tyrannorum, aut potius per martyres superata, diabolus suscitauit homines vanos, & inanis gloriæ cupidos: tandem per negotium perambulans in tenebris intelligit malos Ecclesiæ ministros, auaritiæ, luxui, & ambitioni deditos, qui sua quærunt, non quę Iesu Christi, quorum persecutionem eo periculosiorem quo interiorem appellat D.Bernardus, cuius verba possunt videri loco à me citato.

Quemadmodum ergò probari solet Ecclesię Sanctitas, ac veritas, ex eo maximè quod tot tyrannorum, hæreticorum, aliorumque acerrimorum hostiū persecutionibus appetita, semper tamen firmissima stetit, & ex illis, tanquam ex fornace purior semper euasit, cum de ea sit dictum, quod portę inferi nō pręualebunt aduersus eam: idem penitus asserendū videtur de persecutione, aut tribulatione à prauis malorum prælatorum, aut aliorum moribus proueniente, de qua dubitari non potest, quin inter inferorum portas sit recensenda: Quotiescumque enim illorum prętextu se Ecclesiæ reformatores heretici prędicarunt, aliud nihil egerunt, quàm quod occasionem dederunt Ecclesiæ antistitibus sanctissima sua decrèta renouandi, vt quiuis iustus arbiter facilè poterit iudicare ex S. Concilio Tridentino, post quod maiori splendore doctrina, eruditio, pietas & omnium Ecclesiasticorum ordinum tam sęcularium quam regularium disciplina vigere, & florere cęperunt.

Secunda ratio est, quia nemini dubium esse potest, quin Ecclesia Catholica Romana vera sit, & Sancta si Deū ipsum authorem habet; nam quæ Deum authorem habet, non potest non esse vera & Sancta Religio: Ex hoc autem quod in tanta morum corruptela, quam obijciunt aduersarj, Ecclesia Catholica & Romana incorrupta perseueret, suamque legum, rituum, ceremoniarum institutorumque Sanctitatem incolumen, & illibatam conseruet, perspicuè apparet illam verissimam esse, nec humana, sed diuina eaque speciali prouidentia niti, alioqui tot annorum centurijs stare, & ad nos peruenire nunquam potuisset; vt fusius inferius persequar agēdo de vniuersalitate Ecclesiæ.

Tertiò tandem ea est Ecclesia verè Sancta, cuius disciplinam qui sequitur bonus est, Deoque gratus, & ad beatitudinem acceptus; ea est Sancta, cui obedire & quam audire pro salute animæ sufficit, quæque in quauis suorum quorumlibet corruptela adhuc filijs suis ingenerat verum sensum pietatis, & Sāctitatis: atque Ecclesia Catholica Romana est eiusmodi: non est ergò cur de eius Sanctitate dubitetur; cum non quę in pastorum moribus est prauitas, sed in dogmatibus, & pręceptis bonitas, & rectitudo pertineat ad Ecclesiæ Sanctitatem, indeque petatur reliquorum Christianorum disciplina.

CAPVT XVIII.

Quod in alijs Sectis ab Ecclesia Catholica, & Romana disiunctis non reperiatur vera Sanctitas.

Certè si veritas alicuius religionis ex eo maximè apparet, quod professio eius sit sancta, nihil continens falsum, quo ad fidei doctrinam: nihil iniustum quo ad doctrinam morum; quis eam prudenter quęrat in alijs sectis ab Ecclesia Catholica & Romana separatis, in quarum nulla vera Sanctitas reperitur, quę posita est in dogmatum veritate, in ęquitate, pietate, & sanctimonia legum, ceremoniarū, & institutorum omnium? nam vt ait D. Augustinus lib. 12. Genes. ad litteram cap. 14. *Non magnum est tunc malignum spiri-*

ſpiritum dignoſcere cum ad aliqua peruenerit, vel produxerit quæ ſunt contra bonos mores. Quamuis enim vera fides, ſupra rationem ſit, eidem tamen nequit eſſe contraria, dicente Regio Propheta pſal. 11. *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, &c.* & pſal. 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas, iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa*, & rurſus, *qui operantur iniquitatem in vijs eius non ambulauerunt*. At omnes Paganorum aut Gentilium, Iudæorum, Mahumetanorum, hæreticorum ſectæ innumera continent deliria, & commenta, innumeras blaſphemias & impoſturas, quæ nullo prorſus modo apud prudentes ſuſtineri queant.

Et vt incipiam ab Ethnicis, aut Gentilibus, qui Deum cognouerunt, nunquid ſicut Deum glorificauerunt: nequaquam, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & ſerpentum; quatenus plures eorum etiam philoſophi ipſa idola lignea & lapidea putauerunt eſſe Deos, & quamuis aliqui inter eos ſapientiores, ſcirent ipſa idola non eſſe Deos, & tantùm in idolis ipſis Deos ipſis repręſentari: verumtamen omnes, non Deum verum in Idolo tanquam in imagine, vt vult Caluinus ad explodendum cultum Sanctarum imaginum, ſed idola ipſa vti Deum vel numen, aut aliquid Dei & numinis adorarũt & adoranda crediderunt, vt clariſsimè patet ex pſal. 113. Baruch. 6. & Sapientię 14. idque expreſsè docent Patres Tertullianus, Lactantius, Iuſtinus, Athanaſius, Athenagoras, & alij qui paſsim rident Gentiles, quod lapides & ligna pro dijs colebant, vt etiamnum faciunt Indi & Iapones, Quin & ſterentium; cloacinam, peſtem, febrem, aliaque his abſurdiora veteres pro dijs coluiſſe fusè tradit S. Auguſtinus lib. 3. de ciuitate cap. 22. lib. 4. cap. 10. & libro 18. cap. 15. de quo infra ſect. 4.

Minutius verò Fælix in Octauio, Arnobius lib. 4. 5. 6. & 7. contra gentes, & Diuus Auguſtinus lib. 7. de ciuitate Dei per totum de Paganis multorum Deorum cultoribus oſtendunt quam abſurda, ac turpia ſenſerint. Ariſtoteles ipſe Licæi princeps, licet cum vis veritatis euexerit ad primi vnius motoris agnitionem, qualis tamen ille ſit, revera neſciuit: quem arbitrij libertate ſpoliat, prętogatiua omnium ſanè præſtantiſsima.

Quod ſi ab inanibus & fatuis Philoſophorum Gentiliũ dogmatibus, ac fabellis circa Dei diuinorumque naturam; ad doctrinam morum tranſeamus, conſtat ex eorum libris quot ſcelera approbarunt, ac legibus permiſerunt. Legatur Euſebius lib. 1. de præparat. Euangelica cap. 4. S. Iuſtinus Martyr contra Græcos, Lactantius toto libro 3. & lib. 4. cap. 3. Theodoretus lib. 10. de curãdis Græcorum affectibus, qui eſt de legibus, vbi docet Lycurgi legibus permitti adulteria: legibus Perſarũ permitti inceſtas nuptias cum matribus, filiabus, ſororibus: legibus Maſſagetarum, morituros & ſenes à propinquis deuorari: legibus Tiberanorum, deijci ſenes ex altis turribus: legibus Hircanorum, proijci cadauera hominum canibus: legibus Scytarum cum mortuis ſepeliri viuos, qui ab eis dilecti, & amati fuerant: legibus Platonis, quæ viſæ ſunt omnium optimæ, horrenda vitia præſcribi, vel laudari, vt communionem vxorum, nefandam libidinem, extinctionem conceptuum, cædes infantium, & ſimilia, quorum multa hoc tempore, etiam apud vtroſque Indos, Iaponios & Chinenſes reperire eſt, vt recentes hiſtoriæ teſtantur.

Et quamuis aliqui inter Philoſophos Gentiles plura ſubtiliter de virtutibus etiam moralibus ſcripſerint, in ordine ad vitam ciuilem, & politicam, de religione tamen, aut Dei cultu vix

tu vix

tu vix locuti sunt, sed res ad illum pertinentes aut ieiunè admodum attigerunt, aut etiam ad cultus patrios, etiam inter idololatras vsitatos, suos discipulos remiserunt. Vndè licet Catharinus de Socratis, & Platonis salute benè speret & existimet; tamen Xenophon & Plato docent, Socratem dijs Grecorum sacrificasse, & inter alia Gallum Aesculapio. Sic Plato eosdem colendos censuit, quod lex gentium ita iuberet, vti testatur Eusebius lib. 13. de præpar. Euang. c.8. & 11. Idem Plato in Epimonide diuinum cultum tribuit, cęlis, astris, & dęmonibus. Sic & Seneca sacrificia laudat, non quasi dijs placita, sed quia legibus iussa, vti testatur S. Augustinus lib. 6. de ciuitate Dei cap. 10. Denique Mercurius Trismegistus dæmonum simulachra colenda esse docet, vt benefaciant, inquit idem D. Augustinus lib. 8. de ciuitate Dei cap. 23. Eadem colenda esse ob metum legum politicarum docuit Cicero lib. 1. de natura Deorum. En quomodo Gentilibus, eorumque Philosophis defuit omnino doctrinæ veritas, sicut & rectè ac religiosè viuendi disciplinæ sanctitas. Vide Cornelium à lapide in c. 1. Epist. ad Rom.

Quod ad Iudęos attinet, post impium illum Euangelicæ legis contemptum, patet illos in densissimas rerum diuinarum, & ad perfectam vitæ institutionem spectantium ignorantiæ tenebras immersos fuisse: adeò vt ab eo tempore quo à religione vera exciderunt, non tantùm prophetas nullos habuerint, sed nec legis peritos eruditos, sed tantùm Rabinos aliquot somniatores potius, quam diuinarum litterarum interpretes, vsque adeò nugis illas subfarcinarunt, vt est manifestum ex libris ipsorum. Nam in primis Rabbi Salomon præcipuæ apud Iudęos authoritatis commentario in cap. 2. Genesis in illud, *hoc nunc os ex ossibus meis*, ait Adamum ante Euam conditam cum omnibus bestijs carnaliter congressum, nec potuisse libidinem explere quovsque ad Euæ amplexus peruenit. Idem in cap. 28. numerorum ad illa verba, *in kalendis autem offeretis holocaustum Domino*, ipse legit holocaustum Domini, & ait ibi præceptum imponi sacrificandi pro peccato Dei, quod commisit, cum diminuit lumen lunæ. In ipsorum quoque Thalmud, seu doctrinali fidei tot reperiuntur absurda & impura, vt extra dubium relinquatur scientiam ab eis recessisse cùm diuinam, tùm humanam: nostrumque re vera Iesum aduentasse, vt Synagogæ tyrocinijs finem, ac terminum imponeret.

De Mahumetanis idem patet ex Alcorano varijs, nugisque mendacibus: impudicitia etiam & dedecore oppleto, vt fusius infra demonstrabitur sect. 8.

Quod ad hęreticos verò, aut schismaticos pertinet, longum esset referre quot in errores contra Sanctitatem inciderunt, statim ac ab Ecclesia Catholica & Romana seiuncti sunt. Carpocratiani docebant teneri vnumquemque ad omnia genera scelerum perpetranda: & si cùm moriebantur, non patrauerant omnia, dicebant animas remitti ad corpora, idque toties, donec implerent scelerum mensuram: & hoc modo intelligebant illud Euangelij, *non exies indè donec reddideris nouissimum quadrantem*: vt refert D. Epiphanius hæresi 27. Montanistæ sacrificium efficiebant ex sanguine anniculi infantis, quem minutis vulneribus æreis aciculis totum exprimebant incredibili crudelitate. Testis est D. Augustinus hæresi 26. Manichæi Deum malum, seu vnum rerum corporearum principium Deo bono cōtrarium fingebant; alij libidinibus fræna laxabant, & edocebant, quæ vel humanam mentem audire pudeat, adeò qui semel Dei lumine carent, excęcantur; Illimet hæretici qui se ab Ecclesia sub prætextu pietatis seperarunt, plura in suis ipsis dogmatibus Sanctitati aduersan-

uersantia docuisse conuincuntur, patet in Donatistis de quibus Optatus Mileuitanus lib. 2. & 6. contra Parmenianum, & D. Augustinus epist. 163. patet in Nouatianis negantibus pœnitentiam lapsis, tam enim videtur hoc dogma impium, Sanctitatique Ecclesiæ inimicum, quàm ea medica ars esset manca, & imperfecta, quæ valetudinem bonam fouere posset, nulla autem pro ea perdita recuperanda remedia suppeditaret. Testes denique sunt omnes ferè antiqui hæretici; quorum mores ad viuum expressos & notatos describit Tertullianus lib. de præscript. cap. 41. & 42. *non omittam*, inquit, *ipsius etiam conuersationis hæretici descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit sine grauitate, sine authoritate, sine disciplina vt fidei suæ congruens*, &c.

Sed quid veteres hæreticos commemoro nonne sufficiens huius rei testimonium habemus in huiusce nostri temporis sectarijs; qui proditionem Iudæ, adulterium Dauidis, latrocinia, mendacia, cæteraque omnia scelera Deo tribuunt authori; qui non solùm confessionis Sacramentum, & pœnitentiæ opera, quibus diuinam maiestatem peccatis nostris offensam placare studemus, explodunt, sed omnia esse peccata, contritionemque hominem reddere magis peccatorem audacter asserunt. Ecquis enim non videt talibus, alijsque similibus commentis suo loco confutandis homines apertissimè à studio bonorum operum, & fuga vitiorum auocari? quis peccata multum horrescat, quæ nec confessione, nec satisfactione, nec vllis pęnis expianda, vel luenda credit; quis Christianarum virtutum exercitia, aut munera amplectatur, quas sibi persuadet non solùm non esse ad salutem necessarias, sed insuper grauia scelera, & peccata. Sed de his alias.

CAPVT XIX.

Explicatur quintum argumentum ductum ab ipsa cõditione doctrinæ Christianæ, & Catholicæ, quæ licet plura contineat ardua & difficilia, miram tamen vim & efficaciam habet in afficiendis animis.

HOc argumẽto præsertim vsi sunt Clemens Alexandrinus lib. 6. stromatum non longè à fine, Lactantius lib. 3. diuinarum Institut. cap. 23. S. Augustinus libro de vera religione cap. 3. & 4. Omnino enim credibile est, diuinam ac verissimam esse eam doctrinam, quæ diuinè prorsus animos hominum afficit, & ad omnium virtutum genus impellit, talis est sola religio Christiana & Catholica Romana; credi ergò debet eam esse verissimam, atque diuinam.

Maior huius argumenti probatur si quidem psalmo 118. lex Domini nõ solùm immaculata, sed etiam conuertens animas appellatur, & sermo viuus penetrans vsque ad diuisionem animę, & spiritus, Hebręor. 4. Quippè Dei solius animi secreta penetrare, & dirigere; quod maximè verum est, quandò aliqua doctrina, vt Christiana & Catholica Romana præscribit multa, quę sunt hominum deprauatis voluntatibus, atque studijs contraria, nisi enim in ea inesset magna vis veritatis, diuinoque patrocinio, & auxilio niteretur, non potuisset vllo modo, vel initio persuaderi; vel postea consistere.

Minor autem, quod nimirum religio Christiana id pręstet, demonstrabitur inferius 1. ex sanctitate & probitate eorum, qui illam coluerunt, 2. ex instantanea & admirabili eorum mutatione, qui fide recepta cum antea vitijs omnibus diffluerent, excelluere postea omni virtutum genere. 3. ex constantia Sanctorum martyrum, qui cum antea ne leuissimum quidem incom-

commodum perferre possent, postea pro Religione Christiana quælibet etiam atrocissima tormenta forti animo subierunt, quæ omnia sunt euidentissima argumenta efficaciæ doctrinæ Christianæ in afficiendis, & conuertendis animis.

Quod autem sola doctrina Christiana, & Catholica hoc inter omnes præstet facilè probatur. Nam primò antiqui illi sapientes gentiliumque legislatores, tametsi magnam sapientiã ostentarent, quidquid tamen ab eis priscis legibus edictum, eos euidenter arguit non vltra homines; quando in rebus ad religionem pertinentibus foris sistunt, intra cultum exteriorem; nihilque adhuc in eo docent, quod aliqua aut erroris, aut vitij, aut imminutæ virtutis macula non aspergatur. Quis nescit nisi omnium inscius, Religionem Chaldæis curiosam, Aegyptijs fatuam, Græcis vanè superstitiosam, Romanis impiè crudelem, Mahumeti nænijs ac nugis oppletam. Quare si Gentiles & Mahumetani traxerunt multos, non efficaciæ & virtuti doctrinæ, sed terrori armorum, sed violentiæ, sed voluptatibus tribuendum ostendemus infra sect. 8.

CAPVT XX.

Explicatur sextum argumentum desumptum à probitate & Sanctitate eorum qui fidem Christianam, & Catholicam coluerunt.

EXplicatis motiuis tàm se tenentibus ex parte eius cui creditur, quam ex parte eius quod creditur, hoc est ipsius doctrinæ, quæ ad credendũ proponitur tanquam diuinitus reuelata, ea maximè ratione quod sit sancta, & immaculata, conuertensq; animas, cum tamen disciplinam contineat repugnantem alioqui propensis hominũ cupiditatibus, nunc erit nobis sermo de motiuis, aut argumentis ex parte eorum qui credũt desumptis, primũq; occurrit illud, quod ducitur ab insigni fidei Christianæ & Catholicæ cultorũ sanctitate, quo vtuntur Lactãtius lib. 5. diuinar. Institut. cap. 13. S. Augustinus libro de vtilitate credendi cap. 14. *Nullis*, inquit, *video me credidisse nisi populorum atque gentium confirmatæ opinioni ac famæ admodum celeberrimæ.* Et contra epistolam fundamenti c. 14. *tenet me in Ecclesia consensus populorum atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.* At si Diuus Augustinus cum hæc scribens neque Augustinum, neque reliquos qui post ipsum in Ecclesia Sanctitatis laude floruerunt, haberet, quorum etiam authoritate, & exemplo moueretur: Nos verò qui & Augustinum ipsum, & alios è fidelium numero innumerabiles Ecclesiæ doctores sanctissimos, & eruditissimos sequimur, quantò vehementius eorum exemplo prouocari par est ad fidem Christianam & Catholicam tota mente totoque corde amplectendam. Sic igitur argumentum efformo.

Non dubium est, quin ea religio prudentissimè existimetur vera, & à Deo omnis Sanctitatis authore esse, quæ ita est Sancta ob Sanctitatem authoris, & capitis sui, ob Sanctitatem finis, ob totius instituti Sanctitatem, & efficaciam, ad Sanctitatem comparandam, vt etiam sit Sancta secundum præcipua quibus constat membra, hæc autem Sanctitas propria est Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, nec vlli alteri religioni conuenit: Ergo sola Ecclesia Catholica Romana est vera Dei, & Christi Ecclesia. Maior huius argumenti præterquamquod videtur lumine naturali nota, colligitur manifestè ex multis Sacræ Scripturæ locis epist. ad Titum cap. 2. *Dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Et 1. Petri cap. 2. *Vos autem genus electum,*

rega-

regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis vt virtutes annũtietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei.

Minor autem propositio facilè probatur, quo ad partem affirmatiuam, nam primò si consulamus tempus illud verè aureum Ecclesiæ primitiuæ, Christianorum quemque nullius non virtutis spirantem, & expressam imaginem reperiemus, ita vt nihil eis posset obijci à Gentilibus nisi quod essent Christiani, sic docet Tertullianus in Apologetico cap. 4. & cap. 44. referens etiam Plinium Iuniorem laudasse Christianos, cum enim esset procõsul in Bithinia, Traianum consulens super Christianorum secta, iam sparsa vbique, hæc scribit lib. 10. epist. 97. quod essent soliti, stato die, antè lucem conuenire: carmenque Christo quasi Deo, dicere secum inuicem: seque Sacramento, nõ in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne adulteria, ne latrocinia committerent; ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse: rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuũ tamen, & innoxium. Sic S. Iustinus in fine apologiæ secundæ refert epistolas trium Imperatorum in commẽdationem Christianorum.

Neque verò pietas illa Christianorumque innocentia viguit solùm primis duobus, aut tribus sæculis, sed etiã alijs sequentibus, licet in diuerso gradu, habuitque Ecclesia Catholica Apostolica & Romana quamplures vitæ Sanctitate insignes viros, ac mulieres, vt patet ex omnibus fastis & Martyrologijs, ipsisque calendarijs vulgatis, quibus quotquot Sancti Christianum nomen professi, ac post Christum defuncti reperiuntur, omnes Catholici fuerunt, vt potè magna ex parte Romani Pontifices, Episcopi, Sacerdotes, Eremitæ, Monachi, Moniales, Virgines; quibus vel ex ipso nomine facilè deprehenditur nihil cum sectariorum fide potuisse esse commune, vt patet ex ipsa eorum confessione, dum vel inuiti hoc Ecclesiæ nostræ testimonium sæpius perhibuerũt, multos in ea esse pios, magnosque Sanctos. Inter alios videri possunt Magdeburgenses cap. 7. centuria 7. nempè circa tempora S. Gregorij Papæ, quando vel maximè effloruisse volunt Papatum.

Sed quid his opus? vbi ipsa ocularis euidentia, & experientia attestatur, nullo vnquam tempore Ecclesiæ Catholicæ deesse multos & magnos omnis conditionis ætatis & sexus Sanctos, in quos verissimè competat illud, quod Augustinus de sui tẽporis Sanctis velut admirabundus scripsit, libro de vtilitate credendi cap. 17. his verbis: quod continentia vsque ad tenuissimum victum panis & aquæ, & non quotidiana solùm, sed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia: castitas vsque ad coniugij prolisque contemptum; quod patientia vsque ad cruces, flammasque neglectas: quod liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus, quod denique totius huius mundi aspernatio vsque ad desiderium mortis intenditur. Pauci hoc faciunt; pauciores benè prudenterque faciunt: sed populi probant, populi audiunt, populi fauent, diligunt postremò populi. Populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine prouectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Ita D. Augustinus loco citato, qui etiam de hoc argumento plura persequitur lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 30. & 31.

Vbi etiam inter alia Ecclesiã Catholicam alloquens ait: *Meritò apud te diuina præcepta latè diffusèque seruãtur, &c. meritò tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi Sancti, multi vsque adeo Dei amore flagrantes, vt eos in summa continentia, atque huius mundi in-*

di in-

di incredibili contemptu etiam solitudo delectet. Et cum ibidem in speciali Anachoretarum, seu Eremitarum, & Cœnobitarum, seu Monachorũ, itemque Monialium insignem vitæ sanctitudinem percensuisset, tandem concludit: *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neque dignè valeo, &c.* & statim: *hæc Manichæi reprehendite si potestis. Nolite cæcis hominibus ostentare nostra zizania.*

Et rursus ibidem cap. 32. de cæteris Ecclesiæ præsulibus, ac ministris loquens ait: *Quam multos Episcopos optimos viros, sanctissimosque cognoui; quam multos Presbyteros, quam multos Diaconos, & huiusmodi ministros diuinorum Sacramentorum; quorum virtus eo mihi mirabilior, & maiore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est, eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore seruare.*

Tandem cap. 33. concludens Manicheos hæreticos, & in ipsis Lutheranos, & Caluinistas ita alloquitur: *Istis si potestis obsistite; intuemini istos sine mendacio, si audetis, & cum contumelia nominate, istorum ieiunijs vestra ieiunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, charitatem denique charitati; & quod res maximè postulat præceptis præcepta conferte, &c. Nunc vos illud admoneo, vt aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidiè tanquam malos filios corrigere studet.* Hactenus D. Augustinus, quo certè aduersus non solum sui, sed etiã nostri temporis hæreticos nihil illustrius dici potuit ad commendandam insignem Ecclesiæ Catholicæ cultorũ Sanctitatem; vndè etiam & facilè colligitur fidem Catholicam verissimam, ac indubitatam meritò censeri debere, tum quia diabolus nec potuit, nec potest esse author, & suasor tantæ pietatis, tantæ innocentiæ, ac probitatis, tum quia diuina bonitas nunquã permisisset, vt tot & tam Sancti viri omnes perirent, eorumque virtus suo fructu, ac fine priuaretur, sed potius errorem eorum, si aliquis fuisset, aperuisset, vt à falsa tandem Ecclesia ad verã transirent, & salui fierent: vndè si falsitas ad veritatem non adducit, si sine fide impossibile est placere Deo, vel fidem nostram veram & à Deo esse fateri necesse est, vel sanctissimos illos Dei amatores, innocentia vitæ, sui ipsius ac terrenarum rerum despectu, diuinęque gloriæ zelo insignes, impios fuisse, æternisque ignibus adiudicatos; quod certè bonitati Dei, prouidentięque eius suauitati repugnare omnino videtur.

Quod autem in Ecclesia Catholica Romana multi in omni vitę genere sint improbi, iam ostendimus supra nihil officere illius Sanctitati; quandoquidem hoc ipsum prædixit Christus futurum scilicet, vt in vera Ecclesia zizania tritico, bonisque piscibus mali, vsque ad sæculi consummationem sint permixti.

Nunc probanda est minor, quoad alteram partem negatiuam, nempè in alijs ab Ecclesia sectis nullam eiusmodi reperiri Sanctitatem.

Loquendo enim vniuersaliter de Philosophis, ac Gentilibus, etsi aliqui inter illos varijs virtutibus moralibus nonnunquam præditi viderentur; ordinariè tamen impurissimi, & propter vitia contra naturam, etiam apud suos infames erant; semper autem superbi, & arrogantes ac vanæ gloriæ cupidi, vt testantur Athenæus lib. 13. cap. 27. Philo Iudæus lib. 2. de vita contemplatiua, Diogenes Laertius in vitis Philosophorum, Aulus Gellius lib. 18. noctium Atticarum cap. 2. & lib. 19. cap. 11. Plutarchus libro de educandis liberis ante finem, & ex nostris S. Ioannes Chrisostomus in epistolam ad Romanos cap. 1. vbi docet Philosophos non solùm pęderastiam fecisse, sed & eam quasi honestam laudasse, & legibus sanxisse, statuisseq; vt illam

illam exercere possent liberi, non autē serui: quasi pæderastia non seruos, sed liberos tantùm deceat, sitque & ipsa ars libera & liberalis: adeò vera est D. Pauli sententia ad Romanos cap. 1. *quod tradidit illos Deus in passiones ignominię*. Eant nunc politici, & naturalistæ nostri, inquit Cornelius à Lapide commentans hunc locum, Philosophos hosce, vt viros probos prædicent, eosque vt Sanctos, & Beatos canonizent, quos infandæ veneris mancipia Asmodæus auctorauit, orcoque addixit. Præclarè S. Bernardus contra Petrum Abailardū platonizantem epistola 109. ad Innocentium Pontificem: *Vbi*, inquit, *dum multum sudat, quomodo Platonem faciat Christianum, se probat Ethnicum*.

Quantum ad Iudæos, ne vel vnum inter eos veræ Sanctitatis cultorem reperiri, manifestè patet ex modo, viuendique genere ipsorum, qui vbique vsuram exercent, & quod amplius est eius exercitium nō esse prohibitum docent, vt taceam innumera alia quibus scatent vitia, quemadmodum colligitur ex doctrina Talmudica, quam pro lege habent, & sequuntur.

Mahometus autem etsi glorietur de sono, & voce Sanctitatis, dum se vocat super omnes sanctissimum, prophetarum optimum, omnium creaturarum excellentissimam Deoque charissimam, sunt tamen omnes tituli sine re, quos operum veritate nec sustinuit, nec cōprobauit; nam si Sanctitas ex virtutibus, & ex innocentia, & puritate, tam ipse, quam eius sectatores fuerunt, & sunt omnium vitiorum, & obscænitatum cloaca impurissima.

Quoad hæreticos præsertim huiusce temporis, nullam amplius inter ipsos reperiri sanctitatem, non solum quoad doctrinam, & instituta, vt vidimus supra, sed etiam quoad personas ipsas, potest probari primò propria illorum cōfessione, Lutherus enim in postilla domestica, Dominica prima aduentus, de sua doctrina, suisque discipulis sic loquitur: *Mundus ex hac doctrina in dies deterior euadit: quod pessimi dæmonis opus, & negotium est; Enimverò videmus, quod hoc tēpore homines sunt magis auari, immisericordes, impudici, procaces, adeoque deteriores, quam antea in papatu fuerunt*. Similia habet Lutherus in sermonibus conuiuialibus Germanicis, in præfatione postillæ Ecclesiasticæ, & ibidem Dominica 26. post Trinitatem. Nec minus tragicè Melancton ad c. 6. Matthęi, Ioannes Wigandus de bonis & malis Germaniæ, Andreas Musculus Dominica 1. aduentus, Schmidelinus concione 4. ad caput 21. Lucæ, alijque plures à Tannero citati in anatomia cōfessionis Augustanæ, hanc iniquam suorum sortem fateri coguntur; vndè Erasmus, cuius testimonio tantò maiorem fidem dare debemus, quantò magis Lutheranorum partibus in pluribus fauisse visus est, in epistola anni 1529. ad Valturium Neocomum ita scribit: *Circumspice populum istum Euangelicum, & obserua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quam faciunt ij quos detestamini. Profer mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum; ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores*. Hactenus Erasmus, nec mirum, cum sola vera Dei lex sit immaculata, conuertensque animas; quod falsa Lutheri, & sectariorum doctrina illas peruerterit.

Hoc idem insuper demonstrari potest ex generali confessione, & professione sectariorum; cum enim ipsimet profiteantur hæc dogmata, vt suis locis explicabitur. 1. Precepta Diuina à se seruari non posse. 2. seipsos in omnibus operibus suis peccare mortaliter. 3. ac proinde nullum verè bonum opus facere. 4. Obseruationem Consiliorum Euangelicorum de voluntaria paupertate, continentia, & obedientia perpetua nullius esse momenti; sed potius cultus esse superstitiosos. 5. corpus non esse certis ieiunijs, alijsque pœnitentię modis castigandum, & in seruitutem

redi-

redigendum. Cum, inquam, hæc dogmata aliaque plura illis similia profiteantur huiusce temporis sectarij. Quo modo fieri potest vt vllus eorum sit Sanctus.

Si qui igitur apud illos reperiuntur homines moraliter boni, tales certè non euaserunt ex vi, & ductu noui Euangelij, quod profitentur; esto fortasse bonitas indolis, ac naturę gratia diuina suffultæ, vicerit nonnunquam eius Euãgelij improbitatem. Quod si tamen illi ipsi cum honestate quadam morali pertinaciam falsæ fidei adiunctam habuerunt, certum esse debet, eos nec saluos, aut Sanctos esse posse, si ita moriantur; cum ex Apostolo ad Hebręos cap. 11. sine fide impossibile sit placere Deo, & simul etiam pręter hęresim, pluribus alijs vitijs Sanctitati aduersis obnoxios esse; ita vt proindè ne vnus quidem nominari ab aduersarijs adultus possit, quem vtrinque fateamur in fide Catholicæ Romanæ contraria fuisse saluatum: cum tamen è contrario aduersarij multos fidei nostræ cultores, eosdemque non tantum infantes, simplices, quosque ipsa ignorantia à grauissimis fidei erroribus excusare potuerit; sed ipsos etiam fidei nostrę doctores, fortissimosque propugnatores fateri cogantur Sanctos fuisse, vt rectè animaduertit Tannerus loco citato, & 2.2. disp. 1. quæst. 3. dub. 4. cuius sunt prędicta verba paucis mutatis.

Deindè cùm superba mentis obstinatio hæreticũ faciat, nec nisi sibi placens, tumidus, superbus, & Ecclesiæ rebellis hæreticus esse queat, quantumuis fortè vitam exterius honestam agere, aut speciem aliquam pietatis habere videatur, nihil tamen veræ Sanctitatis habere potest, vt in Monachis Scythis Eutychianis iam pridẽ obseruauit Hormisda Papa in epistola ad possessorem. *Quandò*, inquit, *corda malè sibi credula, veritatis obtemperant institutis? quando induit obedientię humanitatem, opinionibus suis vallata superbia? quando acquiescunt paci, contentionum stimulis assueti? sola certamina auentes de religione captare, & mandata negligere: nunquam apud eos charitas nouo commendata precepto, nunquam pax dominico relicta discessit, vna pertinacis cura propositi rationi velle imperare, non credere: contemptores authoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam, eousque tumoris elati, vt ad arbitriũ suum vtriusque orbis putent inclinandum esse iudicium: nec in numero fidelium deputantes sequacem traditionis paternæ, si suæ viderint credere nolle sententiæ, docti crimina serere, obtrectationum venena cõponere, integrum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones struere, inuidiam concitare, & pro obedientia, quæ in cœnobijs principatum regularis obtinet disciplinæ, obstinationem pertinacis amare superbiæ.* Hactenus Hormisda, profectò non tam Eutychianorum, quam Lutheranorũ, Caluinistarum, & aliorum huiusce nostri temporis sectariorum mores describens.

CAPVT XXI.

Explicatur septimum argumentum desumptum ab admirabili eorum mutatione, qui ex infidelitate ad Christianam, & Catholicam fidem fuerunt verè conuersi.

Est etiam pro fide nostra euidentissimum, & efficacissimum argumentum, illud quod desumitur ab instantanea, & admirabili quadã animi mutatione eorum, qui eam amplectuntur & colunt. Hoc argumento primùm videtur vsus fuisse Malachias propheta, vel potius Deus per ipsum cap. 3. *Erunt*, inquit, *mihi in die, qua ego facio, in peculium & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi. Et conuertimini, & videbitis, quid sit inter iustum & impium, inter seruientem Deo, & non seruientem ei.* His enim verbis futuram in melius animarum muta-

mutationem proponit, vt homines ad legitimum Dei in Ecclesia cultum, spe quoque illam experiendi alliciantur. Eodem argumento vsi sunt D. Paulus ad Ephesios cap. 5. *Eratis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; vt filij lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate*; & D. Petrus 1. epist. cap. 4. vbi recens ad fidem Christianam conuersos adhortatus ait. *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, ijs qui ambulauerunt in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, comessationibus, potationibus & illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur*, vel vt alia fert traductio, *obstupescunt, non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem*. Ex Patribus Iustinus Martyr Apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Pium Imperatorem, Tertullianus libro ad Scapulam Carthaginis Presidem, & Lactãtius Firmianus lib. 3. Institut. cap. 26. cuius placet audire verba. *Dei*, inquit, *precepta, quia & simplicia & vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis tã placidum, quam ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem; iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam tibi plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis; iam cruces & ignes, periculum omne, & taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; iam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem, & sanguinis appetentem, iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniustum, insipientem, peccatorem: continuò & æquus, & prudens, & innocens erit. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Tanta diuinæ sapientiæ vis est, vt in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam, vno semel impetu expellat.* Hactenus Lactantius.

Formamus autem id argumentum hoc pacto: Illa religio, aut fides vera, & à Deo reuelata meritò censenda est, quæ tantum roboris, ac virium conferre cognoscitur ijs, qui ex alijs religionibus ad eam seriò conuertuntur, vt nõ modo quam antea naturæ legem turpissimè violarant, postea facilè, & adamussim obseruent, sed insuper in omni virtutum genere egregiè proficiant, ex iracundis mansueti, ex superbis humiles, ex incontinentibus casti, ex auaris, & rapacibus liberales, ex intemperantibus abstinentes facti: talis est sola Religio Christiana & Catholica Romana; ergò censendum est solam Christianã, & Catholicam religionem veram esse religionem.

Maior huius argumenti videtur esse certa, talis enim mutatio nonnisi dexteræ excelsi potest esse, videturque omnino impossibile, & Dei bonitati, ac suauitati prouidentiæ ipsius repugnans, vt fides non vera sed falsa animum, & robur homini conferat piè, sanctèque viuendi.

Minor autem probatur infinitis eorum exemplis, qui vel à Paganismo, vel perfidia Iudaica, vel ab hæresi, vel etiã à scelerata vita conuersi, eorum mediorum virtute quæ Christiana, & Catholica fides Romana præscribit, & exhibet, ad piam, sanctam, & inculpatam vitam traducti sunt. De quibus omnibus per singula secula consulendus est Cardinalis Baronius in Annalibus, & alij qui Sanctorum historias conscripserunt.

Hanc autem vim & efficaciam conuertendi animas nulli alteri sectæ inesse, quin potius illas mores peruertere, & ad omnem vitæ licentiam homines facere procliues, non solùm probant ea, quæ superiori capite retulimus, sed etiã quotidiana id nos docet experientia in illis, qui desertis Ecclesiæ Catholicæ castris ad Mahumetanorum, hæreticorum, aliorumque infidelium partes trãseunt: Quid enim Apostatis, aut transfugis illis obscænius, ac impurius excogitari potest? qui non vi veritatis adacti, aut pulchritudine virtutis, sed voluptatum duntaxat illecebris allecti alias ab Ecclesia Catholica Romana sectas amplectuntur.

At

At dicet fortè aliquis repentinas illas morũ mutationes in melius etiam apud Gentiles extitisse, vt de Polemone fertur, qui cum vitam flagitiosissimam duceret, scholam Xenocratis de virtutis excellentia & pulchritudine disserentis ingressus, repentè in virum alterum mutatus est.

Sed quid huic mutationi, & similibus, cum illis christianorum, aut eorũ qui christianam fidem seriò suscipiunt & colunt? Primo enim in moribus Gẽtilium nunquam fuit perfecta mutatio; nam etsi varijs virtutibus moralibus, ac naturalibus nonnunquam præditi fuerint, semper tamen vitio aliquo, si non palam, saltem clanculum laborarunt, vt vidimus superiori capite. Secundò, si quæ mutationes repentinæ in ijs extiterunt, præterquam non fuerunt vndequaque perfectæ, fuerunt rarissimę, & fortè vnum, aut alterum ad emendationem vitæ prioris, Philosophia Paganorum adductum fuisse legimus, vbi fides Euãgelica infinitos omnis ætatis, sexus, conditionis, generis à sceleratissima, & profligatissima vita ad sanctissimam cõuertit. Tandem Philosophia nonnullos tantùm diuitiarum & voluptatum contemptum edocuit, sed ad nunciũ mundo, & sibi ipsi remittendum, nullum, sicut in dies edocet fides Euangelica: quod tamen longè est altero difficilius, & excellentius.

Dicendum est ergò solam religionem Christianam, & Catholicam Romanam esse veram Dei fidem, ac legem, fieri enim non posset, vt catholica fides, si semel falsa esset, animum & robur homini conferret piè sanctèque viuendi. Nam vel cæteræ omnes religiones ponuntur veræ, & Catholica sola falsa; aut quædam ex alijs veræ, & Catholica cum reliquis falsa; aut Catholica sola vera, reliquæ omnes falsæ. Duo priora membra dici non possunt. Non primum, quia incredibile prorsus videtur, eam fidem, quæ sola falsa est, tantum roboris hominibus posse confere ad veræ virtutis, & Sanctitatis cultum, cæteras veras non posse. Neque secundum, quia non minus incredibile diuinæque bonitati dissentaneum est, vęram fidem id pręstare non posse, & tamèn posse falsam. Ergo necessario tertium fatendum est, solam fidem Catholicam Romanam esse veram fidem, quæ sola est lex verè conuertens animas.

CAPVT XXII.

Explicatur octauum argumentum desumptum ab insigni constantia, animique fortitudine tot Sanctorum Martyrum, qui pro Christiana, & Catholica fide vitam posuerunt, & in dies ponunt.

TErtium argumentum desumptum ex parte eorum qui credunt, ad probandam fidei Catholicæ credibilitatem, est innumerabilis Martyrum multitudo, omnis sexus, ætatis, conditionis, qui alacri, & inuicto animo prorsus fidem sanguine suo consignarunt. Quo argumento iam olim vsi sunt Iustinus Martyr Apologia 1. ad Senatum Romanum, vbi testatur se potissimum hoc argumento fuisse inductum ad suscipiendam fidem Christianam, Tertullianus de præscript. cap. 29. Lactantius Firmianus lib. 5. institut. cap. 13. & 14. S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. *Quomodo*, inquit, *eorum fidem possumus denegare, quorum victoriam prędicamus*. S. Augustinus lib. 12. de ciuitate Dei cap. 5.

Potest ergò sic argumentum efformari. Nullo modo verisimile est, eam esse falsam fidem, aut religionem, quam innumerabiles penè omnis sexus, ętatis, & conditionis Martyres sui sanguinis vitęque voluntaria profusione fortissimè, & patientissimè sunt contestati; talis est sola Religio Christiana, & Catholica Romana; ergò censendum solam Christianam, & Catholicam religionem Romanam veram esse religionem.

Neque efficaciæ istius argumenti obstat, quod aliquos à Religione Christiana & Catholica alienos, vt Paganos, Iudæos,

Iudæos, Mahumetanos, & hæreticos, pro suis superstitionibus, & erroribus mortem etiam oppetijsse legamus, vt videre est apud Eusebium lib. 5. historiæ cap. 18. vbi refert Montanistas solitos fuisse gloriari de numero suorum Martyrum, quod idem asserit de Messalianis heresi 12. & de Arianis heres. 76. D. Epiphanius, & de Donatistis S. Augustinus ep. 68. Ex paganis habemus Lęlium, Codrum, Regulum & alios, qui pro suis etiam idolis mortem olim subijsse, & seipsos deuouisse narrantur. Hoc, inquam, non obstat, neque vim nostri argumenti eneruat, quod non tam debet attendi nudè & solitariè penes amissionem vitæ, & perpessionem mortis, quam provt eiusmodi mors habet tales conditiones, & circumstantias; quæ in solis Martyribus Christianis, & Catholicis, non autem in hereticis, aut in alijs aliarum sectarum asseclis reperiuntur; quibusque facilè est iudicare patientiam ipsorum in tormentis, & doctrinam, pro qua tam alacriter ad mortem vsque decertabant, non aliundè quàm à Deo manare posse.

Prima ergò circumstantia est, Martyres Christianos, quosque Ecclesia Catholica Romana veneratur, quoad multitudinem fuisse propemodùm innumeros, ex omni genere, sexu & ætate, vti eorum acta ab Ecclesia Catholica recepta, probata, laudata, pręiudicata authoritate testantur. Legimus enim sub Maximino Imperatore septemdecim Christianorum millia spatio vnius mensis occisa, integramque ciuitatem apud Phrigiam vnà cum omnibus ciuibus à Romanis militibus crematam propter religionem Christianam, nemine prorsus ex ea fugere volente, nec se à morte liberare. Consule Martyrologium, & notas Cardinalis Baronij die 26. Aprilis, & 7. Februarij. Habemus & historiam legionis Thebæorum die 22. Septembris, qui Duce Sancto Mauritio, vno eodemque die omnes mori maluerunt, quam sacrificare idolis: sic & Ecclesia Iunij 22. memoriam agit Martyrum vno die crucifixorum vsque ad decem millia, & die 21. Octobris vndecim mille Virginum Martyrum cum Beata Vrsula; in nocte verò qua memoria Natiuitatis Christi recolitur, viginti, vel amplius millia Martyrum Nicomedię combusta sunt; cum enim in Christi natali ad Dominicum conuenissent, Diocletianus Imperator ianuas Ecclesiæ claudi iussit, & ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure prę foribus poni, ac præconem magna voce clamare, vt qui incendium vellent effugere, foras exirent, & Ioui thus adolerent: cumque omnes vna voce respondissent, pro Christo se libentius mori, incenso igne consumpti, eo die nasci meruerunt in cęlis, quo Christus in terris pro salute mundi nasci dignatus est. Quid opus pluribus D. Hieronymus epistola ad Eliodorum refert se reuolutis Romanorum Pontificum annalibus iam suo tempore inuenisse, numerum Martyrum ita excreuisse, vt si omnium memoriam vellemus celebrare, singulo quoque die celebranda essent trium millium natalitia, quod si alios è fidelium numero innumerabiles addamus Sanctissimos Ecclesiæ Martyres, quorum etiam à tempore S. Hieronymi cathalogi prolixissimi existunt, & in dies excrescunt, vt patet ex relationibus Indiarum maximè orientalium. Meritò ergo cum D. Gregorio homilia 17. in Euangelia exclamare liceat: *Totum mundum fratres aspicite, Martyribus plenus est: iam penè tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes habemus: Deo ergò numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt: quia, quanti sint à nobis comprehendi non possunt.* Qua etiam de causa Christianos cruciarios olim vocari solitos puto, & apud Tertullianum, Sarmentitios, & Semaxios in Apologetico cap. 50. quod dicto citius, & quotidiè omnique hora, & momento in crucem agerentur, vel ad dimidij axis stipitem reuincti subiectis sarmentis passim cremarentur.

Quid ergò raris, ac pænè nullis in alijs

alijs sectis non Christi,sed diaboli martyribus, cum innumerabili Sanctissimorũ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Martyrum ad hæc vsque tempora multitudine? Et vt Gentiles, ac Paganos prætermittam, quot quæso legimus hæreticos Lutheranos, Caluinistas & alios cum sui capitis periculo, in fame, & siti Ethnicorum & Paganorum,aliorumque infidelium terras obire, vt suam illic fidem solo diuini honoris studio propagent. *Negotium enim*,inquit Tertullianus lib. de præscription. cap. 42. *est hæreticis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi, nostra suffodiunt vt sua ædificent; hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur*.

Secunda circumstantia desumitur ex parte causæ finalis, vt enim ait D. Aug. in psal. 34. concl. 2. *Martyres non facit pęna, sed causa*. Et S.Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ: *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs, animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pæna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest*. At præterquam quod rariora fuerunt exempla eorum, qui extra religionem Christianam, & Catholicam mortem subierint, si cum nostris Martyribus conferantur,adhuc non legimus Paganos se deuouisse pro idolis suis,sed pro patria, pro amicis, alijsque huiusmodi obiectis sensibilibus externis & corporeis, quæ quidem obiecta multò vehementius mouent carnales homines quam spiritalia. Idemque iudicium ferendum est de quibusdam hæreticis,qui etsi nonnunquam visi sint constanter pro religione, & honore Dei mortem subire, vt ipsi exterius fingebant, ac præ se ferebant, re vera tamen id faciebant pro seipsis, nempè vt gloriam temporalem venarentur, nomenque suum apud posteros celebrarent, vel ne quis diceret eos erroris conuictos fuisse, si sententiam mutauissent, aliquando etiam ex pertinacia, & obstinatione,vel ex odio Catholicæ religionis, sæpe ex desperatione, quia credebant se non euasuros mortem, etiam si hæresim suam agnoscerent, quo sensu diabolus etiam suos Martyres habere dicitur, docetque D. Augustinus lib. de patientia cap. 17. *quemque iniquorum tanto esse ad toleranda mala duriorem, quanto est maior mundi cupiditas*; moxq; addit hanc esse patientiam diabolicam. Veri autem Christiani, Ecclesiæque Catholicæ cultores è contrario mortem subierunt, & in dies alacriter oppetunt pro honore Dei, & pro fide Catholica, pro vita æterna obtinenda, quamuis & vitam æternam, & mysteria fidei obscurè tantùm cognoscerent, calcando etiam fastum, diuitias, honores, voluptates, & omnia huius vitæ commoda, quærendo ignominiam, & contumeliã, contemnendo hominum probra, & irrisiones; cum olim maximè apud Paganos nihil esset vilius, & abiectius nomine Christiano, omnesque Catholici tanquam stulti, & fatui, tanquam ignobilia mancipia vulgò tenerentur. Vndè rectè Concilium Arausicanum secundum can. 17. *Fortitudinem Gentilium*, addam & hæreticorum, *facit mundana cupiditas, fortitudinem Christianorũ charitas Dei diffusa in cordibus nostris*.

Tertia circumstantia est Sanctitas, & innocentia vitę nostrorum Martyrũ. Nunquam enim in tot acerbissimis ab Imperatoribus illatis in Christianos & Catholicos persecutionibus, quempiam illorum, ob aliud scelus, quam quod essent Christiani, & Catholici,conuentum esse iudicio, quis poterit inuenire; quod, qui scripserunt pro Christianis Apologias,vt Tertullianus & alij facilè demonstrarunt; Quamobrem D. Ambrosius in expositione Psalmi 118. eorum esse illam vocem non incommodè interpretatur. *Principes persecuti sunt me gratis. Quia cum nihil malè fecerint*, inquit Ambrosius, *peiora latronibus subire tormenta sunt coacti*. Non igitur Deo vindice ob aliqua flagitia, vt quidã Ethnici, sed adiutore Deo vitam pro verita-

veritate perfudisse Christiani, & Catholici Martyres existimari debent, vt etiã docet D. Chrisostomus homil. 4. in 1. epistol. ad Corinth. cap. 7.

Quarta circumstantia sunt innumera penè miracula, & signa quibus nostrorum Martyrum supplicia, & tormenta, morsque ipsa diuinitus illustrata fuerunt, quemadmodum obseruat S. Gregorius Nazianzenus orat. prima aduersus Iulianum Apostatam, nec non Theodoretus sermone octauo de Martyribus, ita vt in historijs Ecclesiasticis nihil sit frequentius quã Sanctos Martyres fuisse Magiæ accersitos, adeò frequentibus prodigijs ac miraculis ius illis omne suum natura concessisse videbatur; Inter quę miracula inferiorem locum non habet, grauiora plerumquę & atrociora fuisse Martyrum tormenta, quam vt virtute naturali possent sustineri, & superari.

Quinta circumstantia est inuicta animi constantia, & patientia Sanctorũ Ecclesię Catholicæ Martyrum, tantò magis commendabilis, quantò minus coacta, magis spontanea. Quoties inclytis illis Christi militibus à cruciatibus vacationem, immunitatémque obtinuisset, vna hæc vocula, *non sum Christianus, non sum Catholicus*. Sed indè magis suspiciendi, quod pueri etiam & mulierculæ inspirata patientia dolori illuderent, & carnificinæ, quod omnes læti, & hilares, laudando, & benedicendo Deum, illumque pro suis carnificibus bonum pro malo reddentes exorando, ad martyria tanquam ad epulas duci viderentur. Quæ tanta animi fortitudo Sanctissimorum Ecclesiæ Catholicæ Martyrum tyrannos vertit sæpè in admiratores, carnifices fecit imitatores, spectatores ex infidelibus fideles, certò sibi persuadentes Deum singulari auxilio assistere martyribus dando illis & consolationem, & constantiã inter tot acerbissima tormentorum genera, vt patet de Beato Laurentio, de Beato Vincentio, & alijs innumeris, quorum acta leguntur in Martyrologijs, & Ecclesiæ Annalibus.

Etsi ergò ex maryrio, & persecutione Christianorum secundum se, & seorsim à prædictis circumstantijs, fortasse non posset euidenter constare religionem Christianam & Catholicam esse credibilem tanquam diuinitus reuelatam, illis tamen attentis, diligenterq; consideratis, certò certius concludendum est illam prorsus dignissimam esse, quæ pro vera diuinitusque reuelata habeatur. Cum enim Deus homines ad eum finem ipse creauerit, vt sibi vera religione, veroque cultu seruirent; aut nullis omnino (quod incredibile est, nec asserunt infideles Deum agnoscentes) aut illis maximè secundum rectissimam, ac suauissimam suæ bonitatis, & prouidentiæ rationem, opitulari ad eam rem putandus est; qui tanta simul pietate, virtute, eruditione, & tam ardenti veræ fidei, ac religionis zelo, Deoque in illa seruiendi desiderio flagrantes fuerunt, vt seipsos pro vera fide tuenda, omni tormentorum genere excruciandos vltrò persecutoribus tradere, mortemque subire non dubitauerint. Quam enim ab infinita Dei bonitate, & charitate esset alienum, imò verò quam crudele permittere, & pati, tot, & quidem propè innumeros vtriusque sexus, omnis conditionis, & ætatis homines sic affectos, in diligenda fide, sine qua impossibile est placere Deo, decipi, ac vitam etiam sine vtilitate prodigere, Maximè cum aduersus hæreticos innumera Sacræ Scripturæ habeamus testimonia, quibus manifestè constat Deum inquirentes se non deserere, *Quæretis me*, inquit Hieremiæ cap. 29. *& inuenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro inueniar à vobis*.

CA-

CAPVT XXIII.

Explicatur nonum argumentum desumptum ab infinita propè multitudine eorum, qui fidem Christianam, & Catholicam amplexi sunt.

QVartum & vltimum argumentū fidei Catholicæ ex parte credentium, est infinita propè multitudo eorum, qui illam amplexi sunt, quo vtitur Lactantius lib. 5. Instit. cap. 13. & D. Augustinus lib. de vtilitate credendi cap. 14. & contra epistolam fundamenti cap. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia consensus populorum, atque gentium*. Etenim credibile id meritò censeri debet, quod omnes penè gentes & nationes totius mundi, & in his innumerabiles viri summa authoritate, summoque ingenio, & doctrina præstantes libenter, sua spontè, nemine cogente receperunt, maximè vbi cogitari non potest humanum aliquod commodum aut diuitiarū aut voluptatis, aut mundanæ gloriæ, quod eos transuersos rapere, & in deligenda religione excæcare potuerit, vt enim ait Philosophus 1. ethic. cap. 20. *quod vniuersis videtur, nos tale esse diximus*. Et cap. 5. *tale aliquid debet censeri, quale vir prudens iudicauerit*. Atqui fidem Christianam, & Catholicam Romanam quantumuis rudem, & asperam, carnique & sanguini reluctantem innumera propè multitudo doctissimorum etiam, & subtilissimorum Philosophorum amplexa est, quales in primo à Christi natiuitate sæculo sunt S. Dionysius Areopagita à D. Paulo, & Eucadius Platonicus à S. Apollinare Episcopo Rauennate ad Christi fidem cōuersi; in secundo sęculo Iustinus, Athenagoras, Ammonius, & alij plures de quibus consulendus est Cardinalis Baronius in suis Annalibus, qui cum veræ sapientiæ amantes essent, & veritatis studiosi, subtilissimam omnium Christianorum Philosophiam esse considerantes, admirantesque apud eos non paucos quosdam illud vitæ culmen attingere, sed ęquè omnes eo nomine esse dignos; pedestri quam sectati fuerant, philosophię nuncium remittentes, delegerunt in schola piscatorum discipulos esse potius, quam Athenis magistros profiteri.

Vndè apparet, non simplices tantum & rudes, (vt Celsus Epicureus, & alij in Christianam religionem infensissimi falso iactabant) Christo nomen dedisse, sed omnes propemodum, qui verę philosophiæ studiosi essent, ac veritatis cupidi; vt contra eumdem Celsum egregiè docet Origenes lib. 3. *Sic igitur quandoquidem elegans, & precipuum aliquid mortalibus visa est Christiana esse religio: non modo ad Celsi opinionem seruiles quidam & imperiti, sed Græcorum plerique eloquentiæ eruditi & peritissimi viri necessario hanc subiere, nec tamen per seditionem & contentiosas hæreses, sed quia philosophi omnes studerent, vt earum rerum cognitionem assequerentur, quibus Christiana Religio niteretur. Vndè & subsecutum est, vt cum omnes diuinam hanc esse disciplinam admitterent, hæreses & secta oborirentur, quæ ab his & nomen sibi sumerent, qui eius quidem doctrinæ principium admirati, vtcumque postmodum vt ab inuicem dissentirent, suasionibus quibusdam inducebantur*. Hæc Origenes ad illos alludens, qui sic persuasi sunt omnium nobilissimam Christianam esse Religionem, vt tamen sua cum ea miscere dogmata studentes, hæreses nouas statuerint: aduersus quos in libro de præscriptionibus Tertullianus pluribus differit.

†



CAPVT XXIV.

Explicatur decimum argumentum desumptum à modo, quo primùm Fides Christiana fuit propagata.

QVarta Classis argumentorum pro euidenti credibilitate veritatis Fidei Christianæ comprehendit ea quę deducuntur, ex modo quo primùm fuit propagata & stabilita, quia autem in illo plures circumstantiæ admiratione Deique digito dignæ reperiuntur, plura etiam argumenta ex illis deducemus; primumque occurrit, quod sine armis, sine eloquentia, nullis propositis bonis sensibilibus, & tēporalibus, sed tantùm æternis, grauissimas inter persecutiones fides Christiana & Catholica fuerit propagata; quo argumento vsi sunt olim Iustinus Martyr apologia 2. ad Antoninum Pium, Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum in fine, Lactantius lib. 5. Diuinarum Institutionum c.13. Chrisostomus homil.34. in Math. & homil. 4. & 5. in epistol. 1. ad Corinth. D. Augustinus lib.22.de ciuitate Dei c.5. & libro de vera religione cap. 3. & 4. & libro de vtilitate credendi cap.14.

Credibile enim omnino est, eam doctrinam aut fidem esse veram, diuinaque authoritate niti, quæ cum & multa naturalem intellectus capacitatem superantia doceat, & pleraque carni ac sensibus contraria præcipiat, tam efficaciter nihilominus, nulla armorum vi aut metu, nullis persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, nulla temporalis alicuius commodi spe, seu promissione, sed sola æternorū, quæ cum non sint præsentia, nec sensibilia parum mouent, per paucos ignobiles, & in speciem simplices, & abiectos homines ita propagata est, vt breui temporis spatio totum orbem repleuerit, grauissima non obstante repugnantia & contradictione, quam ipsa in suis veluti incunabilis experta est: atqui talis est sola fides Christiana, & Catholica; ergo prudentissimè creditur solam fidem Christianam, & Catholicam esse veram Dei fidem, ac religionem.

Maior huius argumenti videtur esse omnino certa, maximè ex eo quod in illa referuntur viæ non solùm debilissimæ, sed etiam in speciem omnino oppositæ ad suadendam, aut stabiliendam hominibus aliquam doctrinam; superbis enim contra ambitum, prædicare neglectum honoris; diuitibus cōtra cupiditatis voragines, spontaneam paupertatem, faciliusque esse cameū intrare per foramen acus, quam diuitem in regnum cælorum; pauperibus suam paupertatem patienti animo toleratam, esse diuitijs omnibus locupletiorem; carnalibus contra voluptatis lenocinia, crudum, austerumque viuendi genus; sapientibus huius sæculi eorum sapientiam esse meram, & inanem stultitiam; regibus eos esse subditos Christo inter latrones suspēso & mortuo; hæc, inquam, omnia & similia prędicare nonne secundum humanæ prudentiæ leges, ac regulas potius homines à religione auocare, quā ad eam amplectendam incitare deberent; Igitur si his non obstantibus grauissimas etiam inter persecutiones hostiumque iuratorum contradictiones fides Christiana & Catholica ab omni hominum genere promptissimè recepta, & constantissimè retenta fuit per tot annorum & sæculorum curricula, eoque fuerunt adducti tot Imperatores & Reges, tot Philosophi, & Oratores, tot denique alij ex omni conditione, ætate, & sexu, vt desertis patrijs religionibus, quæ vel ipsa diuturnitate valdè confirmatæ erant, solam Christianam fidem amplecterentur; id profectò vi veritatis, diuinæque virtuti tribuendum est; cum naturaliter hæc omnia non magis fieri, aut præstari potuerint, quam si ferocissimi lupi à mansuetissimis agniculis superati fuissent.

Ad

Ad probationem ergo minoris, rem ita in fidei Christianæ, & Catholicæ propagatione se habuisse ostendendum est. Præterquam quod enim Christus ipse nouus homo natus in angulo Galileæ, omni destitutus ope humana, exteris ignotus, suis odiosus, non opum illecebris, quod Cirus: non gloriæ, vt Alexander: non victoriæ, aut voluptatum, vt Cæsar, & infamis ille orbis prædo Mahumetes; sed pauperie, contumelijs, crucibus, tormentisq; propositis, primùm mortales vocauit ad fidem rerum naturalem rationis captum excedentium, vt Deum esse Trinum & Vnum, & ad praxim virtutum arduissimarum, sensuique & carni omnino contrariarum, vt crucem sponte assumere, honores & diuitias contemnere, & mortem crudelissimam potius oppetere, quàm leue aliquod peccatum committere: item inimicis ignoscere: & à matrimonio inito & consummato nunquam facere diuortium. Præterquam quod, inquam, primùm Christus ita se gessit in prædicando doctrinam Euangelicam, eadem etiam via floruit à morte superstes illius disciplina, vt intra annos quadraginta orbem impleuit vniuersum; vt enim ostenderet Sp. S. quod stultum est hominibus, esse Deo sapientiam, & quod ijs infirmum esse illi fortissimum & è contra, duodecim non amplius elegit, è remo & reti barones, inopes, & inscios, qui sine armis, sine eloquentia, absque vllis promissionibus temporalibus, sed potius promittendo in hac vita supplicia, carceres, cruces, sine fauore humano, quin potius repugnãtibus omnibus, repugnante principum & magistratuum potentia, philosophorum sapientia, rethorum eloquentia: item repugnante idololatria, quæ per totum ferè mundum inualuerat, nec non sensibus, & affectibus humanis, euntes docuerunt omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Et vt esset quod magis in fidei Christianæ, & Catholicæ propagatione miraremur, & vndè alius à Deo tanti dux facti existimari non posset; non solùm medios inter persecutionũ fluctus, licet vndequaque frementes, tum ex parte tyrannorum, tum ex parte philosophorũ, tum ex parte Iudæorum, tùm ex parte hæreticorum, tum ex parte malorum Christianorum, submergi nunquam potuit, sed inde firmitas illi maior semper accreuit. Ex ijs namque qui religionibus dedere initia, sicut nemo præter Christum suæ institutioni immortuus est, sic sola Christianorum nece, Christianam religionẽ augeri, & stabiliri decebat: Vt meritò asseruerit Tertullianus sub finem Apologetici sanguinem Christianorum esse germen & semen Ecclesiæ, & propterea Tyrannos ad eos cædendos prouocare non dubitauerit: *Hoc agite, boni præsides, cruciate, torquete, atterite, nos plures efficimur, quoties metimur à vobis.* Et libro aduersus Scapulã statim in principio; *Cum sæuitia vestra concertamus, & magis damnati quàm absoluti gaudemus.* Ideoque Iustinus Martyr dialogo contra Tryphonem, Ecclesiam viti comparat: quæ amputatione ad vbertatem prouocatur: & D. Leo agro fertilissimo, in quo grana, quæ singula cadunt, multiplicata renascantur: quam ob causam Saluianus libro de prouidentia, hanc ait esse Christianæ vitæ rationem, vt inter ipsas persecutiones, incrementum suscipiat, & inter prospera marcescat: Vndè refert Baronius tomo 2. Annalium ex Eusebio, Zonara, & alijs, Diocletianum Mediolani in Occidente, & Maximum eius in imperio socium Nicomediæ in Oriente, imperio spontè se abdicasse, quod non possent suis cedibus & tormentis Christianos extinguere: quin imo eos in dies incrementum maximum suscipere suis oculis intuerentur. Constat ergo solam doctrinam Christianam, & Catholicam esse velut malleum conterentem petras, eloquium Dei conuertens animas, atque etiam gladium penetrabilio-

liorem omni alio gladio ancipiti; quo missa sub iugū & Christi fascibus submissa fuere, vbique Dæmonum cultus & immanitas, Philosophorum sapientia, eloquentia rethorum, Iurisperitorum prudentia, Tyrannorum vis, & potentia, carnificum denique laniæna.

Quod totum egregio Sancti Augustini testimonio libro de vera religione cap. 3. signare placet. Si enim priusquam Christianam fidem mundus cōplecteretur, sapientium Philosophorū aliquis interrogatus fuisset, vtrum censeret, sine virtute diuina per vnum vel aliquos paucos homines nulla neque humana eruditione, eloquentiave instructos, neque potentia & vi armatos, neque nobilitate claros, neque opulentia præstantes, persuaderi illa mundo posse, quæ Christum & Apostolos persuasisse iam cernimus: *Respondisset credo ille*, inquit D. Augustinus, *non posse hoc ab hominibus fieri, nisi quos ipsa Dei virtus atque sapientia commendasset, vt omnia contemnendo, quæ praui homines cupiunt, & omnia perpetiendo quæ horrescunt, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque authoritate conuerteretur*. Hoc ergò cum iam factum & adimpletum videamus; nonnisi diuina planè ope esse factum confitendum est, Christianamque proindè religionem esse probatā diuinitus, modus, quo in orbem est introducta, & propagata, apertissimè declarat.

CAPVT XXV.

Explicatur vndecimum argumentum desumptum ab Vniuersalitate, seu Catholicitate Religionis Christianæ, & Catholicæ Romanæ, quatenus eo nomine significatur positiua quædā vniuersalitas locorum.

HOc est alterum argumentum, quo Christianæ Religionis, Ecclesięq; Catholicæ veritas ostēditur, pertinens ad modum propagationis illius, quod sit Catholica, seu vniuersalis, quia autem Vniuersalitas, quæ importatur hoc nomine Catholica, non restringitur ad illam solam, quæ est penes locum, sed etiam importat vniuersalitatem temporis, quam appellamus perpetuitatem, item vniuersalitatem doctrinæ, quatenus complectitur omnia dogmata, quæ debent venire in notitiam hominum, innixa non particulari judicio, sed communi & vniuersali cōsensu fidelium fundato in reuelatione Dei facta Ecclesiæ, quàm ideò doctrinæ vnitatem possumus appellare; nam vt eleganter ait Vincentius Lirinensis cap. 3. contra hæreses; *verè propriéque Catholicum* (in fidei doctrina) *est, tenere, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*; quia, inquam, nomen Catholici applicatum Ecclesiæ, aut Religioni, iuxta diuersitatem vniuersalitatum, diuersas etiam significationes allatas habere potest, vt clarius & distinctius in hoc motiuo, veraque Ecclesiæ, ac religionis nota explicanda procedamus, primùm agemus de illa quæ attenditur penes locum; quo sensu S. Augustinus sermo 131. de tempore ait Ecclesiam Catholicam dici, quæ toto orbe diffusa est, hæreticorūque Ecclesias ideò Catholicas non dici, quia per loca, atque per suas quasque prouincias continentur, hæc vero à solis ortu vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur. Argumentum ergò sic efformari potest.

Ea ratione fides aliqua, aut religio maximè commendatur, veraque, & à Deo tradita esse intelligitur, quæ vniuersalis est & Catholica: hoc autem solùm conuenit religioni Christianæ, & Catholicæ Romanæ, non autem vllis alij ab illa sectis, ergò sola religio Christiana & Catholica Romana est vera Dei religio.

Maior huius argumenti primum probari potest, aduersus infideles authoritatem diuinarum Scripturarum negantes, subsequenti ratione desumpta ex ipsamet notione religionis, aut Ecclesiæ, quæ, vt & nomen indicat,

aliud

aliud non est, quam cætus & communio vocatorum à Deo ad eamdẽ gloriam & felicitatem: eiusdem ergò rationis aut conditionis beatitudo,& religio, seu Ecclesia, tamque communis & vniuersalis vna,quam altera esse debet, si quidem ad beatitudinem consequendam necessarium est medium religio, vt libenter admittunt infideles Deum agnoscentes, atqui non vni loco,non vni hominum genti, aut personarum generi propria & particularis est beatitudo, sed Deus vult omnes homines saluos fieri, 1. ad Timoth. c.2. quod Sanctus Augustinus in Enchirid. c.103. sic explicat vt per omnes homines omne genus humanum intelligatur, *per quascumque differentias distributum, reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, diuites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, iuuenes, seniores, senes, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus*; ergò si quæ est vera, ac diuina religio, eam esse vniuersalẽ, & vicissim, quæ vniuersalis est, quæque omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera complectitur, eamdem quoque esse veram oportet.

Deindè, quotiescumque aliquid pluribus commune est,id in illis vnam causam, & principium vnum commune agnoscit, v.g. quæcumque eamdem temperiem habent naturalem, ea vel terrea, vel ignea,vel alia solent appellari, vnique elemento,aut potius principio elementari vni attribui; ergò eo ipso quod datur aliqua religio aut fides communis, in quam æquè omnes homines maximè tanquã in quid ad salutem necessarium conueniunt, debet etiam talis religio, aut fides habere pro principio aliquid vnũ, quod in omnes vim suam habet: & maximè quod in omnium hominum animos illabi, eosque in vnam sententiam flectere, ac trahere potest; tale autem non potest esse alius quam Deus author naturæ hominum & gratiæ, cuius solius fides seu authoritas apud omnes homines valet; est igitur dicenda illa vera Dei Ecclesia, in qua non est distinctio Iudæi, aut Græci, aut barbari, sed quæ ex se communis est, cuilibet loco, cuilibet nationi & genti.

Secundò probatur eadem maior aduersus hæreticos authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Vt psalmo 2. v. 8. *Dabo tibi gentes hereditatem tuã, & possessionem tuã terminos terræ*, & psal.18. v.5. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Quæ ad Apostolos, & fidei christianæ prædicatores referuntur, Roman. 10. v.18. Item psal.22. v.28. *Reminiscentur & conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ*. Psal. 71. v.8. *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, &c. omnes gentes seruient ei*. Similia habentur Isaiæ 52. versu 10. & 60. v.3. Malachiæ 1.v.11. *ab ortu Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, &c.* Quæ omnia pertinere ad Ecclesiam Christi, quam heretici admittunt esse veram,ex contextu & circumstantijs locorum apertè colligitur. Eamdem etiam vniuersalitatem locorum Ecclesiæ Christi non minus clarè noui testamenti Scripturæ declarant. Matthæi 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio*. Matth.28. v. 19. *Euntes ergò docete omnes gentes*. Lucæ 24. *oportebat prædicari in nomine eius pænitentiam, & remissionem peccatorum, in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma*.

Ex quibus, alijsque similibus diuinarum Scripturarum authoritatibus colligunt Sancti Patres, veram fidem, & Ec-

& Ecclesiam Christi per omnes gentes diffusam esse debere, & sicuti nondum prædicata fuit, adhuc prædicandam esse; *Dicebat*, inquit Origenes lib. 1. contra Celsum initio, & lib. 2. post initium, *Deum mundi authorem, & qui vniuerso orbi leges dedit, eam vim dictis suis indere, vt omnia quæ vbique terrarum sunt, vincere, ac tenere possent*.

Eodem sensu D. Augustinus libro de vnitate Ecclesiæ cap. 6. & sequentibus ita contra Donatistas disserit, tanquam si ex instituto contra nostri temporis sectarios scribere, eorumque friuolas obiectiones in hoc argumēto refellere decreuisset, vt pluribus demonstrat Tannerus in anatomia Confessionis Augustanæ parte 2. demonstrat. 3. Explicans ergo D. Augustinus Scripturæ locum, *Benedicentur in nomine tuo omnes gentes*. *Ecce*, inquit, *testamentum Dei, aperite aures. Hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, & superordinat; quare vos* (hæretici) *irritum facitis testamentum Dei, dicendo, nec in omnibus gentibus esse completum, & periisse iam de gentibus, in quibus erat semen Abrahæ? quare superordinatis dicendo: in nullis terris hæredem permanere Christum, nisi vbi potuerit cohæredem habere Donatum* (siue Caluinum, siue Lutherum?) & infra; *Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est; ostendite, vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc semine benedici; date hanc, aut furore deposito, accipite*. Hactenus Augustinus loco citato, qui etiam epistola 50. ait, *Innumerabilia sunt testimonia librorum Sanctorum, in quibus apparet Christi Ecclesia non in sola Africa, sicut isti impudentissima vanitate delirant, sed toto orbe terrarum diffusa*.

Quam ob causam Eusebius lib. 1. de demonstrat. Euangelica cap. 5. docet legem Mosaicam non posse esse veram, & vnicam religionem, quia ea vni tantùm populo Israelitarum propria erat, nulloque modo alias nationes obligabat aut complectebatur; quare erat tantum pars priscæ illius, & antiquæ omnibus gentibus communis, & Christianæ, quam Christus non soluit sed adimpleuit, & omnibus suis numeris absolutam perfectamque reddidit.

Neque verò Sancti Patres rem ipsā solam, per nomen Catholici significatam, sed & nomen quoque ipsum existimauerunt esse propriam veræ Ecclesiæ notam, firmissimumque veritatis illius argumentum. Primum huius rei testē adhibeo Iustinum Martyrem qui secundo sæculo floruit: *Et sunt*, inquit in Tryphone loquendo de falsis hæreticorum Synagogis ad distinctionem veræ Christi Ecclesiæ, *distincti cognaminibus, denominati à quibusdam viris, vt quisque fuit huius author alicuius nouæ doctrinæ: ex iis alij vocantur Marcionistæ, alij Valentiniani, alij Basilidiani; alij Saturniani, alij alio vocabulo, quisque à primo inuentore sui dogmatis*.

Idem habet Irenæus lib. 1. cap. 20. qui eodem sæculo vixit, *Habent*, inquit, *& vocabula, à principe impijssimæ sententiæ Simone, dicti Simoniani*.

Ab anno Domini 200. ad 300. Tertullianus libro de præscriptionibus c. 26 & lib. 7. contra Marcionem cap. 17. Cyprianus epist. 41. 42. 43. 44. & 45. veram Christi Ecclesiam Catholicæ nomine insigniunt, insigniendamque supponunt ex diuinis Scripturis superiùs allatis. Eodem sæculo Lactantius, *cum Marcionistæ*, inquit lib. 4. cap. 30. *aut Arriani nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso humana, & externa vocabula induerunt*.

Sæculo quarto ab anno Dom. 300. ad 400. D. Athanasius serm. 2. contra Arrianos; *Nunquam*, inquit, *populus ab Episcopis suis, sed à Domino in quem creditum fuit nomen accepit*, &c.

Pacianus Episcopus Barchinonensis epist. 1. ad Sympronianum, quæ est de nomine Catholico, eamdem planè contra Nouatianos hæreticos dignoscendæ certæ fidei, & Ecclesiæ regulam, aut argumentum præscribit. *Ego fortè ingressus*, inquit, *populosam vrbem hodiè, cum Marcionitas, cum Apollinariacos, Cataphry-*

taphrygas, Nouatianos, & cæteros eiusmodi comperissem qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis cognoscerem nisi Catholica diceretur. Et infra: Catholicum istud nec Marcionem nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores, &c. Et rursus inferiùs: Ne æstues frater, Christiani mihi nomen, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor. Et rursus: Ab hæretico nomine noster populus hac appellatione diuiditur, dum Catholicus dicitur.

Idem tradit Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 18. *Si ieris*, inquit, *in aliquam vrbem, non petas, vbi sit Ecclesia, vbi domus Dei; nam etiam hæretici dicunt, se habere domum Dei, & Ecclesiam, sed petas vbi sit Catholica Ecclesia. Id enim nomen proprium huius Sanctæ Ecclesiæ Matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini nostri Iesu Christi Vnigeniti filij Dei.*

S.Hieronymus contra Luciferianos in fine; *Sicubi audietis eos, qui dicuntur Christiani non à Domino Iesu Christo, sed à quoquo alio nuncupari, vt Marcionistas, Valentinianos: Scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.*

D. Chrisostomus homil.33. in acta Apostolorum: *Illi*, loquendo de hæreticus, *habent quosdam à quibus appellantur: prout enim hæresiarcha nomen: ita & secta vocatur: nobis autem nullus vir nomen dedit sed fides ipsa.*

Tandem vt omittam innumeros alios maximè recentiores, qui videri possunt, apud Canisium in suo Catechismo, finem imponet D. Augustinus contra epistolam fundamenti cap.4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia ipsum Catholica nomen: quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Ecclesiam Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Et libro de vera Religione cap. 7. *Tenenda est nobis Christiana Religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur non solùm à suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint, ipsi quoque hæretici, & Schismatũ alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam dicunt: non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupantur.*

Vt planè manifestum sit aduersus hæreticos, ex diuinis Scripturis, ex doctrina Patrum, ipsoque vsu, ac traditione Ecclesiæ in vtroq; Symbolo Apostolico, & Nicæno, nec non Athanasiano, ipso nomine Catholicæ, veram Christi Ecclesiam significari, & ab omnibus alijs hæreticorum conuenticulis vbiuis terrarum dignosci, ita vt Ecclesiam esse & vocari Catholicam aut vniuersalem, non minus sit certum veritatis illius argumentum, quam falsitatis hæreticorum Synagogarum, quod alij vocentur Arriani, alij Marcionistæ, vel Lutherani, alij Zuuingliani, alij Caluinistæ.

Vndè ne vel ipsa Symboli recitatione suæ Synagogæ vanitatem, ac falsitatem proderet Lutherus, in suo Cathechismo vulgari, vocem *Catholicam*, nefariè eliminauit, substituta eius loco voce *Christianam*. Neque refert, quod interdum ea vox inter se, & cum vera Ecclesia conuertantur. Id enim primo non sufficit ad excusandum flagitium Lutheri, alioquin pariter excusandus esset Manichæus, si in Symbolo, pro *Patrem omnipotentem Creatorem cæli, & terræ*, posuisset, *Patrem bonum Creatorem lucis*. Aut si Ebion, vel Eluidius pro *natus ex Maria Virgine*, posuisset terminos conuertibiles; *natus ex Maria Iosephi coniuge*, quæ tamen omnia vana, nefaria, & sacrilega esse pluribus demõstrat Adamus Tannerus Societatis Iesu in Apologetico præfationis colloquij Ratisponensis.

Deindè quod ait Hunnius in examine eiusdem præfationi, hos terminos *Christianam*, & *Catholicam* esse isodunamontas,

montas, seu æquipollentes, est apertè falsum: sunt enim diuersissimæ rationis & significationis, ita quidem, vt licet Christiani appellatio vim habeat ad discernendum Christianos ab alijs infidelibus Christum non agnoscentibus, eam tamen nequaquam habeat ad distinguẽdos veros fideles ab Hæreticis se Christianos etiam profitentibus, quam habet vox Catholici, vt supra ex doctrina Patrum vidimus.

His ergò sic stabilitis circa maiorẽ propositionem nostri argumenti, nunc ad probationem minoris eiusdem, ostẽdendum est tam aduersus infideles, religionem Christianam, quàm aduersus Hæreticos, Ecclesiam Romanam esse verè Catholicam, & Vniuersalem, ac proindè veram Dei Ecclesiam. Prius tamen aliqua sunt breuiter notanda.

Primò Christianam Religionem sumi posse dupliciter, strictè videlicet, & latè, per Christianam Religionem pressius, vel strictius sumptam, intelligo eam quam Christus ipse Dominus docuit, & per Apostolos consequentibus discipulis tradidit; latius autem sumpta significat Religionem, quæ Dei vnius & Christi mediatoris cultum profitetur.

Obseruandum est secundò nos agere in præsenti tantùm, non de vniuersalitate temporum, aut dogmatum, sed locorum, à qua magis principaliter Ecclesia dici debet Catholica, ad quam rectè docet D. August. epist. 80. ad Hesichium non requiri, vt sit in omnibus hominibus totius mundi, sed tantum vt innotescat omnibus prouincijs, & in omnibus fructificet, ita vt in omnibus prouincijs aliqui sint de Ecclesia: donec enim hoc fiat, non veniet dies Domini, vt patet ex Matthęi 24.

Tertiò notat Cardinalis Bellarminus ex Driedone lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 7. non requiri, vt hoc fiat simul, ita vt vno tempore in omnibus prouincijs necessariò esse oporteat aliquos fideles, sufficit enim si fiat successiuè. Ex quo id sequitur, quod si sola vna prouincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, dummodo clarè ostenderetur, eam esse veram & eamdem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diuersis in toto mũdo diffusa: quemadmodum nunc quælibet dioecesis dicitur Catholica, quia est continuata cum alijs, quæ faciunt vnam Ecclesiam Catholicam.

Quod si aliquis dicat, hoc esse incidere in errorem Petiliani, & Donatistarum, qui dicebant, Ecclesiam quidem fuisse in toto orbe, sed postea perijsse ex omnibus prouincijs, & in sola Africa remansisse, quos Augustinus reprehendit psal. 101. conc. 2. libro de vnitate Ecclesiæ cap. 2. Quem etiam errorem nostri temporis nouatores ab inferis excitarunt, negantes Ecclesiam esse Catholicam, vnde Lutherus vocem illam è Symbolo abstulit vt vidimus, & lib. contra Catherinum dixit Ecclesiam inuisibilem esse & spiritualem, passim dispersam, nec temporum continuationi, neque locorum vniuersitati, nec successioni ordinariæ alligatam.

Respondetur tam Donatistas, quam Nouatores cum illis dexteras pariter miscentes errasse in duobus, primum quod Donatistæ vellent, Ecclesiam tantum fuisse in Affrica, Lutherus Vitembergæ, Caluinus Geneuæ, eo tempore quo manifestè fructificabat, & adhuc fructificat in toto ferè mundo. Secundò quod suam Ecclesiam Affricanam, aut Vitembergensem, aut Gebennensẽ non poterant continuare cum illa, quæ in toto orbe fuerat.

His ita prænotatis probatur primò Religionem Christianam, vt erat antè Christum Dominum, quæ nimirum in Deum vnum, & mediatorem Christum venturum credebat, iam tunc Catholicam, & omnes homines, seu omnium generũ aliquos diuersis in mundi partibus, ac prouincijs complexam fuisse.

Ita D. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 47. *Nec ipsos*, inquit, *Iudæos existimo audere contendere neminem pertinuisse ad Deum preter Israelitas: populus enim re vera, qui populus Dei propriè dice-*

diceretur, nullus alius fuit, homines autem quosdam non terrena, sed cælesti societate ad veros Israelitas supernæ ciues patriæ pertinentes, etiam in alijs gentibus fuisse negare non possunt: quia si negant facillimè conuincuntur de Sancto, & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proselytus id est aduena populi Israel fuit: diuinitùs autem prouisum fuisse non dubito, vt ex hoc vno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad spiritualem Ierusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus est, vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, &c. Et epistola 49. quæst. 2. *cum nonnulli commemorentur in sanctis hebraicis litteris, iam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec ex aduentitia societate in populo Israel, qui tamen huius Sacramenti, scilicet Incarnationis Christi participes fuerant, cur non credamus etiam in cæteris hac, atque illac gentibus, aliàs alios fuisse, quamuis eos commemoratos in eisdem authoritatibus non legamus? ita salus religionis huius, per quam solam veram, salus vera veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.* Quam vltimam authoritatem à Pelagianis pro sua defensione assumptam idem S. Augustinus explicat lib. 1. de prędestinat. Sanct. cap. 9.

Eamdem penitus doctrinam tradit S. Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 5. qui de quibuscumque nationibus aut gentibus, quæ quibusque locis, aut temporibus Deo placere potuerunt, spiritu gratiæ Dei, & mediatoris nostri Iesu Christi asserit fuisse discretas, *quæ etsi parcior antea, atque occultior fuit, nullis tamen sæculis se negauit virtute vna, quantitate diuersa, consilio incommutabili, opere multiformi*; & cap. 10. *Manifestauerunt diuinorum eloquiorum multæ anthoritates, & continua omnium sæculorũ experimenta docuerunt, iustam Dei misericordiam, misericordemque iustitiam, nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis, iuuandisque eorum mentibus defuisse.*

Cui tam D. Augustini, quam fidelissimi eius discipuli doctrinæ suffragantur antiquissima historiarum monimenta; vt enim taceam Melchisedech, Iob, Naaman Syrum, & alios plures tã ex Chaldęis, quam ex Aegyptijs, qui ab Abraham edocti multa de Religione Christiana, seu de Deo Vno, & Saluatore accepta diutissimè conseruarunt; ipsismet temporibus ante Christi aduentum proximis, quibus iniquitas & Idololatria, & consequenter Dei obliuio, aut ignorantia maximè vigebat, notat Cardinalis Baronius & ad copiam probat tomo 1. Annalium in apparatu, vix vllam orbis partem fuisse, in qua non essent aliqua Christianæ, seu veræ Religionis, non solùm inter Iudęos, sed etiã inter Gentiles relicta vestigia.

Quod si inquirat aliquis vndè hanc suam cognitionem tam de Christo Saluatore, quam de alijs fidei nostræ mysterijs haurire potuerint Gentiles, superius lib. 2. sect. 5. cap. 18. dixi ex quatuor fontibus. Primò ex oraculis ipsis Gentium. Secundò ex libris Sybillarum. Tertiò ex consuetudine cum Hebręis, quos Theodoretus lib. de prouidentia serm. 10. obseruat Deum gentibus immiscuisse, & in varias nationes dispersisse, vt sua consuetudine, & institutis eos quibuscum morarentur de Deo, Christoque Domino seu mediatore edocerent. Quartò ex ipsismet sacris litteris. Quibus ex D. Prospero post S. Dionysium lib. de cęlesti hierarchia cap. 9. addo Angelos, per ipsos enim ad Dei cultum institutas esse gentes quibus pręerãt, colligitur ex visionibus per eos exhibitis Pharaoni & Nabuchodonosori, quibus addi possunt Balaam numer. cap. 22. Cornelius actuum 10. & in nostra Gallia, in quam non videntur penetrasse Iudæi, Druides Gallorum doctores, inter quorũ mysteria & dogmata, Christi Domini ex Sanctissima Virgine nasciturì Sacramentum & christianæ religionis fundamentum præci-

puum fuiſſe, quod illi ſuos diſcipulos edocerent, teſtatur celeberrimũ illud & auguſtiſſimum Carnotenſe templũ eo in loco à Druidibus exædificatum, in quo olim longè ante Chriſti Domini aduentum Virgini pariturae extructam aram fuiſſe fert antiqua traditio. Et quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe Dei numen placari inter alia docerent, non malè alluſum eſſe ad diuina myſteria obſeruat Ianus Cæcilius Frey opuſculo de Philoſophia Druidarum; nam expedit vnum hominem mori pro populo, vt eſt in ſacris litteris.

Nunc probandum eſt Chriſtianam Religionem preſſius & ſtrictius ſumptam pro ea, quam Chriſtus ipſe Dominus docuit, & per Apoſtolos conſequentibus diſcipulis tribuit, eſſe Catholicam; quod cum duobus modis poſſit intelligi, primò ita vt ab initio ortus ſui mundum vniuerſum cæperit occupare; ſecundò, vt à quo tempore orta eſt, ſemper creuerit, creſcatque in dies in nouas mundi partes, & regiones penetrans ſeque diffundens; ſitque ſpargenda & diffundenda ſemper vſque in finem huiuſce mundi, & diem 2. aduentus Chriſti Domini, in vtroque ſenſu Ioannes Bagotius Societatis Ieſu tomo 1. Apologetici fidei lib. 3. diſput. 5. cap. 3. commodè intelligi poſſe putat, Eccleſiã Chriſti fuiſſe, & eſſe, foreque ſemper Catholicã, vniuerſalem, ſeu per vniuerſum hunc mundum diffuſam.

Et ad probationem primi ſenſus facit quod notat S. Auguſtinus lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 10. Eccleſiam videlicet in Apoſtolis primiſque Chriſtianis locutã fuiſſe linguis omnibus, vt præſignaretur quod ea eſſet itura in omnes linguas, & vt nunquam verum eſſet dicere, quod Chriſti Eccleſia eſſet, & non complecteretur vniuerſitatem linguarum, quod docet idem S. Auguſtinus ſerm. 2. de Pentecoſte qui eſt 186. de tempore: *Eccleſia*, inquit, *tunc in vna domo erat, accepit Spiritum Sanctum, in hominibus paucis erat, in linguis totus orbis erat, &c.* & poſtea *Nemo dicat accepi Spiritum Sanctũ, quare non loquor linguis omnium Gentium?* id enim vt ſoluat, aduertit Spiritum Sanctum eſſe in Eccleſia id quod in corpore eſt anima, quæ omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, vitamque dat membris omnibus, officia ſingulis: *Sic eſt*, inquit Auguſtinus, *Eccleſia Dei, in alijs Sanctis facit miracula, in alijs Sanctis loquitur veritatem, in alijs Sanctis cuſtodit Virginitatem, in alijs Sanctis cuſtodit pudicitiam coniugalem, in alijs hoc, in alijs illud, ſinguli propria operantur, ſed pariter viuunt*; idem repetit ſerm. 188. vndè præcitatus Theologus rectè aduertit & colligit, quod quemadmodum Sanctitatem ſuam perfectam officijs omnibus, & numeris ſuis abſolutam Eccleſia Chriſti ſemper habuit, aliquando in paucioribus concluſam, aliquando per plures diſpertitam; ita quoque ſuam vniuerſalitatem ſemper habuit, linguiſque omnium gentium loquuta Deum benedixit, & laudauit, vndè cum eodem cæpit habere filios, ſeu Chriſtianos omnium linguarum, & præſertim viros Apoſtolicos, qui Euangelium prædicare poterant; tunc miraculum illud linguarum Chriſtianis per manuum impoſitionem, ſeu Confirmationis Sacramentum, quo nõ fideles, ſed fidei teſtes, & intrepidi profeſſores conſtituuntur, conceſſum ceſſare cæpit. De quo etiam vide Cardinalem Baronium tomo 1. Annalium.

Loquendo modo in ſecundo ſenſu, quo magis propriè Eccleſia dicitur Catholica, non poteſt manifeſtiori argumento probari Religionem Chriſtianam eſſe talem, quam notato loco in quo ea primum originem habuit, & vndè in reliquas mundi partes nulla prorſus excepta, extendi ſeu peruenire cæpit. Sed vt conſtat tam ex hiſtoria Euangelica, actibuſque Apoſtolicis, quam ex hiſtorijs retro actorum

ſæcu-

sæculorum, christiana religio primum incæpit, & nata est in vrbe Ierosolyma, & ex ea in vicinam Iudæam reliquam, Samariam, aliasque remotissimas tam Orientis, quam Occidentis regiones tunc notas dilatata, vt pluribus ostendit Cardinalis Baronius tomo 1. & 2. Annalium, & Lualdus in opere lingua Italica scripto, de origine Christianæ Religionis in Occidente.

Verùm quid opus est præteriti tẽporis memoriam repetere, tantùm attendendus est huiusce ętatis status, facilèque constabit ipsa euidentia facti, primùm aduersus Christiani nominis hostes, Christianam Religionem pro vt comprehendit omnes etiam hæreticos, & schismaticos Christum agnoscentes, esse adhuc toto orbe diffusam; Deindè comparatione facta inter diuersas Christianorum congregationes de vera Christi Religione inter se contendentes, solam Ecclesiam Romanã Catholicæ Ecclesiæ nomen retinere, & conseruare. Ipsa enim præter Italiam & Hispaniam totam, præter Galliam in qua pro maiori parte, Germaniam, Angliam, Poloniam, Boemiam, Hungariam, Gręciam, Syriam, Aethiopiam, Aegyptum, in quibus multi inueniuntur Catholici; in ipso nouo orbe habet Ecclesias sine admixtione hæreticorũ, in omnibus quatuor mundi partibus: ad Orientem in Indijs: ad Occidentem in America: ad Septentrionem in Iaponia: ad meridiem in Brasilia, & exteriore parte Africæ. At sectæ hæreticæ nunquam totum orbem, aut certè dimidiam eius partem occuparunt, vt videbitur capite subsequenti. Nemoque vnquam communi vsu loquendi, nec præteritos, nec præsentes sectarios catholicos vocauit, aut eorum Ecclesiam Catholicã, vt satis etiam fatetur Aegydius Hunnius in examine Protocolli Monacensis de colloquio Ratisponensi citatus à Tannero 22. disput. 1. quæst. 3. dub. 4. num. 150, nec obscurè agnouit ipse Lutherus dum ex Symbolo Apostolico Germanica lingua ab ipso edito, vbi de Ecclesia sermo est, expunxit particulam, *Catholicam*.

E contrario nobis *Catholicæ*. & *Catholicæ Ecclesiæ* nomen etiam ipsi aduersarij tribuunt, vt apud eumdem Tannerum dolenter agnoscit Iacobus Hilbruner in suo Acatholico volumine pag. 457. & videre est in plerisque Catalogis librorum, quos ipsi in nundinis Francofurtensibus conficiunt, & typis impressos edunt; vbi nostrorum libris hanc inscriptionem præfigunt: *Libri Theologici Catholicorum, qui Romanæ Ecclesiæ subijciuntur*; cum tamen suos interim libros, vel *protestantium* appellent, vel eorum, *qui confessioni Augustanæ* adhærent. Idem factitat ipsa confessio Augustana Latina, Concordiæ libro inserta, præfatiuncula de abusibus, vbi dicitur: *Cum Ecclesiæ apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica; tantum paucos quosdam abusus omittant, &c.* vbi per Ecclesiam *Catholicam*, vtique nostram intelligunt, à qua, vt ipsi aiunt, nonnisi ratione quorumdam abusuum dissentiant.

CAPVT XXVI.

Quod in omnibus alijs ab Ecclesia Christiana, & Romana sectis non sit vera Vniuersalitatis nota; vbi etiam satisfit quibusdam hæreticorum obiectionibus.

CVm inter omnes, quas sibi tanquam certas, & proprias veritatis suæ notas Ecclesia vendicat, nulla sit illustrior, quam quia Catholica, & per mundum vniuersum diffusa est, Hæc enim nota facilè probari, & nullo ferè negotio cognosci potest, vt superiori capite diximus, cùm interim in alijs reperiendis, & agnoscendis plus studij, & doctrinæ requiri videatur. Vt enim omittam, quę ad eius Sanctitatem spectant: Quod sit hæc nostra Apostolica, antiqua, & eadem perseuerans à Christi Domini tempore, vix sciri potest, nisi diligentissimè euol-

uantur Scripturæ & antiquorum Patrum monimenta, vt hoc modo constet, nos aliam quàm eorum doctrinam fidei non profiteri. Cum inquam ita res se habeat, vt ad cognoscendum quæ Ecclesia, seu Christianorum congregatio sit Catholica, non sit opus retroactorum sæculorum historias, aut memoriam repetere, sed solùm attendere huiusce ætatis statum, & considerare quænam latius se diffundit, quæque in omnibus mundi regionibus celebratur, singulari etiam Dei prouidentia cautũ est, hanc Catholicæ Ecclesiæ appellationem soli veræ Christi, seu ab eo fundatæ Ecclesiæ ita esse propriam, vt nulla alia non solùm falsa, sed nec etiam vera religio eo vnquam nomine fuerit insignita.

Primùm id probo de veris, quæ duæ tantum à lapsu, & peccato Adami fuere, Naturalis, videlicet, & Mosaica, neutra autem duarum illarum fuit vnquam perfectè Catholica; vt enim Ecclesia, seu religiosa congregatio ex Scriptura & Patribus superiori capite citatis, à quibus huius appellationis vera germanaq; significatio petenda est, sit verè & propriè Catholica, duo sunt necessaria, prius vt ea sit perfectè vna etiam vt est visibilis, posterius vt cum hac vnitate sit diffusa per quamlibet mundi partem, & in qualibet prouincia, non vnam tantùm familiam, aut genus aliquod, sed quãlibet nationem complectatur, & indies crescat, dilateturque in eas orbis regiones quæ deteguntur, seu ad quas aditus patet; quam ob causam Sancti Patres comparant Ecclesiam Catholicam Soli, Irenæus lib. 1. cap. 2. & 3. Sicut enim Sol creatura Dei in vniuerso mundo vnus & idem est, ita & doctrina Ecclesiæ Catholica vna & eadem semper manens vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis manere.

At lex Mosaica, licet habuerit aliquam vnitatem, quatenus omnes Iudei vt pars Christianæ Religionis non tantùm eamdem in Christum venturũ fidem, sed etiam vnum in terris caput visibile, scilicet Summum Sacerdotem, communia sacrificia, Sacramenta & ritus eosdem habebant; vniuersalitatem tamen locorum non habuit, quia erat alligata vni loco, id est templo Salomonis, extra quod non poterant sacrificare, & vni familiæ, id est, filijs Iacob. Et quamuis per Dei prouidentiam, vt superiori capite notaui, crescente idololatriæ superstitione, & totum ferè mundum ignoratione Dei occupante, Iudæi vnius veri Dei cultores in quamplurimas easque remotissimas orbis regiones dispersi fuerint tum vt ita ad Christum & Euangeliũ via sterneretur, exindèque inciperet esse aliquo modo vniuersalis & Catholica Religio Christiana, vt superiori capite obseruaui, tum etiam vt saltem per Iudæorum commercium in gentibus conseruaretur vnius veri Dei notitia, hocque pacto Gentiles in sua lege naturali per fidem vnius veri Dei saluari possent; eorum tamen aut religio aut congregatio non potuit dici propterea Catholica, quia in illis locis sola Iudæorum natio in ea congregatione continebatur, eaque sola legem Mosaicam obseruabat, paucis admodum ex alijs gẽtibus proselytis ad illam se adiungentibus. At Ecclesia verè & propriè Catholica sic in omnes mundi partes diffunditur, vt non tantùm contineat Christianos fideles eo commeantes, sed earum quoque nationes & populos conuertat, & in suam vnitatem congregationemque admittat.

Similiter qui in lege naturali veram religionem Deique cultum tenebant, etsi crederent omnes in vnum Deum, expectarentque Saluatorem, & in eum saltem confusè cognitum crederent, vnam & eamdem gloriæ spem habendo, ij tamen non habebant vllã perfectam vnitatẽ Ecclesiæ visibilem, cum nec caput in terris visibile vnum agnoscerent, nec eosdem colendi Deũ

per

per Sacrificia, per Sacramenta, ritusve communes haberent.

Igitur loquendo de Vniuersalitate propriè dicta, & in sensu quo superiori capite diximus eam certissimam, ac euidentissimam esse veritatis Christianæ & Romanæ fidei notam; tam lex naturalis, quam Mosaica, nunquam verè & propriè fuerunt vniuersales, sed imperfecto ad summum modo, pro conditione legum Vmbraticarum, & quæ erant tantùm præparationes ad legem Euangelicam.

Quod si iam ad alias sectas oculos conuertamus certè sęculorum omniũ consequentium experientia probabit, nullam earum vnquam, aut Catholicam appellatam fuisse, aut re vera se in omnes mundi partes aut nationes extendisse, vt patebit discurrenti per singulas; eæ enim vel Philosophorum fuerunt, vel Idololatrarum, vel Mahumetanorum, vel hæreticorum.

At Philosophorum Sectæ, & quæcumque ratione, non authoritate nituntur, præterquam quod solis ingeniosis conuenire posse videntur, paucissimos singulæ sectatores habuerunt, & quamuis magnam sapientiam aliquæ earum ostentarent, summaque eloquentia leges suas populis suaderent, nunquam tamen vnum non dicam populum, sed nec vicum aut oppidulum totum ad suas leges trahere, aut institutis informare potuerunt. Vt docent Athanasius lib. de humanitate Christi, & Theodoretus lib. de legibus.

Idololatrica superstitio latissimè quidem olim peruagata est, sed ea nũquam constituit vnam Ecclesiam, aut Sectam, vbi enim sunt diuersorum numinum cultus, ibi non est religio vna; singulæ autem non tantùm nationes, non tantùm ciuitates, sed etiam familiæ suos Deos proprios, Lares penatesque habebant.

Secta Mahumeti omnium aliarum amplissima, quæ ferè totam Asiam, Africamque occupat, & ipsam Europam aliqua ex parte contaminat, adhuc tamen vniuersalitatem qua religionem veram notatam esse diximus, non habet, vt commodius demonstrabitur sectione octaua agendo de illa in particulari.

Tandem nunquam hæresis vlla ad tantam terrarum amplitudinem, sarmenta ab Ecclesiæ vinea proiecta extendere potuit aut poterit, vt meritò Catholica videri possit; quantumlibet veras Ecclesiæ missiones aliquando voluerit imitari; obest hæreseos natura, quæ à diuisione orta in diuisionem tendit: obest amor proprius quęstui animarum contrarius; obest Dei prouidentia, quæ soli fidei suæ, & Ecclesiæ promisit vniuersalitatem.

Sic Arriana hęresis, quæ olim omnium latissimè grassata est, paucas mundi partes occupauit, & in solo oriente ita stetit, vt eam ob causam D. Augustinus eam Orientalem alicubi appellarit: nam quod ait S. Hieronymus in dialogo aduersus Luciferi quod in Synodo Ariminensi Episcopis Catholicis Valentis Vrsaciique Arrianorum confessioni subscribentibus, ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est, haud sic accipiendum est, quasi Arriana hæresis adeò tunc præualuerit, vt orbem vniuersum occuparet; cum pauci Arriani essent extra orientem, paucissimi in Italia, quasi nullus in Gallia. Similiter haud ita intelligendum est, vt quam adeò detestati erant tot qui in illa Synodo ex diuersis mundi partibus conuenerant Episcopi Catholici, atque hactenus abominarētur, Arrianam hæresim crederent se inuitos nolentesque esse cõplexos, cum tamen nõnisi volens quis effici possit hæreticus: sed quod in noua fidei regula, vt optimè obseruauit Cardinalis Baronius Annaliũ to: 3. Consubstantialitatis nomine prætermisso, atque substantiæ pariter ablegato, patefacto eam ob causam Arrianis aditu ad inuadendam Catholicam fidem, iidem visi essent Nicęnæ fidei pro-

proditores: disiecta enim munitione illa fortissima, qua Patres in magno illo consessu Niceno summa industria aduersus Arrianorum fallacias Catholicam fidem instruxerant; hostium negotium egisse videbantur, atque cum Arrianis conniuisse in dispendium cõfirmatæ, ac traditæ à Patribus Nicænis Catholicæ veritatis.

Quod de Arriana hæresi idem penitus asserendum de Nestoriana, Eutychiana, Lutherana, Caluiniana, & alijs: Etsi enim videantur hæretici hoc tempore magnam Septentrionis partem obtinere, tamen non tenentur omnia illa loca ab vna secta, sed à plurimis, non minus inter se, quam nobiscum pugnantibus. Quare scitè D. Augustinus lib. de pastor. cap. 8. docet Ecclesiam esse vbique, & hæresim vbique. Sed Ecclesiam esse vnam, & eamdem vbique, hæreses autem non easdem, sed diuersissimas, quæ se inuicem non nouerunt, & proindè nullam earum esse Catholicam. Vndè rectè eas comparat sarmentis præcisis, quæ vbi cadunt, cum præciduntur, ibi manent: cum interim Ecclesia tanquã vitis viua vbique palmites suos quotidiè extendat, destinatis fidelibus in messem Domini operarijs, deficienteque in sectarijs fide transferatur in gentem facientem fructus eius.

At obijcient hæretici, nostram Ecclesiam passim etiam vocari *Papisticam*, itemque Romanam, non est ergò vndè tantùm nomine Catholicæ gloriemur tanquã certissimo veritatis Ecclesiæ nostræ argumento.

Respondetur primò ad hanc obiectionem, Papistarum nomen nonnisi à sectarijs nobis imponi; more etiam veterum hereticorum, qui Catholicis antiquam & tot sæculis præscriptam appellationem subindè inuidentes, nouis eos agnominibus quasi per ludibrium traducere conabantur, vt colligitur passim ex Annalibus Cardinalis Baronij, sic enim iam olim etiam Catholici à Valentinianis hæreticis dicti sunt *simplices*, ab ijsdem, & à Montanistis *Psychici*, seu *Animales*; ab Origenistis *Philosiotæ*, & *Animales*; ab Arrianis *Homousiani*; à Vigilantio *Cinerarij*; à Donatistis *Macariani*; ab Acephalis *Synoditæ*; à Iacobitis *Melchitæ*, vt & à Græcis quibusdam *Azymitæ*. *Vna videlicet est Catholica Ecclesia, cui hæreses aliæ diuersa nomina imponunt: cum ipsæ singulæ proprijs vocabulis*, (v.g. Lutheranorum, Caluinistarum, &c.) *quæ negare non audeant, appellentur*; vt rectè iam suo tempore notauit D. Augustinus libro de vtilitate credendi cap. 7. & iam tetigimus superiori libro sect. 3. cap. 9. 10. & 11.

Respondetur secundò quod ad rem ipsam prędictis nominibus significatã spectat, quæ est consensus & vnio cum Papa, seu Romano Pontifice & Cathedra Apostolica, tantùm abest, eam vllius falsæ religionis, aut fidei esse notam, vt potius semper in Ecclesia Christi pro manifestissimo Orthodoxi signo habita fuerit: *Ego interim clamito*, inquit D. Hieronymus, *si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est*, quatenus sola Romana, seu quam Romæ fundauit S. Petrus, Ecclesia, quamque ipse vt propriã rexit Episcopus & Pastor, & quam hactenus rexerunt S. Petri successores Romani Episcopi, per se primò Catholica est, aliarum omnium Catholicarum mater, & caput; ita vt Ecclesia totalis dicatur Catholica, quia Romana est, non autem Romana quia Catholica; quia quod ea Catholica sit, Romana causa est, & eius partium seu particularium Ecclesiarum communio cum Episcopo & Ecclesia Romana, vt pluribus demonstrat Tannerus in Apologetico pluries citato pręfationis colloquij Ratisponensis, & par. 2. Anatomiæ confess. Augustanæ demonst. 1. de quo etiã redibit sermo infra sect. 5. & iam plura dicta sunt tomo 3. lib. 3. sect. 3. & 4.

CA-

CAPVT XXVII.

Explicatur duodecimum argumentum desumptum ab eodem Catholici nomine, quatenus eo significatur vniuersalitas temporis.

POstquam superiori capite explicuimus argumentum ab Ecclesiæ, aut Religionis Christianæ catholicitate desumptum, quatenus eo nomine significatur positiua quædam locorum vniuersalitas, eaque sola vocatur Ecclesia Catholica, quæ ab ortu suo cępit crescere in varia loca extendi, & semper hactenus se dilatat, propagatque in omnem locum, regionem & prouinciam; nunc aliud explicandum est ab eodem etiam nomine deductum, quatenus tamen illo significatur vniuersalitas temporis, seu constans duratio, ratione cuius religio Christiana est omnium antiquissima, & ad nos vsque nusquam interrupta serie continuata. Sic igitur formo argumentum.

Ea est vera religio & à Deo fundata, quæ est omnium antiquissima, & huic mundo, vt ita dicam coæua, quæque hactenus perstitit cum eadem doctrina fidei & morum, ita vt illibata, integraque modo sit eadem, quæ ante octo, decem, duodecim, & sexdecim sæcula fuit, licet adeò mutata fuerint tempora, instituta, moresque hominum; atqui hoc solum competit Religioni Christianæ, & inter omnes cætus, qui Christi nomen profitentur, soli Ecclesiæ Catholicæ, quam sectarij Romanā vocant; non autem vlli sectarum ab ea distinctarum, ergò sola Ecclesia Catholica est vera Dei, & Christi Ecclesia.

Maior huius argumenti, quo ad primam partem de antiquitate, primùm probari potest aduersus infideles diuinarum Scripturarum authoritatem non recipientes ex communi consensu omnium inter illos Sapientum, qui semper antiquas religiones venerati sunt, vndè apud Origenem lib. 1. contra Celsum initio, & Eusebium lib. 1. de præparat. Euang. cap. 1. Christianæ religioni nouitatem, tanquam falsitatis notam certissimam obijciebant, nec alio quam antiquitatis argumento efficaciore apud Imperatores pro restituenda ara victoriæ vtitur Symmachus apud S. Ambrosium in lib. 5. Epistolarum, vbi sic ait: *Si longa ætas authoritatem religionibus faciat. Seruanda est tot sęculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui sequuti sunt feliciter suos.* Respondet autem S. Ambrosius epist. 31. *Cæli mysterium doceat me Deus ipse qui condidit, non homo qui se ipsum ignorauit; cui magis de Deo, quam Deo credam?*

Ratio autem cur religio eo sit verior, ac diuinior, quo antiquior, ita vt duæ istę rationes verę, aut à Deo reuelatæ, & antiquissimæ, seu coæuæ, & æqualis orbe condito se se mutuo comitentur & inferant, desumitur ex hoc quod religio diuinitùs tradita habetur per authoritatem, non autem acquiritur per intelligentiæ rationem; etsi autem ea, quæ per rationem addiscuntur possint maiora in dies incrementa suscipere, vndè vt experimenta noua fiunt, nouaque diligentia in ratiocinando adhibetur, scientias, & artes quotidiè perfici videmus. At quæ veritas per authoritatem comparatur, cum ab vno aliquo authore in cæteros deriuetur, quo magis ab eo, & per plures discedit, eo maius periculum est ne puritatem, sinceritatemque deperdat; vndè sic acutè disputat Ioannes Bagotius Societ. Iesu tomo 1. Apologetici fidei lib. 2. disp. 6. cap. 2. sect. 2. Quo magis religio Deo suo authori vicinior est, eo est purior & sincerior: at quo est antiquior, eo magis est Deo vicinior: igitur quo aliqua religio aut fides antiquior est, eo quoque verior ac sincerior existimari debet. Maiorem probat ex hoc, quod omnis vera religio profecta à Deo per homines à Deo ipso edoctos traditur alijs, & ita addiscitur: & quo veritas aliqua per authoritatem cognita vicinior est autho-

authori ipsi,eo purior & defæcatior est. Pro minoris verò probatione supponit prędictus doctor, religionem ita doceri à Deo, vt is non singulos homines per se proximè & immediatè doceat & suis institutis informet, sed nonnullos diuinos homines, & aliorum doctores instituat, inter quos maximè reponere debemus primum hominem, quem nos asserimus fuisse Adamum,indeque manifestè colligitur,quia idem ipse debuit posse saluari, & consequenter scire disciplinam salutis,quam cum ab alio homine addiscere non potuerit, ab ipso Deo edoctum cùm esse oportuit.

Quod argumentum est efficacissimum maximè si cùm antiquitate coniungatur nunquam interrupta, & perpetuò constans eiusdem religionis per tot secula immutabilitas, re enim benè, prudenterque perpensa, talis diuturnitas aut stabilitas, præsertim inter innumeras quibus illa religio agitaretur procellas,nonnisi verum miraculum soliusque Dei omnipotentis opus esse potest; omnem enim religionem,aut sectam ad componendos mores, & legē homines ad salutem dirigentē, si Deū authorem non habet, nec diuina est, sed humana; caducam esse, & aliquando deficere oportere, manifestè probat vniuersalis omnium aliarum sectarum præter Christianam ruina. Eaque fuit sententia Gamalielis in cap. 5. Act. Apostol. *Si*, inquit, *est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud, ne fortè & Deo repugnare inueniamini*.

Secundò probatur eadem maior propositio, maximè quo ad secundam partem de constanti & perpetua veræ Ecclesiæ duratione, aduersus hæreticos authoritatibus Sacrę Scripturæ, & Sanctorum Patrum ab illis admissis. Nam de vniuersalitate temporum, qua ad finem vsque mundi à primo sui exortu perpetuò sit permansura, præter multa veteris testamenti loca, suppetunt apertissima noui testimonia; Lucæ 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius & regnabit in domo Iacob in æternū, & regni eius non erit finis*; Item cap. 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*. Matthęi 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Item 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*. Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in ęternum*. Quę omnia pertinere ad Ecclesiam Christi, quam hęretici non dubitant esse veram, ac Diuinam, ex contextu, & circumstantijs locorum euidens est.

Eamdem etiam perpetuitatem, seu temporum vniuersalitatem, tanquam certissimum veræ Ecclesiæ signum tradunt SS. Patres speciatim S. Irenęus lib. 3. contra hęres. cap. 3. & 4. Tertullianus de præscript. cap. 28. & 31. Cyprianus lib. de vnitate Eccles. cap. 5. Basilius epist. 61. Epiphanius hęres. 55. & 75. Ambrosius lib. 1. hexameron c. 7. & lib. 4. cap. 4. Chrisostomus serm. de Pentecoste, & in cap. 6. Isaię, nec non in vers. 10. Psal. 44. *Adstitit regina à dextris tuis. Ecclesia oppugnatur, euincit; appetita insidijs superior euadit, iniurijs contumelijsque lacessita illustrior constituitur sauciatur, nec cedit impressioni vulnerum, vtcumque fluctuet non submergitur; immanes sustinet procellas, nec sic quidem patitur naufragium, luctatur, sed non succumbit*. Athanasius epist. de Synodo Ariminen. & Seleuc. item in oratione, quod vnus sit Christus, ad illa verba eiusdem Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam. Fidelis sermo & non vacillans promissio. Ecclesia inuicta res est. Etiam si infernus ipse commoueatur, & si qui in inferno sunt, mundi principes, & tenebrarum tumultum faciant*.

Item D. Hieronymus in dialogo cōtra Luciferianos cap. 9. vbi ait: *In illa Ecclesia permanendum est, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad hanc diem durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi*

(*seu*

(seu Christiani) non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtpotè Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas, scitò non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Similia apud eumdem videri possunt in cap. 4. Isaiæ, & in epistola ad Pammachium, & Oceanum.

Tandem ex innumeris, quæ circa hanc materiam habet D. August. ep. 48. & lib. de vnit. Eccl. cap. 14. & 15. & in libro contra epistolam fundamenti c. 4. & in libro de vtilitate credendi cap. 14. & alibi, vnum afferam locum ex concione 2. in Psalmum 101. *Sed illa Ecclesia*, inquiunt Donatistæ, *quæ fuit omniū gentium, iam non est, perijt. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem. Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem, & detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam vanam, temerariam, præcipitem, pernitiosam præuidit Spiritus Dei*.

Quæ omnia tam diuinarum Scripturarum, quàm Sanctorum Patrum maximè D. Augustini loca euidenter damnant sectariorū huius temporis errorem, cum aiunt, veram Ecclesiam Christianam, veramque fidem ac doctrinam defecisse, totque sæculis in tenebris, ac puluere consepultam iacuisse: de quo etiam vide dicta tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 3. & 10.

Nunc ergò probanda est minor quo ad affirmatiuam partem, nempè Religionem Christianam esse omniū antiquissimam, eamque hactenus in Ecclesia Romana perseuerasse; pro quo breuiter recolendum est illud, quod iam supra adnotauimus lib. 3. sect. 3. cap. 3. Christianam videlicet Religionem duobus modis considerari posse, primò pro ea quæ nunc Christiana dicitur, quia sacrificia, Sacramenta, reliquamque disciplinam suam à Christo Domino acceptam tenet, estque ipsa ab eodem fundata. Secundò intelligi potest ea, quæ non tantum vnum Deum, sed etiam Christum Dominum tanquam seruatorem, mediatoremq; suū coluit, siue eū venturū crediderit, siue iam venisse, & modo regnare triumphantem credat. Et in hoc secundo tantùm sensu asserimus Christianam Religionem esse omnium antiquissimam, mundoque coæuam & ætate parem, quod non potest aliter efficacius probari, quam per annales nostros, & historiam Sacrorum librorum; Geneseos cap. 3. cum dixit Deus Serpenti, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum*. Ibi Adamus totius societatis humanæ, naturæque parens & caput Deum vnum, & Saluatorem Christum facilè agnouit, nam hoc semen Christum esse interpretātur omnes Patres, & loci illius expositores. Præter Adamum eamdem in lege naturæ Christi Saluatoris cognitionem non solùm implicitam, sed etiam explicitā habuerunt Noë, Melchisedech, Abraham, Isaac, & Iacob; in lege veteri, aut scripta Moses, Aaron, Dauid, & alij plures, vt prophetæ, & qui in vnoquoque statu fuerunt, vel summi Sacerdotes, vel Rectores & capita aliorum quo ad vitā & directionem spiritualem.

Quare D. Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 1. vbi agit de continua eiusdem Christianæ religionis duratione, etsi dicat difficile esse liquidò probare ex Scripturis Sanctis, an à Noë vsque ad Abraham veri vnius Dei cultor quisquam extiterit, *quia non inuenimus*, inquit, *vsque ad Abraham cuiusquam pietatem euidenti eloquio diuina prędicatam*; cuius rationem & causam adducit, quod Moses in libro Geneseos non habuerit in animo contexere historiam aut annales Ecclesiæ Dei; sed eo maximè spectasse, vt ad Abraham ex cuius semine Christus secundum carnem oriundus erat, properaret; & si quę alia occurrerent, quasi per occasionem attingeret. Nihilominus tamen idem S. Augustinus non obscurè colligi ex eadem Scriptura docet ibidem cap. 2. sem-

ſemper duraſſe Eccleſiam Dei,& Chriſtianam Religionem in Adamo ędificari cęptam. Quod idem ſcribit ſerm. 217. de tempore.

Sunt & huius veritatis ac doctrinæ teſtes plures alij Sancti & antiqui Patres; Origenes lib. 1. contra Celſum initio, & homil. 2. in cantica poſt medium ad illa verba, *quam ſpecioſa*, &c. *Antequam*, inquit, *tempus horum adeſſet, in multis Angelorum miniſterio excolebatur ſponſa, qui apparebant tunc hominibus, & loquebantur ea quæ res poſcebat & tempus. Non enim tu mihi ex aduentu Saluatoris in carne ſponſam dici, aut Eccleſiam putes, ſed ab initio humani generis, & ab ipſa conſtitutione mundi.* Poſteaque fusè probat Adamum fuiſſe prophetam Chriſti.

Item Euſebius Cęſarienſis lib. 1. de prępratione Euangelica cap. 1. & lib. 1. de demonſtrat. Euangel. cap. 5. & 6. Et lib. 1. hiſtor. cap. 1. *Omnes*, inquit, *qui ab Abraham ſurſum verſus vſque ad primum hominem generationum ordine conſcribuntur, etiamſi non nomine, rebus tamen & religione Chriſtianos fuiſſe ſi quis dicat, is mihi non videtur errare. Etenim nomen Chriſtiani hoc indicat, quod Chriſto quis credens per eius doctrinam, fidem, pietatem, ac iuſtitiam tenet.*

S. Epiphanius in epiſtola ad Acaciũ & Paulum, quæ eſt prępfatio librorum aduerſus hæreſes. D. Chriſoſtomus in cap. 4. ad Epheſios orat. 10. Alijque plures, qui conſuli poſſunt apud Patrem Bolducum in lib. de Eccleſia ante legẽ. Etenim ſi quis eorum dicta ſolo veritatis ſtudio impulſus velit expendere, non dubitabit Chriſtianam Religionem non ſolum poſt aduentum Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti prædicatam eſſe, ſed etiam ab initio mundi multis figuris, & Sacramentis ſecretioribus deſignatam ac reuelatam; nec enim Actuũ Apoſtol. cap. 4. *Eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*; quod eſſe intelligendum de hominibus cuiuſcumque legis & ſtatus patet ex Apoſtolo ad Romanos 4. *Omnes quotquot peccauerunt iuſtificati ſunt per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem Deus propoſuit propitiatorem per ſanguinem in fide ipſius*; Vndè Apocalipſ. 13. dicitur: *Agnus occiſus ab origine mundi.*

Quia autem ad perfectiſsimam temporis vniuerſalitatem, ſecundum quam vera Eccleſia dicitur Catholica, non ſolùm pertinet quod ab initio mundi fuerit, ſitque omnium antiquiſsima, ſed etiam continuata, nec vnquam interrupta eius duratio; nunc probandum eſt, præcipuè aduerſus huiuſce tẽporis hæreticos, noſtram Eccleſiam; quam ipſi Romanam, vel Papiſticam vocant, eſſe illam ipſam, quam prius in veteri Teſtamento pręfiguratam poſtea Chriſtus Dominus perſonaliter inſtituit, & per Apoſtolos ac diſcipulos propagauit; ſic enim apertè conſtabit illam eſſe veram, & vnicam Dei Eccleſiam.

Ad hanc ergò conſtantem Eccleſiæ noſtrę durationem, perfectamque in doctrina cum Eccleſia antiqua conſpirationem demonſtrandã poſſemus procedere primò proferendo ſententias veterum, quibus ſingula noſtra dogmata confirmaremus, aduerſariorum refutaremus; vel etiam ſecundò oſtendendo quod Nouatores nullo modo ad Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, ſed tantum ad Apoſtatas ſuorum dogmatum cenſus poſſunt referre; verùm quia vterque modus prolixiſsimus eſſet, & in vnaquaque materia Theologica ſuis locis Deo dante præſtabitur; ſufficiat nunc ſubſequens ratio ad probationem intentæ veritatis, qua vtitur Cardinalis Bellarminus tomo 1. lib. 4. de notis Eccleſiæ.

In omni inſigni mutatione religionis ſemper iſta ſex demonſtrari poſſunt. Primò author eius. Secundò, dogma aliquod nouum. Tertiò, tempus quo cępit. Quartò locus vbi cæpit. Quintò, quis eam oppugnauerit. Sextò, aliquis cætus, vndè paulatim alijs accedentibus cęperit; atqui ſectarij, quamuis ſępius prouocati, nihil vnquam horum de noſtra Eccleſia, aut aliquo eius dog-

dogmate post Apostolica tempora demonstrare potuerunt; cum tamen illa omnia de singulis hæreticorum sectis facillimè ostendi possint; vt suis locis declarabitur, agendo de vnoquoque fidei Catholicæ dogmate.

Deindè ante Lutheri & Caluini tēpora, non erant in mundo nisi hæ religiones Paganismus, Iudaismus, Mahumetismus, Græçismus, Nestorianismus, Hussitarum hęresis, & Romana Ecclesia: sed certum est non fuisse, nec perseuerasse veram Ecclesiā Christi apud vllam ex prędictis sectis, vt etiam Lutherani, & Caluinistæ fatentur; ergò fuit apud Romanam Ecclesiam, aut certè perijt de mundo per tot sæcula omnis vera & visibilis Ecclesia: cuius tamen oppositum docent omnes Sancti Patres, & ipsemet Christus Dominus promisit Matthęi 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*.

Tandem cùm ex ipsamet aduersariorum confessione iam Ecclesia nostra in diuturna admodū possessione à Gregorio I. huc vsque per mille & amplius annos legitimæ, ac perpetuò continuatæ successionis Apostolicę perdurauerit, idcircò, nec tenetur quidem ad aliā probationem, sed in sua possessione iure perseuerat, donec sectarij, noui vtique homines, qui se & ab Ecclesia Romana, & hoc ipso ab vniuersa antiqua Ecclesia Christi visibili separarunt, vt contra sui temporis hęreticos loquitur S. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ cap. 9. contrarium perspicuo aliquo argumento probent; quod nunquam prędstabunt.

Quod enim aiunt Ecclesiā Romanā post primos quingentos annos tempore Gregorij I. defecisse, & in ea religionis mutationem factam fuisse, prętterquam quod id non possunt ostendere per vllam historiam, aut veterum scripta; oppositum manifestè constat ex totius orbis communicatione cum Gregorio, vt ex epistolis eius, quas ad omnes prouincias mittit cognosci potest. Item post Gregorij obitum celebratum est Concilium sextum generale, ex quo manifestè colligitur, totum orientem, & occidentem eo tempore cum Romano Pontifice, vt membra cum suo capite coniuncta fuisse.

Quod si dicant non posse ostendi de nostra Ecclesia, quo tempore, quo loco, per quem authorem prçcisè cæperit; non quod re vera non sit noua, sed quia non facta est simul ista mutatio, sed paulatim irrepserunt errores nō aduertentibus, immò etiam dormientibus pastoribus; hæç certè responsio non valet, nam etiam aliç mutationes non factæ sunt totæ simul, sed paulatim, & tamen scimus de singulis quandò & quomodo ortæ sunt, & à quo authore suam originem, ac denominationem habuerunt. Sed de his satis, qui plura desiderat consulat Cardinalem Bellarminum loco citato, & Adamum Tannerum in Anatomia confess. Augustanę par. 2. obiect. 7. à num. 204. vsque ad 256. Quod enim aduersarij nobis objiciunt, & opponunt pro nouitate aliquorum dogmatum, suis locis discutietur, Deoque fauente ostendemus non esse heręses, sed antiquissima dogmata, quod vel ex ipsis centuriatoribus in singulis centurijs facillimè demonstrari posset, capite enim 4. illarum circa finē annotant, qui authores & Patres defenderint nostra dogmata: quæ nunc ipsi oppugnant: nec originem inueniunt nisi tempore Apostolorum; nam etiam Dionysium, Ignatium, Martialem, Iustinum, Irenęum & alios numerant inter nostros fautores, quos constat proximè insequutos Apostolorum tempora. Hęc tamen dogmata quæ in omnium Patrum libris inueniunt, in patribus vocant nęuos, in nobis hæreses: scilicet hęc est astutia aduersariorum, vt ostendant nos esse extra Ecclesiam, nostra dogmata vocant hęreses; vt non videantur ipsi separati ab Ecclesia Patrum, eadem dogmata in illis vocant næuos, *deplorationęque dignum esse*, aiunt in prçfat. Centuriæ 2. ad Ducem Saxo-

Saxoniæ, *quod tam citò magnæ obscurationes magnorum articulorũ fidei sensim inciderunt. Summi enim in Ecclesia Doctores suas quasdam opiniones habuerunt, quibus sequentibus temporibus Ecclesia quassata, & turbata est. Nam doctrina de libero arbitrio statim hoc sæculo cœpit vitiari, nimiumque viribus humanis tributum est, &c. operibus iustificatorum plusquam debebat ascripserunt: quod fortè ex errore de necessitate operum ad salutem promanauit. Martyria Sanctorum, sentire cœperunt esse peccatorum expiationes.*

Item centuria 3. cap. 4 *Videas*, inquiunt, *in doctoribus huius sæculi*, ante annum videlicet trecentesimum, *non obscura* (hoc est clara) *vestigia inuocationis Sanctorum*. Et sic de alijs, de quibus supra tom. 3. lib. 3. sect. 3. c. 3. & 10.

CAPVT XXVIII.

Ostenditur veram Ecclesiæ Dei perpetuitatem nulli sectariorum huius temporis catui conuenire.

CErtè si Ecclesiam nostram durasse ab initio mundi huc vsque: vel si de statu noui testamenti loquamur, durasse à Christo huc vsque per mille sexcentos sexaginta nouem annos, frustra eam oppugnantibus Iudæis, deindè paganis, vltimò hæreticis: nec solùm durasse, sed etiam ex persecutionibus creuisse; si, inquam, tam diuturna, & constans per tot sæcula Ecclesiæ nostræ immutabilitas certissimum est, & euidentissimum veritatis illius argumentum, vt enim ait Theodoretus lib 5. de curat. græc. affect. falsitas non modo ipsi veritati, sed sibi quoque ipsi contraria est; veritas autem, & sibi constans est, & vnam tantummodò falsitatem infestam habet. Per oppositum omnes alias ab Eclesia Catholica sectas, aut superstitiones, inter tot humana præsidia, & subsidia Sapientum huius sæculi, potentum, nobilium ac diuitum perijsse, non minus euidens, ac certum est falsitatis earum signum, nec Deum authorem habuisse, aut diuinas esse, sed humanas easque caducas.

Incipiendo igitur ab Idololatrica superstitione cuius innumeræ fuerunt species, claram est omnem antiquam idololatriam funditus perijsse, adeo vt nec ipsa eius vestigia supersint. Idem constat de omnium Philosophorũ sectis; etsi enim eorum aliquæ plures adhuc in scholis discipulos habeant, non tamen totæ quantæ sunt, nec secundum eas partes, quæ Religioni Christianæ repugnant, quia videlicet quod in earum philosophia falsum erat obsoleuit, nec quæ præcepta ad mores spectantia continet veritatem indubitatam habent, nisi quia Religionis Christianæ authoritate fulciuntur. Idem dico de legibus Licurgi, Solonis, Numæ Pompilij, & aliorum, qui respublicas instituerunt, eæ enim omnes vnà cũ suis rebuspublicis tandem antiquatæ & deletæ sunt, cum primum fulgere cœpit Christiana Religio, licet nationes, populi, reges, & quidquid potens in hoc mundo videtur esse, pro ijs conseruandis nihil intentatum reliquerint, & ea præsertim de causa tam atrociter inuecti fuerint in Christianos, quia animaduertebant legem Christianam prophanas eorum leges, ac ritus ex hominum mentibus radicitus extirpare.

Tandem si loquamur de hæreticis, præterquam quod nulla est eorum secta, cuius mutatio, & ab Ecclesia Catholica defectio manifestè demonstrari non possit, ex ducentis diuersissimis hæreticorum sectis, quas numeramus vsque ad tempora Lutheri, & Caluini, non supersunt nisi reliquiæ quædam Arianorum in Transyluania, Nestorianorum, & Eutychianorum in Oriente, & Hussitarum in Bohemia: reliquæ omnes funditus interierunt. De hæreticis enim S. Paulus dicit, *sed vltra*

non proficient, 2. Timoth. 3. & B. Cyprianus lib. 4. epist. 2. docet, Schismaticos semper inter initia feruere, incrementa verò habere non posse, sed statim cum praua sua æmulatione deficere. Et D. Hieronymus in cap. 3. Habacuc in ea verba; disperges aquas; *Feruntur hæreses*, inquit, *prono eloquentia cursu & precipites, vt quemque obuium, & leuem inuenerint secum trahant, sed tanquam torrentes velociter transierunt, quia non erant flumina perennia de Deo veritatis, & Sanctitatis fonte profluentia*. Idem penitus docet D. Augustinus psal. 57. in illud: *Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens. Non vos terreant*, inquit, *fratres quidam fluuij, qui dicuntur torrentes: decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses iam emortuæ sunt; concurrerunt in riuis suis quantũ potuerunt, decurrerunt, siccati sunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerunt*.

Quod de antiquis suorumque temporum hæreticis prædicti Patres docuere, idem penitus de huiusce nostri temporis sectarijs asserere possumus; quod enim primò ad doctrinæ nouitatem spectat, posset ex eo facilè probari, quod omnia ferè eorum dogmata iam olim habita fuerunt in Ecclesia antiqua pro exploratis hæresibus, quæ ponuntur in Catalago hæresum ab Irenæo, Hieronymo, Epiphanio, Philastrio, Augustino, Theodoreto, Damasceno, & alijs probatis authoribus, verùm quia longum esset talem hæreticorum nostri temporis cum veteribus in doctrina collationem prosequi sufficiat nunc ad probationem huius veritatis propria illorum confessio, qui non raro fatentur suam doctrinam esse nouam, totique antiquitati repugnantem, sic Caluinus lib. 2. institut. cap. 2. §. 4. profitetur se nullum veterum, excepto Augustino, sequuturum: & paulò post etiam Augustinũ deserit. Nam eiusdem lib. 2. cap. 3. §. 7. reprehendit illam Augustini sententiã ex ep. 106. voluntatem nostram cooperari gratię, non vt præuiam, sed vt pedissequam: asseritque Caluinus, nec vt pedissequam cooperari, sed simpliciter totum fieri à gratia. Et lib. 3. cap. 11. §. 15. *Ac ne Augustini quidem*, inquit, *sententia per omnia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vita nouitatem regeneramur per spiritum*.

Eodem sensu loquitur Lutherus in præfatione operum suorum, & alibi passim, dum ait: *Primò solus eram*, & in colloquijs latinis tomo 2. cap. de pastoribus, *Tertulliani & Cypriani ætate degenerasse Ecclesiam; imo ipsis Apostolis adhuc viuentibus*.

Quid plura tam Caluinus, quam Lutherus, eorumque discipuli, vt nouas mundo obtruderent hęreses, vetere sque ab inferis commodius excitarent, omnia fidei Catholicæ dogmata, quæ primis etiam illis sęculis Martyrum sanguine, Sanctorumque Patrum testimonio sanctissimè iuxta Apostolicam doctrinam & traditionem defensa legimus, non aliud isti, quam peculiares, incommodas, monstrosas opiniones, stipulas, næuos, & errores, quia nunc etiam à Papistis videlicet, mira cum Ecclesia antiqua in doctrina conspiratione fideliter retinentur, contumeliosè appellant. Cum tamen hoc argumento ab antiquitate, & conspiratione in doctrina cum Ecclesia antiqua semper vsi fuerint veteres Patres contra hęreticos, ad ostendendam veram Ecclesiam. Laudaturque Theodosius Imperator à Sozomeno lib. 7. histor. cap. 12. quod hac arte compescuerit hæreticos sui temporis. Iussit principes sectarum conuenire, deindè petijt an existimarẽt antiquos Patres, qui Ecclesiam rexerant, antè dissidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, rectè sensisse, & verè Sanctos & Apostolicos fuisse: quod cum illi concessissent (& vtinam hodiè sectarij nostri concederent, sic enim omnia facilè inter nos & illos componerentur) subiunxit: *Examinemus ergò doctrinã vestram*

vestram ad illorum scripta, & si cum illis consenserint, retineatur, sin minus abijciatur.

Porrò eleganter aduersus istos, qui omnes antiquos errasse dicunt, eorũque authoritatem in materia fidei cõtemnunt loquitur Tertullianus lib. de præscript. *Age*, inquit, *nunc omnes Ecclesiæ errauerint, nullam respexerit Spiritus Sanctus, vti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset doctor veritatis. Neglexerit officium Dei Villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat, & quid verisimile est, vt tot ac tantæ in vnam fidẽ errauerint. Audeat ergò aliquis dicere, errasse eos, qui tradiderunt? quoquo modo sit erratum, tandiu vtique errauit error, quandiu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas, & Valentinianos,* dicam Lutheranos, & Caluinistas, *liberãda veritas expectabat, interea perperam euangelizabatur, tot millia millium perperam tincta.*

Ratio autem cur omnes Sancti Patres, nosque eorum exemplo ad probandam Ecclesiæ nostræ veritatem tanti facere debemus conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua, desumitur ex hoc, quod comparando nõ solùm plebem cum plebe, sed etiam capita Ecclesiæ post Apostolos, seu Episcopos immediatos successores Apostolorum cum alijs eiusdem Ecclesiæ in statu gratię capitibus, seu Episcopis sequentium sæculorum, ij, qui immediatè successerunt Apostolis, regulariter, vt plurimum, seu maiori ex parte habuerunt fidem magis explicitam, quàm qui longè postea illis successerunt.

Si quidem ea omnia, quæ conducunt ad tradendam fidem magis explicitam ex parte docentis, item & ex parte suscipientis, fuerunt modo perfectiori primis illis sæculis, quam sequentibus: Tria enim potissimum requiruntur *ex parte docentis*, primum est maior efficacia, & perspicuitas in docendo; secundum maior penetratio obiecti, quod docetur, & veritatum in illa contentarum; tertium affectus, & diligentia in tradenda, & docenda fide: ex parte suscipientis requiritur potissimum pietas, & feruor fidei per charitatem informatæ: atqui singula hæc fuerunt perfectiori modo simul & semel primis illis sęculis Ecclesiæ, quibus Apostoli Episcopos, vel à se constitutos, vel sibi successuros instruebant in doctrina fidei, vt facilè colligitur ex annalibus Ecclesiæ, & ex hoc quod Apostoli edocti sunt à Christo Domino omnem veritatem, & in die Pentecostes repleti sunt Spiritu Sancto, & eius donis, etiam ad tradendam fidem requisitis; Ergò vbi agitur de vera Christi Ecclesia, quæ teste Tertulliano lib. de præscriptionibus non solùm dicitur Apostolica propter successionem Episcoporum ab Apostolis vt dicetur infra, sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem, non potest aliundè efficacius probari, quam ex consensu in doctrina cum Ecclesia antiqua, vt ibidem docet Tertullianus cap. 20. cuius verba hæc sunt.

Postea in orbem profecti, scilicet Apostoli, *eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgarunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exindè Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidiè mutuantur, vt Ecclesiæ fiant, ac per hoc, & ipsæ Ecclesiæ Apostolicæ deputantur vt soboles; Ecclesiarum omne genus ad originem suã censeatur necesse est;* postea sequenti c. 21. *constat proindè omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.*

At

At dicit Caluinus in præfat. institut. suam Ecclesiam non esse nouam, sed antiquissimam, imò illam ipsam quam Christus fundauit, & Apostoli professi sunt. Sed facilè respondetur primò hunc esse Trasonismum omnibus hæreticis consuetum, vt iam à mille quadringentis annis egregiè adnotauit Lactantius Firmianus lib.4.diuinarum institutionum cap.vltimo, *Sola Catholica*, inquit, *Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic autem est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei: quo si quis non intrauerit vel à quo si quis exierit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Sed tamen singuli quique hæreticorum cœtus se potissimum Christianos, & suam esse Catholicã Ecclesiam putant.*

Caluinus igitur & Lutherus cum omnibus alijs hæreticis iactant, suam doctrinam ad vnguem esse doctrinam Christi, & Apostolorum, ac proindè Catholicã, qui tamen vel ex hoc ipso de mendacio apertissimè conuincuntur, quod post Apostolorum tempora, nec vnum ostendere possunt Christianum doctorem, qui cum ipsis idem per omnia, quoad fidem, non solùm in ijs, quæ ipsi adiaphora vocant, sed etiam in fundamentalibus fidei articulis, in quibus à nobis ipsi dissentiunt, senserit; nec vllam Ecclesiam, in quali talis doctrina continuò durauerit; imò nec vnum fidelem hominem, qui eam doctrinam disertè fuerit professus ostendere.

Quod si respondeant Caluinus, & Lutherus, (quod est vltimum, ad quod se veluti ad extremam arcem pulsi vndique recipiunt) hanc suam Ecclesiam per multa sæcula non esse visam, & nunc demum apparuisse; idque ipsum fuisse diuinitus prędictum asserit Iacobus Hadbrunnerus Neoburgensis prædicans in suo Acatholico volumine artic.15. cap.9. & 10. Seriem videlicet ac successionem puræ Ecclesiæ Christi interruptam iri, per apostasiam ac defectionem à vera fide & regnum Antichristi, Danielis 12. Matth. 24. Thessalonic. 2. 1. Timoth. 4. 1. Ioannis 2. & in Apocalypsi.

Respondeo id ip um quidem iam olim aduersus Augustinum obiecisse Donatistas lib. de vnitate Ecclesiæ cap.13. *Sed postea*, inquiunt, *orbis terrarum apostatauit, & sola remansit Donati communio*; Quod etiam in scripturis fuisse prænuntiatũ ibidem c.15. & 16.fusè conantur ostendere. Verùm cum eodem D.Augustino ibidem c.16 & clarius lib.3. de Baptismo contra Donatistas cap.2. hoc argumẽtum facere possumus, aut ista Ecclesia, quæ nunc apparuit, antè perierat, & nunc resurrexit: aut non perierat, sed tantùm inuisibilis latuerat, & nunc extulit caput.

Non primùm, quia tunc non potuissent renasci ipsi, si mater perierat. *Si perijt vndè ergò*, inquit D. Augustinus, *Donatus* (dicam, Lutherus, Caluinus, Zuuinglius) *apparuit? de qua terra germinauit? ex quo mari emersit? de quo cælo cecidit?* quod idem antea suorum temporum hęreticis obiecerat Tertullianus lib. de præscript. *Qui estis vos*, inquit, *vndè & quando venistis? vbi tamdiu latuistis?* Et præterea falsæ erunt promissiones Christi Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, & cap. vltimo: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

Non secundum quia tunc vel ista Ecclesia latens, & inuisibilis profitebatur illam ipsam Lutheri, & Caluini fidem, vel non profitebatur: si profitebatur, ergò non erat latens & inuisibilis, sed manifesta: & si manifesta, quomodo nullum vestigium nullaque memoria extat, quomodo non aliquem saltem nominent, qui eamdem cum ipsis fidem per omnia professi sint: Si autem non profitebatur fidem, sed verè & propriè latebat (quam partem ipsi defendere coguntur, vt stabiliant ineptum suum dogma de Ecclesia inuisibili) ergò illa non

non fuit Ecclesia; ac proindè nulla fuit in mundo vera Ecclesia: si quidem vt ipsi dicunt & concedunt, confessio fidei est nota veræ Ecclesiæ, & Rom. 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*. Deindè veram Ecclesiam fuisse aliquando inuisibilem, & per tot sęcula latentem, figmentum esse prędicantium, toti Scripturæ soli Ecclesiæ visibili, & ad Ecclesiam visibilem scriptę contrarium, iam suo loco supra demonstrauimus to. 3. Idē asserimus de eo, quod dicunt de veræ Ecclesiæ Christi interruptione per apostasiam, ac defectionem à vera fide, & regnum Antichristi.

Nusquam enim, si tota Scriptura à capite vsque ad calcem perlegatur, inuenitur in ea assertum, Ecclesiam verā Christi ita defecturam, sub Antichristi tyrannide, aut alia, vt idcircò inuisibilis, & latens fiat, & per totum orbem non sit diffusa: sed potius contrarium vt videre est ex parabola zizaniorum Matth. 13. vbi dicitur: *Sinite vtraque* (triticum simul, & zizania) *crescere vsque ad messem; & in tempore messis dicā messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum*.

Quem ipsum locum aduersus Donatistas vrget D. Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 14. *Dicit & Dominus de superseminatis zizanijs: sinite vtraque crescere vsque ad messem, id est, triticum & zizania. Et ipse interpretatur messem finem esse sæculi, agrum verò, vbi vtrumque seminatum est, mundum esse. Oportet igitur vsque in finem sæculi crescere vtrumque per mundum. Vndè iam non permittuntur isti* (hæretici scilicet) *suspicari, aut asserere, quod dicunt omnes bonos defecisse de mundo, vt in sola parte Donati remanerent. Conantur enim contra certissimam sententiam Domini dicentis: Ager est hic mundus: & sinite vtraque crescere vsque ad messem: Et messis est finis sæculi*.

Quibus omnibus addo, calumniatores esse prædicantes; dum in supradicta obiectione supponunt Papam esse Antichristum, & ex ea hypothesi probare conantur tunc veram Ecclesiam defecisse iuxta Christi prædictionem Matthęi 24. quando Romanus Pontifex obtinuit à Phoca Imperatore, vt caput Episcoporum diceretur; vel quādo Romæ aperuit Pantheon templum omnium Deorū; vt docent Magdeburgenses cent. 7. cap. 1. & concordant plerique aduersariorum. Cum tamen hoc ipsum adeò execrabile figmentum superiùs à nobis refutatum, vel ex eo ipso Matthęi loco validissimè refutetur; in quo asserit Christus abbreuiandos fore dies regni Antichristi propter electos; Qualis enim hęc esset abbreuiatio, si, vt volunt sectarij Antichristus iam per mille, & amplius annos in Romanis Pōtificibus regnasset; vt ita scilicet diuturnius fuerit regnum Antichristi; quā Christi; breuior periodus veræ Ecclesiæ Christi, quàm Sinagogę Antichristi; maior potentia diaboli, quam virtus Christi. De quibus etiam consule dicta tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 3. & 10. & sect. 4. cap. 11.

Superest pro coronide huius capitis vt aliquid dicamus de Iudæorum perfidia, & impia superstitione Mahumetis quarum illa antiquior est Christiana Religione, ista tot iam sæcula durat. Posset enim quis indè arguere inefficaciam argumenti à nobis adducti.

Quod spectat igitur ad Iudæos pręterquàm quod vix vllū religionis exercitium habent; adhuc hoc ipsum vt ita dicam Religionis cadauer, & informe corpus tamdiu perseuerasse ad maiorē veritatis Christianæ Religionis probationem conducit; sic enim consecuti sumus, vt testimonia nostræ fidei secum ipsi, contra se & pro nobis conseruarent; sed de hoc latius infra sect. 7.

Quantum ad sectam Mahumetanam sicut nulla penitus ratione fauet ipsi eius amplitudo, & dilatatio per varias mundi partes, ita nec antiquitas, quæ iam paulò amplius mille annis durat & viget;

viget; primò enim dum afferimus constantem religionis alicuius durationem, efficacissimum esse veritatis, ac diuinitatis illius argumentum, loquimur maximè de illa, quæ passa est tot aduersarios, quæque quotidiè legem peccati in membris nostrum omnium insitam repugnantem, & acriter persequentem experitur, & tamen in tanta labe humani generis, tantaque humanæ naturæ infirmitate adhuc perseuerat, & se se quotidie in nouas mundi prouincias fęliciter diffundit, qualis est sola religio nostra, non autem superstitio Mahumetana carni, & sanguini fauens, vndè non est mirandum magis, cur ea tantoperè perseueret, quàm mirum est cur à tot sæculis durat ebriosorum, libidinosorũ, & id generis sceleratorum colluuies. Secundò diximus eam solam esse verissimam religionem, quæ antiquissima est, mundo coęua, & à Deo primos homines edocta, cuiusmodi est sola religio Christiana, quæ ab initio mundi cępit, & postea à Christo Domino in plenitudine temporis suam perfectionem habuit, sicut enim idem homo varias ætates habet, & in illis varia officia, ita quæ religio in lege naturali, & Mosaica pueritiam agebat imperfecta, & rudis, eadem à Christo perfecta cæpit habere, quæ ætatem adultam decent. Quo respiciens Christus Dominus cōtestatur passim se ex Iudæis oriundum; non quo legem solueret; sed adimpleret, tanquam illius, & scopus & finis, cui proprium non perdere, sed perficere; non finiendo consumere, sed terminando consummare.

Vide dicta tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 3.



CAPVT XXIX.

Explicatur decimum tertium argumentum ductum à perfectissima doctrinæ vnitate Religionis Christianæ Romanæ Catholicæ.

NOn agimus in pręsenti de illa vnitate, qua veram fidei, ac religionis doctrinam vnicam esse, & non plures credimus, sed de illa, qua plura inter se distinctissima membra firmiter in se eadem penitus doctrina fidei cohęrere, stabilique vnione coalescere sensibiliter cognoscimus.

Par est ergò credere diuinam, ac verissimam esse eam fidei doctrinam, quæ perstitit hactenus perfectissimè vna, ita vt illibata, integraque modo sit eadem, quæ ante octo, decem, duodecim, & sexdecim sęcula fuit, licet adeo mutata fuerint tempora, instituta moresque hominum. Atqui sola doctrina Christiana, & Catholica Romana est huiusmodi; ergò par est credere eam solam esse diuinam, ac verissimam fidei doctrinam.

Maior huius argumenti potest primum probari subsequenti ratione, si enim alicuius doctrinæ veritatem, manifestè probat diuturna & cōstans illius per tot sæcula immutabilitas, indèque colligimus non esse hominum meritum, & opus, sed Dei, cuius veritas manet in ęternum; certè non minus etiam id probat perfectissima eius vnitas; vnus enim Dominus, vna fides. Ephes. cap. 4.

Similiter si nullum efficacius signũ habemus vanitatis, vel falsitatis alicuius doctrinæ, quodq; humana sit, quàm in ea asserenda diuisio; certè per oppositum nullum euidentius afferri posse videtur argumentum veritatis eiusdem, quòdque sit doctrina diuinitùs inspirata, quàm si sit perfectissimè vna, semperque & vbique consentiens, maximè tot inter nationes quo ad mores, ingenia, gubernationemque politicam, & res aliàs

alias humanam vitam spectantes, toto cęlo inter se diuersas ac discrepantes, quales sunt Galli, Hispani, Itali, Germani, &c. eamdem tamen fidei Christianæ, & Catholicæ doctrinam vnanimiter amplectentes.

Sicut enim discordia est signum regni Diaboli, quod tandem ruere debet, ita concordia est signũ regni Dei, quod stare debet in æternum. Vnde Matth. 12. *Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur*. Et 1. Corinth. 14. *Non est dissensionis Deus, sed pacis*. Eamque ob causam inter præcipuas veræ Ecclesiæ notas in Symbolo Nicæno, vel Constantinopolitano exaratas, ponitur quod sit vna vnitate videlicet fidei, & doctrinæ: *Credo Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*.

Vt proindè meritò Cyprianus lib. de Vnitate Ecclesiæ cap. 5. scripserit: *Ecclesia Domini, luce perfusa per orbem radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur; nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit; profluentes largiter riuos latius expandit; vnum tamen caput & origo vna, & vna mater, fęcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur; spiritu eius animamur. Adulterari non potest Sponsa Christi; incorrupta est, & pudica; vnam domum nouit; vnius cubiculi Sanctitatem casto pudore custodit*. Ita Cyprianus loquens de vera Christi Ecclesia. Quod idem docet S. Pacianus Barcinonensis epist. 2. ad Sympronianum. S. Irenæus lib. 1. cap. 3.

Iam probatur minor nostri argumenti primò ipsamet euidentia facti, qua cernimus omnes Catholicos Romanos toto orbe dispersos eamdem fidem habere, idem credere, & in rebus ad fidem spectantibus idem omnino sentire; ita vt si quæ sit, aut fuerit aliquando inter eos varietas, aut solùm pertineat ad diuersas cæremonias, & ritus, quæ vnitati Ecclesiæ nihil officit; aut solùm cõcernat controuersias Scholasticas, seu quæstiones subtiliores, quę ad fidem non pertinent, in quibus proindè cuique sentire licet, quodlibet, vt Beatus Augustinus scribit de dissensionibus Doctorum sui temporis lib. 1. cõtra Iulianum.

Vndè apparet quàm ineptè aliqui hæretici arguant aliquam in Ecclesia Catholica diuisionem, aut varietatem, quod in ea diuersæ Thomistarum, Scotistarum, & aliorum scholæ reperiantur; siquidem Thomistæ & Scotistæ, non dissentiunt nisi in ijs rebus, quę ad fidem non pertinent, & in quibus proindè vnusquisque potest abundare in sensu suo; cęterum omnes tam Thomistę, quàm Scotistæ, hoc est tam Angelici, quàm subtilis doctoris discipuli in omnibus dogmatibus fidei vnanimiter cõueniunt, idemque penitus de illis sentiunt, nec possunt aliter sentire, cum omnes id vnum credere se profiteantur, quod in Ecclesia Catholica Romana credendum esse iudicatum fuerit. Qua ratione videmus omnes stare legitimorum Conciliorum, & Pontificum decretis, tanquam certissimæ componendarum controuersiarum regulæ. Vide dicta tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 4.

Nec minus infeliciter putat Caluinus lib. 4. institut. cap. 13. §. 14. officere Ecclesiæ nostræ vnitati, quod in ea diuersi religiosi ordines Carmelitarum, Benedictinorum, Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, & aliorum reperiantur. Nec enim ob id diuisus est Christus, vt ipse calumniatur, nec potest illis attribui similis diuisio illi de qua agit Apostolus 1. Corinth. 2. dum aliter dicebat: *Ego sum Pauli*; alter, *Ego Cephæ*, tertius, *Ego Apollo*: quia hi putabant meliorem esse Baptismum à meliori baptizãte, & ideo gloriabantur quidam se à Paulo, alij se à Petro baptizatos. Quod reprehendit Apostolus, quia Christus est, qui principaliter baptizat, qui non est diuisus, siue differens in sua virtute, & effectu, secundum differentiam ministrorum.

Hæc, inquam, diuisio non potest attribui viris Religiosis diuersorum ordinum

dinum, qui eamdem penitus fidei doctrinam cum omnibus alijs Catholicis amplectuntur, vnique summo Pontifici supremo Ecclesiæ pastori ita obediunt, vt etiam ordinentur Presbyteri ab Episcopis ordinarijs; quare diuersa illa nomina Dominicanorum, Franciscanorū, & similia desumpta sunt non ab auctore doctrinæ, sed ab institutore seuerioris disciplinæ; quatenus Sancti Religiosorum ordinum fundatores nihil aliud sunt quàm diuersi tantùm duces sub eodem Imperatore Christo, à quibus in suas cohortes siue familias nomen deriuatum est, eo quod ipsis Duces extiterint in via perfectionis ad Christum.

Præter ipsam facti euidentiam, qua notum est in nostra Ecclesia omnes cuiuscumque status, conditionis, & sexus personas in vnam & eamdem fidei doctrinam conuenire; cui possumus addere omnes Scriptores Sacros, qui licet fuerint homines diuersi, & in locis, temporibus, ac linguis diuersis scripserint, mirificè tamen inter se consentiunt; quod pro re planè diuina D. Augustin. obseruat lib. 18. de ciuitate Dei cap. 41. Similiter omnia legitimorum Conciliorum, & Pontificum decreta, etiam in omnibus dogmatibus inter se conuenire videmus, quamuis edita sint à diuersis hominibus, diuersis locis, temporibus, occasionibus, & contra diuersissimas, immò sæpè contrarias hæreses.

Pręter hanc, inquam, facti euidentiam, efficacem adhuc habemus rationē ad probandum proprium esse solius Ecclesiæ Catholicæ, esse vnam consentientem in eadem fidei doctrina, seu rebus per fidem credendis; idque non solùm actu, sed etiam habituali dispositione, ita vt in se, ac suo corpore eiusmodi fidei vnitatem ex se, ac natura sua firmiter, constanterque retineat; eo enim ipso quod Catholici præter Scripturam Sacram, admittunt etiam viuum ac visibilem iudicem, qui publica, & infallibili authoritate diuinitùs accepta Scripturam explicet, vt suo loco vidimus lib. 2. sect. 6. & sicubi opus est, controuersias ad fidem spectantes definiat, cui omnes se suaque iudicia, ac sententias subijciant, certè impossibile est, vt vlla sit in Ecclesia Catholica credēdi, adeoque fidei ipsius diuersitas.

Quod si quis à iudicio communi Ecclesiæ Catholicæ pertinaciter deuiat, is iam hoc ipso non est in Ecclesiæ gremio; sed ab omnibus velut hęreticus, imo velut Ethnicus, & Publicanus iuxta Christi Domini pręceptum habetur. Vt proindè D. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ meritò asseruerit, nō aliundè hęreses obortas esse, aut nata schismata, quam quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.

CAPVT XXX.

Quod aliæ infidelium, & hęreticorum Secta nullum habeant constantem in doctrina fidei, aut Religionis consensum.

CErtè, si pax & concordia firmusque in fidei dogmatibus consensus, stemma est veræ Christi Ecclesiæ, apertumque signum vnius & eiusdem Spiritus Sancti illam dirigentis: per oppositum non minus euidens est argumentum vanitatis, & falsitatis aliarum ab Ecclesia nostra sectarum, confusa earum multiplicitas, & in varias contrariasque inter se doctrinas distractio.

Ac primum de Paganorum sectis docet D. Augustinus serm. 11. de verbis Domini, ad eamdem Religionem apud eos Iunonem, & Herculem, aliosque Deos inter se diffidentes, & etiam belligerantes pertinuisse.

De Philosophis, notum est omnibus, eos circa vltimum hominis finem, quod est primum vitæ rectè, & honestè instituendi fundamentum, diuersas opiniones habuisse, teste D. August. lib. 19. de ciuitate Dei cap. 1. Qui etiam in alijs rebus adeò diuisi sunt, & in tot contra-

rias partes abierunt, vt D.Basilius oratione 1. de opere sex dierum dicat, non esse opus vt nos pugnemus contra Philosophos, cùm illi mutuis dissensionibus sufficiant ad suam ipsorum doctrinam euertendam: quod idem asserit Theodoretus libro de fide, & D. Augustinus lib.18. de ciuitate Dei cap.41.

Quod pertinet ad impiam Mahumetanorum sectam innumeræ in eorum Alchorano reperiuntur cōtradictiones, pro vt illas refert, & in vnum collegit Philippus Guadagnolus in Apologia pro Christiana Religione sect.3. cap. 9. de quibus infra.

Tandem proprium fuisse semper quorumlibet hæreticorum cętuum ab vno aliquo hęresiarca procedentium, nullum habere constantem in fide consensum; sed à prima sui origine, mox in varias sectas diuidi & seccari, manifestissimum est ex Annalibus Ecclesiasticis, eorumque libris, qui historiam hæręscon conscripsere. Nam S. Irenęus lib.1. cap.21. & sequentibus docet, hęresim Simonis primi hęresiarchę mox diuisam, & inde natas esse sectas Menandrianorum, Basilidianorum, Saturnianorum, &c. Item lib.1. cap.5. scribit de Valentinianis, quod cum essent plurimi, vix duo, aut tres inter se conueniebant in omnibus dogmatibus.

Marcionitas quoque mox diuisos fuisse, & inde ortos Lucianistas, Appellianos, & Seuerianos docet Epiphanius lib.1. tom. 3. contra hęreses. Insuper lib.2. tomo 1. scribit Montanistas diuisos fuisse in Pepusianos, Artotyritas, Phrygastas, &c. Manichæos pariter in sectas diuisos asserit D. Augustinus lib. de hæresibus cap. 46. & de Donatistis testatur lib.1. de Baptismo cap. 6. eorū hęresim iam suo tempore in multa minutissima frusta concisam fuisse. Messalianos autem diuisos in Martyrianos, Sathanianos, Enthusiastas docent Epiphanius hęresi 80.& Theodoretus lib.4. de hęret. Fab. Ariani mox diuisi sunt in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos, vt patet ex Ruffino lib. 10. histor. cap.25. Eosdem etiam Arianos singulis ferè annis fidem mutasse testatur D.Hilarius in vtroque libro ad Constantium.

Sed quid præterita sęcula reuoluo, quasi non haberemus euidentissimum huius rei testimonium in huiusce nostri sęculi hæreticis. Quis enim nescit in quot sectas, mox à suo ortu Lutherana fides, per ipsos Lutheri discipulos diuisa fuerit: Fridericus Staphylus in libello de concordia discipulorū Lutheri vsque ad 34. diuersas enumerat. Et hoc quidem tempore Staphyli: nunc autem numerantur ferè 100. diuersissimę sectę ab vno Luthero prodeuntes, id quod fit singulari Dei prouidentia: nam hoc modo hęreses seipsas consumunt, eorumque dissensio fidem nostrā confirmat. Vndè Isaiæ 19. dicitur: *Concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios*. Et D.Hilarius lib. 7. de Trinitate. *Bellum hæreticorum*, inquit, *pax est Ecclesiæ & triumphus*.

De Sacramentarijs ipsimet Lutherani ministri in confessione Mansfeldensi scribunt sibi Sacramentariorū doctrinam meritò suspectam esse, tum propter nouitatem tum propter dissensum; *Alios enim esse Carolstadianos; alios Zuuinglianos; alios Oecolampadianos; alios Schuuenckfeldianos; alios Caluinistas*; qui Caluinistę rursus in plures alias sectas diuisi sunt, & in dies diuiduntur.

Sed quod omnium miserabilissimū est, certissimaque falsæ doctrinæ nota, vt ipsamet vis veritatis ab ore Lutheri extorsit in libro de votis monasticis, etiam authores hęretici secum nō consentiunt; Lutheri contradictiones innumeras collegit Ioannes Cochlęus in Septicipite, vbi ad finem adiecit 36.varias sententias vnius Lutheri de vno articulo, id est de communione sub vtraque specie. Confessionem quoque Augustanam, quam omnes pro Sacrosancta fidei suæ regula, & formula habent, ita immutarunt, & variè ediderunt, vt ignorent ipsi, quæ sit vera Confessio Augustana. Quod totum plurbus demonstrat Adamus Tannerus Societat.

Iesu

Iesu 2. parte Anatomiæ Confessionis Augustanæ demonstrat. 10. §. 11.

Adeò verum est, proprium esse falsæ, & hæreticæ doctrinæ perpetua secum contrarietate pugnare; notam hæreseon, factiones esse & partium studia; pacem verò & concordiam stemma Christianitatis. Mos quippè Dei, veritatis doctrinam Cathedræ vnitatis imponere: hæreticorum, vnitatem diuidere in plura: Hinc primus eorum impetus secessio fit ab Ecclesiæ vnitate, nec non communione fidelium. Mox itur in partes; studijsque accensis sua singuli somnia, calidè & obstinatè defendunt. Tandem vt mendacio finis nullus, factioni nullus limes; vltimò velut fato aberrantes tot sectis inuicem lacerantur, quot in illis aut superciliosi, aut ceruicosi. Nam & Catholici aliqui numerant trecentas explicationes super illa sola verba, *hoc est corpus meum*. Sed has dissensiones, Deo prouidente, apud eos in dies multiplicari videmus, vt tandem confusi linguis, desistant ciuitatem Diaboli, & turrim Babel ædificare aduersus ciuitatem Dei, & Ecclesiam Christi. Interim tamen enixè rogandus est Deus, vt *protegat nos in tabernaculo suo à contradictione linguarum*. Quid enim est, inquit D. Augustinus in psal. 30. Tabernaculum nisi Ecclesia huius temporis? *Illa tabernaculum adhuc dicitur, quia in hac terra adhuc peregrinatur: Tabernaculum enim est habitaculum militum in expeditione positorum. Ergò in hoc tabernaculo proteges eos à contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ, diuersę hæreses, diuersa schismata, diuersæ doctrinę. Tu curre ad Tabernaculum Dei, Ecclesiam Catholicam tene, à regula veritatis noli discedere, & protegeris in tabernaculo à contradictione linguarum*. Ita Augustinus loco statim citato, & in psal. 74. *Qui volunt*, inquit, *vnam linguam, veniant ad Ecclesiã, quia & in diuersitate linguarum carnis, vna est lingua in fide cordis*.

Nec fauet hæreticorum sectis, earumque diuisionibus, quod pro sua respondet Caluinus in præfat. Institut. vt vim argumenti nostri eluderet, videlicet non esse mirum, si ex religione sua mox oriantur diuisiones, & sectæ contrariæ; nã id etiã accidit Ecclesiæ Apostolorũ. Ex ea enim prodierunt Simoniani, Nicolaitæ, &c. Semper enim diabolus, vbi videt bonum semen seminari, accedit & superseminat zizania.

Hoc inquam non fauet, hoc enim est discrimen inter diuisionem hæreticorum ab Ecclesia, & diuisionem ab aliqua heresi; quod in Ecclesia Catholica reperitur certa regula componendarum controuersiarum, id est sententia summi pastoris, vel Concilij plenarij, & ideo non oritur ex doctrina Ecclesiæ dissensio, sed ex sola malitia Diaboli. Pręterea vndecumque oriatur, mox damnatur, & eiecto hæretico scissura resarcitur: nec vlterius in ipsa Ecclesia progreditur.

At apud Hæreticos, ita à prima sui origine videmus illos mox in varias sectas diuidi, & dissecari, vt iuxta fidei suæ principia, & ex vi illorum nec possint quidem constanter firmam aliquã in fide consensionem tueri. Cum enim nullum habeant visibile caput in terris, cuius iudicio fidei controuersias submittant, suamque fidem moderentur; hinc fit, vt dum singuli proprios, ac priuatos sensus sequuntur, necessariò pro humani ingenij inconstantia, & mobilitate in varias sententias abeant; imò verò vt ijdem etiam alio & alio tempore aliud ac oppositum sentiant. Ijsdem siquidem principijs ac modis, quibus primus alicuius sectæ author se se ab Ecclesiæ vnitate separans fidem pristinã nouauit, licet etiam cuique asseclarum eamdem denuò immutare, vel nouo additamento innouare. Sicut enim primus sectæ author, per contemptum Ecclesiasticæ authoritatis, & propriam quam suo arbitrio cõfinxit Sacræ Scripturæ interpretationem, fidem primus nouauit, ita promptum & facilè est ijsdem medijs ac principijs, fidem ita nouatam denuò innouare & immutare.

Quod

Quod eleganter expressit Tertullianus aduersus hæret. cap. 42. *Mentior*, inquit, *si non etiam à regulis* (siue authoribus) *suis variant inter se; dum vnusquisque proindè suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suę morē profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino. Idem Marcionitis, quod Marcioni de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspectę hæreses omnes, in multis cum authoribus suis dissentientes deprehenduntur.*

Ireneus lib. 1. cap. 18. de hæreticorum progenie loquens ait: *Etiam qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies nouum aliquid inuenire, & fructificare, quod nunquam quisquam excogitauit.*

Hieronymus in cap. 16. Ezechielis: *Semper errantium fluctuant pedes; nec sunt solida vestigia, quæ contra veritatem sunt; sed huc illucque discurrunt, & circumferuntur omni vento doctrinæ, dum de falsitate transeunt ad aliam falsitatem. Et cum in primis frustra se sudasse cognouerint, ad secunda tertiaque transcendunt.*

Vndè non ineptè hæresis à SS. Patribus comparatur hydræ plurium capitum, chymeræ plurium naturarum, monstro diuersorum sexuum; estque velut inferni ianitrix, non tantùm sicut fabulosus Poetarum Cerberus, tria habens capita, sed innumerabilia, vlulatum edentia centum linguis, centum vocibus. Solumque hæretici, qui ita inter se dissentiunt, perpetuoque vertiginis spiritu aguntur, in hoc vno puncto conueniunt, oppugnandi scilicet veritatem, & conspirandi aduersus veram Ecclesiam, sicut Pilatus & Herodes, (alioqui inter se discordes) in Christi persecutione, & morte concordes fuere.

Quam ob causam heretici comparantur ab ijsdem Sanctis Patribus, vulpibus Sampsonis, quæ caudis colligatæ se se mutuo mordebant, & in se inuicē insurgebant; sed tamen faces in caudis colligatis gerentes, messem illam amplam pariter incendebant. Quatenus illi dentibus se inuicem lacerant, sed tamen caudis ligati, Ecclesię messem quantum in se est, inuadunt pari consensu, & concordi conspiratione demoliri conantur vineam Christi.

CAPVT XXXI.

Explicatur decimumquartum argumentum pro veritate doctrinæ Christianę & Catholicæ Romanæ deductum ex eo quod sit Apostolica.

CVm doctrina, quam in Ecclesia Catholica Romana tenemus, inde potissimum Apostolica vocetur: 1. quoniam in Apostolis initium habuit. 2. Quia ab ipsis propagata est per vniuersum orbem. 3. Quia etiamnum eadem quam Apostoli tradiderunt siue scripto, siue voce diligenter adhuc retinetur, & obseruatur fides. 4. quia habet pastores, & doctores, qui continua successione, & serie per legitimam vocationem ab Apostolis ad nos vsque descenderunt. Suppositis ijs, quæ diximus supra circa vniuersalitatem doctrinæ nostræ, nihil est amplius, quod in illis tribus primis nominis Apostolici acceptionibus immoremur, solumque agendum esset de vltima, verùm cum illa continua successio pastorum, & doctorum non tam sit veræ doctrinæ, quā veræ Ecclesiæ, (ad quam tamen spectat veram fidei doctrinam proponere) nota & argumentum; sufficiunt ea quæ diximus de illa superius, tum agendo de Ecclesia, tum etiam de Summo Pontifice.

CA-

CAPVT XXXII.

Explicatur decimum quintum argumentum desumptum ab ordine qui cernitur in instituto, & Religione Christianę, & Catholicæ Doctrinæ.

HOc argumentum latè prosequitur S.Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in disputationibus habenda, potestque sic breuiter efformari; in magna differentia graduũ & officiorum pulcherrimus ordo Religionis, omnino est signum & iudicium, ab eo illam fundatam & institutam esse, à quo omnia, quæ sunt, ordinatissima sunt, nempè à Deo, atqui in sola christiana, & Catholica Romana Religione, seu disciplina reperitur ordo ille pulcherrimus in magna varietate, & differentia graduum, & officiorum; par est igitur credere illam habere Deum authorem. Maior huius argumenti videtur esse certa.

Minor autem probatur, quia ad bonum ordinem Disciplinæ Ecclesiasticæ spectat, tum aliquod caput visibile, sub quo vniatur, tum etiam constans varietas, & subordinatio membrorum, tam inter se, quam respectu capitis; ita vt alij sint maiores, alij minores; alij pastores, alij oues; alij doctores, alij discipuli; alij Clerici, alij Laici; idque nõ momentanea, & fortuita electione; sed constanti destinatione; quàm autem præclarè hoc totum adimpleatur in instituto, & Religione Christiana, quam Romana seruat Ecclesia, constat ipsamet euidentia facti. Vnde si Regina Saba ex ordine, atque ratione familiæ Salomonis rectè, ac prudenter colligebat, res illius Regis singulari Dei prouidentia, atque ope contineri; quantò melius id de Ecclesia Christi asserere debemus, in qua eò certè admirabilior est ordo atque consensus, quo latius illa per vniuersum orbem diffusa, quàm domus Salomonis, extenditur.

Hanc autem prȩclaram ordinis rationem omnibus alijs hæreticorum sectis deesse patet ex ipsamet eorum doctrina; secundum quam nullum est visibile, & supremum Ecclesiæ caput; secundum quam omnes nascuntur Sacerdotes tam viri, quam fœminæ; secundũ quam, & ministerium verbi, & potestas conficiendi, & administrandi Sacramenta etiam mulieribus attribuitur. Inter quos proindè ijdem sunt laici, qui clerici; subitoque euadunt pastores; ac superintendentes, qui nunquam fuerunt lectores, aut diaconi.

Itaque si Sancti Patres pro efficaci argumento veræ fidei, & doctrinæ in Ecclesia Catholica habent, quod licet multorum hominum sit congregatio, minimè tamen est, quasi Chaos aliquod confusa, sed quam rectissimè ex instituto suo ordinata; vt potest facilè intelligi ex multis nominibus, quibus illa propter eiusmodi ordinem afficitur in sacris litteris: Cuiusmodi sunt Matth. 25. *Regnum*, & cap. 5. *ciuitas*, & 1. Corinth. 3. *templum*, & ad Hebræos 3. *domus*, & id genus alia de quibus suo loco. Per oppositum ab horribili confusione, & ordinis perturbatione in hæreticorũ cætibus, ijdem Patres euidens aduersus illos falsæ doctrinȩ argumentũ sumunt. Placet hac de re audire Tertullianum lib. de præscriptionibus cap. 41.

Non omittam, inquit, *ipsius etiam hȩreticæ conuersationis descriptionem, quã futilis, quam terrena, quam humana sit; sine grauitate, sine authoritate, sine disciplina, vt fidei suæ congruens, &c. Pacem passim cum omnibus* (etiam à sua fide alienis; vti non ita pridem hæretici Caluinistæ cum Lutheranis affectarunt) *miscent. Nihil enim interest illis; licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis* (Catholicæ) *expugnationem conspirent. Omnes tument; omnes scientiam pollicentur. Antè sunt perfecti Cathecumeni, quam edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces; quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes*

repro-

repromittere; forsitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes; nunc Neophytos conlocant; nunc sæculo obstrictos; nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium; vbi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie diaconus, cras lector; hodie presbyter, qui cras Laicus. Nam & laicis Sacerdotalia munera iniungunt. Hactenus Tertullianus, quo sanè melius hæreticorum ataxia describi non poterat.

CAPVT XXXIII.

Explicatur decimumsextum, & vltimum argumentum ex parte eorum, qui non credunt.

QVinta tandem, & vltima classis argumentorum probantium euidentiam credibilitatis Christianæ fidei, & doctrinæ, omniumque mysteriorum ad eam pertinentium; complectitur 1. plura testimoniorum genera, quibus ipsimet aduersarij Christianæ fidei, & doctrinæ illam laudarunt. Tanta enim est vis veritatis, vt etiam aduersarios cogat interdum sibi testimonium dare, iuxta illud Deuteronomij 32. *Non enim est Deus noster, vt Dij eorum, & inimici nostri sunt Iudices.*

Primùm igitur non solùm Christo, & fidei nostræ, vox Patris, manifestatio Sancti Spiritus, aut etiam Beatissima Virgo, & Apostoli, cæterique cum eo conuersati integerrimum præbuere testimonium: verùm etiam ex Paganis Augustus, qui aram posuit primogenito Dei; Tiberius qui de Christo inter Deos referendo egit, Tertull. in Apologet. cap. 6. vbi etiam notat eos Imperatores, qui sunt habiti optimi, fauisse Christianis: vt M. Aurelium, Vespasianum, Antoninum Pium: eos autem persecutiones mouisse & excitasse, qui sunt habiti pessimi, etiam ab ipsis Gentilibus, vt Neronem & Domitianum. Nec prætermittendum est, quod idem author testatur ibidem cap. 1. & 2. Paganos videlicet noluisse discuti causam Christianorum, sed damnari sine discussione, quia sciebant se in eis nihil mali reperturos.

De qua etiam vitæ, & doctrinæ Christianorum innocentia extat testimonium Plinij II. in epistola ad Traianum lib. 10. vbi scribit Christianos omnia vitia detestari, sanctissimèque viuere, & hoc solùm in eis posse reprehendi, quod nimis facilè pro Deo suo vitã profundant, quodque horis antelucanis surgant ad canendas laudes Christo. Denique S. Antonium, S. Hilarionem, & S. Martinum fuisse honori & reuerentiæ Paganis referunt in eorum vitis Athanasius, Hieronymus, & Sulpitius.

Ex Iudæis habemus in primis testimonium Iosephi lib. 18. antiquit. cap. 6. vbi affirmat, Christum plusquam hominem fuisse, & verè Messiam esse. Philonis quoque Iudæi extat in laudem nascentis è gente sua Christianismi integra, eaque accurata lucubratio; vt testatur Eusebius lib. 1. histor. cap. 16. Epiphanius hæresi 29. S. Hieronymus de Viris illustribus in Philone. Sozomenus lib. 1. c. 12. Idemque putant Centuriatores cent. 1. lib. 2. cap. 3.

Mahumetes quoque in Alcorano, eiusque sectatores Christum, inter Prophetas supremo in loco reponunt: & tam miraculorum gloria, quàm Sanctitatis præstantia, toti orbi fuisse conspicuum fatentur; docentque Christianos saluari. Vndè etiam Mahumetanos, bonos, & constantes in sua fide Christianos in summo honore, ac reuerentia semper habuisse plures testantur historiæ, S. Ludouici, S. Francisci, & aliæ.

Idem de hæreticis dici potest: nam S. Gregorius lib. 2. dialog. cap. 15. refert Regem Totilam Arianum summo honore affecisse B. Benedictum, vt verum Dei seruum & Prophetam, quem tamen sciebat esse Catholicum. Et Lutherus, iam hęreticus existens sic scribit in lib. contra Anabaptistas, qui in odium Papę

reij-

reijciunt baptismum paruulorum. *Nos*, inquit, *fatemur, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imo omne bonũ Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Quippè fatemur, in Papatu veram esse Scripturam Sacram, verum baptismũ, verum Sacramentum altaris, veras claues ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Cathechismum, vt sunt oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico insuper, sub Papatu veram Christianitatem, imo verum nucleum Christianitatis esse.* Quo certè nihil præclarius ad fidei Catholicæ Romanæ commendationem extorquere potuit vis veritatis ab infensissimo illius desertore, & hoste. Caluinus quoque institut. cap.10. §.17. vocat Bernardum pium Scriptorem. At certè Papista acerrimus fuit Bernardus, & nemo est pius sine vera fide.

Ad hanc eamdem vltimam classem, vltimumque argumentum pertinet infelix exitus, & finis eorum, qui fidem Christianam, & Catholicam oppugnauerunt. Omninò enim credibile est esse eam doctrinam diuinitus reuelatam, diuinitusque institutam, cuius hostes appareat fuisse vindice Deo grauissimis supplicijs affectos; etsi enim Deus punit suos, & flagellat, tamen tandem proijcit virgam in ignem; grauissimis autem supplicijs apparet Deo vindice mulctatos esse hostes Christianæ, & Catholicæ doctrinæ.

Et vt omittam miserandam & infelicem Pilati sortem, Herodis Ascalonitæ, Tetrarchæ, & Agrippæ, Neronis, Domitiani, Traiani, Diocletiani, Galerij, Maximiani, Maximini, & aliorum fidei Christianę & Catholicæ persecutorum, quos omnes vel à seipsis, vel ab alijs crudeliter necatos, vel certè miserè perijsse constat ex Chronicis, & historijs omnibus.

Si veniamus ad hæresiarchas & Apostatas, non minus infelix eorum exitus, & finis fuit, vt eædem testantur historiæ, quas breuitatis causa prætermitto, potestque de illis consuli Erasmus Alberus lib.2. contra Carolstadianos.

De impijs autem, & Christicidis Iudæis, qui maximas calamitates, eo quod tempus non cognouerunt visitationis suæ, patiuntur in hanc vsque diē vt prædixerat illis futurũ Christus Dominus, differemus infra agendo contra illos.

CAPVT XXXIV.

Breuis argumentorum Christianæ fidei veritatem probantium Anacephalæosis; vnde concluditur aduersus omnes alias sectas, solam Romanæ Ecclesiæ fidem, ac doctrinam esse veram, diuinitusque reuelatam.

SVpposita semel Dei existentia, quodq; inter omnes creaturas corporeas peculiarem homini gubernando prouidentiam impendat, suppeditando illi media apta, & commoda ad consecutionem veræ, ac æternæ beatitudinis, cuius illum capacem creauit; cum inter ea primum habeat locum vera religionis doctrina, est profectò credendum, Deum nunquam in illa sufficienter indicanda, demonstrandaque defuisse, si, non vt constaret nobis euidenter de eius veritate, certè vt intelligeremus eam, quamuis per se non sit euidens, esse tamen fide, & assensione prudentum dignissimam.

Verùm quia inter varias Religionis doctrinas, ex quarum præscripto supremum numen hodie in mundo colitur, vna est, quæ alias omnes damnat, tanquam impias, & huic numini inuisas, non potest inter eiusmodi doctrinas inuicem pugnantes, & contrarias esse plus quam vna, quæ sit vera, Deoque accepta. Quo posito videtur omninò indignum eius prouidentia, si permittat aliquam doctrinam falsam habere pro se argumenta, aut motiua sine vlla comparatione maiora & efficaciora, quàm quælibet alia, ac proindè quàm ea, quæ sit vera. Quis enim prudens, & bonus hoc faceret. At doctrina, quàm Romana

mana proponit Ecclesia, habet pro se plurima, eaque grauissima præ omnibus alijs argumenta; quæ licèt fusè huc vsque persecutus sim, mihi tamen operæpretium visum est ea rursus, vno quasi obtutu aspicienda, considerandaque lectori proponere; vt si fortè singula, seorsimque sumpta tantam vim non habent ad commouendum illius animum, conglobata simul, quasi quodam impetu rapiant, & omnino conuincant.

Insuper cum ex ijsdem motiuis, veræque, ac diuinitus reuelatæ doctrinæ notis argumentari liceat non solùm affirmatiuè, vt illa sola sit vera fidei doctrina, cui tales notæ conueniunt; sed etiam negatiuè, vt ea scilicet non sit vera fidei doctrina, cui vel nulla, vel non omnis eiusmodi nota competit; ita ex illis cuilibet veritatem diligenti demonstrare conabimur fidei nostræ credibilitatem, eiusque mysterijs quantumuis supernaturalibus, & humanum captum superantibus certissimum, & absque omni formidine de opposito assensum deberi tanquam à Deo reuelatis; vt simul etiam appareant contrariæ omnes doctrinæ, sectæque vniuersæ veritatibus vacuæ, falsitatibus plenæ, atque adeò prorsus indignę, quibus adhibeant fidem prudentes.

Primùm igitur si vniuersale ad omnium errorum detergendos oculos collyrium sunt miracula; adeò vt insolens hęc agendi ratio non tam inuitet, quàm cogat: fidemque potius extorquere videatur, quam suadere; innumera in doctrinę Catholicę, quamque Romana amplectitur Ecclesia, confirmationem à Christo Domino, & Apostolis, alijsque fidei propagatoribus fuere perpetrata; & huc vsque, nominatim ad inuocationem diuini nominis, implorata etiam aliquando intercesśione Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, plurima fieri non desunt, ita vt omnino videatur Deus nos excitare, vt testimonia miraculorum contra infideles, & hæreticos vrgeamus. Quæ quidem talia sunt, vt neque conficta dici posśint, nec dæmonis ope fieri; sed omnem vim naturæ superantia, vnius diuini numinis supremam aduersus Atheos prouidentiam conuincunt, atque adeò aduersus omnes alias sectas veritatem fidei nostræ ab eo confirmatam, qui summè verax est, quique miracula in probationem erroris facere nullatenus potest. Si quæ inter Gentiles vera referantur miracula in testimonium qualiscũque virtutis moralis sunt facta. Tentarunt mira quædam Magi Pharaonis, Simon Magus, heretici orientis, & occidentis in confirmationem suæ falsæ doctrinæ, sed infelici semper exitu. Vt proindè non immeritò Erasmus in diatribe de libero arbitrio hoc ipsum Luthero exprobrans scripserit: *Apostolis, quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant dona linguarum: ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cum iuxta communem opinionem adferant paradoxotera, nullus adhuc illorum extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.*

Vndè sic argumentari licet aduersus huiusce nostri temporis sectarios; si quã doctrinam singularem (hoc est abhorrentem, & alienam à recepta, communique sententia orbis) Deus aliquando eorum hominum ministerio persuaderi voluit, qui authoritate secundum humanæ prudentiæ rationem, impares cæteris viderentur; eiusmodi doctrinam necesse fuit supernaturalibus aliquibus miraculis, aut signis diuinitus comprobari, vt verissimè D. Augustinus asserit lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. & exemplum prædicationis Apostolorum, & prophetarum, ratioque ipsa docet ex dictis supra. At singularem illam, & ab omni antiquitate alienam doctrinã, quam orbe vniuerso reclamante nostri temporis sectarij docere, ac profiteri cæperunt, nullis Deus miraculis comprobauit. Neque vult ergo Deus, neque voluit, vt illam amplecteremur; ac proindè neque Apostolica, neque verè Christiana Doctrina est.

Secun-

Secundò prophetiæ, seu prænotio, & prædictio futurorum, quæ ex libera maximè voluntate pendent, certa est diuinitatis operatio; qua & cōtra Atheos conuincitur mentem aliquam esse, omnem creatam intelligendi vim excedētem, futurorum consciam, multò magis omnium præsentium, & preteritorum. Ab Gentilium autem Idolis meritò Isaię probationem exigimus cap. 41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos*; nunquā enim veras prophetias edocere potuere Dij Gentium, quamuis amphibologicis locutionibus fucum fecerint stolidis suis cultoribus. Iudaicam etiam perfidiam suomet proprio Scripturæ Sacræ veteris testamenti, quam nobis Dei prouidentia seruarunt, iugulamus gladio: Vndè in confirmationem fidei nostræ innumera prophetica oracula omni exceptione maiora. Mahumetus quidem, atque hæresiarchę prophetas se iactant, prophetiam in suorum dogmatum confirmationem non afferunt. Vbi enim obsecro Lutheri, vbi Caluini Euangeliū, hoc est Euangelicæ doctrinæ Lutheranam, & Caluinianam instaurationem, per prophetas suos, aut per Apostolos promisit Deus? Equidem nullum Scripturæ locum video, qui ad eam rem pertineat, præter illos Math. 24. *Surgent Pseudoprophetæ*, & 1. Corinth. 11. *Oportet hæreses esse*, & 1. Timoth. cap. 4. *Spiritus manifestè dicit; quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacia, & cauteriatam habentium conscientiam*; hæ nimirum, doctrinæ sectariorum sunt prophetiæ; non aliæ.

Ita vt mirum sit, cum toties legunt, & audiunt à Christo Domino eiusque Apostolis inter cætera verissimè esse prædictum, hæreticos Christiano nomine palliatos fuisse futuros, cur non tandem aliquando intelligant, ex eorum omnino se esse numero, atque adeò nihil minus, quam doctrinam retinere verè Christianam.

Neque enim difficile est hunc in modum ratiocinari, inquit Gregorius de Valentia 22. quæst. 1. punct. 4. in 15. argumento: Hæretici, quos Christus Dominus prædixit futuros, illi homines omnino sunt, qui cū opinione quidem sua existiment, atque iactent, se propugnare veram atque Apostolicam doctrinam; se sequi prorsus sententiam Scripturæ; se in hoc non errare, se esse Christi veram Ecclesiam, alios qui ipsis contradicunt, in errore versari, nec Ecclesiam veram esse, & cætera huiusmodi; hęretici, inquam, sunt ij, qui cum hæc opinione quidem sua ita de se iactent: eius tamen cętus authoritate, & sententia, qui pro Ecclesia Christi vera in orbe vniuerso ante natam controuersiam habitus fuerit, & postea etiam à cæteris omnibus habeatur, hęretici iudicantur. Tales autem sunt prorsus omnes sectarij, tum Lutherani, tum Caluiniani. Igitur omnes illi ex eorum hęreticorum sunt numero, quos Christus verè prędixit fuisse futuros, vide prædictum authorem loco citato.

Tertiò: *Si primus discendi ardor*, inquit Ambros. lib. 2. de Virgin. *nobilitas est magistri*, nec mediocrem alicui doctrinæ authoritatem apud homines conciliare solet authoris illius excellentia; absoluta profectò Christi Domini sapientia, singularis vitæ innocentia, stupenda signa, propheticę prædictiones, & cætera huiusmodi manifesta diuinitatis argumenta, argumento nobis esse debent in omnibus eum doctrinæ partibus tradendis verissimi, diuinique magistri munus expleuisse; omnesque alias à nostra sectas illis carere, quæ impurissimos tantum, ac superbissimos fundatores habuere.

Quartò, quæ de summa diuini numinis natura lumen dictat naturale, mirum quam pulchro ordine stabiliat nostra fides, quæ Deum infinitum, immēsum, æternum, incomprehensibilem, ineffabilem, independentem, omnipotentem docet. Item visibilium omniū, & inuisibilium creatorem, rerum om-

nium etiam minutissimarum absque vllo labore, aut molestia prouisorem, infinitè bonum, sapientem, misericordem, iustum, liberalem in bonos, in improbos seuerum, primam perfectionem, à qua omnis, qualiscumque sit perfectio deriuatur, purum actum, omnis materiæ, compositionis, ac potentialitatis expertem, planè immutabilem, cui nihil demi valeat, aut addi, seipso denique beatissimum. Mysteria quoque fidei nostræ, quæ primo aspectu humilia apparent, si intimius considerentur summam Dei sapientiam, potentiam, iustitiam, ac bonitatem egregiè testata relinquunt.

Tu verò non solùm Atheus es, sed etiam irrationalis, ò Politice: & dum Deum à mundo, teipsum ab homine tollis: nemo enim est tam rudis, tam feris moribus, qui si rationem sequi velit, quin oculos suos in cælum tollens, intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione fieri non posse, quin id quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliquo sit instructum Lactant. lib. 1. cap. 2. neque enim hæc omnia à seipsis esse possunt: hoc enim contradictionem implicat. Existimare ea à casu procedere magis ridiculum, & rationi est contrarium: quam si peramplam aliquam ciuitatem cum totis ædibus, ac palatijs, in eam, qua cernuntur, figuram, nulla artificis industria fortuito confluxisse peregrinus aliquis sustineret. *Inuisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus ac diuinitas, ita vt sint inexcusabiles*. Romanor. 1.

Quid facitis ò cęci Idololatræ, qui creatore relicto, creaturam adoratis? defęcato mentis oculo vos ipsos interrogate: Quid est Deus? & audietis interni luminis responsum: quo maius cogitari aliquid non potest, vnus, optimus, maximus. Quidquid ergo minus eo est: Deus non est. Cur ergo aut saxa, aut animantia, aut elementa, aut cœlum, aut homines, aut dœmones, aut quidquid creatum est Dei loco adorare non pudet? aut illis etiam heroibus diuinũ tribuere honorem, qui Deo abstulerunt suum?

Horret & ipsa natura ad multiplicia blasphemiarum monstra, quę in suo Talmud, atque Alcorano Iudæi, & Mahumetani diuinæ maiestati per summã impegere calumniam. In quorum schola egregiè profecerunt hęresiarchæ, cæteriq; nostri temporis sectarij, qui proditionem Iudę, adulterium Dauidis, latrocinia, mendacia, cœteraque omnia scelera Deo tribuunt authori.

Deindè, si pręter Sanctitatem intellectus, quæ consistit in carentia erroris, & cultu atque professione eiusdem veritatis; sic enim intellectus mundus est pro suo modulo, quando ab omni tali errore immunis est; loquamur de sanctitate affectus, & voluntatis, quæ cõsistit in perfecta cordis munditia, qua homo ad Deum ita conuertitur, vt à rebus omnibus illi contrarijs, quibus infallibiliter sordescit, auertatur, perfectissimam illam habet nostra fides, & religio, quę nihil admittit contrarium, neque rationis lumini, neque gloriæ Dei, neque proximi bono: sed omne peccatum quantumuis secretum, aut paruum prohibet; commissum Sacramentis emaculat, ac pœnitentiæ operibus expiare docet: opera virtutum necessaria pręedicat, & præcipit; ad consilia, perfectionem, ac sanctitatem insignem media profert, adducit. Fides ergò nostra schola virtutum est, ac bonorum morum: reliquę omnes vitiorum, morumque reproborum.

Quia enim insipiens Atheus, atque impius Politicus in corde suo dixit non est Deus: consequenter corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: Non est igitur vera atheismi persuasio, aut doctrina, quæ ablato numinis metu pro fructu habet omnium scelerum turpidinem, & abominabilẽ enormitatem; cuius prima veritas ad omnẽ falsitatem, & errorem viam parat, cu-

ius

ius summa sapientia omnem extinguit virtutem: secundum quam Athei necessariò fateri coguntur, veritatē quam tenent reipublicæ perniciosam esse; quem putant errorem, & dementiam; maximè proficua.

Gentiles & Philosophi qui Deum cognouerunt, nunquid sicut Deum glorificauerunt: nequaquam. Sed euanuerunt in cogitationibus suis. Quin & in fundamentalibus bonorum morum capitibus, animæ immortalitate, atque vltimo hominis fine hallucinari reperies.

Talmudicam quoque atque Alcorani prauis, sordidisque moribus fætentem camerinam, virtutis, & puritatis amans animus quis ferat?

Si doctrina aliqua non solum Confessionis Sacramentum; & Pœnitentię opera, quibus diuinam maiestatē peccatis nostris offensam placare studemus, expl(dat: sed etiam habenti fidem nullum peccatum imputari asserat; contritionem hominem reddere magis peccatorem; nulla bona opera necessaria, imo omnia esse peccata; hominum arbitrium non esse liberum; (quæ hæreticorum sunt commenta) an non bonis moribus, quos ipsamet naturalis ratio dictat, bellum indicit?

Quintò cum fidei nostræ doctrina, vel ea ratione maximè commendetur, quod mirabilem vim, & efficaciam habeat in mutandis moribus suorum sectariorum; ex statim dictis satis patet hanc diuinæ doctrinæ notam, & proprietatem nequaquam conuenire alijs infidelium, & hæreticorum doctrinis; si enim sceleribus omnibus viam sternant, timorem Dei ex hominum mentibus euellant, Confessionis Sacramētum, dolorem de peccatis, castigationes carnis, vniuersaque opera laboriosa abijciant: quid de ipsarum doctrinarum sectatoribus cogitari potest, an non fortè sua doctrina meliores, an non laxum viuendi genus credentes, & docentes, ipsi cum rigore maximo vitam suam ducent? Lutherus, inquit Dubrauius lib. 33. Historiæ Bohemicæ sub finem, breui temporis spatio totū illum terræ angulum in quo morabatur, fidefragis, periuris, adulteris, incestuosis, & sacrilegis repleuit. Tandem tam de eius, quam de Caluini doctrina heu nimium constat, quod populos antea regibus, & principibus suis obsequentissimos, in rebelles, & seditiosos, imo regicidas mutauerit. Monachos cum rigore maximo antea viuentes, ad laxum viuendi genus traduxerit, continentes Sacerdotes mulierosos reddiderit, & Sanctimoniales voto Deo mancipatas, ad sacrilegas nuptias induxerit: tam Sanctum, tamque efficax fuit eorum Euangelium.

Sextò, si animi vigorem probant vitæ actiones, legum integritatem honestas morum, Christianæ similiter religionis, quam Romana profitetur Ecclesia, excellentiam, eorum à quibus colitur, Sanctitudo. Gloriatur enim omnibus sæculis Romana fides in insigni, & ferè suprahumana virtute innumerabilium Sanctorum, quorum Sanctitatē, tanto tempore ante singularū hæreseon ortū, totius orbis Christiani confessione celebratam negare, insolentissimæ foret insaniæ. Voluantur historica vitæ monumenta, in omnibus nostri sunt, atque infidelium, & hæreticorum omnium sectis contrarij; sed si falsitas ad veritatem non adducit, si sine fide impossibile est placere Deo, vel fidem nostram veram esse fateri necesse est, vel sanctissimos illos Dei amatores, innocentia vitæ, sui ipsius ac terrenarum rerum despectu, ac diuinæ gloriæ zelo insignes, impios fuisse, æternisque ignibus adiudicatos; quod diuinæ prouidentiæ repugnare nemo ambigit.

Septimò addamus & constantiam Martyrum, qui agminibus integris nō solùm fidem nostram ore confessi sunt, sed etiam sanguine consignarunt; vti eorum acta ab Ecclesia recepta, prolata, laudata præiudicata authoritate testantur.

Quæ

Quæ duo firmiſſima veræ fidei argumenta omnibus alijs ab Eccleſia Romana ſectis deſunt. Sæculorum memoriam replica, quotus verò, quiſque carcerem, eculeum, piras, patibula aut ſubijt, aut ſuſtinuit; vt fidem obtinerent elementa Euclidis, Hippocratis aphoriſmi; Platonis reſpublica, effata Ariſtotelis: Hetruſca diuinatio, tabulæ duodecim, folia ſibillina, Iouis, Apolliniſue oracula, Mahumeti Alcoranus; Neque hæreticis admodum curæ eſſe, aut fuiſſe vnquam legimus, cum ſui capitis periculo, Ethnicorum, & Paganorum terras obire, vt ſuam illic fidem diuini honoris ſtudio propagarent. *Negotium enim*, inquit Tertullianus lib. de præſcriptionibus c. 42. *eſt hæreticis, non Etnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi. Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacentibus eleuationem operentur.* Quid de perſonali Sanctitate dicam patronorum, & ſectatorum earumdem cætuum? certè ex tam laxa, & tam latè ad liberè, & impunè peccandum patente eorum doctrina, ſufficienter colligitur eos ad omnia ſcelerum genera fuiſſe promptiſsimos; ſic Lutherus deſeruit monaſterium, duxit vxorem poſt continentiæ votum, & ſic de alijs. Vndè vera eſt aurea illa D. Auguſtini ſententia: *Non ex alijs hominibus fiunt hæretici, quam ex ijs, qui ſi in Eccleſia permanſiſſent, propter vitæ turpidinem nihilominus perijſſent*; lib. de vera Religione cap. 8. tomo 1.

Octauò, ſi armis, ſi eloquentia, ſi propoſitis delitijs ad tanta terræ, mariſque ſpatia duodecim mundum domuiſſent Apoſtoli, magnum profectò foret: At verò quod inermes, pauperes, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, omni humano denudati præſidio, ſub crucifixi fidem myſterijs naturalem ingenij vim ſuperantibus plenam, inueteratis recipientium moribus contrariam, delectabilia prohibentem, præcipientem ardua, tot gentium barbaras plerumque nationes cum ſuis regibus, ac principibus captiuato intellectu ſubiecerint, quodque ſub iugum fidei iſtius, in hodiernum vſque diem innumeræ nationes ſubiectæ conquieſcant: Digitus Dei eſt hic; ſine quo humano ſenſui paradoxum videretur, atque adynaton. Propagauit Mahometus Alcoranum ferro: ſchiſmatici ſuperbiæ blandientis typho: hæretici exploſa operum neceſſitate, libertatis ad omnia quæ luberet aurea ſpecie; cui etiam addere poſſumus, quod doctrinam ſuam non patientia, ſed armis, non pacificè, ſed tumultuosè introduxerunt; teſtis infelix noſtra Gallia, aliæque plures, florentiſſimæ Europæ Prouinciæ eorum tumultibus, & incendijs vbique depaſtæ. Eccleſiæ tamen Romanæ amplitudinem omnes ſeorſim ſumpti longo ſequuntur interuallo.

Nonò, Appellatio Catholicæ, ſiue per illud nomen temporis, ſiue locorum Vniuerſalitatem intelligas, ita propria eſt fidei, atque Eccleſiæ Romanæ, vt nulli vnquam ſectæ fuerit tributa: vndè etiam hoc tempore meritò gloriari poſſumus cum D. Auguſtino; *Tenet me in Eccleſia ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta ſola Eccleſia obtinuit; vt cum hæretici ſe Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel baſilicam ſuam vel domum audeat oſtendere.* lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 4.

Catholica vocatur quia per vniuerſum ſit orbem terrarum diffuſa, à finibus terræ, vſque ad extrema. Cyrillus Hieroſol. cathec. 18. quaquaverſus enim mundus cognitus eſt, fidei diffuſio peragrans omnium infidelium, ita vniuerſali ſuo ſplendore, perſtringit oculos, vt cæcutire, ſi velint, non permittat. Vniuerſalem profectò Dominum totius mundi redemptorem, qui vult omnes homines ad agnitionem veritatis venire, vniuerſalis decet religio, non vno temporis ſpatio, non vno aut pau-

cis terrarum regnis conclusa. Incepit hanc (denominationem possidere fides nostra ab ipsomet Apostolorum tempore, quo in tam multis, diuersisque mundi partibus prædicata & plātata, meritò vniuersalis esse incæpit, coruscante iam tunc per omnes fermè mundi partes, celebri virtutum, ac signorum splendore: Debetque vsque ad mundi finem Christi oraculo Euāgelium hoc prædicari in vniuerso mūdo, quod quotidie magis, magisque pastorali Summorum Pontificū, quem erga totum mundum gerunt affectu, & sollicitudine; sacra etiam congregatione ad hoc instituta grauiter allaborante, destinatis fidelibus in messem Domini operarijs, Deo incrementum dāte videmus adimpleri, & deficiente in sectarijs fide transfertur in gentem facientem fructus eius.

Nunquam hæresis vlla, aliave secta ad tantam terrarum amplitudinem sarmenta ab Ecclesiæ vinea proiecta extendere potuit, aut poterit, vt merito Catholica vocari possit; quantumlibet veras Ecclesiæ missiones voluerit, aut velit imitari: obest falsitatis, & hæreseos natura, quæ à diuisione orta in diuisionem tendit: obest amor proprius quęstui animarum contrarius: obest Dei prouidentia, quæ soli fidei suæ promisit vniuersalitatem.

Decimò; *quòd apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Ecquid verisimile est, quod tot, ac tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint*, inquit Tertull. lib. de præscriptionibus aduersus hæret. cap. 28. Quod ergò in fidei nostræ mysteria tot ingenia virorum doctissimorum, aliàs fermè in omnibus dissentientium, toto terrarum orbe, tot sæculis vnanimiter consenserunt: non aliundè quàm à diuinæ prouidentiæ auxilio, notarumque fidei clara veritate procedit. Cui perfectæ vnitati, doctrinæque consensioni, si passione vacuus, conferas idolorum, & idololatriæ confusam multiplicitatem, hæreseon doctrinas varias, & peregrinas, singulorumque hæreticorum multiformem Protheum; Vah quam abominaberis errorum chaos! quàm gratanter ordinatissimum, & vnitissimum fidelium Romanæ Ecclesiæ chorum amplexus, sub vno pastore vno pasceris ouili. Imprudentia enim, atque impudentia magna foret in negotio salutis, tantæ ac tam vnanimi orthodoxorum doctrinæ paucorum quorumdam instabilem præferre sentiendi libertatem.

Vndecimò, quid quod hinc vitæ sanctitudo, vel ab hostibus laudes extorquet? Illinc doctrinæ sublimitas cunctos rapit in admirationem? non solùm enim Christo, & fidei nostræ, vox Patris, manifestatio Sancti Spiritus, aut etiam beatissima Virgo, & Apostoli, cæterique Catholici integerrimum præbuere, & prębent testimonium: verùm etiam Tiberius, qui de Christo inter Deos referēdo egit, Philo etiam & Iosephus Iudęi, Pilatus ipse & milites sepulchri custodes, adeoque ipse dæmon tum in præsentia Christi, tum varijs in locis obmutescens, aut veritatem fateri coactus, & dum ad hęc vsque tempora veræ fidei virtutem nō ferens idola deserit, obsessa corpora relinquit. Turcę quoque & hęretici, tanta est vis veritatis, pluries fidem nostram in summo honore, ac reuerentia habere coacti sunt. Cum interim nusquam inueniantur Catholici laudasse, aut approbasse doctrinam, aut vitam vllorum Ethnicorum, aut Mahumetanorum, aut hæreticorum. Scimus enim vnam tantùm esse veram fidem, & sine ea nullam esse veram iustitiam. Constanterque asserimus, errare omnes qui doctrinam nostrā non sequuntur.

Duodecimò tandem & vltimò infelix exitus Iudæorum, Ethnicorum Ecclesiæ persecutorum, non minus religionem Catholicam cōtra Gentiles, quam contra hæreticos illustrat, & cōfirmat: pręterquam quod enim præcipui hæreticæ prauitatis inuentores,

hor-

horrenda, & infami morte perierunt, si non ipsi, sed Ecclesia, vt contendunt Romana, non secus, ac Iudęorum olim Synagoga, à doctrina vera, sinceraque religione desciuit, cur templa, cur Sacerdotes, cur sacrificium, cur cæremoniæ, atque ritus, cur certa descriptio, formaque Religionis in Ecclesia Romana magis, ac fęce Iudeorum, durauit? Ita ne verò? portas inferorum aduersus veram, incorruptamque doctrinam, quam sectarij tueri affirmant, tamdiu Christus contra promissiones suas pręualere permisit.

Quam excusationem ergò in die iudicij pretendet infidelis, aut hæreticus, qui tot notis à Deo testatam fidē amplecti neglexerit? omnes enim pręsertim simul iunctæ compertum reddunt vnū ex his tribus, vel nullā Deo Optimo, Maximo esse curam de rebus nostris, vel ipsi placere, vt in eius cultu decipiamur; vel hanc religionem & fidem quam colimus esse veram. Quorum prima duo cum sint impia, & lumini rationis aduersa, reliquum est, vt tertium sit euidenter credibile. Quam securus igitur ea in parte comparebit Catholicus? qui etiam præ certitudine dicere poterit cum Richardo à Sācto Victore lib. 1. de Trinitate cap. 2. *Domine si error est, à teipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis, & prodigijs confirmata sunt, & talibus quæ nonnisi per te fieri possunt; certè à summæ Sanctitatis viris, sunt nobis tradita, & cum summa & authentica attestatione probata teipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quid enim vnquam de rebus non euidentibus sine culpa creditum est, si credere quæ Christiana, & Romana doctrina tot tantisque argumentis confirmata tradit, culpa non vacat? Vox itaque & verissima, & consolationis plenissima, & prorsus eiusmodi videtur illa ex Richardo statim allata, quam in omnibus, portis inferorum, dęmonumque tentationibus in negotio fidei cōfidentissimè opponere possimus. Neque enim video, vt firmiter, & immobiliter Christianæ doctrinæ, quam Romana proponit Ecclesia, assentiamur, quid vehementius nos ad hoc mouere & excitare possit, quam quod euidenter intelligimus, vt explicatum est, eam aut omnino esse veram, aut sine culpa prorsus veram à nobis iudicari.



SECTIO

SECTIO TERTIA

De varijs modis ex Sacræ Doctrinæ præscripto obseruandis, in suadendo, aut defendendo Fidei nostræ mysteria, secundum diuersitatem infidelium ea negantium, primumque de existentia Dei aduersus Atheos.

CAPVT PRIMVM.

Varia referuntur Infidelium genera.



POSTQVAM in duabus superioribus sectionibus explicui in communi principia omnia, vnde fidei nostræ Catholicæ Romanæ veritas sufficiēter proponi, suaderi, ac defendi possit; superest iam vt pro instituti ratione præscribam in particulari modos omnes, quibus id facilius præstari possit. Quia autem Sacram doctrinam supra sua principia sic reflectere, nihil est aliud, quàm ipsam articulos, ac veritates fidei aduersus omnes, & singulos illas negantes tueri, vel suadere, tot diuersos, ac differentes procedendi modos distinguere possumus in Theologia, quatenus est reflexiua, aut polemica, quot dantur diuersi infidelium gradus, & species.

Pro cuius intelligentia notandum est duo posse considerari in peccato infidelitatis, vnum est obiectum, ad quod conuertitur per se infidelis, alterum quod talis conuersio fiat cum aliqua renitentia fidei. Quamuis igitur ex parte talis renitentiæ, tres tantùm soleant infidelitatis species assignari, quia aut renititur fidei nondum susceptæ, & talis infidelitas est Paganorum & Gentilium: aut renititur fidei Christianæ susceptæ, vel in figura, & sic est infidelitas Iudæorum, vel in ipsa manifestatione veritatis, & sic est infidelitas hæreticorum. Tamen si consideretur peccatum infidelitatis, secundum diuersa in quibus erratur, sic innumeræ sunt infidelitatis species aut differentiæ, secundum quod innumeris modis contingit errari per sententiam falsam, ad quam quis conuertitur, vt optimè explicat S.Thomas 2.2. qu.10. artic.5.

Verùm quia longum esset & importunum velle persequi singulos errores, aut infidelitatis species modo explicato, reducemus illas omnes ad septem principaliores sectas, quibus homines miserè distrahuntur, iuxta quas septuplicem etiam diuersum procedendi modū distinguimus in Theologia quatenus est reflexiua, aut polemica.

Primus est contra Atheos & Deistas, nondum vllo fidei diuinæ testimonio supposito, soliusque rationis ductu; sicut enim homo nequam sensum ab-

dicans diuinitatis, præceps abeat in mendacia, inque omnia vitiorum genera necesse est; ita per oppositum stabilita semel, & constituta supremi numinis existentia, vltrò se se offert omnis tàm Religionis, quàm puræ & sinceræ pietatis fons ac origo. Quippè descendenti in se confestim inauditur solemne istud oraculum; Deus reuera vnus est, author & parens Vniuersi, cui proindè non secus ac naturæ motus omnes, continenti serie adhærescunt; sic aurea veluti catena mancipari debere nostram omnem vitam, ratio suadet, inspirat fides. Indèque orta est Sapientum meditatio, Christianorum Sanctimonia, Monachorum austera solitudo.

Secundus est aduersus Idololatrarum superstitionum vanitatem & impietatem, quam satis redarguit illa Deorum, seu diuinorum numinum multitudo: & quæ rationes vnicum Deum esse probant, eædem illam polytheismi sacrilegam impietatem damnant. Quocirca ab omni æuo, ineptissimæ numinum cateruæ, sic puduit sagaciores; vt alij Deum non coluerint nisi vnum; vt fuerunt Philosophi: alij nullum, ne plusquam vnum nosse cogerentur, vt fuerunt plures Athæi.

Tertius est contra Philosophos, qui vnum quidem verum Deum agnoscentes & colentes, nullam tamen illius reuelationem in negotio religionis, & salutis admittunt, sed solam rationem naturalem sequuntur. Ostendamque aduersus illos, nec illam, nec experientiam humanam ducem esse posse in religione, sed tantùm fidei diuinæ ministrare, ita vt si quis religiosus, verusque Dei cultor esse velit, ei necessariò audiendi sint prophetæ à Deo edocti, missique doctores, quibus se vera religione informandum committat, seque humilem & fidelem eorum discipulum profiteatur.

Quartus est contra Politicos, seu Libertinos Neotericos religionum indifferentiam admittentes, & vnumquemque in sua posse saluari. Etsi enim illi non difficulter conuinci possent Atheismi, qui licet Deum & esse & colendum esse asserant, fidem tamen posse mutari contendunt; si id fortunæ cõmoditas, aut patriæ ritus exegerit; profectò sua confessione facilè conuicti, quod non plus ab Atheistarum secta distent, quam permittat volubilis fortunę commoditas; Deū vtique verum esse negaturi, si id suę commoditatis idolum, vel reipublicæ suaserit. Aduersus hos tamen, quatenus saltem in specie verum Deum admittunt, demonstrabimus, quod sicut vnus est Deus, ita vna est eius colendi religio vera, Christiana videlicet Romana Catholica, quam ipse reuelauit, & de cuius reuelatione homines certos esse voluit. Quoties enim princeps & legislator lege sua aliquid præcipit, id non amplius liberæ subditi electioni relinquitur, ita vt indifferens, & adiaphorum dici valeat, sed nisi obseruetur, princeps offenditur.

Quintus est contra Iudæos, qui aliquando veram pietatem, & religionem coluerunt, fueruntque populus Dei electus, sed cum ipsis fatentibus tota eorum lex & religio, quatenus à Christiana differt, sit præfiguratiua, & significatiua rerum in altera Religione, vel vt melius dicam, eiusdem religionis ritū tantùm altero futurarum: & nominatim tota sit in prænuntiando Messia venturo: ij profectò per necessariam consequentiam coguntur fateri eam nullo modo debere esse perpetuam; sed aliquando commutandam in aliam, quæ quia Messiam, seu Christum ipsum authorem, & institutorem habere debet, idcircò purè & simpliciter Christiana nuncupatur. Cum autem omnes eorum prophetias ætate Christi impletas fuisse constet, & quæcumque Christi venturi notæ, & insignia à prophetis data fuerant, ea in Iesu nostro clarissimè expressa, & adimpleta videantur: sola eorum perfidia, & obdurati cordis pertinacia ab

ipsis quoque eorumdē prophetis prædicta, eos in illo errore retinere potest. Et si vocationem gentium audire horrent, liquet, quod magis ex liuore inuidiæ, quam veritatis amore, cùm & in semine Abrahæ ipsius, cuius adeò se filios gloriantur, discant ex suis Scripturis, & prophetis benedicendas omnes gentes.

Sextus est contra Mahumetanos, quorum doctrina & religio, quantò magis est plena contradictionibus, fabellis anilibus & ridiculis, tantò facilius erit vanitatem illius ostendere.

Septimus tandem, & vltimus est aduersus hæreticos, qui cum admittant vnam solam Religionem Christianam veram esse, & ad beatitudinem consequendam necessariam: *Vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium*, Ephes. 4. non erit difficile ex illius proprietatibus & notis, vt quod sit Sancta, Vniuersalis & Apostolica aduersus illos probare solam Ecclesiam Romanam, quæ Romanum Episcopum Sancti Petri successorem, pastorem proprium habet, esse veram & à Christo fundatam Ecclesiam; cui adamussim cōueniunt prędictæ proprietates, & notæ in diuinis Scripturis expressæ. Vndè cum non sola Sacra Scriptura, sed vera Ecclesia simul cum illa, ad hanc enim nos ipsæ ablegant Scripturæ, quo ferè modo, estque similitudo conuenientissima, à Scripturis Christus approbatur, & hæ vicissim ab illo; cum inquam fædus amborum viribus inuicem communicatis certissimam efficiat regulam: statuantque simul immotum ac generale principium partim credendorum, partim agendorum ad salutem. Stabilito semel quod sola Romana Ecclesia sit vera Christi Ecclesia, aduersus quam Matt. 16. Christus affirmat *portas inferi non praualituras*; quamq; Apostolus 1. Timot. cap. 3. vocat *firmamentum, & columnam veritatis*; statim sequitur illam solam esse verum, ac legitimum iudicem, cuius vltimæ determinationi, & definitioni in omnibus fidei controuersijs stari debet. *Euangelio non crederem*, inquit D. Augustinus contra epist. fundam. cap. 5. *nisi me Ecclesiæ Catholicæ moueret authoritas.* Quamuis enim verum sit fidem nostram in dictā authoritatem tanquam in rationem obiecti formalem non resolui, ipsa tamen intercedit tanquam infallibiliter ex assistentia Spiritus Sancti Ecclesiæ promissa proponens obiectum, cui ratio formalis competat; hoc enim pertinet ad ipsam iudicare.

CAPVT II.

De Atheismo, primaque eius origine, caussis, & effectibus.

CVm inter omnia Sacræ Doctrinæ principia, primum ac præcipuum obtineat locum supremi alicuius numinis existentia: *Accedentē enim ad Deum oportet credere, id est, cognoscere, quia est*, Hebręor. 11. si ibi sermo fit de existentia Dei, vt authoris naturæ, & ex D. Augustino lib. 4. de ciuit. Dei cap. 20. *Fidei primum, & maximum officium est, vt in verum credatur Deum*: primum etiam ac præcipuum Theologiæ, quatenus polemicæ & reflexiuæ, munus esse debet, talem Dei Optimi, Maximi existentiam propugnare, & ab Atheorum calumnijs vindicare; quod in sequentibus Deo iuuante, & pro seipso dimicante, totis viribus pręstare conabimur, si prius ad completam huius rei tractationē breuiter examinauerimus, quid sit Atheismus, quæ prima eius origo, quæ caussæ, & effectus; maximè cum ex his nō parum apparitura sit tantæ impietatis difformitas ad lumen ipsum naturale, & rationis.

Atheismus igitur est nomen græcum significans falsam, & impiam illorum persuasionem, qui alicuius supremi numinis existentiam directè negant, dicuntque in corde suo non est Deus. Dixi *directè*, vt non compre-

henderem quot quot mortaliter peccant, præsertim qui ex contemptu, cõsuetudine, libertate, ac facilitate tanta, hi enim licet interpretatiuè, & secundum quandam rationem dicantur Deo demere suam diuinitatem, dum ita se gerunt, perindè ac si penitus non esset, vel non esse sibi persuaderent Deum, expresè tamen & directè id non affirmant vt Athei; qui rectè proindè à Regio Propheta insipientes per antonomasiam appellantur psal. 13. & 51. *Dixit insipiens*, vel vt vertunt Hieronymus, & Hilarius, *stultus in corde suo, non est Deus*. Extremæ enim dementiæ est Deum negare, & plusquam infidelitatis, quia nec opus diuina fide, vt cognoscatur, & sciatur Deum esse, sed ad id sufficiat lumen ipsum naturale. Etsi enim Deum esse ratione aliqua à priori demonstrari non posit, cum ipsemet Deus sit primum, ac fontale totius esse principium, à posteriori tamen, ex dicendis infra, id ita apertè colligitur, ex rerum motu, admirabili ordine, causalitate, gubernatione, consensu, alijsque huiusmodi; vt existimem plures Atheos potius Dei existentiam præ malitia, & quantum ad affectum nolle, quã præ ignorantia nescire; quod fortè per illam particulam, *in corde*, significare voluit Psalmista locis statim citatis.

Quod spectat ad primam huius impietatis originem, communiter tribuitur Protagoræ, vt testantur Tullius 1. de nat. Deor. & Lactantius lib. de ira Dei cap. 9. & lib. 2. diuin. Institut. c. 2. *Primus*, inquit, *omnium Protagoras extitit tempore Socratis, qui sibi diceret nõ liquere, vtrum esset aliqua diuinitas, nec ne*. Et quamuis hunc initio non de Deo simpliciter, sed de Dijs Atheniensium dubitasse scripserit Iosephus 2. contra Appionem, sensim tamen Deum omnem sustulisse docent Eusebius lib. 14. de Demonstrat. Euang. cap. 6. & Epiphanius in Panario. A quo errore ita populi tunc abhorruerunt, vt referat Iosephus loco statim citato, hoc solo nomine Protagoræ natale solùm ab Atheniensibus fuisse deletum, & vtinam cum ipso tam horrendum impietatis monstrum! At longè aliter res se habet. Nam & complures adhuc post ipsum ex antiquitatis memoria repetuntur, qui diuinitatem funditus negarunt, vt Theodorus Cirenaicus teste Tullio 1. de nat. Deorum, & Diagoras, de quo Athanasius orat. pro Christ. *Diagoræ*, inquit, *est apertè promulgata sententia, nullum planè extare Deum*. His accedit Critias, & Clitomarus, ex Theophilo Antioch. lib. 3. ad Authol. Inter Atheos etiam adnumerandus Bion, teste Laertio lib. 4. Lucianus teste Suida in dict. verbo Lucianus. Doletus teste Prateolo V. Athei, Plinius & Lucretius, ipsismet de hoc sua sensa testantibus, altero lib. 2. cap. 1. altero lib. 5. Diogenem Phrygem, Hypponem & alios his adiungit Aelianus lib. 2. variar. Histor. cap. 31. Euhemerum & Theagetem addit Laertius in Aristippo; de Selio quodam ita Martialis.

Nullos esse Deos, inane cælum
Affirmat Selius.

Sed quid antiquos memoro, dum nostris adhuc temporibus omnia ferè mundi regna tot huiuscemodi tenebrionibus scatent, eo cauendis magis, & formidandis quod tecti occultique sunt, maiorique propterea impunitate grassantur. Macchiauellum cum suis inter Atheos recenset Lessius c. 2. de prouident. Dei; quod aliarum rerum procurationem non habere videãtur, quam earum, quæ ad externam reipublicæ gubernationem pertinent; de religioso autem cultu ea ratione duntaxat solliciti sint, quatenus ad cõtinendos populos in ciuili disciplina, & obedientia, arbitrio humano expedire iudicauerint. Hæc enim falsa pietatis simulatio ex alio fonte, quàm ex ipso Atheismo proficisci non potest. Meritò etiam illis annumerari debent, qui animæ rationalis immortalitatem negant; hæc enim duo dogmata, sũma vide-

videlicet supremi alicuius numinis existentis prouidentia, & animorum immortalitas, sunt adeò inter se connexa, vt se vicissim statuant & tollant; vnde etiam inter diuersa Atheorum argumenta, istud ab illis fieri solet; sola animæ immortalitas Deum esse conuincere videtur, atqui mortalis est, igitur nullum superest diuinitatis, diuinæve alicuius prouidentiæ fundamentum.

Apud Caluinistas vigere Atheismum testatur Petrus Gregorius Tolosanus tomo 3. comment. Syntax. artis mirabilis; qui refert librum à Caluinista impressum expresse docentem *nullum dari Deum, præter naturam*. De alio quodam refert Maldonatus in cap. 36. Math. ver. 26. librum scripsisse, *de arte nihil credendi*. Huius tandem sectæ permultos esse Geneuæ colligit Lindanus in suo Dubitantio, ex eo quod cum Caluinistæ de abolendo semel Pontificatu Romano, Purgatorio, alijsque fidei Catholicæ dogmatibus inter se consultarent, vnus insignis eorum magister dixit: *Asseramus animam vna cum corpore interire, sic purgatorium cum missa, & Romano Pontifice semel abolebimus*. Vt enim statim monui, qui semel in eum errorem adducitur, vt animam hominis putet esse mortalem, vel facilè in Atheismum declinat, vel Atheus est. Angliam non tam circumfuso oceano, quam infuso per hæresim Atheismo fluctuantem describit Andræas Philopater in responsione ad edictum Elisabethę, idem accidere in Scotia ostendit Ioannes Durçus in confutatione responsionis Guillelmi Witacheri. Germaniam scatere Atheistis refert Ioannes Sturmius in 3. par. Antipap. 4. Poloniam peste eadem contaminatã testatur Stanislaus Rescius in lib. de Atheismis Euangelic. cap. 9. & Vigandus in libello contra Arrianos, vbi queritur sibi ex professo probandum esse, Deum esse; neque id inconsultò factum declarat liber editus in Polonia ab Ochino in controuersiam vocante: *An Deus aliquis sit adorandus*: vt testatur idem Rescius ibidem; & liber editus Craccouiæ, vt refert Bouerius tomo 1. demonst. 1. artic. 2. cum hac inscriptione, *Simonis religio*, ita rem totam concludens, *Ede, bibe, lude; iam Deus figmentum est*. Ex quibus satis patet, quod si olim dæmonibus nihil fuerit antiquius quam polutheismũ hominibus ad idololatriam potissimum persuadere; ita nihil illis modo sit carius, quam falsã Atheismi persuasionem ad omnia impietatum genera disseminare; sed hæc sufficiant de Atheismi ortu & progressu breuiter attigisse, nunc ad illius causas deueniamus, quas quia non minus prolixè, quàm doctè persequitur P. Mersennius in Genesim cap. 1. vers. 1. artic. 3. illas tantùm hic ex ipso insinuabimus.

Prima igitur causa cur aliquis Atheus fiat, est insipientia, cordisque insania atque fatuitas, per quam homines in opiniones absurdissimas, & diuersos errores facilè labuntur, vnde Psaltes ait: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, psal. 13. & 52.

Secunda, ingens peccatorum numerus, eorum præcipuè, quæ ad libidinem & gulam pertinent, quæ tenebris mentem obsident, & nescio quam hebetudinem, atque torporem ingenerant, vt eleganter & doctè more solito D. Thomas 2. 2. quæst. 153. art. 5. explicat.

Tertia, quod ita iudicent homines, provt affecti sunt, ac pro vt rem illam, de qua iudicium ferunt se se habere vellent. Indè enim fit, quod, etsi creaturæ omnes Deum esse appetant naturali, & innato appetitu, velut primam atque præcipuam sui esse causam, appetitu tamen elicito, ne iuxta delictorum suorum grauitatem puniãtur, vellent animas suas esse mortales, ac proindè Deum non esse.

Quarta, quod homines omnia Dei consilia suo iudicio metiri velint, quæ cum assequi non valeant, putant nullũ esse

esse Deum, eo ferè modo quo Saducæi, qui dum spiritus concipere non possent, eos esse negarunt.

Pro quinta causa statui potest impatientia hominum & incredulitas, qui nisi statim impetrent, quod à Deo postulant, nullum esse Deum falsissimè concludunt, ex eo quod non eos confestim exaudierit.

Sexta causa est, quia vident rerum naturalium ordinem semper eodem modo, atque tenore se se habere, quapropter nullum esse rectorem existimant, sed res suoptè genio hos, & illos cursus peragere, hanc aut illam suæ durationis periodum ex seipsis obtinere; cùm tamen potius ex ordine, statoque rerum omnium tenore concludere deberent re vera sapientissimum aliquem esse prouisorem, & gubernatorem, qui modo conuenientissimo, sapientiaque ineffabili hæc omnia in debitum ordinem redigat, atque moderetur.

Septima causa est, inordinatum studium nimiaque sollicitudo, qua nonnulli rebus naturalibus incumbũt, & earum motus omnes, opera, proprietates & affectiones in causam naturalem referunt adeò vt nihil illis supra naturam esse videatur.

Octaua causa est hæresis, quæ est ad Atheisum via latissima, nec mirum, cùm hæresis & Atheismus eâdem originem habeant, incredulitatem videlicet, quæ ex superbia, atque nimia proprij iudicij æstimatione proficiscitur.

Nona, impiorum familiaritas & consortium, cuiuslibet status, & sectæ hæreticos alloquendo; vbi enim vident aliqui vnumquemque eorum affirmare, atque iureiurando cõfirmare, quod stet ex illius parte veritas, alios verò falsitatem, & mendacium sectari, inde concludunt melius esse nihil ex ijs, quę spectant ad religionem, quàm aliquid credere.

Decima est, quia belluarum instar solis sensibus credunt, præter quorum obiecta, cætera omnia, quæ ad diuina atque spiritualia pertinere dicuntur, Chimerica & phantastica existimant.

Vndecima, cum aliquid quod antea velut miraculosũ credebat Atheus vi causarum naturalium fieri deprehendit, statim imperitè concludit, cætera quæ miracula, atque adeo solius Dei opera nuncupantur, vt mortuorũ resurrectionem, cæcorum illuminationem, & alia mirabilia, vt quod dæmones aliquos possideant, & energumeni quantumuis ignari varijs linguis loquantur, vel naturæ vi, vel alicuius peritissimi artificis causas occultas applicantis industria fieri.

Duodecima, quod impios bonis omnibus affluere, in regnis, atque rebus publicis primatum tenere, bonos opprimere videant, iustos autem malis omnimodis plerumque opprimi, atque pro nihilo haberi: hinc enim concludunt Athei vel nullum esse Deum, vel eum bonitate, iustitia, atque prouidentia carere;

Decima tertia, quia dum tam paucos esse audiunt, qui diuino cultui vacent, & numen diuinum debita veneratione prosequantur; hinc concludunt fieri non posse, vt re vera sit aliquis Deus optimus, qui fidelium, & omnium hominum, totiusque mundi curam habeat, alioquin, inquiunt, facere debuisset, cum illud posset, vt vel omnes verum eius cultum, vel saltem plures amplecterentur.

Decima quarta, quia existimant quæcumque vera esse dicuntur, eodem modo probari, atque adeò res morales & diuinas sub Mathematicam demonstrationem cadere debere: cum tamen vnumquodque suum peculiarẽ modum habeat, & alia sint moralia, alia diuina, alia etiam physica, metaphysica, & mathematica argumenta.

En ex præfato authore præcipuæ rationes & causæ Atheismi, quibus ex eodem sua etiam alexipharmaca infra subijciemus, ad Atheorm argumenta ex supradictis rationibus, & causis, alijs-

alijsque similibus deprompta respondendo; nunc superest, vt abominabiles eiusdem impietatis fructus videamus; vt enim Atheismus est effectus, ita & radix omnium vitiorum in volūtate; sic Chrisostomus in psal.13. Athei cor *templum impietatis* appellauit; sic Regius Propheta tam psal. 13. quàm 52. asserit, eos, qui insipienter dicunt in corde suo non est Deus, corruptos & abominabiles factos esse in studijs, & iniquitatibus suis, nec esse qui faciat bonum, non esse vsque ad vnū. Enimverò quemadmodum assensus in hanc propositionem, *Deus est*, fundamentū est totius religionis, & principium per se dirigens voluntatem ad bonū honestum, radixque totius bonitatis moralis, adeo vt Plato lib.10. de legibus dixerit, *Qui Deos esse putat, nec facit quicquam spontè impiè, nec loquitur*; ita semel illo sublato, necesse est omnem virtutem de medio tolli, timorem omnem è cordibus hominum eradicari, & tandem vitijs omnibus, criminibusque fræna liberius laxari, vsque ad omnē prorsus humanitatis corruptionem. *Quomodo enim*, ait Nissenus tr.2. psal.13. *in suo quis esse duret, qui non est in eo, qui est? Quomodo quis maneat in eo qui est, si non credat ei qui est quod sit?* Vndè sicut *corruptio abominationem meretur*, inquit Hilarius ad eumdem Psalmi locum, nihil etiam regnis omnibus, rebusque publicis benè institutis execrabilius esse debet, quam falsum illud insipientum Atheorum dogma, dicentium in corde suo *Non est Deus*.

✝



CAPVT III.

Ostenditur hominem ad certam, ac demonstratiuam Dei cognitionem naturaliter peruenire posse, via ascensus, & à posteriori.

QVia præter Atheos existentiam Dei absolutè negātes, sunt aliqui hæretici vt Illyricus, & Lutherus apud ipsum, qui illam ita admittunt, & saltem voce confitentur, vt tamen existiment sine scriptura solo affulgente lumine naturali homines nihilo plus de Deo scire, quam pecudes; sunt etiā aliqui doctores Catholici concedentes, rationes naturales, quæ afferuntur ad probandum Deum, omnes quidem esse probabiles, & intra genus probabilitatis multas esse adeò efficaces, & certas moraliter, vt reddant homines inexcusabiles, si non venerentur Deū, & illi debitum obsequium præstent (in quo valdè differunt ab Atheorum & hęreticorum sensu) non tamen esse veras ac perfectas demonstrationes; ideo priusquam ad illarum examen in particulari deueniamus aduersus illos omnes, placuit videre in communi an & quatenus certum sit Dei existentiā esse à nobis naturaliter cognoscibilem & à posteriori demonstrabilem; cui difficultati respondeo affirmatiuè, & quia agitur cum aliquibus aduersarijs diuinarum Scripturarum authoritatem recipientibus ex illa primùm est nobis probanda nostra sententia.

Itaque in veteri testamento Iob 36. habetur. *Omnes homines vident eum*, scilicet Deum, *vnusquisque intuetur procul*. Quod de notitia Dei euidenti ex creaturarum consideratione naturaliter acquisibili, communiter explicatur à Sanctis Patribus, sicut & illud Isaiæ cap.40. v.26. *Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc?* Item Sapient.13. dicitur, *Vani autem sunt omnes homines, in quibus nō subest scien-*

ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt; neque operibus attendentes, agnouerunt, qui eſſet artifex, & poſt pauca ſubiungit, *à magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri*, & poſt pauca rurſus. *Si enim tantum potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſæculum, quomodo huius dominum non facilius inuenerunt*. Vbi Sapiens ex communi interpretum conſenſu inuehitur contra illos, non qui nullo modo cognouerunt Deum, ne probabiliter quidem, vt ſatis conſtat ex toto contextu, & maximè ex vltimis verbis citatis; ſed contra illos philoſophos, & exiſtimatos Sapientes, qui cùm haberent ſcientiam huius ſęculi, id eſt rerum corporalium & terrenarũ, tantam tamen non habuerunt, quantã potuiſſe de Deo naturaliter habere ex creaturis ad excludendos falſos Deos; quantitatem autem explicat Sapiens primo illo vocabulo, *Scientia*, ſecundo illis verbis, *cognoſcibiliter videri*, quæ in proprio & primo ſenſu denotant cognitionem euidentem certam; ſicut & illa priora: *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ*, exprimunt cognitionem iſtã certam & euidentẽ peti à rebus creatis tanquam proprijs effectibus ipſius Dei; ſimiliter ex pſal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.*

Alius & principalis locus, qui afferri ſolet, eſt, ex D. Paulo ad Romanos cap. 2. vbi ſic habet: *Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum*, (ſcilicet infidelium) *qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit; Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas; ita vt ſint inexcuſabiles.* vbi etiam illæ particulæ, *manifeſtum eſt illis*, & illæ alię, *intellecta conſpiciuntur*, in prima & propria ſui ſignificatione denotant cognitionẽ euidentem, nempè à poſteriori, vt ex textu colligitur.

Quare D. Hieronymus in illud D. Pauli, *intellecta conſpiciuntur*, tam euidenter, inquit, intellecta ſunt, vt conſpecta dicantur. Et S. Dionyſius de diuinis nominibus cap. 7. aſſerit Deum per ſcientiam cognoſci. Item epiſtola ad Titum, *Aduertendum eſt*, inquit, *duplicem eſſe traditionem Theologorum vnã ſymbolicam & myſticam, alteram philoſophicam & demonſtrantem*. Quem locum explicans S. Maximus ait, *Philoſophicam, & demonſtrantem Theologiam appellari, quæ eſt ex perſpicientia creaturarum.* Quo certè nihil clarius ad præſens inſtitutum. Tandem D. Cyprianus libro *de idolorum vanitate*, D. Athanaſius orat. *contra idola*, & D. Auguſt. lib. *de ſpiritu & littera* cap. 12. docent, quod Athei negent Deum eſſe, id prouenire tantùm ex eorum proteruia, vel cæcitate, quod ſcilicet nolint perpendere vim argumentorum; non autem ex defectu ſufficientis demonſtrationis vt in ſolutione obiectionum magis declarabitur.

Quapropter ſi in quibuſdam alijs Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum locis videtur hominibus adimi omnis cognitio Dei, vt in pſalmis ſæpius habemus, non eſſe intelligentem Deum, & Iſaiæ cap. 1. *Iſrael autem me non cognouit*. Ad vitandam omnem diuinarum Scripturarum antologiam, reſpondeo omnia huiuſmodi loca debere intelligi ex ſubiecta materia, iuxta aliquem ex ſubſequentibus ſenſibus. Vel quod loquantur de cognitione exiſtentiæ Dei, vt diſpoſitiua ad ſalutem; ad quam non eſt diſpoſitio ſcientia, ſiue cognitio Dei vt authoris naturæ, ſed fides, ſiue cognitio Dei, vt authoris ſupernaturalis; *Accedentem enim ad Deum oportet credere quia eſt*. Hebręor. 11.

Vel ſecundò debent explicari de Deo non ſecundum quæſitum an ſit; ſed quid ſit, ita enim per demonſtrationem à poſteriori ex creaturis tanquam ex effectibus diſtinctè, & euidenter probari poteſt exiſtentia Dei, vt ta-

vt tamen quidditas eius, aut essentia nisi valde imperfectè, & sub confusa quadam tantùm ratione cognosci possit. S. Athanasius *ad Serapionem de Spiritu Sancto*, ait, *Deitas non demonstratione rationum traditur, sed fide*.

Vel tertiò loquuntur de quibusdam diuinis mysterijs, quæ naturaliter minimè possumus attingere, vt Deum esse Vnum & Trinum, velle nos gratis iustificare, per Christum crucifixum peccata condonare, atque in æterna fælicitate hæc nostra corpora eadem restituere, & similia, quæ vt sunt supra totum ordinem naturę, ita & supra totum rationis humanæ captum & vires. Quare D. Paulus supracitato ad Romanos loco, vbi de naturali Dei cognitione differens ait, *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis &c.* Græcè legitur tò gnostòn tòu theou, ac si diceremus, quod est cognoscibile Dei, siue potuit cognosci de Deo naturaliter, illis manifestum est.

Quartò possunt intelligi scripturæ de scelestis hominibus, qui Deum cognoscere ex creaturis non potuerunt, ex suppositione praui affectus, quo ad alia diuertebantur. Addes nonnullos ex illis fuisse adeò impios, vt conati sint etiam persuadere sibi & alijs non esse Deum; & quamuis hoc perficere non potuerint reclamante animo, & obluctante conscientia, tamen scriptura de illis pronunciat & loquitur iuxta eorum conatus, & sic ait illos Deum non cognouisse.

Quintò fatentur quidem impij vt habetur ex D. Paulo, & ex alijs locis supra allatis Deum esse; at quia postea de illius natura & proprietatibus ea decernunt; vndè Deum non esse optimè inferri posset; dicebant enim suorum scelerum multitudine oppressi, & tenebris obuoluti, Deum humanis rebus non prouidere, nec pro meritis vnicuique reddere, hominumque cogitationes & actiones minimè respicere, & similia; ideo scriptura negat eos Deum cognouisse; verus enim Deus non ita se habet, sicut illi insipienter fingebant.

Postremò tandem, dum sæpius asserunt scripturæ, non esse qui intelligat, vel requirat Deum, non est quod homines re vera non cognouerint, aut cognoscere non potuerint Deum certò, & euidenter, sed quod ea cognitione perperam vsi sunt, non glorificando Deũ, sicuti eum cognouerunt, Quia autem Deum sic nosse, non solum nihil prodest cognoscenti, sed ad maiorem etiam eius condemnationem, & confusionem vertitur, propterea scriptura sæpius ita illud reijcit, vt ne dignetur quidem nomine diuinæ notitiæ illud insignire; & impios, cum tales fuerint, asserit Deum ignorasse. Eo ferę modo quo per oppositum in scriptura dicitur de Deo, eosdem impios nescire, & ignorare, quos ad salutem, & gloriam nescit. Sed de his satis, nunc ad rationes veniamus.

Secundò probatur ratione, diuinam existentiam esse euidenter demonstrabilem, vera demonstratione à posteriori; & quia de hac demonstrabilitate diuinæ existentiæ dupliciter loqui possumus, primo veluti secundum se, an nimirum quantum est ex se, & per se sit demonstrabilis; Secundò respectu nostri, an etiam spectata natura, & conditione humani intellectus pro pręsenti statu viæ, non solum per se, & ex se sit demonstrabilis, sed etiam in ordine ad imperfectionem nostri intellectus; ostenditur veritas nostræ conclusiones in primo sensu.

Quia ex effectu potest quantum est ex se demonstrari causa necessaria, seu necessario requisita ad productionem talis effectus, sed creaturæ omnes sunt veri quidam effectus Dei, & Deus est causa necessaria, seu necessario requisita ad illarum productionem, ergò per se loquendo, seu quantum est ex se potest euidenter demonstrari Deum esse demonstratione à posteriori, ex creaturis tanquam ex effectibus. Maior huius argumenti est certa, & euidens lumine

naturæ, vt satis patet ex tota philosophia, in qua ex effectibus, necessariaque illorum connexione cum suis causis, argumentamur ad illarum notitiã, saltem quoad an est; Et ratio vniuersalis est, quia sicuti ex hoc, quod causa, vt sic, dicit ordinem ad effectum, possumus per illam à priori argumentari ad effectum, ita etiam à posteriori per effectum ad causam, quia etiam effectus dicit ordinẽ ad suam causam, præsertim quando causa non est per se nota, vt accidit, & supponitur in præsenti; vndè non video quid huic maiori ab aduersarijs rationabiliter responderi possit. Minor autem affertur, vt propositio cognita per fidem, quæ a nullo consequenter Catholico negari potest; est enim argumentum Theologicum ex maiori necessaria lumine naturæ, & ex minori cognita per fidem; quod est diligenter aduertendum, ad resoluendum quanta, & quali certitudine sit certa conclusio nostra.

Ostenditur etiam veritas nostræ conclusionis in secundo sensu; 1. addendo tantum aliquas particulas argumento statim facto: ex effectibus notioribus nobis possumus nos certò & euidenter deuenire in cognitionem existẽtiæ causæ illorum; sed creatura sunt effectus nobis notiores, quorum Deus est causa necessaria, hoc est necessariò ad illorũ productionem desiderata; ergò ex creaturis possumus euidenter deuenire in cognitionem Dei; quod argumentum vt dixi non differt à primo nisi quod ibi maior erat absoluta, hic autem additur illa particula nobis, seu in ordine ad nos.

Secundò probatur, quia quotiescumque est cognoscibilis certò & euidenter infallibilis & necessaria connexio effectus cum sua causa, demonstrabilis est etiam ex effectu causa; sed ab intellectu humano cognoscibilis est certò & euidenter infallibilis atque necessaria cõnexio inter creaturam, & Deum; ergò ab intellectu humano demonstrabilis est ex creatura Deus. Vbi maior propositio videtur omnino certa, tota si quidem argumentatio ab effectu ad causam fundatur in necessaria & infallibili connexione vtriusque. Minor verò, præterquam quod sufficienter constat ex superius adductis sacrę Scripturæ locis, probabiturque; inferius adducendo rationes, quibus aduersus Atheos Dei existentiam demonstraturi sumus, sic declarari potest; nomine Dei in illa contento intelligimus primã causam, primumq; principium: nomine creaturæ totam entis creati collectionem; sed hæc dicit infallibilem connexionem cùm causa prima & increata, certò & euidenter ab humano intellectu cognoscibilem &c. cũ enim ens creatum non potuerit creari, vel produci ex seipso, alioquin esset simpliciter prius & posterius seipso, quod inuoluit contradictionem, essetque actu antequam esset, vt inferius dicemus; statim intellectus benè ac sapienter dispositus colligit certò, & euidenter ex terminis ipsis debuisse creari ab aliquo extra ipsum, atque adeo ab ente increato, quod est extra collectionem creati.

Quod spectat modo ad certitudinẽ nostræ conclusionis an nimirum sit de fide, vel non? diuisi sunt inter se doctores, aliqui enim existimant illam esse tantùm certam certitudine quadam philosophica, non autem Theologica, ita vt qui illam negaret nulla prorsus censura Theologica esset dignus; alij tamen volunt illam ita esse certam, vt existiment oppositam esse, vel temerariam, vel erroneam, vel contra fidem. Diuus enim Thomas de verit. quęst. 10. artic. 12. dicit esse *manifestè falsam*, & 1. contra gentes cap. 12. appellat *errorem*, quam censuram probant multi; Bannes 1. p. quęst. 2. art. 2. *temerariam in fide*; nouissimeque Nicolaus Isambertus ibidem, *hereticam* appellat; quatenus vult conclusionem nostram esse de fide.

Nihilominus hac in re distinctione aliqua vtendum puto; sicut enim hæc duo valdè inter se distinguntur, aliquid posse

posse demonstrari, & aliquid reipsa, & de facto demonstrari; primum si quidē affirmat dari solummodo sufficiens medium, per quod talis veritas possit demonstrari, illud tamen non explicat in particulari, nec de facto applicat: Secundum verò id prę̄stat & exequitur; sicut hæc duo, inquam, valde inter se distinguuntur, ita etiam aliud est negare absolutè demonstrabilitatē diuinæ existentiæ à posteriori per creaturas, & aliud negare quod rationes, quæ ad hūc finem de facto adducuntur, non sint efficaces, nec veræ & perfectæ demonstrationes; Si quis igitur Theologus id negando, concederet tamen veritatem esse ex se nobis demonstrabilem, existimarem illum non esse censura aliqua Theologica dignum, nam re vera non est certum secundum fidem, aut secundum Theologiam, quod hæc, vel illa ratio in particulari, ad probandum Deū esse, sit perfecta demonstratio; pro pessimo tamen philosopho esset habēdus, quia, vt videbimus infra, non est dubium, quin aliquæ ex his rationibus, si non omnes, attentis duntaxat principijs philosophicis solo lumine naturali notis, sint veræ, & perfectæ demōstrationes, pro demonstranda aduersus Atheos supremi alicuius numinis existentia.

At si quis negaret primò, Deum non esse à nobis tanta certitudine cognoscibilem, ex creaturis, quanta satis sit ad inducendum debitum cultus, existimarem planè illum esse hæreticum; quia testimonia sacræ Scripturæ, quibus nostram conclusionem supra muniuimus, si accuratè ponderentur, expositione Patrum illis adiuncta, ad minimū probant, tanquam quid de fide certum, possibilem esse naturaliter talem Dei cognitionem, propter quàm homines, qui ita Deū cognoscant, teneatur eum colere, ita vt, si secus faciant, sint omnino inexcusabiles.

Iterum si quis negaret cognitionem hanc non esse demonstratiuam, siue quod idem est, assereret diuinam existentiam non esse naturaliter à nobis demonstrabilem demonstratione à posteriori per creaturas; etsi illa opinio non esset apertè hæretica, ad minus tamen iuxta censuram D. Thomæ, & aliorum dicenda esset temeraria, & erronea in fide. Ratio est primò, quia negare conclusionem argumenti Theologici constantis ex maiori necessaria lumine naturæ, & ex minori cognita per fidem, non vacat temeritate, vel errore Theologico; Sed vt patet ex argumentis superius facti hæc propositio, seu conclusio, quod Dei existentia sit demonstratiuè, seu euidenter cognoscibilis per creaturas, sequitur ex maiori necessaria lumine naturæ, & ex minori certa secundum fidem; ergo illam negare nō vacat temeritate, erroreque aliquo Theologico, vt potè contra certissimā conclusionem Theologicam. Cuius rei multa, & manifesta possent adduci exēpla; si enim aliquis existimaret, sicuti reuera est, quod ex eo, quod homo sit rationalis, euidenter sequitur quod sit risibilis, si semel ex fide certum esset, hominem esse rationalem, sequeretur ex euidenti discursu Theologico quod etiam esset risibilis, ita vt si quis negaret consequentiam, non solum esset temerarius in philosophia, sed etiam in Theologia; eodem modo, si euidens est, ex effectibus à nobis posse cognosci demonstratiuè causam à posteriori, vt libenter admittunt doctores contrarij, cum certum sit ex fide, creaturas esse effectus Dei, certum erit etiam ex discursu Theologico, ex creaturis posse euidenter cognosci diuinam existentiā à posteriori; quare non video, quomodo, si quæ esset opposita inter doctores Catholicos sententia, posset à temeritate excusari; Dixi *Si qua esset &c.* quia non desunt, qui asserant Gabrielem, Petrum Alliacensem, Bassolium, & alios pro illa citari solitos, tantum fuisse locutos, de aliqua demonstratione euidenti, quæ statim extorqueat assensum, conuincat omnem omnino intellectum quantumuis rudem,

dum negarunt naturalem existentiæ diuinæ demonstrabilitatem; non autem de demonstratione intellectum non proteruum, ac bene dispositum conuincente, de qua tantum procedit difficultas, quando dicimus Deum non probabili solum suasione, sed demonstratione euidenti cognosci posse ex creaturis, vt explicabitur infra tàm in solutione argumentorum capite 4. quã capite 5. notando aliqua ad disputationem contra Atheos necessaria.

Secundò etiam temeritas talis sententiæ satis patet ex superius adductis sacrę Scripturę testimonijs; quæ in prima & propria sui significatione, ita videntur expresse denotare certam, & euidentem cognitionem petitam ex necessaria habitudine, & connexione, quã creaturæ, posita sua existentia, habent cum Deo, vt ad minus sit temerarium, & erroneum, contrarium asserere. Iuxta regulam enim communem & certam, quotiescumque verba S. Scripturæ in suo proprio, & primario sensu, quem prę se ferunt, accipi possunt sine periculo alicuius absurdi, non possunt sine aliqua ad minimum temeritate, detorqueri ad aliquos alios sensus minus proprios, alioquin ante expressam definitionem Ecclesiæ nihil haberemus certum in sacra Scriptura; at quod prædicta sacræ Scripturæ loca sic intelligãtur non modo nullum sequitur absurdum, sed inde potius multo magis inexcusabiles redduntur mali homines, si Deum non agnoscant; ergò si non euidenter, prudentissime tamen, ita debet intelligi & explicari, vt recurrere ad alium sensum minus proprium, quod nimirum scriptura loquatur tantùm de aliqua probabili, & coniecturali cognitione, censeri debeat ad minimum temerarium, & in fide erroneum.

Neque his obstat, quod illa verba sciendi, videndi, conspiciendi, manifestãdi, & si quæ alia in testimonijs scripturæ pro nostra conclusione citatis habentur, reperiantur etiam in alijs eiusdem scripturæ locis, vbi non significãt perfectam scientiam per demonstrationem habitam; vt Ioannis 17. vbi Christus Dominus dicit *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*; & tamen non ita manifestauit, vt homines haberent scientiam de illo. Hoc inquam, & similia dictis non obstant, talis enim respõsio, vel instantia; ad summũ facit sententiam nostram non esse omnino certam, & exploratam secundum fidem, ita vt opposita sit euidenter heretica, non tamen impedit, quin sit adeo certa, vt opposita sit saltem erronea & temeraria.

Ratio est quia in his alijs locis sacrę Scripturæ, aliundè certum habemus, quod illi modi loquendi non possunt intelligi de vera scientia, ex subiecta nimirum materia cui applicantur, quam nonnisi per fidem cognosci posse est in confesso apud omnes; quod tamen nõ habemus in casu nostro, siue in locis scripturæ pro nostra conclusione citatis, quæ applicantur materiæ vel subiecto, vt cognito solo lumine naturæ, ex concessis ab ipsimet aduersarijs de cognitione saltem probabili, & sufficienti ad inducendum debitum Deo cultum; Vnde cum cognitio, qua aliquod obiectum naturaliter cognoscibile dicitur videri, manifestari, conspici, attractari, non possit esse alia, quam vera, & perfecta demonstratio; hinc est, quod citata à nobis scripturæ loca, ita sunt de illa intelligenda, vt sit ad minimum temerarium, si non hæreticum, contrarium asserere; maximè cùm neq; aliundè constet, non ita intelligi debere, neque ex hac intelligentia sequatur aliquid absurdi.

Vltra quod, etsi nullum sit inconueniens quod aliquando in scripturis nomen scientię, vel aliquarum etiam eius proprietatum, diuinæ fidei attribuatur; quia perfectior est sua sola certitudine, quam scientia naturalis sua euidentia, vt suo loco diximus; vnde etiam ij, qui existimant Deum esse, esse per se notũ, de quo infra, si explicarent loca citata scripturæ, de hac euidentia maiori, quã sit euidentia per demonstrationem a poste-

posteriori, non essent digni censura, quia re vera fatentur Deum esse euidenter à nobis cognoscibilem, quod præcipuè ibi intendit Spiritus Sanctus; etsi, inquam, res ita se habeat; tamen in nostro casu videtur esse magnum inconueniens, attribuere cognitioni tãtum probabili & coniecturali, proprietates & nomina cognitionis demonstratiuæ; siue quod idem est, interpretari verba scripturę, quæ in primo & proprio sensu significant cognitionem certam & euidentem, de probabili tantum & coniecturali; maximè cum in locis à nobis citatis, videatur scriptura vim facere in talibus verbis, & veluti illis argumentari ad probandum expressè, existentiam Dei esse euidenter cognoscibilem. Quæ regula est valdè notanda, licet enim quandò Scriptura sacra vtitur aliquo verbo obiter ad significandum aliquid, ex modo communi loquendi hominum, nullum sit inconueniens quod non sumatur in rigore suæ & exactæ & perfectæ significationis, quia alioquin redderet sensum falsum; tamen quando vtitur illa aliquibus verbis, ita vt vim faciat in illis, & veluti argumentetur ad probandum id, quod illa verba significant, vt contingit in nostro casu, tunc est valde temerarium illa detorquere ad aliquem improprium & Metaphoricum sensum.

Ex dictis sequitur propositionem hanc, *Deus est*, si intelligatur præcisè de Deo, vt est author naturæ, & sic nihil aliud significat, nisi quod detur vna suprema causa omnium rerum, ita esse per accidens obiectum fidei, in eo qui non habet de illa scientiam, vt tamen per se loquendo sit obiectum merè scibile, tanquam quid præambulum ad fidem eiusq; articulos; vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 2. artic. 2. *Sic enim*, inquit, *fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & vt perfectio perfectibile*. Quatenus præsupposita semel certa & euidenti cognitione naturali diuinæ existentiæ, potest intellectus humanus facile conuinci, & disponi ad submittendum se fidei, hoc pacto.

Subijciendum est suum iudicium omnibus à Deo reuelatis, supposita iam naturali cognitione quod Deus sit, cum enim ille sit prima veritas quæ nec falli, nec fallere potest, debet consequenter quilibet intellectus esse omnino, & in omnibus ei subiectus; at ea omnia quæ Ecclesia Catholica proponit credenda, non possunt non esse à Deo reuelata, quia vt diximus supra, reuelationem eorum tot miraculis & portentis, alijsque motiuis efficacissimis testatus est, quæ ab ipso solo pręstari potuerunt; ergò &c. Vel alio pacto, supposito quod detur Deus, prout mihi euidenter constat, debet etiam necessario dari aliqua vera religio, per quam homines ad debitum sui cultum inducat & moueat; at illa religio non potest esse alia, quàm ea sola, quæ ab ipso approbatur, quæ cultui ipsius magis addicta est, quæ maiores illi honores exhibet; quę denique vitam moresque hominum perfectiori modo obsequio eius subijcit; ergò cum hæc omnia soli religioni Catholicę perfectissimè præ omnibus alijs sectis conueniant, statim sequitur, illam solam præ omnibus alijs, esse etiam amplectendam.

Hæc insuper propositio Deus est, & alia huiusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, vt sapientem esse, veracem esse, in tantum non sunt articuli fidei, sed præambula ad illos; in quantum fides necessariò præsupponit antecedentem euidentiam credibilitatis; vndè cùm prædictę propositiones, & similes pertineant ad euidentiam credibilitatis, quæ præambula est ad fidem, rectè etiam præambulæ ad illam dicuntur. Igitur euidentia credibilitatis versatur potissimum circa duo, & quod Deus ea reuelet, quæ proponuntur credenda; & quod Deus verax sit: quorum vtrumque inuoluit existentiam Dei, vt satis ex se patet: licet autem ad euidentiam credibilitatis,

tis, secùndum omnia, quæ includit, sufficiat certitudo moralis, tamen cum agitur de existentia Dei, quæ certutudine non solum morali, sed etiam physica, & metaphysica est euidenter cognoscibilis, rectè etiam dicitur fidem præsupponere cognitionem naturalem, seu scientiam de existentia Dei, sicut gratia naturam, & perfectio perfectibile. Et quamuis talis scientia non reperiatur necessario in quolibet: satis tamen est, ad veritatem dictorum, vt sit apud sapientes, à quibus per fidem humanam transfundatur ad rudes; Sicque vtrique adhuc habent euidentiam de existentia Dei, illi quidem immediatè per demonstrationem quam apud se habent: hi vero mediatè, credendo ijs qui demonstrationem habent, quod rectè euidentiam in attestante aliquo modo vocaueris; sicuti est illa, qua Constantinopolim esse credimus, pluribus id nobis ex visu vnanimiter referentibus.

At dicet aliquis, D. Paulus ad Hebræos cap. 11. docet, *accedentem ad Deum oportere credere quia est*: igitur ista propositio *Deus est*, non tàm videtur esse quid certò & euidenter à nobis cognoscibile, per modum præambuli ad fidem, quàm ipsamet fidei veritas ab omnibus necessario credenda.

Respondetur primò hunc D. Pauli locum esse intelligendum de existentia Dei, vt est author supernaturalis, vltimusque finis eiusdem ordinis, habens talem, vel talem prouidentiam, creaturarum, &c. non autem de Deo præcisè vt est author naturæ, quo sensu tantum asserimus illã veritatem *Deus est*, esse naturaliter demonstrabilem. Ratio est, quia ibi D. Paulus loquitur de accessu ad Deum per iustificationem, ad quam prærequiritur fides; siue de actu fidei necessitate medij omnibus necessario tàm ad primam, quàm ad secundam salutem, qui actus necessario est, & esse debet supernaturalis, non solum ex parte principij, ita vt sit ab auxilio supernaturali diuinę gratię; non solum ex parte medij, vt concipiatur propter diuinam reuelationem; sed etiã ex parte obiecti materialis, seu veritatis quæ creditur; Vndè etiam idem Apostolus ibidem definiens fidem ad salutem necessariam, vocat illam, *Sperandarum substantiam rerum, argumentum, non apparentium*; quæ definitio non esset bona, si non intelligeretur de obiectis omnino supernaturalibus, quæ sola non apparentia & obscura absolutè vocari possunt, & nonnisi supernaturali reuelatione Dei cognosci.

Secundò respondetur, quod si D. Paulus ibi loquatur de Deo præcisè, vt est author naturæ, ita vocari ab ipso obiectum fidei, vt tantùm sit per accidens tale, *nihil enim*, inquit D. Thomas, *prohibet illud, quod secundum se demonstrabile est, & scibile, ab aliquo accipi vt credibile, qui demonstrationem non capit*; etsi enim vt docetur in tractatu de fide, fides separatim concepta de obiectis naturalibus, quę ratione naturali euidẽter demonstrari possunt, non sit per se ad salutem necessaria, tum quia iuxta probabiliorem Sãcti Thomę sententiam, eiusmodi obiecta naturalia ab ijs, qui habent demonstrationem & euidentiam eorumdem, nec possunt quidem diuina fide credi, ob incompossibilitatem fidei & scientiæ in vno, & eodem subiecto, respectu vnius & eiusdem obiecti; tum etiam quia admissa tali compossibilitate; nulla ratio, vel authoritas probat, eiusmodi obiecta naturalia, si seorsim ac per se sumantur, diuina fide esse necessario credenda; licet quidem nonnulla vt inuoluta, seu comprehensa alijs obiectis supernaturalibus necessario credenda sint, vt satis ex se constat; quis enim neget saluum fore eum, qui credit Deum, etiam vt supernaturale bonum est, esse vnum infinitum, omnipotentem, &c. etiam si de Deo vt summo bono naturali seorsim nullum fidei actum eliciat.

Etsi, inquam, ita res habeat, aliquã-

do

do tamen diuinam talium obiectorum fidem quibusdam per accidens etiam simpliciter necessariam esse posse docent aliqui, nimirum ijs, qui & ob ingenij hebetudinem, & ob loci prauæque educationis incommoditatem, omni Dei cognitione naturali destituerentur, si semel est dabilis talis casus, de quo infra, agendo vtrum Deus possit inuincibiliter ignorari naturaliter loquendo; aut si non est simpliciter necessaria, saltem potest esse tam in eo, si dabilis est casus talis ignorantiæ, quam in illo, qui sine perfecta demonstratione, certitudinem tantum moralem haberet existentiæ diuinæ, ex consentiente, v. g. & constanti testificatione quasi totius mundi profecta. Quid enim impediat, quin ex auxilio supernaturali diuinæ gratiæ, possint illi tales elicere actum fidei, circa talia obiecta alias naturaliter cognoscibilia certo, & euidenter.

CAPVT IV.

Soluuntur argumenta, contra doctrinam superiori capite traditam.

OBijcitur primò, nulla causa potest certò, & euidenter demonstrari per effectus sibi improportionatos, sed omnes creaturæ sunt effectus improportionati respectu Dei; siquidé finiti ad infinitum, nulla est proportio; ergò per nullam creaturam tanquam per effectum potest certò & euidenter demonstrari Deus; quin potius Sap. 14. videtur innui quod ex notitia creaturarum ortum habuerit Idololatria, dum dicitur, *Quod creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientum.*

Resp. 1. ad hoc argumentum distinguendo maiorem, nulla causa potest demonstrari per effectus sibi improportionatos, quoad *an est* nego, quoad *quid est* subdistingo, perfectè concedo, imperfectè, & secundum quid, nego, cum igitur creaturæ omnes sint effectus improportionati respectu Dei in essendo, sunt enim effectus tantùm inadæquati diuinæ virtutis, atque adeò infinitè illa inferiores, non possumus ex illarum quantumuis accuratà cognitione, venire in perfectam notitiam essentiæ diuinæ, etiam abstractiuam, sed imperfectam dumtaxat, & quę sufficiat ad sciendum, quid nominis de Deo. Quomodo sunt intelligenda diuersa D. Thomæ loca, in quibus docet, nos non posse naturaliter scire de Deo, *quid sit*, sed solum, an sit, nempè quid sit perfectè, & completè, aut sicuti est in se; possumus tamen scire quod sit imperfectè, & incompletè, & confusè, quantùm sufficit ad cognitionem, quid nominis; vt expresè docet idem D. Thomas super Boet. de Trinitate, quęs. 6. artic. 3. circa medium; *Est tamen sciendum*, inquit, *quod de nulla re potest sciri an est, nisi quo quo modo de ea sciatur quid est, vel cognitione perfecta, vel cognitione confusa*; & post pauca, *Sic ergò de Deo, & de alijs substantijs immaterialibus, non possumus scire, an est, nisi sciremus quodammodo de ijs, quid est sub quadam confusione*, vt ipse ibi rectè explicat.

Responderi potest secundo satis esse proportionem in ratione causæ & effectus; inter quæ proportio in causando stare potest cum improportione in essendo, vt notat D. Dionys. de diuinis nominib. cap. 2. patetque ad oculum in causis & effectibus æquiuocis; vt ex creaturis, tanquam ex Dei effectibus, possimus simul illius existentiam, & quidditatem demonstrare, existentiam distinctè, quidditatem confusè. Quare ad authoritatem Scripturæ Sap. 14. respondet D. Thomas 1. p. quæst. 65. ar. 1. ad 3. *Creaturæ quantum est à se non retrahunt à Deo, sed in ipsum ducunt quia inuisibilia Dei, per ea, quę facta sunt, intellecta conspiciuntur, vt dicitur ad Roman. 1. sed quod auertunt à Deo, hoc est ex culpa eorum, qui insipienter eis vtuntur, vnde dicitur Sap. 14. quod creatura*

turæ factę sunt in muscipulam pedibus insipientum? Quem verò sensum habeat illa particula, *in*; dum dicitur, quod creaturæ factæ sunt *in odium, & in tentationem, & in muscipulam*; explicat idem Sanctus Doctor 12.quæst. 79.art. 2.ad 2. his verbis, *Cum dicitur creaturę Dei factæ sunt in odium, & in tentationem animæ hominum, hæc præpositio, in, non ponitur causaliter, sed consecutiuè, non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum, sed hoc consecutum est propter insipientiam hominum*.

Obijcitur secundò, creaturæ omnes sunt reuera effectus contingentes; ergò non potest ex illis demonstratiuè inferri existentia causę, nempè Dei; nam omnis demonstratio constat, seu debet procedere ex necessarijs 1.poster.cap.7.

Respondetur ad hoc argumentum primo, negando consequentiam, nam sicuti effectus necessarius non est à se, ita, & multo minus effectus contingēs erit à se, vnde non minori necessitate ex effectu contingenti, quàm ex effectu necessario deuenire possumus ad certam & euidentem existentiæ causæ notitiam; quare ad probationem consequentiæ dicendum est demonstrationē procedere ex necessarijs; id est ex ijs, ex quibus per necessariam & euidentem consequentiam inferri possit aliquid, non autem ex necessarijs quoad existentiam, maximè quando est demōstratio tantum à posteriori, & in ordine ad cognoscendam causam tantùm quo ad an est; Quamuis etiam dici possit tales demonstrationes existentiæ diuinæ procedere ex necessarijs, non simpliciter, sed ex suppositione existentiæ rerum, sicuti enim posito quod creaturæ existant, necesse est existere; ita necesse est existere earum causas, & maximè primam; quod satis superque est ad genus demonstrationis, de quo agimus in præsenti.

Secundo respondetur creaturas omnes ita esse effectus contingentes, seu quid contingens quo ad suam existentiam, eiusque nexum cum illis, vt tamē illa iam posita, earumdem connexio cum prima causa, quam fundat illarum dependentia à Deo, non sit eis contingens, sed essentialis & intrinseca. Etsi enim Deus ex parte sui non habeat necessariam connexionem cum creaturis existentibus, quia poterat esse sine illis, creaturæ tamen existentes necessariam & essentialem habent connexionem, seu dependentiam à Deo. Iam igitur quando dicimus existentiam Dei posse demonstrari ex creaturis, vt effectibus eius, medium talis demonstrationis non erit hæc existentia creaturarum, quę est illis contingens: sed ipsa connexio, quam existentia illarum, vt posita vel conseruata habet cum prima causa seu Deo, quę connexio importatur per dependentiam, & est simpliciter & absolutè essentialis, & necessariò conueniens rebus creatis sic consideratis: quare talis demonstratio existentiæ Dei per res creatas, semper erit per medium necessarium; neque ad illam necesse est, vt talis necessaria, & essentialis dependentia à Deo, præsupponatur cognita ante discursum, sicuti neque ipsa existentia diuina, sed satis est, si cognoscatur primo creaturarum existentia, deindè per discursum procedatur ad notitiam causarum vsque ad primam, vt infra videbimus.

Tertiò respondetur distinguendo antecedens, & concedendo creaturas omnes esse reuera effectus contingentes, si accipiantur secundum existentiam, nam cum possint non esse, contingit illis actu esse; negando autem si accipiantur, vel considerentur secundū suam essentiam, sic enim sunt quid necessarium, cum hoc ipsum prædicatum contingentiæ sit necessarium & essentiale, nec minus formari possit propositio ab æterno, quod effectus creatus sit de se contingens, quam quod homo sit de se rationalis. At existentia causæ primæ non demōstratur ex creaturis, tanquam ex effectibus contingētibus acceptis secundum existentiam; sed acceptis secundum essentiam; secundum

cundum quam acceptionem, cum ipsa contingentia non cõtingat, sed sit prędicatum essentiale, & necessarium, vt patet in hoc enthymemate, *Datur primum effectibile contingens. Ergo datur primum effectiuum necessarium.* Vbi in antecedenti effectibilitas, & contingentia sumuntur, vt prædicata essentialia,& necessaria,nihil prohibet quin demonstratio,qua Dei existentia probatur ex creaturis, dicatur procedere, ex necessarijs. Ad quam etiam non refert, quod tandem resoluatur in existentiam illarum merè contingentem; si quidem hoc est commune omnibus demonstrationibus a posteriori, vt resoluantur vltimò in existentiam contingentem; cum enim pro præsenti statu omnis nostra cognitio ortum ducat à sensibus, resoluitur sẽper in aliquod singulare contingens.Igitur sicut prius ex risu actuali colligimus risibile, tùm ex risibili demonstramus admiratiuũ; & ex admiratiuo discursiuum, tum denique rationale; ita ex primo effectu colligimus primum effectibile; & ex primo effectibili probamus primum effectiuum formando demonstrationem sic.

Quotiescunque datur primum effectibile, datur primum effectiuum;
Sed datur primum effectibile.
Ergo datur primum effectiuum.

Vel sic,

Quotiescumque dabile est ens contingens, datur ens necessarium in quo radicatur contingens;
Sed dabile est ens contingens;
Ergo datur ens necessarium.

Quæ demonstratio est in Darij, & perfectissima, nam primò constat ex præmissis veris, & necessarijs; secundò est demonstratio à posteriori, quasi à passione ad essentiam, quatenus effectibilitas entis contingentis, quasi fluit ab existentia entis necessarij, vt infra declarabitur adducendo rationes in particulari, vnde probatur existentia Dei.

Obijcitur 3. Si existentia Dei esset certò & euidenter demonstrabilis à posteriori per creaturas, sequeretur, quod saltem ij, qui habiti sunt pro sapientibus & philosophis, quique aliorum de hac re demonstrationes viderunt, non potuissent, neque possent negare Deum esse, siquidem euidentia demonstrationis necessitat intellectum, saltem ad speciem actus; sed vt vidimus supra capite secundo multi etiam Philosophi id negarunt; ergò.

Respondetur primò ad hoc argumentum admittendo maiorem propositionem,& negando minorem,quatenus philosophi illi, qui Deum esse negarunt, potuerunt non penetrare vim & efficaciam talium demonstrationum, aut si penetrauerunt, voce tãtum, & non mente aut assensu Deum esse negauerunt.

Respondetur secundò negando sequelam maioris; etsi enim facillimum sit ex creaturis adhibita aliquali consideratione, & discursu venire in aliquã Dei notitiam, vnde etiam hanc habuerunt omnes illi, qui philosophi dicti sunt, quod sufficit vt reddat illos omninò inexcusabiles, cum ex illa potuissent paulatim deuenire in aliam perfectiorem; tamen ad habẽdam perfectam demonstrationem Dei, requiruntur plures discursus, vt infra videbimus, vndè cum in illorum ponderatione, & examine potuerint, & possint aliqui deficere,vel ex naturali intellectus hebetudine, vel ex multitudine vitiorum, & praua assuetudine in contrariam falsitatem, atque adeo ex malitia voluntatis retrahentis intellectum ab huiusmodi consideratione, sicuti etiam accidit in addiscendis alijs scientijs, non est mirum, quod aliqui etiam inter philosophos veritatem existentiæ diuinæ negare potuerint; quare hoc indicium non est sufficiens ad arguendum, quod Dei existentia non sit certò & euidenter demonstrabilis,respectu intellectus benẽ dispositi, sed quod non sit facilè demonstrabilis, seu demonstratione ma-

thematica, quæ statim extorqueat cōsensum, & ad simplicem terminorum explicationem conuincat omnem intellectum, sed demonstratione tantùm, quæ post diligentem adhuc illius considerationem, non proteruum ad sui assensum inducat.

CAPVT V.

Præmittuntur aliqua ad disputationem contra Atheos necessaria pro demonstranda Dei existentia.

ETsi ad probandam Dei existentiam dupliciter procedi possit primò ex diuina reuelatione, quatenus hæc veritas, Deum esse, seu existere, quantumuis naturaliter cognoscibilis, adhuc tamen multis in Sacræ Scripturæ locis reuelata continetur; secundò adducendo aliquas rationes naturales; satis tamen constat, disputaturum aduersus Atheos vti non posse, nec debere primo illo probationis genere, sicut enim Deum negant, ita & omnem consequenter diuinarum Scripturarum authoritatem; vnde rationibus tantùm philosophicis ex lumine, aut experientia naturali, seu ex rebus corporeis, quæ sub sensus cadunt desumptis, totum cum illis disputationis negotium absoluendum est.

Notandum est secundò duplex esse genus verarum demonstrationum. Vnum earum, quæ vt in fine superioris capitis insinuauimus, statim extorquent assensum, & conuincunt omnē intellectum, tales sunt Mathematicæ & similes. Aliud earum, quæ conuincunt tantum non proteruum, vt sunt in physicis dari materiam primam, dari formas substantiales, quæ vt demonstrationes habentur ab omnibus receptissimæ, proteruum tamen, & negantem quædam principia non conuincunt. Huic distinctioni locum dedit Philosophus quando dixit 2. Metaph. tex. 16. *certitudinem sermonis Mathematicam non oportere in cunctis quærere*. Enimverò cum vnumquodque suum habeat peculiarem essendi modum, certum est, quæcumque esse vera dicuntur, eodem modo probari nō posse; atque adeò res morales, & diuinas sub mathematicam demonstrationem cadere non debere, sed alia esse moralia, alia diuina, alia etiam physica, metaphysica, & mathematica argumenta. Sic igitur demonstrationes de existentia Dei non sunt primi generis, sed secundi, scilicet demonstrationes sunt non proteruo, nec suis passionibus & peccatis obcæcato.

Notandum est tertiò, quinque potissimū rationes solere adduci ad demonstrandam Dei existentiam, quas ideò S.Thomas 1.p. quæst.2. art.3. vias appellauit, quia pluribus argumentandi modis, atque adeò pluribus rationibus, quamuis singulæ ad vnum primum medium terminum reducantur, in vnaquaque ex illis procedi potest, sicuti revera multi diuersis modis easdem rationes efformant; omnium tamen optimi videntur quinque sequentes, constantes in maiori propositione quinque medijs terminis desumptis ex ipsa definitione quid nominis Dei; cū enim primum ad cuiusque rei notitiā aditum aperiant nomina; primū etiam quod disputaturus aduersus Atheos de Dei existentia, præstare debet, est supponere, vel cum illis conuenire, quid intelligatur per illam vocem Deus, dū ipsi negant Deum esse; vt mox dicemus; itaque ex quinque vijs, quas ponit S. Doctor, & Theologi communiter cum illo, loco statim citato, possunt sic efformari quinque primi syllogismi ad probandum Deum esse.

Primum mouens immobile est Deus;
1 *Sed datur primum mouens immobile,*
Ergo datur Deus.

Primum efficiens non factū est Deus;
2 *Sed datur primum efficiens non factū,*
Ergo datur Deus.

Pri-

Primum ens necessarium est Deus;
3 *Sed datur primum ens necessarium,*
Ergo datur Deus.

Id quod maximè est ens, est Deus;
4 *Sed datur id quod maximè est ens,*
Ergo datur Deus.

Primum gubernans est Deus;
5 *Sed datur primum gubernans,*
Ergo datur Deus.

Notandum est quartò, circa has quinque rationes, seu syllogismos in communi, vnumquemque illorum habere in maiori pro medio termino definitiones Dei non tàm *quid rei*, quàm *quid nominis*; Etsi enim ad demonstrationem *quid est*, seu, à priori, in qua scilicet aliquod attributum, aut passio probatur de subiecto, oporteat supponere, vel præcognoscere quod subiectũ sit, nec non etiam quid sit, vt docet Philosophus 1. poster. cap. 1. & satis ex se constat; tamen ad demonstrationem quia est, aut à posteriori, per quã probatur existentia causæ ab effectu, hoc non est necesse, sed sufficit accipere pro medio termino definitionem quid nominis, seu aliqualem rei significatæ per nomen descriptionem; quia prius quærimus de re an sit, deinde quid sit, atque adeò non est necesse prȩscire quid res sit, seu exactam illius habere definitionem, ad quæstionem an sit, sed satis est prȩmittere, quid nominis, vtcumque. Vndè cùm prædictæ quinque rationes, aliæque similes, quæ ad probandam Dei existentiam adducuntur, sint tantùm demonstrationes à posteriori, debemus etiam tantùm in illis vti pro medio termino primo, definitione, quid nominis ipsius Dei, siue quod idem est, creaturis, tanquam proprijs Dei effectibus; nam cum definitiones, quid nominis, respectu Dei, primum sumantur ab effectibus, vt docent Theologi 1. p. qu. 13. art. 1. idem est penitus in demonstranda illius existentia, dicere vtendum esse pro medio termino, ipso effectu loco definitionis causæ, ac dicere, quod vti debemus, definitione quid nominis eiusdem, vt rectè docet D. Thomas 1. par. quæst. 2. art. 2. ad 2. pro medio ad eamdem causæ existentiam probandam. Quod etiam in pluribus alijs casibus potest contingere, vt si quis vellet quærere, an dentur Angeli, & ita argumentaretur, Motores cælorum sunt Angeli, sed dantur motores cælorũ, ergo dantur Angeli; ibi enim maior procedit ex medio termino explicante quid nominis Angelorũ ab effectu; & quamuis possit oriri difficultas inter probantem, & negantem de notitia, quid nominis, vt constat in præmisso exemplo, posset enim aliquis negare maiorem, tamen certum est, quod quando primum quæritur de aliqua re, an sit, debet conuenire inter affirmantem, & negãtem, quid nominis de illa re, vt primus sciat quid probet, & secundus quid neget: illud ergò quid nominis, in quo simul conueniunt affirmans, & negãs, debet poni pro medio termino in maiori; quod in casu nostro semper erit aliqualis notitia Dei per effectum, vt satis patet ex terminis ipsis in primo, secundo, & quinto syllogismo superius facto; & quamuis in tertio, & quarto non ita statim constet; re vera tamen ita est, si quidem primum ens necessarium nos non cognoscimus, nisi per ordinem ad res alias non ita necessarias, quæ sunt eius effectus; idem est de eo, quod est maximè ens, per ordinem ad eà quæ sunt minoris perfectionis.

Hinc est quod in prædictis syllogismis sic efformatis, habentibus nimirum in maiori pro medio termino definitionem, quid nominis Dei, non debet probari maior, sed supponi, sicuti in omni prorsus quæstione debet supponi quid nominis subiecti; Et quidem à nobis, quibus incumbit onus probãdi aduersus Atheos, Deum esse, omnino supponuntur vt veræ quinque illæ, vel similes propositiones pro maiori-

ioribus syllogismorum adductæ, quia cognoscimus saltem per fidem, aut per Theologiam illas perfectiones, vel definitiones in illis contentas soli Deo competere, & ita supponimus nos per Deum intelligere, illud ens, cui conueniunt talia attributa, seu perfectiones. Similiter ij, qui negant Deum esse, aut qui à nobis petunt demonstrationes ad illud probandum, debent etiam supponere, quid intelligant per illam vocem, Deus, dum negant Deũ esse; quam intelligentiam, seu significationem teneotur à nobis accipere, quibus incumbit onus probandi, & qui solùm contendimus eos perducere ad cognitionem Dei, à nobis iam significati per tales descriptiones; sicuti qui negant infinitum in quantitate continua v. g. accipiunt quid nominis talis infiniti, ab ijs, qui illius possibilitatem asserunt, scilicet nomine talis infiniti intelligi quantitatem aliquam continuam actu existentem, quæ non habet terminum suæ magnitudinis, vel quid simile: quod si aduersarij aliam Dei definitionem sibi fingant, & de Deo taliter ab ipsis significato velint contendere, quod non existat, vel non sit demonstrabilis, tunc examinandum est à Theologo cum illis disputaturo, an re vera illa eorum descriptio competat Deo, quod si conueniat debet ex illa procedere, si non libenter concedere debet illis, quod talis Deus nullo modo existat, & quod benefaciāt negando, talem Deum esse, donec tandem ipsi conueniant circa quid nominis veri Dei, illi quinque modis vel similibus descripti. Et hoc præsertim modo procedendum est contra Atheos; nam cum Theologis Dei quidem existentiam admittentibus, demonstrabilitatem verò naturalem illius negantibus, aduertendum est, an ipsi in definitione Dei aliquid ponant, quod conueniat quidem vero Deo, non tamen sit naturaliter demonstrabile de ipso, vt esse Trinum & Vnum. Sic enim vltrò etiam illis fatendum est, Deum, vt significatur, sub tali, vel tali attributo, non esse demonstrabilem, an sit.

Vndè quintò diligenter aduertendum est ex Caietano 1. p. qu. 2. art. 3. prædictas quinque rationes vel similes posse afferri ad duo; primò ad concludendum dari illud ens incorporeũ, immateriale, æternum, summum, immutabile, primum, perfectissimum, &c. quod & quale tenemus Deum esse; alio modo ad concludendum tantùm quædam prædicata inueniri in rerum natura, quæ secundum veritatem sunt propria Dei, non curando quomodo, vel qualiter sint. Ad efficaciam ergò, & veritatem huiusmodi rationum non requiritur quod concludāt primo modo, neque ad hoc intentum afferuntur; sed sufficit, quod concludant secundo modo; v. g. primæ viæ ex parte motus sat est, quod inferatur, ergo datur primum mouens immobile, non curãdo vtrum illud sit anima cæli, aut mũdi, hoc enim petitur in alia quæstione. Secundæ quoque viæ ex parte efficiẽtis, sat est, quod ducat ad primum efficiens non factum, non curando, an illud sit corpus, vel incorporeum, hoc enim queritur etiam in alia quæstione. Tertiæ verò viæ ex parte necessarij, sat est quod ducat ad primum ens necessarium non ex alio, non curando an sit vnum, vel plura; de quo etiam est distincta quæstio. Quartæ quoque viæ ex gradibus rerum, sat est ducere ad id quod maximè est ens, verum, bonum, perfectum, à quo sunt omniũ participationes. Et similiter quintæ viæ ex gubernatione, sat est, ducere ad primum gubernans per intellectum quodcunque sit illud. Et ratio est, quia omnia hæc prædicata scilicet, primum mouens immobile, primum efficiens non factum, primum ens necessarium, id quod maximè est ens, primum gubernans, & cætera huiusmodi, secundum veritatem, sunt propria Dei, ita vt illa habens non possit esse nisi Deus; & ideò concludendo hæc inueniri in rerum natura, concluditur

ditur etiam sufficienter Deum esse, seu existere. Quæ omnia sunt diligenter aduertenda, vt sciatur, quid præcisè demonstretur per has rationes, & ad quid habeant vim sufficientis demonstrationis; nimirum satis esse, quod per illos demonstretur Deum existere, sub aliquo attributo soli ipsi competente, non autem necesse esse, quod per illas omnia attributa diuina quantumuis naturaliter cognoscibilia directè demonstrentur. Dico directè, quia re vera indirectè, & consequenter adhibitis alijs discursibus, tales rationes efficaciter etiam probant, alia diuina attributa naturaliter de Deo cognoscibilia: de quo vide S. Thomam lib. 1. contra Gentes.

CAPVT VI.

Deum existere demonstratur via motus, aduersus Atheos.

ETsi philosophi simul aliquando confundant motum, & mutationem, nihilominus transitum, quo substantia primum trahitur de non esse ad esse, mutationem solent appellare, non motum: transitum verò, per quem subiectum iam existens mouetur ab vno esse ad aliud, vocant motum. Ex mutatione, per quam substantia ex nõ esse transit ad primum esse, via causalitatis, & efficientiæ demonstrabitur capite sequenti, Deum esse, vt primum efficiens non factum; nunc ex motu supponente rem in suo esse, & mouente ad aliud esse, probandus est Deus, vt primus motor. Sicuti enim ex efficiẽtia rerum arguimus primum ens non factum, & infactibile omnia faciens: ita ex motu rerum non minus clarè colligitur primum ens immotum, & immobile omnia mouens.

Priusquam tamen in forma proponamus argumentum, notandum est, istam propositionem Aristotelicam, omne quod mouetur ab alio mouetur, in qua tota huius viæ discursus vis, & efficacia innititur, posse duobus modis intelligi, mediatè scilicet, vel immediatè; eatenus dicitur aliquid moueri ab alio saltem mediatè, quatenus mobile accepit ab illo virtutem, aut principium quo se mouet immediatè; tunc autem dicitur moueri ab alio immediatè, quando ita mouetur, vt illud à quo mouetur, actualiter in motum, & in effectum cum motu coniunctum, per aliquam actionem influat. Hoc posito aliqui philosophi existimant propositionem Aristotelicam debere intelligi ad præsens institutum vtroque modo, ita vt sit sensus, omne quod mouetur moueri ab alio vel mediatè, vel immediatè, vndè hanc rationem ductam ex via motus finaliter explicant, vt eamdem cum via causalitatis & efficientię; ita vt idem sit omne quod mouetur ab alio mouetur, ac, omne quod fit ab alio fit. Quæ explicatio licet sit vera, & euidens ad probandam Dei existentiam, vt dicetur capite sequenti, non videtur tamen esse ad mentem neque Aristotelis, qui 12. metaph. indagat Dei existentiam via causalitatis, & efficentiæ, 8. verò physicorum via motus; neque D. Thomæ, qui vbique suorum operum rationem ductam ex via efficientiæ manifestè contradistinguit à ducta ex via motus, quam vocat primam, & manifestiorem viam, mordicusque illam defendit tam 1. contra Gentes cap. 13. quàm in compendio Theologiæ, seu opusculô 2. cap. 3. Sic igitur efformari potest argumentum.

Primum mouens immobile est Deus; sed datur primum mouens immobile, ergo datur Deus; vbi maior propositio ex dictis cap. 5. non est probanda, sed tanquam certa supponenda, continet enim definitionem quid nominis Dei, nam re vera nihil est primum mouens immobile nisi Deus; & quamuis tam hæc definitio, quam aliæ omnes adducendæ, non sint definitiones adæquatæ, etiam quid nominis Dei, parum interest, sufficit enim ad ostendendum an est de aliquo præcisè,

quod

quod probetur eius existentia, quatenus vno aliquo attributo sufficienti definitur, etiam si reliqua prædicata naturaliter etiam cognoscibilia non possemus de illo demonstrare; vnde tota difficultas est in minori, quam sic probo in forma.

Ad sensum patet plura in mundo moueri; ergo datur primum mouens immobile; vbi etiam antecedens, cum fundetur in re manifesta per sensum, nulla indiget probatione, & si aliquis proterue, vel stolidè illud negaret, quamuis aduersus ipsum non esset locus huic nostro argumento, sed baculo potius, quam ratione cum illo esset agendum, non tamen sequeretur, quod quantùm est ex se non sit vera demõstratio; consequentia igitur in qua iterum tota est difficultas probatur.

Quia necesse est, omne quod mouetur ab alio moueri, sed vt supponimus ad sensum notum, plura in mundo mouentur, ergò ab alio mouentur; rursus hoc aliud à quo cætera mouentur, vel dum ea mouet, est alicui subordinatum, aut subordinabile in mouendo, vel non. Si secundum, habetur intentum, dari videlicet primum mouens immobile, siue, quod ita moueat, vt sit omnino immobile. Si primum, iterum quærendum, de illo alio, à quo mouetur, vel cui in mouendo subordinatur, vtrum moueatur, dum mouet, vel non moueatur, si hoc secundum respondeatur, ergò erit primum mouens immobile; si primum, ergò rursus mouetur ab alio, & quia in causis actu mouentibus, & mobilibus essentialiter, ac per se subordinatis, nõ potest dari processus in infinitum, necesse est, vt tandem deueniatur ad aliquod primũ mouens immobile, quod erat demonstrandum.

Cuius rationis vis & efficacia, cùm fundetur in illis duabus propositionibus, nempè, *omne quod mouetur, ab alio mouetur*; &, *non est possibilis processus in infinitum, in causis mouentibus essentialiter inter se subordinatis*; ideo etiam in illis probandis, totus esse debet Theologus hac via vtens aduersus Atheos, pro demonstranda Dei existentia; si enim semel sunt demonstrabiles, nemini etiam nisi proteruo, suisque passionibus excæcato dubium esse potest, quin hæc prima ratio via motus sit vera & perfecta demonstratio ad probandam Dei existentiam; & quamuis aliqui doctores Catholici, alias concedentes, Deum esse, naturaliter demonstrari posse, existiment illã primam, non solum non esse veram; sed nec probabilem propositionem, ob instantias quas patitur, nihilominus tamen hac in re præferendum puto D. Thomæ iudicium locis superius citatis, nec non etiam Philosophi, qui ex illa putauit se demonstrasse Deũ esse, vt constat ex 7. & 8. physicorum & 12. metaphysicæ.

Vt autem incipiamus à secunda propositione, quæ facilior est, & communiter conceditur, vt demonstrabilis ab omnibus philosophis, de qua fusè agit Arist. 7. physicorum à textu 3. notandum est quod dupliciter possunt esse aliquæ causæ inter se subordinatæ, primò accidentaliter, secundò essentialiter, prima subordinatio maximè est inter illas causas, quarum vna non ageret quidem, nisi accepisset esse, & virtutem ab alia, sed tunc quando agit, non dependet actu ab alia, neque in esse, neque in operari; ita vt omnino per accidens illi sit, in quantũ est actu agens, quod illa tunc existat, vel non existat, habueritque suum esse ab illa, vt satis patet in generationibus omniũ animalium; At verò causæ essentialiter & simpliciter subordinatæ, quas D. Thomas 1. p. qu. 46. art. 2. ad 7. appellat causas per se requisitas, dicuntur illæ, quarum vltima, dum mouet, necesse est, vt actu moueatur ab alia, & hæc ab alia, & sic vsque ad primã, quæ nulli subordinetur; quomodocumque id fieri intelligatur de quo est difficultas inter Theologos & Philosophos; Aliqui enim cum Durando existimant ad es-

ad essentialem causarum subordinationem, sufficere, quod dum vltima, & infima causa mouet, aut efficit actu dependeat in esse, & conseruari ab alia superiore, etiamsi illa superior non influat immediatè in suam operationem; Alij verò veluti per oppositum putant posse intelligi hanc essentialem causarum subordinationem, si vltima, & infima causa, dum agit, indigeret aliquo influxu causæ suprioris, recipiendo aliquid in se, quo moueretur, aut applicaretur, aut determinaretur, aut compleretur ad agendum, etiamsi non haberet esse suum ab illa causa superiori; qua ratione cælum lunæ subordinatur cælo Martis; & hoc cælo Iouis, vsque ad vltimum cælum; tertio tandem secundùm alios, potest esse hæc essentialis subordinatio, si vltima, & infima causa mouens, non solùm indigeret influxu causæ superioris, quo conseruaretur in suo esse dum operatur, sed etiam indigeret influxu eiusdē causæ ad operandum, vel recipiendo in se aliquid aliud per illum influxum; vel certè connotando assistentiam illius, quatenus sine illius virtute non est completa totaliter ad operandum, nisi solùm in suo ordine ad summum, sed illi necessariò subordinatur, tanquam causæ superiori, veluti quoddā instrumentum illius, dependens in esse & in operari ab illa.

Quocumque, inquam, modo ex istis tribus intelligatur essentialis causarum subordinatio, parum interest ad præsens nostrum institutum, etsi enim communiter Theologi & philosophi reijciant opinionem Durandi asserentis omnes causas secundas subordinari Deo ad operandum, non quia Deus immediatè concurrat cum illis ad earum operationes, sed quia dum illæ operantur, immediatè conseruantur à Deo in suo esse; etsi insuper in tertio subordinationis modo clarius adhuc appareat, qua ratione vltima & infima causa dicatur actu mota mouere, cum tam in esse, quàm in operari à superiori causa actu dependeat; nihilominus tamen quilibet ex his modis sufficit ad essentialem causarum subordinationē in ordine ad probandum non dari in illis processum in infinitum, sed deueniendum esse ad vnam primam immotam cæteras mouentem; quatenus supradicti tres modi conueniunt in hoc, quod dum vna causa mouet, dici possit actu mota mouere; quod est propriū signum, ac veluti character essentialis subordinationis; nam in prima subordinatione de qua tantum potest esse difficultas, dum vltima & infima causa mouet, conseruatur actu ab alia superiori immediatè influente in suo esse, sine qua actuali conseruatione, & influxu, non moueret, atque adeo aliquo modo actu mota, mouet, id est, actu conseruata in suo esse, quod est quoddam moueri, mouet; & sic de secunda vsque ad primam, quæ mouet non mota, siue independenter ab alia conseruante illam, & suas vires in suo esse.

His ita prænotatis, etsi Aristoteles admissa de facto mundi æternitate, in quo errauit, concesserit processum in infinitum in causis accidentaliter subordinatis, quod etiam putauit probabile D. Thomas non quidem de facto, sed de possibili 1.p. quæst.46.art.2. ad 7. de quo non disputo modo, quia hoc non est necessarium ad rem nostram; nihilominus tam Aristoteles, quam alij omnes philosophi negant talem processum infinitum in causis per se & essentialiter subordinatis, de quibus procedit argumentum; cuius propositionis veritas explicatis terminis videtur esse per se nota: ponatur enim, quod post hoc nunc, debeat moueri aliquod corpus, v. g. hic lapis, si hic lapis necesse est, vt moueatur ab alio actu existente, aliquo tandem modo motionis supra explicatæ, & hoc aliud similiter ab alio, & hoc ab alio, ita vt vnumquodque mouens nō moueat, nisi moueatur ab alio, si non datur primū mouens nunquam incipiet hic motus, nō enim potest assignari, id vndè princi-

pium

pium motus, quæ est definitio causæ mouentis, seu efficientis; & ob similẽ causam Aristoteles 1. poster. cap. 16. quem sequuntur omnes philosophi, existimauit non posse dari processum infinitum in præmissis demonstrationum, sic enim nihil omnino sciretur, nam si hæc conclusio depẽdeat ab hac præmissa, & hæc ab alia, & sic in infinitum, nulla erit præmissa, à qua incipere possit discursus; & sic nihil sciretur, & propterea necesse est in demonstrationibus deuenire ad aliquas præmissas per se notas, & indemonstrabiles, aut quæ saltem concedantur vt tales.

Sed præter has, & similes experiẽtias, & exempla, quæ re vera nullus intellectus benè dispositus negare deberet, veritatem adhuc prædicti axiomatis probat D. Thomas ex ipsissimet terminis 1. contra Gentes cap. 13. similitudine desumpta ab instrumentis cũ quibus causæ essentialiter subordinatæ habent hoc commune, vt omnes motæ actu moueant; vndè sic discurri potest. Causæ essentialiter, ac per se subordinatę habent hoc, vt omnes motæ actu, moueant, excepta prima, si ergo in his daretur processus in infinitum, ita vt non sit assignabilis prima cæteras mouens, non mota ab alia, omnes hæ causæ essent mouentes motæ, in quo conuenirent cum instrumẽtis, quæ mota mouent; atque adeo in hoc essent omnes veluti instrumenta, vna scilicet causa esset veluti instrumentũ alterius, & hæc alterius, & sic in infinitum; sed consequens est absurdum, ergò necessariò deueniendum est ad aliquam primam causam ita cæteras mouentem, vt sit immota; Maior huius argumenti est certa, continet enim definitionem causarum essentialiter subordinatarum, nec aliud per illas intelligimus; Minor ergo probatur.

Quia eadem ratione, qua absurdũ est, imo impossibile concipere, quod instrumenta agant, ex hoc quod sint mouentia mota, nisi in virtute alicuius causæ principalis, quæ principaliter agat; ita similiter impossibile est, quod causæ essentialiter subordinatæ, in hoc cum instrumentis conuenientes, quod moueant motæ; actu moueant & agant; nisi deueniatur ad causam primam, & principalem, ad quam reducantur, quę non mota moueat; quare D. Thomas loco prædicto rectè concludit; *Ridiculum est autem, etiam apud indoctos, ponere instrumenta moueri non ab aliquo principali agente, simile enim est hoc, ac si aliquis circa constitutionem arcæ, vel lecti ponat serram, vel securim absque carpentario operãtem; oportet igitur primum mouens esse, quod sit omnibus supremum, & hoc dicimus Deum.*

Nec obstat huic D. Thomæ discursui quod re vera causæ secundæ, non sint propriè, & rigorosè loquendo instrumenta; cum habeant completam virtutem agendi in suo ordine, atque adeò in illo sint causæ principales, hoc, inquam, non obstat; comparatio enim inter instrumenta & causas essentialiter subordinatas non fit in hoc, quod habeant, vel non habeant completam agendi virtutem, in ordine causæ secundæ, sed in hoc quod ambo agant, vel moueant mota, quemadmodũ ergò in instrumentis in tantum deueniendũ necessario est ad aliquam causam principalem cui omnia subordinentur, in quantum mota mouent, etiamsi cum hoc adnexam habeant aliam imperfectionem, quod ex se nõ habent completam virtutem agendi, etiam in ordine causæ secundæ, quod parum interest; ita similiter in causis essentialiter subordinatis, quantumuis in suo ordine possint dici completæ, quia tamen non agunt nisi motæ, atque adeò cum actuali dependentia à causis superioribus, vel in essendo & causando, vel saltem in causando, vt satis patet, & supponitur ex hoc quod sint essentialiter subordinatæ, necessariò etiam deueniendum est ad aliquam primam causam, cui aliæ in motu subordinentur, nulli subordinatam.

Plures

Plures aliæ rationes huius impossibilitatis processus infiniti in causis essentialiter subordinatis adduci possēt, verùm quia aliquæ, aut sunt minus efficaces, aut facilè reducuntur ad illā quam attulimus, quæ est omnium clarissima, & efficacissima, & nonnisi à proteruo negari potest, libenter illis supersedeo, vt veniam ad probationē, & explicationem alterius propositionis, quæ multo maiorem habet difficultatem, quomodo scilicet sit verum, quod omne, quod mouetur, ab alio mouetur.

Altera igitur propositio, cui tota præsentis rationis vis & efficacia ad probandam Dei existentiam innititur, est, *quod omne, quod mouetur, ab alio mouetur*. Pro cuius intelligentia notandum, illam non ita debere accipi, vt omne quod mouetur, aut mutatur in omni casu sit solum principium passiuum sui motus, non autem actiuum vllo modo, neque per se totum, neque per aliquid sui; sic enim esset falsissima propositio, & non necessaria ad præsentem demonstrationem, & nullo modo ab Aristotele, aut D. Thoma asserta; etsi enim in sententia vtriusque repugnet posse idem realiter mouere per se primo seipsum, siue quod idē est, posse idem esse mouens, & motū, agens & patiens respectu eiusdem, & loquendo de identitate formalis principij agendi, & patiendi; quatenus impossibile est, vt idem sit simul in actu, & in potentia secundum idem, siue sit sermo de actu formali, & potentia formali, vt omnes concedunt, siue sit sermo de actu virtuali, & potentia formali, maximè si sit actus virtualis cōpletus & adæquatus; quod tamen contingeret in casu quo vnum & idem secundum eamdem formam, vel rationem esset mouens & motum; quia nihil mouetur, nisi secundum quod est in potentia ad illud, ad quod mouetur; mouet autem, nisi secundum quod est in actu; mouere enim nihil aliud est quam educere aliquid de potentia ad actum, de potentia autem non potest aliquid reduci in actum, nisi per aliquod ens in actu. Etsi, inquam, in sententia D.Thomæ res ita se habeat; nihilominus in sententia eiusdem non repugnat, quin vnum & idem respectu diuersorum possit esse mouens & motum, agens & patiens; sic enim animantia mouent se ipsa, quia saltem vna pars mouet aliam, sic homo intelligit per suum intellectum; &c. vnde propositio ab illo assumpta, quod omne, quod mouetur, ab alio mouetur, non debet intelligi, quasi, quod omne quod mouetur in omni casu, solum sit principium passiuum sui motus, non autem actiuum vllo modo; quamuis sit ista differentia inter D. Thomam & alios, quod in sententia D.Thomæ negantis aliquid posse simul esse in actu, & in potentia, repugnat quod secundum idem sit mouens & motum, principium passiuum & actiuū sui motus; secus tamen in sententia aliorum, qui eo ipso, quod admittunt posse aliquid simul esse in actu virtuali, & potentia formali, concedunt etiam posse esse mouens, & motum secundum idem.

Superest igitur vt in alio sensu magis vniuersali, & ab omnibus recepto, probemus hanc propositionem esse veram, omne scilicet quod mouetur, aut mutatur, quocumque genere motus, aut mutationis, tam sensibilis quā non sensibilis (quos aliqui appellant motus physicos & metaphycos) debere ab alio moueri; quatenus, siue sit principium passiuū duntaxat sui motus, siue actiuum & passiuum secundū diuersa, de quo minor est difficultas; siue tandem actiuum & passiuum secundum idem, de quo potest esse maior difficultas, quomodo ab alio moueatur; non habet tamen in se adæquatum principium sui motus in genere causæ efficientis, nisi solum ad summum in suo genere, & ordine, sed necessario debet alteri subordinari ad mouendum; donec perueniatur ad aliquod, quod nulli subordinetur, atque adeo

adeo sit primum mouens immobile; quod est Deus: Exempli gratia dum homo per virtutem animæ suæ mouetur localiter, nec non etiam intelligit & vult, dico quod quamuis anima ipsius per suas innatas virtutes sit principium efficiens eiusmodi motuum hominis, non tamen est adæquatum principium efficiens illorum, sed necessario connotat aliud principium extra hominem, cui subordinetur ad mouendum, & sine quo non sit completum principium efficiens operationum, nisi fortè cum hac limitatione, nimirum in suo genere, & ordine causæ particularis; quod dico de homine, debet etiam intelligi de omnibus alijs agentibus.

Supposita enim semel veritate huius sensus, prout illam statim demonstrabimus, docuitque D. Thomas pluribus in locis quæst. 2. de potentia artic. 7. 3. contra gentes cap. 67. & 1. p. quæst. 105. artic. 5. hoc omnino satis est ad perfectissimam demonstrationem, qua probatur existentia Dei, præcisè prout stat sub hoc conceptu primi mouentis immobilis; cum non possit primò dari processus in infinitum in causis ita essentialiter subordinatis, vt supra diximus; & cum secundò hoc satis superq; sufficiat ad intelligendum, quod omne quod mouetur, ab alio moueatur, vsque ad primum, quod mouet immobile, etiam si habeat aliquod principium sui motus in se; *Nihil enim refert*, inquit D. Thomas 1. contra gentes cap. 13. *deuenire ad aliquod primum, quod moueat se secundum Platonem, & deuenire ad primum, quod omnino sit immobile secundum Aristotelem*. Vbi controuersiam conciliat in sensu, & modo loquendi inter Platonem, & Aristotelem dicebat enim Plato omne mouens moueri, etiam primum mouens, cum hac tamen differẽtia, quod omnia alia mouentur ab alio, vt statim probabimus, at verò primum mouens moueatur a seipso, intelligebat enim Plato, Deum mouere seipsum, quatenus seipsum intelligit, & vult & amat, sine vlla subordinatione, & dependentia ad alium superiorem, quod nulli alteri competit nisi soli Deo; At verò Aristoteles accipiebat motum, & mutationem propriè, prout dicit potentialitatem in subiecto ad aliquod superadditum, & in hoc sensu rectè dicebat primũ mouens esse omnino immobile, quare solum erat differentia in vocabulis, & modo loquendi.

Resumendo modo seriem, & ordinem nostri discursus ad probandum, quod omne, quod mouetur, ab alio moueatur, in sensu à nobis explicato, sic argumentari potest. Quicquid mouetur, seu recipit in se motum, aut mutationem, impossibile est, vt ratione suę substantię, seu entitatis, siue totius, siue partis eius (id est siue habeat partem suæ substantię motam, & aliam mouentem, siue totum se totum moueat, vt idem sit mouens, & motum, secundum diuersitatem opinionum de quibus non curamus modo) sit causa efficiens adęquata, & completa, intra totam latitudinem causæ efficientis respectu sui motus; Ergo necesse est, vt etiam aliquid extra ipsum concurrat efficienter ad suum motum, cui inferior ipsa causa subordinatur ad mouendum, sed hoc est moueri ab alio aliquo modo, ergò necesse est, vt omne quod mouetur ab alio moueatur; Vbi omnes consequentiæ sunt euidentes & notæ ex terminis ipsis, quare si concedatur antecedens in quo tota est difficultas, vt statim dicemus, sic vlterius progredi debet; Hoc ipsum à quo illud aliud mouetur, siue cui subordinatur, vel mouet immotum, aut immobile ita vt sit in omni ordine principium adęquatum & completum sui motus se solo; vel non, sed mouet adhuc motum, alterique subordinatum, expectando ab illo suum complementum; Si dicatur primum, habemus intentum, dari videlicet aliquod primum mouens immobile; si secundum, iterum de illo alio quærendum est, vtrum moueat immotum, vel non; & quia non potest da-

ri

ri processus infinitus in causis ita subordinatis, necessario deueniendum est ad primam aliquam causam, quæ cõpleat efficientiam causarum inferiorũ, & sit primum mouens immobile, quod est Deus, à quo cuncta dependeant, in esse, conseruari, & moueri.

Cum ergò tota huius discursus moles innitatur primo antecedenti, sic probari vniuersaliter potest ex principijs philosophicis; quidquid mouetur, seu recipit in se motum, aut mutationem, siue totum se totum moueat, siue vna pars ipsius moueat per se aliam, impossibile est, quod sit ens à se, cum essentialiter dicat imperfectionem, & potentialitatem ad aliquid de nouo recipiendum, vt supponimus, ergò necesse est, vt actu dependeat in esse, & conseruari ab alia causa superiori vsque ad primam, tanquam ens per participationem ab ente per essentiam; atque adeo etiam in operari, ita vt eius operatio non possit respicere pro suo adæquato principio id, quod solum est in causa sua proxima, sed etiam virtutem causæ superioris, siue vnam, siue plures vsq; ad primam; quatenus talis operatio, nõ minus est ens per participationem, quã ipsummet esse causæ quæ mouetur; vndè si tale esse, ex eo quod non sit à se, sed per participationem à superiori, necessario dependet in suo esse, & conseruari à causa superiori siue vna, siue pluribus, multo magis eius operari dependebit immediatè ab ijsdem causis superioribus siue vna, siue pluribus vsque ad primam; dicitur, siue vna, siue pluribus vsque ad primam, quia Deus non omnes causas secũdas eodem modo disposuit, nam aliquæ sunt, quæ præter suas naturales virtutes, & qualitates, non indigent ad complementũ illarum in ordine ad agendum, nisi sola assistentia & concursu primæ causæ, vt Angeli in ordine ad suas operationes intellectuales, & motum localem, vnde in his statim fit transitus ab ipsis ad primam causam mouentem immotam; in alijs verò ita Deus disposuit, vt inter ipsum, & vltimam seu infimam causam mouentem intercederent aliæ causæ intermediæ plures, vel pauciores, quarum virtus requireretur ad cõplementum causæ inferioris, præter virtutem causæ primę, sic enim Deus subordinat sibi creaturas infima per medias, iuxta suauitatem suæ prouidẽtiæ.

Possent in fine huius capitis adduci aliqua Atheorum effugia, quibus vim & efficaciam primæ huius rationis eludere conantur, verum quia non solum illi, sed etiam sequenti vię causalitatis, & efficientiæ contradicunt, commodius afferentur post examinatam hanc secundum viam.

CAPVT VII.

Demonstratur Dei existentia via causalitatis, & efficientiæ, aduersus Atheos.

SEcunda igitur ratio ad probandam Dei existentiam sumitur ex parte efficientis sic. Primum efficiens non factum est Deus; sed datur primum efficiens non factum; ergò datur Deus; vbi maior propositio ex dictis cap. 5. non est probanda, sed vt certa supponenda; probatur ergò minor, quia videmus, quotidianaque constat experiẽtia, plura de nouo fieri, vel igitur a se, vel ab alio, non à se; cum idem causare non possit seipsum. Ergo ab alio, iuxta axioma receptum, lumineque naturali notum, omne quod fit ab alio fit: Inquiritur modo, vel illud aliud est ab alio factum & productum, vel non; si respondeatur secundum, habetur intentum; si primum, tunc rursus illud aliud non est à se. Ergò ab alio; donec tandem deueniatur ad aliquod primum efficiens non factum, cũ etiam non sit possibile, quod in causis efficientibus procedatur in infinitum, ita vt nunquam deueniatur ad primum; sequeretur enim hoc absurdum, quod scilicet non daretur hic ordo causarum efficientium, quem sensu videmus nempè

pè non daretur, hic vltimus effectus, neque eius causa, neque causa huius causę; quia, inquit D. Thomas, *In omnibus causis efficientibus ordinatis, primum est causa medij, & medium est causa vltimi, siue media sint plura, siue vnum tantum, remota autem causa remouetur effectus, ergò si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit vltimum, nec medium. Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus non erit prima causa efficiens, & sic non erit, nec effectus vltimus, nec causæ efficientes mediæ, quod patet esse falsum.* Quare concludit *Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant.*

Ex quibus satis constat, quod sicut præcedens ratio tota fundabatur in his duabus propositionibus, *quod omne, quod mouetur ab alio mouetur*, & quod, *in causis motis & mouentibus sibi essentialiter subordinatis non datur processus in infinitum*; ita hæc secunda fundatur in alijs etiam duobus principijs, nempe, *omne quod fit, præsertim substantialiter, seu producitur de nouo, ab alio producitur*; & *non est possibilis processus in infinitum in causis efficientibus sibi inuicem subordinatis*; quorum secundum licet coincidat cum illo alio secundo primæ rationis, easdemque cum illo, si quæ sint in re tam clara, patiatur difficultates. Quia tamen prima hæc propositio, *quod omne, quod fit, ab alio fit, & non à seipso*; videtur ita nota per se, vt non indigeat probatione, sed sola terminorum explicatione; secus verò prima ratio maximè laborat, in demonstranda ea propositione, *omne quod mouetur, ab alio mouetur*, nam id quod mouetur præexistit saltem natura suo motui, atque adeò potest habere aliquid quod causet suum motum, at verò id, quod efficitur, non præexistit sibi ipsi, secundum id, secundum quod efficitur, loquendo de prima illius productione, sic enim esset antequam efficeretur, & consequenter esset, antequam esset, & ita non potest effici à seipso; hinc est quod aliqui secundam hanc rationem clariorem, & faciliorem, ad demonstrandam Dei existentiam, crediderunt. Et ad illam debent reduci breuia quædam argumenta ab alijs fieri solita. Quicquid est, vel est à se, vel ab alio, non primum, quia multa videmus fieri de nouo, non secundum, quia daretur processus in infinitum in causis per se subordinatis, igitur deueniendum est ad primum, quod sit à se, & alia sint ab ipso. Vel alio modo, impossibile est vt omnia sint ab alio, ergo deueniendum est ad primum, quod sit à se, illud autem est impossibile propter progressum in infinitum; tandem omnia argumenta, quæ fiunt ad probandum Deum ex creaturis, tanquam ex rebus factis debent necessario reduci ad prædictas demonstrationes, ijsdemq. cum illis principijs inniti, vt sint efficacia. Nunc veniamus ad Atheorum effugia.

CAPVT VIII.

Afferuntur, & præcluduntur aliqua Atheorum effugia.

DVabus rationibus superius factis, quatenus ex illis euidenter demonstratur existentia Dei sub ratione primi entis mouentis, & non moti; efficientis, & non facti; tria solent ab Atheis responderi. Primum est, non omne quod mouetur, aut fit, ab alio moueri, aut fieri. Secundum dato hoc, non propterea deueniendum esse ad aliquod primum ens non factum, quatenus posset deueniri tandem ad aliqua duo entia, quæ se inuicem causarent. Tertium denique, & ad quod se veluti ad extremam arcem pulsi vndiq; Athei recipiunt, est dari processum infinitum in causis; Si enim semel verum est dari infinitas entium productiones per totam æternitatem antè, & antè: videtur nunquam deueniri posse ad ens ab alio improductum, quia nunquam deuenietur ad primum.

Verùm quam friuola, & irrationabilia

bilia sint huiusmodi Atheorum effugia, patet ex primis Philosophiæ principijs; & quia iam supra sufficienter probauimus, quod omne, quod mouetur, ab alio mouetur; adeo vt nonnisi à proteruo negari possit veritas talis axiomatis secundum explicationem à nobis adductam; nunc ostendendum est aduersus primum effugium, nihil seipsum physice causare posse simpliciter. Etenim oportet, id quod physicè agit, iam esse actu physico, antequam agat, insuper actus secundus, præsupponit actum primum; & non entis nulla physica operatio, & nihil dat quod non habet, nec potest dare esse actu, nisi illud esse iam possideat; è contra verò, id quod physicè simpliciter producitur, & quo ad suum primum esse substãtiale, oportet non esse adhuc existens, non esse actu simpliciter, vt satis patet ex terminis ipsis; Apertam igitur inuoluit contradictionem, idem à seipso produci, vel causari posse; idem enim iam simul præsupponeretur esse simpliciter, & non esse simpliciter; qua causatum præsupponeretur non esse simpliciter, qua causans præsupponeretur esse; & sic simul esset, & non esset.

Quare idem à seipso causari non posse modo dicto, adeo ex ipsis terminis est clarum, vt à nullis vnquam Philosophis illud probatum, sed semper suppositum fuerit. Ideoque Plato in Timęo, *quicquid*, inquit, *gignitur, ab aliqua causa necessario gignitur, sine causa verò oriri quidquam impossibile est*. Vbi apertè loquitur de causa ab effectu ipso distincta, cum ex eo, quod causatur, colligat ens incausatum, & inferat. *Id quod semper est, esse causam generationis*. Et Aristoteles 8. Metap. text. 30. *Quomodo*, inquit, *mouebuntur si nulla erit actu causa. Non enim ipsa materia seipsam mouebit*: & infra; *Oportet vt semper aliquid præexistat*. Idem supponunt vt certum Plotinus Enn. 4. lib. 7. cap. 9. Simplicius cap. 38. Enchirid. alijque omnes ex Etnicis; & ideo *Deum principium sine principio* vocauit Trismegistus serm. 4. Pymand. *Ingenitum* Zoroaster apud Eusebium de præparat. Euang. cap. vltimo. E nostris verò Augustinus tract. 1. in Ioannem, *Non per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia*. Auctor lib. de triplici habitat. *Nihil seipsum creat; qua enim potentia qui omnino non esset, seipsum faceret?* & D. Bernardus lib. 5. de considerat. cap. 6. *à se cœpit nihil, nisi forte quis putarit quod non erat dare sibi potuisse esse, vt inciperet; aut fuisse aliquid antequam esset: quorum vtrumque quia ratio non consentit: constat nihil sibimet extitisse principium*.

Nec minorem habet contradictionem secundum effugium, quo asseritur posse res ipsas naturales se se inuicem mutuo causare, ac generare: Etsi enim vltro concedamus duas causas posse in diuerso genere se se inuicem causare per subordinationem ad aliquod tertiũ, vt dicitur de materia, & forma, quæ recipiunt esse à causa efficiente, quæ est primum mouens in executione, impossibile tamen est duas causas esse sibi inuicem causas in eodem genere; Si enim ex statim dictis idem non potest producere seipsum; non poterit à fortiori producere suam causam; quia idem præexisteret ad suam causam, atque adeo ad seipsum, quod enim est prius priori, prius est etiam posteriori; manifestum est igitur non posse deueniri ad plura entia inuicem effectiuè producentia; sed necessario deueniendum esse ad aliquod ens producens & improductum, causans & incausatum, quod nunc inquirimus; potestque ad hominem instari contra Atheum sequẽti argumento; quia si quis contra illum argueret, Deus est, quia creaturæ sunt effectus Dei; & Atheo interroganti, vnde habeat creaturas esse effectus Dei, responderet, quia scit Deum esse: vel hic circulus Atheo non videbitur vitiosus; & iam assentietur Deum esse, vel videbitur; & tunc cogetur etiam fateri esse vitiosum hunc alium circulum in essendo, A. est, quia B. est. B. est,

est, quia A. est, loquendo maximè in eodem genere causæ efficientis, & secundum eamdem penitus rationem.

Tertium tandem & vltimum effugium infiniti processus in causis est similiter inane; vel enim est sermo de causis essentialiter subordinatis, vel accidentaliter tantùm, si de primis iam supra demonstrauimus impossibilem esse talem processum in illis; si de secundis, etiam admisso in illis processu in infinitum, concluditur Deus. Primò enim Philosophi, qui cum Aristotele ponebant mundum ab æterno, atque adeò concedebant de facto processum infinitum in causis per accidens subordinatis, illum tamen vt notat D. Augustinus 11. de Ciuitate Dei cap. 4. à Deo factum fatebantur, sed semper factum, id est, sine initio factum. Ergo adhuc dato processu in infinitum in causis per accidens, Dei existentia tanquam primi mouentis primique omnium rerũ principij concludi potest, sicut de facto prædicti Philosophi in sua quantumuis falsa opinione de æternitate mundi, illam collegerunt.

Et ratio est, quia licet semel concesso huiusmodi processu infinito in causis per accidens subordinatis, non possit assignari principium aliquod durationis verum, nec etiam primum aliquod principium particulare illarum, quia hoc est dari processum in infinitũ in causis, nõ posse deueniri ad primam, in eo ordine, in quo concedatur talis processus; vt satis patet tàm ex Aristotile, quàm ex D. Thoma, qui vbique pro eodem accipiunt dari processum in infinitum in causis subordinatis, & non dari primam; potestque aptissimo æternitatis mundi à parte post exemplo declarari, quia si mundus duraret in infinitum à parte post, sine dubio daretur processus in infinitum in hominibus genitis, & generantibus, descendendo, adeo vt non posset assignari vltimus terminus talis durationis, nec vltima generatio, & vltimus genitus, aut vltimus generans, si quidem implicat in terminis dari vltimum genitum, & generantem à parte post, & dari processum in infinitum in genitis, & generãtibus à parte post, erit ergò eadem ratio à parte antè: Etsi inquam res ita habeat, concesso semel processu infinito in causis; nihilominus tamen debet semper assignari, extra totam illam seriem, seu collectionem causarum sic in infinitum procedentium, primum aliquod principium efficientię, & causalitatis illarum, à nullo alio factum, quod intendimus in præsenti.

Etsi autem plures ad hoc probandũ suppetant modi. v. g. ex limitatione, & contingentia cuiuscumque speciei, vel naturæ, intra infinitas illas causarum series contentæ; sic enim necessario sequitur debere dependere, & determinari ad esse ab aliquo supremo agente extra speciem; omnium tamen optimus, & breuissimus modus videtur ille, quo hęc secunda via reducitur ad primam, & aliqua ratione fundatur in illa; ita enim distinguitur, & in primo ingressu præ se ferre videtur claritatem & facilitatem, in eo, in quo a prima distinguitur, vt tamen in illa fundari debeat, & ab illa dependeat, quatenus efficere est quoddam mouere, & efficiens, est quoddam mouens; quo pacto etiam generatio substantialis ab Aristotele ponitur inter species motus 3. Physic. & non potest fieri transitus ab ordine causarum accidentaliter in infinitum subordinatarum, ad ordinem causarum essentialiter subordinatarum, in quibus manifestè implicat talis processus infinitus; siue quod idem est non potest reperiri in talibus efficientibus accidentaliter tantùm subordinatis, ordo causarum essentialiter subordinatarum, vnde necessariò colligitur existentia alicuius primi mouentis immobilis, efficientis non facti; nisi recurrendo ad illud axioma, quod omnia mouentia secunda mota mouent, & mota generant; & propterea D. Thomas 1. contra gentes cap. 13. nullam huius rationis facit mentionem, sed solius

lius primæ, nam hæc in illa radicatur, quam etiam 1. p. quęst. 2. artic. 3. manifestiorem appellat viam; Sic igitur ex illa argui potest, ad probandum, adhuc dato processu in infinitum in causis per accidens Dei existentiam concludi.

Quæro enim de tota illa serie, vel collectione causarum, quæ faciunt illud infinitum; vtrum sint omnes factę, vel non? Si dicatur secundum, ergò iam intra totam illam infinitam seriem, dabitur aliqua causa non facta, ratione cuius verificari possit, totam illam causarum seriem non esse factam; quod intendimus: Si quidem implicat manifestè quamlibet causam, in aliqua causarum collectioné esse dependentem & factam, & quod tota illa collectio sit independens, & non facta; etsi enim verissimum sit, vltroque concedamus non valere argumentum à distributiuo ad collectiuum, à partibus ad totum, aut vice versa, in illis pędicatis, quę conueniunt parti, & toti, qua pars & totam sunt reduplicatiuè; valet tamen in illis, quæ competunt parti, & toti secundum se, & vt quædam entitates sunt. V.g. in nostro casu, licet admisso semel infinito causarum processu, secundum quem proindè tota illa causarum collectio esset infinita, & ab æterno, non valeret arguere; quęlibet ex illis causis est in tempore, & finita, ergò etiam tota collectio est in tempore & finita; quia nimirum in serie generationum, vel causarum generantiũ infinita, esse finitum, & esse in tempore, sunt prædicata competentia singulis partibus, seu causis qua partes sunt; infinitas verò & ęternitas, toti, qua totum est; tamen quia esse factum, potentiale, & dependens sunt prædicata intrinseca, & essentialia, quę sequuntur naturam contingentium; manifestam implicat contradictionem, quod concedatur illa omnia, vel etiam ex vnum ex illis esse factum, vel non esse factum, quin etiã sequatur totam illam collectionem esse factam, vel non esse factam, dependentem, vel independentem; cum ad falsificandam affirmatiuam vniuersalem, satis sit negatiua particularis. V.g. omnis homo currit, falsificatur per hanc, aliquis homo non currit, & sic sunt æquipollentia; aliquis homo non currit, non omnis homo currit.

Si respondeatur primum, totam videlicet illam causarum seriem esse ab alia superiori factam; statim inferunt àliqui, ergò iam extra totam illam seriem datur aliqua causa superior; vel ergò hæc non est ab alia, & sic habemus primam causam efficientem non factam, vel est ab alia, & quia in his non potest dari processus in infinitum, tandem deueniendum est ad primam quæ est Deus; Sic inquam arguunt aliqui; quod tamen non videtur sufficiẽs, in illo enim transitu, quẽ faciunt à tota collectione causarum accidentaliter in infinitum subordinatarum, ad aliquã causam superiorem extra ipsam; non satis explicant, an hic secundus processus sit inter causas accidentaliter subordinatas, an verò essentialiter, nisi omnino aliud addatur, quod pertineat ad primam demonstrationem ex parte motus desumptam, vt iam monuimus, quod ex eo constat, quia posset aliquis concedere totam causarum collectionem esse ab alia superiori extra ipsam, & hanc secundam esse ab alia tertia, & sic in infinitum, quia hæc etiam secunda progressio est inter causas accidentaliter subordinatas, sicuti prima, & quia in talibus causis admittitur processus in infinitum, non erit necessario deueniendum ad primam, sicuti non erat in primo progressu; Euidenter igitur apparet, quod, nisi tandem in aliquo progressu, & serie causarum fiat expressa mentio essentialis subordinationis, in qua sola processus infinitus manifestam inuoluit contradictionem, & explicetur, in quo illa consistat, non possit efficaciter per hanc secundam viam demonstrari existentia Dei, sub ratione primi efficientis non facti, talis autem subordinatio essentialis explicari non potest, nisi vltimate recurrendo ad primam viam, hoc pacto.

Hęc

Hæc causa, à qua est tota hominum, aliorumque entium series, vel in suo esse, & operari actu dependet ab alia superiori, ita vt possit dici quod mota moueat, vel non, si secundum, ergo erit prima causa omnia mouens & efficiens immota, atque adeò non facta, quæ est Deus, si primum, rursus peto de hac alia causa, vel dependet in suo esse, & operari ab actuali influxu alterius, vel non, si secundum erit Deus, & quia non potest dari processus in infinitum in his causis actu simul existentibus. & sibi essentialiter subordinatis, deueniẽdum erit ad primam, quæ est Deus; quo in modo argumentandi omnino necessario, satis constat, iam reduci rẽ ad primam viam, seu rationem, quod scilicet in causis mouentibus, & motis atque adeo essentialiter subordinatis, non datur processus in infinitum, sed deueniendum esse ad primum mouens immobile, in quo consistebat prima demonstratio; quæ proinde in hoc solum differt à secunda, quod illa propriè, & principaliter procedit per causas mouentes, prout motus distinguitur à generatione, aut substantiali rei mobilis productione; hæc vero per causas ipsas substantiæ rei mobilis productiuas, inter quas notissimæ sunt nobis causæ secundæ generantes, & genitæ: Vel si sumatur motus latissimè, pro quacumque videlicet productione aut mutatione; non tàm erunt duæ demonstrationes formaliter, quàm vna, aut si duæ, hæc secunda omnino fundatur in prima, sicuti particulare, in vniuersali, quatenus generatio, vel productio substantialis rerum continetur sub genere motus, vel sub motu vt sic; Sed de his satis, & vt ostenderem, quomodo adhuc dato processu in infinitum in causis per accidens, Dei existentia concluditur; ita Athei dum undequaque diffugiunt, semper in ens primum incurrunt; quodlibet enim, ab ijs fingatur, nescio quo pacto ab ipsomet figmento erumpit hęc veritas, cui vel ipsa mendacia seruiunt.

CAPVT IX.

Deum esse demonstratur ex necessitate vnius entis necessarij, & ad essendum determinati.

TErtia via, seu ratio, ad probandam Dei existentiam, desumitur ex necessitate vnius primi entis necessarij, quæ quia non innotescit nobis nisi ex ipsamet rerum contingentia, hinc aliqui hanc viam contingentiæ appellant, quod pertinet ad quæstionem de nomine; potest igitur argumentum sic efformari. Primum ens necessarium est Deus, sed datur primum ens necessarium, Ergò datur Deus. Vbi maior propositio ex dictis cap. 5. non est probanda, sed vt certa supponenda; quia per Deum nihil aliud intelligimus, nisi ens necessarium, siue quod ita existat, vt per se & necessario existat. Minor ergò in qua est difficultas probatur; quia non omnia entia in mundo sunt contingentia, hoc est possibilia ad esse & non esse, ergo necessariò datur primum aliquod ens necessarium, siue quod idem est, aliquod primum ens nõ contingens, quod sit impossibile non esse. Consequentia patet ex regulis æquipollentiæ; nam, *non omne est contingens*, æquipollet huic, *aliquid est nõ contingens*. Probatur antecedens, quia si omnia essent contingentia, siue possibilia ad esse, & non esse; sic enim sumimus in præsenti contingens, non autem pro eo, quod fit à casu, sequeretur quod aliquãdo nihil fuisset, & consequenter etiam, nunc nihil esset, sed hoc est absurdum, & contra sensum, ergò & illud vnde sequitur.

Probatur sequela maioris, nam illa quæ ex se, & ex proprijs principijs sunt tantùm in potentia ad esse, impossibile est quod per se & ex proprijs principijs habeãt actu esse, vel existere, vt satis constat ex ipsismet terminis, ita vt hęc propositio non possit negari nisi a proteruo; sed contingentia prout de illis


illis loquimur in presenti, dicunt solùm possibilitatem ad existendum in actu exercito; ergò impossibile est, quod per se, & ex proprijs principijs habeant actu esse, vel existere; Præsupposito igitur quod omnia entia in mundo essent contingentia, hoc est possibilia ad esse, & non esse; vel nihil vnquam fuisset, nec modo esset, quod est contra sensum; vel debet haberi recursus ad aliquod aliud, quod sit extra lineam rei contingentis, & naturæ eius, cui necessario existere conueniat, ad hoc vt contingentia existant. Etsi enim posito semel quod existat res aliqua contingens, possit communicare existere & esse, alteri contingenti; sicut v. g. licet calor accidentaliter solum aquæ conueniat, tamen eo ipso, quod sit calida, potest & aliud corpus calefacere; tamen, sicut eadem aqua non posset actu esse calida, aut calefacere, nisi daretur aliquod ens, cui per se, & necessario calor conueniret, à quo primò talis qualitas oriretur, & ab eo vel mediatè vel immediatè in aquam diffunderetur; ita non posset etiam contingens esse actu existẽs, nec facere, quod aliquod actu existeret, nisi tandem esse quod participat, refunderetur in aliquod principium à se existens, cui per se necessario & ex proprijs principijs existere conueniat.

Vel igitur hoc principium, & ens necessarium habet causam suæ necessitatis, seu dependet ab alio, vel non, si secundum ergò est ens summè necessarium, & Deus, si primum rursus quærendum est, an hoc aliud superius habeat necessitatem cum dependentia ab alio, & quia non potest in his causis essentialiter subordinatis dari processus in infinitum, necessario deueniendum erit ad primam, quæ sit ens summè necessarium, causaque necessitatis aliorũ, & omnium effectuum contingentium quod est Deus. En ergò quomodo, sicut in via motus, & efficientiæ ens mobile, & ab alio manuducit ad primum ens immobile, primumque efficiens non factum, ita ens contingens, seu mobile quo ad esse, & non esse, ad necessarium, & immobile, quod non potest non esse.

Ex antiquis Philosophis primùm hac ratione videtur vsus fuisse Aristoteles 2. Metaph. text. 12. cap. 1. vbi inquirens primam substantiam probat ex eo, quod actus prior fuerit, quam potentia, idest, ens actuale, & necessarium prius potentiali & contingenti. *Quod enim*, inquit, *potentia est, contingit non esse: oportet esse tale principium, cuius substantia actus sit*. Idem clarius explicat Auctor Theologiæ Aegypt. lib. 3. de secreta sapientia cap. 3. vbi, *Deum*, inquit, *esse hęc demonstratio inter omnes maximè videtur efficere, quod nihil in potestate sit, quin aliud antecedat, quod actu existat, alioqui neque ipsa quidem potestas in actum suum educeretur*. Et infra. *Itaque si potestas in actum educitur, necesse est actum quemdam purum existere: quod hic nihil habere possit, à quo in actum excitetur, tale verò est ens necessarium*.

E Sanctis verò Patribus fusius hoc argumentum prosequitur S. Ioannes Damascenus lib. 1. fid. Orthodoxæ cap. 4. Theodorus cognomine Alueara dialo. 3. Anselmus in Prolog. cap. 22. *Quod*, inquit, *potest cogitari non esse, nisi per aliud subsistat, redit in non esse*; Omniumque elegantissimè vterque Victorinus, Richardus toto 1. & 2. libro de Trinitate; Hugo lib. 1. de Sacramentis parte 3. c. 8. & 9. omnino videndi sunt.

†



CAPVT X.

Ostenditur Deum esse via eminentiæ, seu ex analogia, quam debent habere omnia entia cum aliquo maximè ente.

ID quod maximè est ens, seu nobilissimum in genere entis, est Deus; sed datur id quod est ens, seu nobilissimum in genere entis; Ergò datur Deus, maior supponitur, vt in cæteris superius factis argumentis; minor probatur, supponendo prius tanquam certum, & ab omnibus concessum, quod inter entia, aliqua sunt perfectiora, aliqua imperfectiora, nam homo v. g. est ens perfectius equo, & equus musca &c. Sicuti enim in aliquo determinato genere entis v. g. animalis potest dari perfectius, & imperfectius, & in genere quantitatis, siue continuæ, siue discretæ, alia maior, alia minor, & in genere coloris, alius perfectior, alius imperfectior, & in genere musici, aut medici, &c. ita etiam in genere entis vniuersalissimè, aliquod datur perfectius, cum hac tamen differentia, quod hæc maior, vel minor perfectio in genere entis attenditur in rebus secundùm totalem & completam rationem, quam dicunt; ita vt illa, quæ cōsiderata secundum omnem rationem entis, quæ est in se, habuerit aliquid, quo aliam rem excedat, debeat absolutè dici nobilior, & perfectior in genere entis; maior autem, vel minor perfectio limitata in alijs generibus, sumitur ex maiori. vel minori perfectione, intra illud genus, seu secundum limitatam illam considerationem, sicuti perfectior medicus est ille, qui excedit alium in arte medendi, licet forte in alijs sit imperfectior.

Hoc præsupposito probatur minor, videlicet dari id quod maximè est ens, seu nobilissimum in genere entis; quia ad sensum patet, manifestaque constat experientia, inueniri in rebus aliquid magis & minus bonum & verum, & nobile in ratione entis; ergò etiam debet dari id quod est verissimum, & optimum & nobilissimum atq; adeò maximè ens, nam quæ sunt maximè vera, sunt maximè entia. Probatur consequentia, videmus in omni genere entis in quo plura sunt quæ magis, & minus dicuntur talia, aliquid esse, quod maximè est tale in illo genere, & in ordine ad quod cætera dicuntur magis, vel minus talia, secundum quod magis, vel minus appropinquant ad illud, atque adeò quod hoc pacto sit mensura cæterorum; ergò etiam in genere vniuersalissimo entis, in quo multa dicuntur magis, & minus, dandum erit aliquod maximè ens, maximè verum &c. quod est Deus; quia non videtur esse maior ratio, cur in alijs generibus modo dicto dari debeat primum, & nobilissimum in illo genere, & non in genere entis absolutissimè.

Cum tota huius rationis vis, & efficacia fundetur in illa propositione, *quod magis, & minus in genere entis dicuntur de diuersis, secundum quod appropinquant diuersimodè ad aliquid, quod maximè est ens*; aliqui existimant illam vel nullam esse, vel solum probabilem, quia non potest sufficienter probari supradicta propositio; nam primò inter numeros dantur maiores, & minores, & tamen inter eos non datur maximus, quo non possit dari maior; secundò inter corpora datur maius, & minus corpus, & tamen nullus dixerit quod detur maximum corpus; quo maius dari non possit; tertiò tandem in omnibus perfectionibus humanis acquisitis datur maior, seu perfectior & imperfectior Philosophus, medicus, musicus, &c. non tamen datur maximus, quis enim hic erit maximus? Ergò licet inter entia detur maius & minus ens, magis & minus perfectum, non tamen propterea legitimè potest inferri, quod detur maximum ens, quo maius & perfectius dari non potest in ratione entis; vndè cum Deus sit id, quo maius, &

perfe-

perfectius dari non potest, non sequitur dari Deum ex isto modo argumentandi. Et ratio veluti à priori esse potest, quia potest intelligi magis, & minus per comparationem solam ipsarum rerum comparatarum ad inuicem, vt v. g. maior numerus dicetur ille, qui excedit alium, & minor, qui exceditur, & sic de cæteris, non ergo est necesse dicere, quod *magis & minus, dicitur de diuersis secundum quod appropinquant diuersimodè ad aliquid, quod maximè sit.* Et confirmatur ex eo, quod etiam si de facto concedamus dari maximum ens, quod est Deus, non tamen videtur Deus esse posse mensuram, cur aliquid dicatur esse magis, vel minus ens, per maiorem, vel minorem accessum ad Deum; cum enim Deus excedat omnia infinitè, neque dici posit, quod magis infinitè excedit vnum, quàm alterum, quia non videtur dari magis in infinito, quantum est ex se æqualiter omnia excedit, tandumdemque nobilissimum Angelum, quantùm & formicam.

Pro resolutione huius difficultatis suppono duobus modis hic posse procedi: vno præcisè ex via eminentiæ; alio coniungendo viam eminentiæ cum via efficientiæ, seu assumendo aliquid ex primis duabus rationibus, in quibus omnes aliæ aliquo modo fundantur, si procedatur primo modo, non erit argumentum nisi ad summum probabile; etsi enim existiment aliqui propositionem illam esse vniuersaliter veram in omni prorsus materia, eo videlicet sensu, quod in omni prorsus re, quæ habet magis, seu maius & minus, datur aliquod maximum saltem negatiuè, id est, quo de facto hic, & nunc non sit maius; siue quod idem est, quotiescumq; datur à parte rei magis, & minus, datur etiam maximum inter ea quæ de facto existunt; hæc tamen explicatio quantumuis vera non videtur excedere limites probabilitatis, primò, quia vel supponitur, quod in omni serie, & ordine, & genere datur maximum saltem negatiuè, vel probatur, si supponitur, ergò etiam supponitur, quod in genere entis datur maximum, & sic non probatur, cum tamen ex vi præsentis rationis intendatur probari inter entia dari maximum; Secundò quia dici posset ab Atheo dari processum infinitum in bonis & melioribus, vndè non sequitur deueniendum esse ad optimum, vel maximum; nisi probetur talem processum esse impossibilem in entibus perfectioribus, & imperfectioribus, quod fieri non potest nisi aliquid assumatur, aut supponatur ad hoc necessarium ex primis duabus rationibus; igitur in tantū in hac quarta via potest fieri argumentum demonstratiuum ad probandum Deum esse sub conceptu summi, & nobilissimi entis, in quantum coniungitur cum duabus primis. Quod dupliciter fieri potest.

Primò ad hominem, ea ratione qua multi concedunt, capaces esse existentiæ præter species productas, alias perfectiores, & perfectiores in infinitum; *substantiæ enim*, idest, essentię, *numeri sunt*; id est, se habent sicuti numeri; vndè sicut in numeris ascendendo non est deuenire ad maximum, quo non posit dari maior, ita in speciebus non est deuenire ad perfectissimam, qua non posit dari perfectior; Ergò datur ens supremum eminenter continens omnes has species; antecedens suppono tum ex ijs, quæ supra contra nostram rationem, propositionemque in qua fundatur obiecta fuerunt; tùm etiā quia nisi id concedatur ab Atheis, statim sequitur cōtra eos, dari aliquod ens in rerum natura, quo maius & perfectius esse non posit, atque adeò maximum ens, vndè cum nomine Dei, nihil aliud intelligatur nisi id, quo maius & perfectius dari non posit, atq; adeo id, quod maximè est ens, statim sequitur contra eos dari Deum.

Consequentia probatur, nam hę species perfectiores producibiles non sunt producibiles ex seipsis, cnm nihil esse posit causa sui ipsius: neque à speciebus, quæ de facto sunt, omnis enim causa

causa vel æqualis est effectui in perfectione, si sit vniuoca, vel excedit effectum, si sit æquiuoca; hæ autem species in infinitum producibiles, supponuntur perfectiores, & perfectiores ascendẽdo supra eas, quæ de facto sunt; ergò debet dari ens, eas omnes continens eminenter, cui subordinentur in esse possibilis, & producibilis: ergò ens supremum, & nobilissimum, primumq; primitate eminentiæ, quod inquirimus, cum in his gradibus maioris, & minoris perfectionis, modo statim explicando non possit dari processus in infinitum; Quod tamen non repugnat dictis, processuique in infinitum admisso intra seriem entis creati, & creabilis, cui repugnat dari maximum; cum illud ens maximum, ad quod ex vi nostri argumenti, statim deueniemus, sit ens maximum extra seriem entis creati, & creabilis, atque adeò increatum; ens autem supremum, & increatum in serie creabilium non signat vltimum; quin potius infinita eius potentia est vnicum nobis fundamentum talis processus infiniti, intra seriem entis creati & creabilis; vt suo loco dicetur.

Secundò, siue negetur vltima consequentia primi discursus superius facti, concesso antecedente, siue negetur antecedens atque adeò consequentia; omissa probatione illius antecedentis, quod *magis, & minus dicitur de diuersis, secundum quod appropinquant diuersimodè, ad aliquid, quod maximè sit*; quamuis illud verissimum esse existimem, in omni genere in quo datur magis, & minus; dico, in omni genere, in quo datur magis & minus, siue in quo aliqua sunt magis, aliqua minus talia; quia si in aliquo genere non daretur magis, & minus, seu perfectius, & imperfectius formaliter (quidquid sit an re vera detur in omnibus) neque daretur aliquid, quod esset aliorum mensura, & in ordine ad quod alia dicerentur magis vel minus talia; omissa, inquam probatione, istius antecedentis, quam non existimo esse necessariam absolutè ad rem nostram, probo consequentiam, seu consequens, dari videlicet in genere entis, id quod maximè est ens, & consequenter Deum.

Certum est, quod sicuti in alijs generibus particularibus datur magis, & minus, seu perfectius, & imperfectius in illo genere, ita & maximè datur in genere entis, eiusque proprietatibus nempe vero, bono &c. Sed in his gradibus maioris, & minoris perfectionis in genere entis non potest dari processus in infinitum, ergo deueniendum est ad aliquod primum, illudque perfectissimum, quod possit esse mensura cæterorum; Maior vt certa supponitur, nã non nisi proteruus, aut insanus eam negare potest, minor igitur in qua est tota difficultas probatur, sumendo aliquod ens ex ijs, quæ sunt minus perfecta, & minus entia, & sic arguendo; hoc ens, ex hoc ipso, quod est minus perfectum, & habet supra se aliud magis perfectum, non est à se, sed ab alio, vt satis ex se constat, iamque superius probauimus; ergò si est ab alio, debet esse ab alio perfectiore ipso causato, vel totaliter, vel saltem secundum quid, nam nõ potest esse totaliter a sibi ęquali, hoc enim ęquale eo ipso, quod est æquale suo effectui non potest esse ens à se, & consequenter non potest totaliter à se causare, vt supra in prima, & secunda ratione demonstratum est, necesse est ergò, vt causa totaliter considerata includat semper aliquid perfectius causato; vel ergò hoc perfectius inclusum in causa illa est à se, & sic est perfectimum, primumque ens, vel est ab alio, & quia non potest dari processus in infinitum in his causis, quas constat esse essentialiter subordinatas, cũ vnaquæque mota moueat, necesse est etiã, vt in his entibus perfectioribus, & perfectioribus deueniatur ad primum ens perfectissimum, quod erat probandum. Sicque hæc quarta ratio habet vim demonstrationis, si fundatur in primis duabus, prout illam fundasse D. Thomam

mam colligitur ex mentione causalitatis ab eo factâ; non enim minus repugnat dari processum in infinitum fine primo in entibus perfectioribus,& perfectioribus actu existentibus, quam in causis essentialiter subordinatis, cum vnum includatur in altero.

Quare ad rationes dubitandi superius allatas, propter quas aliqui Doctores existimant hanc rationem solum esse probabilem; Respondeo si nullo modo fundetur in alijs prioribus, transeat, quod sit tantùm probabilis; nolo enim de hoc disputare; cum sufficiat ad probandam aduersus Atheos Dei existentiam, quod aliquo modo esse possit demonstratiua, nempè fundata in eo principio, quod non possit dari processus in infinitum modo explicato.

Interim ad primam instantiam superius factam contra axioma D. Thomæ, & desumptam tàm ex quantitate discreta, quàm continua; respondetur primò, quod quandò datur maior, & minor numerus, datur maximus, quo maior non datur inter eos, qui de facto sunt; quando datur magis & minus in corporibus, inter ea corpora, quæ sunt iam, datur aliquod maximum, quo maius non existit,& sic de cæteris exemplis quæ possunt afferri. Respondetur secundò, non esse mirum quod illud axioma non verificetur in genere quantitatis, quia ipsa non recipit magis & minus, vndè potius eius propria mensura est minima,quàm maxima; attamen sicut omnes numeri pĕdent ab vnitate, sic etiam dicere possumus omnes species pendere ab vno proprio principio, atque adeò species omnes creatas, & creabiles esse, sicut numeri quantum ad distinctionem specificam, & ad habitudinem ad vnum primum principium.

Secundæ instantiæ primò potest applicari prior solutio statim data, quod vbi datur maior, seu perfectior, & imperfectior philosophus &c.datur etiam maximus quicumque sit ille, quo maior non datur inter eos, qui de facto existunt. Secundò potest responderi illud axioma non necessariò verificari debere in entibus artificiatis, aut scientijs, & actibus acquisitis, vt sic,nisi per quamdam accommodationem, sed de entibus naturalibus, quę habent esse fixum in natura,quamuis,vt dixi, etiam in illis verificari possit per quamdam accommodationem, quatenus intelligere possumus perfectissimum Philosophum, vel Medicum, præscindendo ab actu exercito, & sic formare eandem propositionem in his.

Tandem ad rationem veluti à priori respondetur, melius seu perfectius dici respectiuè, non tantùm ad bonum infra se, sed etiam ad optimum supra se; siue quod idem est, licet sit verum, quod magis, & minus in rebus possit vtcumque etiam intelligi per comparationem ipsarum duarum rerum maioris, & minoris ad inuicem; negatur tamen non posse, aut non debere etiam intelligi per comparationem ad optimum, & maximum;nam si solum comparetur res maior,seu perfectior ad imperfectiorem, nihil aliud habetur, nisi quod sit illa perfectior, non autem absolutè, quantum intra genus suum habeat perfectionis, nisi comparetur ad perfectissimum, sic enim statim apparet, quid habeat, & quid desit illi de perfectione in illo genere, & propterea solum perfectissimum dici potest vera mensura in suo genere, extrinseca tamen, & excedens rebus mensuratis; quod sufficit ad veritatem illius propositionis. Ad confirmationem de Deo respondetur ex D. Thoma 1. par. quæst. 3. artic. 5. ad 2. Deum non esse mensuram homogeneam, seu proportionatam mensuratis, id est, quæ ex ipsis mensuratis aliquoties multiplicatis adæquetur; sed tantum dici *mensuram omnium, ex eo, quod vnumquodque tantum habet de esse quantum ei appropinquat*, quare licet ex parte Dei, Deus æque, seu infinitè distet ab omnibus creaturis, tamen ex parte creaturarum, aliquæ magis, aliquæ minus participant

pant

pant de esse, & consequenter magis, vel minus appropinquant ei, sicuti si mare esset infinitum, atque adeò infinitè esset maius vase maiori, & vase minori, vas tamen maius plus eius aquæ contineret, quam minus, & ita plus de illo participaret.

CAPVT XI.

Verum Deum esse probatur ex suprema in gubernandis rebus prouidentia.

QVinta ad probandam Dei existentiam via sumitur ex gubernatione rerum. Sic ergo more nostro argumentari licet. Primum gubernãs est Deus, datur primum gubernans; ergo datur Deus; vbi maior, vt cæteræ, non probatur, sed supponitur nomine enim primi gubernantis, seu gubernantis per prouidentiam vniuersalem, & per authoritatem nihil aliud intelligimus quam Deum. Probatur ergò minor, quia res naturales gubernantur, ergo datur aliquod ens gubernãs; sed in his gubernantibus non potest dari processus in infinitum; ergò necessariò deueniendum est ad primum, quod est Deus.

Probatur antecedens, nam res naturales gubernari nihil est aliud quã illas perpetuo tenore moueri, & dirigi ad suos fines particulares, & finem communem, in quem omnes conspirant, vt satis patet in gubernatione magnæ domus, aut magnæ ciuitatis, aut regni; sed ad sensum patet res omnes naturales, etiam quæ cognitione carent, perpetuo tenore & ordine moueri, & dirigi ad suos fines, v. g. Sol semper accedit, & recedit statis temporibus, vt fiant quatuor anni tempora, & rerum generationes & vicissitudines, quas toto anno videmus ad huius inferioris mundi stabilitatem, & conseruationem; Ergò res naturales gubernantur, siue quod idem est non à casu, sed ex intentione proueniunt ad finem; Quod enim semper, aut frequenter nõ secundum accidens, neque à fortuna inquit Philosophus 2. Physicorum tex. 85. Quia autem posset dici res naturales à seipsis gubernari; nunc probanda est prima nostri discursus cõsequentia, dari scilicet aliquod ens gubernans; quia vt docet D. Thomas 1. p. qu. 103. per totam. 2.2. qu. 102. art. 2. in corpore, & 3. contra Gentes cap. 64 gubernatio necessariò importat prouidentiam, & consequenter intelligentiam; cum igitur multa gubernari, seu operari propter finem, videamus, quæ carent cognitione, oportet de necessitate, quod in illum tendant directa, & ordinata ab aliquo cognoscente & intelligente, sicut sagitta à sagittante.

Nec refert quod res naturales ex necessitate naturæ tendant in suos fines, idest, non liberè & per electionẽ; hæc enim ipsa necessitas est impressio causæ cognoscentis, & dirigentis res ad finem, vt rectè aduertit D. Thomas 1. p. qu. 103. artic. 1. ad 3. *Necessitas*, inquit, *naturalis inhærens rebus, quæ determinantur ad vnum est impressio quædam Dei dirigentis ad finem, sicuti necessitas, qua sagitta agitur, vt in certũ signũ tendat, est impressio sagittantis, & nõ sagittæ, sed in hoc differt, quia id quod creaturæ à Deo recipiunt est earum natura, quod autem ab homine rebus naturalibus imprimitur præter eorum naturam ad violentiam pertinet, vndè sicut necessitas violentiæ in motu sagittæ demonstrat sagittantis directionem, ita necessitas naturalis creaturarum demonstrat diuinæ prouidentiæ gubernationem.*

Neque etiam ex his sequitur, quod solæ res non intelligentes subdantur diuinæ gubernationi, quamuis ex his solis hic ducatur argumentum, nam etiam homo, & aliæ creaturæ intelligentes, & liberæ gubernantur à Deo modo sibi proportionato, quem explicuit idem D. Thomas ibidem artic. 4. ad 2. ijs verbis: *Sic igitur secundum vnam artem Dei gubernantis res diuer-*

simo-

ſimodè gubernantur ſecundum earum diuerſitatem, quædam enim ſecundum ſuã naturam ſunt per ſe agentia, tanquam habentia dominium ſui actus, & ita gubernantur a Deo non ſolùm per hoc quod mouentur ab ipſo Deo in eis interius operante, ſed etiam per hoc, quod ab eo inducuntur ad bonum, & retrahuntur à malo, per præcepta, & prohibitiones, præmia, & pœnas, hoc autem modo non gubernantur à Deo creaturæ irrationales, quæ tantum aguntur, & non agunt.

Quia autem adhuc admiſſo aliquo intelligente, à quo omnes res naturales ordinãtur ad finem, poſſent Athei reſpondere dari proceſſum infinitum in gubernantibus, & ſic nunquam deueniri ad primum; ſupereſt vltimò probandum, talem proceſſum repugnare in gubernatione rerum; primo quia talis gubernatio non eſt per ſolam impreſsionem alicuius motus, & per extrinſecam aſsiſtentiam mouentis, ſicuti dirigitur ſagitta à ſagittario, aut nauis gubernatur à nauta, ſed etiam per intrinſecam efficientiam rei, quæ ſecundum naturam ad illum finem tendit, nam hæc directio in finem primò incipit in ipſa receptione, & productione naturæ, vt apparet maximè in animalibus, quæ ſecundum intrinſecam ſuã naturam mouentur ad ſuos fines; ſed vt ſuperius vidimus, & probauimus in cauſis producentibus non datur proceſſus in infinitum, ſed neceſſe eſt tandem deuenire ad vltimam; ergò eo ipſo quod rerum gubernatio talem importat efficientiam, repugnat etiam in illa proceſſus infinitus. Deinde etiam ſi gubernatio fieret per ſolam aſsiſtentiam extrinſecam, & impreſsionem alicuius motus, quia etiam in his imprimentibus, & aſsiſtentibus non poteſt dari proceſſus in infinitum, cum omnes moti moueant vſque ad primũ, adhuc ex hoc deueniendum eſt ad primum gubernans; quare ſuppoſita impoſsibilitate proceſſus infiniti, tam in cauſis efficientibus, quàm in mouentibus & motis, cui tam hæc ratio, quã præcedentes fundamentaliter innituntur, nihil eſt addendum.

Quod ſi dicat aliquis ad omnia, quæ videmus in mundo ſufficere duo principia efficientia, naturam videlicet & voluntatem, ſiue rationem humanam; quatenus omnes prorſus effectus vel ſunt naturales, vel voluntarij; diſtinguendnm eſt, & concedendum illa ſufficere vt cauſas particulares, ſecus autem vt cauſas primas; nam ea quæ fiunt à natura, cùm natura agat propter finem, reducenda ſunt in aliam cauſam, propter quam ipſa natura agit, & hæc eſt Deus; & ea, quæ fiunt à ratione, & voluntate, cum ſint mutabilia, & defectibilia, reducenda ſunt in aliquam altiorem, & indefectibilem cauſam; quæ etiam eſt Deus.

Ex antiquis Philoſophis hoc argumento potiſsimum vſus eſt Mercurius Triſmegiſtus in Pymandro: *Aduerte*, inquit, *mundi, & ordinis eius ornatum: aduerte prouidentiam, ex his agnoſces, percipieſque Deum.* Et Cicer. lib. 2. de nat. Deorum, contra Democritum ponentem mundum caſu factum ex athomis, arguit, quod ſicut impoſsibile eſt dari palatium numeris omnibus abſolutum concurſu fortuito athomorum conſtructum, nullo architectante: aut horologium affabre ad horarum normam compactum, ſine artifice; ita mundum ſine Deo.

Tandem vt ſequenti capite videbimus, tàm Philoſophis, quàm Sanctis Patribus nullum familiarius fuit argumentum, quàm illud, quod ex vniuerſitatis aſpectu, & ex eius partium deſcriptione, ac rata & conſtanti illius adminiſtratione ſumitur.



CA-

CAPVT XII.

Veritati Diuinæ existentiæ testimonium perhibent omnes creaturæ.

ETsi ad probandam Dei existentiam aduersus Atheos sufficere possent quinque iam adductæ rationes, vel argumenta; tamen vt magis appareat veritatis huius ad salutem pernecessariæ firmitas, quamplurimaque illius in ipsa natura à Deo impressa esse vestigia, placuit adhuc plura alia in medium afferre, quorum si aliqua non necessariò, & apodeiktikos euincunt; neque ex anterioribus, primisque sunt petita, non ideo tamen contemnenda, sed eo magni facienda, quod saltem collecta in vnum, & coaceruata necessariam fidẽ faciunt apud eos, qui & sui compotes sunt, & rationis habent aliquid, ac iudicij; ita vt si quid humanitatis in Atheis reliquum sit, si non omnino mentis expertes fuerint, atque rationibus vale dixerint, æternum Deum esse fateri debeant.

Primum igitur, maximèque vsitatum tam Philosophis Gentilibus, quã Christianis doctoribus argumentum eruitur ex creaturarum pulchritudine, diuersitate, ordine, alijsque huiusmodi; *Habet enim*, vt rectè Tertullianus ait lib. 1. contra Marcionem cap. decimo, *Deus testimonia totum hoc, quod sumus, & in quo sumus*. Sic Epictetus eleganter ostendit, vt ex operibus arte elaboratis, artificem agnoscimus, sic ex naturalibus Dei operibus ipsum à nobis intelligi auctorem omnium, & conditorem; sic Dio Chrisostomus in orat. 12. fieri negat posse, vt homines intellectu summæ diuinitatis careant, *qui diuinis magnisque luminibus vndique collustrentur cæli, atque sydérum, Solis item ac lunæ*. Sic Asclepius Aristotelis interpres in 1. metaph. docet ex videndi sensu philosophiam homines accepisse. *Cum enim*, inquit, *in cælum oculos sustulissent, & ordinem, qui illic est, & inexplicabilem pulchritudinẽ contemplati essent, ad conditoris intelligentiam peruenerunt*.

Idem docet Sextus Empiricus in 8. commentar. aduersus Mathematicos, vbi triplici præsertim argumentorum genere probari dicit esse numen aliquod diuinum. Primum ex communi hominum persuasione deducit, de quo infra. Secundum ex mundi ipsius ordine dispositioneque partium, & administratione. *Vt si quis in alto montis Idæ vertice sedens Græcorũ videat exercitum decore, pulchroque cum ordine in campum procedere; equites primum cum equis, & curribus: tùm pedites pone sequentes; prorsus isti veniet in mentem, esse aliquem, qui hunc ordinem instruat, ac milites sibi subiectos eum seruare iubeat: cuiusmodi Nestor est, aut alius quispiam Heroum; qui nouerat ordinare equos, & homines clypeatos. Atque vt rei nauticæ peritus, simul atque nauem secundo vento impulsam, ac velis omnibus instructam viderit, agnoscit esse aliquem, qui illam regat, & ad eum portum quem sibi proposuerat perducat. Sic qui primi cælum intuiti sunt; ac Solem contemplati sunt ab ortu in occasum vsque cursum suum velut in stadio conficientem: stellarum verò quasdam velut ordine procedentes choreas, pulcherrimæ huius ordinationis artificem inquisierunt, cum eam minimè fortuito euenire conijcerent; sed à præstantiore quadam incorruptaque natura, quæ quidem est Deus.* Tertium denique caput absurda, & incommoda continet, quę tùm sequantur, si sublata sit diuinitas.

Philo quoque Iudæus lib. 1. de Monarchia scribit: *Cognoscendorũ opificũ indicia sunt semper opera ipsa. Quis enim statim atque statuas, picturasue conspexit, non statim de statuario, vel pictore cogitauit? Ecquis, vestes, naues, aut ædes intuens, non subindè textorem, & nauium fabrum, & architectum intelligit? Ac si quis in ciuitatem veniat legibus optimè constitutam, quid aliud suspica-*

ſpicabitur, niſi regi ab optimis magiſtratibus illam ipſam Ciuitatem. Quamobrem qui in hanc re vera magnam introierit Ciuitatem, mundum videlicet, ibique contemplatus fuerit montanam, campeſtremque regionem animãtibus refertam, ac ſtirpibus, & fluuijs ingenuis, ac torrentibus: pabula item, & reciprocationes marium: aeris temperiem, annuarum tẽpeſtatum conuerſiones: deinde Solem, & Lunam diei, noctiſque moderatores, ac cęterorum errantium, fixorumque ſyderum, & cæli totius in orbem agitationes, & choreas, nonne veriſimiliter, aut potius neceſſariò de Patre, & conditore, nec non rectore cogitabit?

Quod etiam genus argumenti præclarè, eleganterque tractarunt Scriptores Chriſtiani; Tertullianus lib. 1. aduerſus Marcionem cap. 13. ex qualibet creatura tametſi ſeorſim ſpectata docet Deum probari poſse. *Vnus opinor de ſepibus floſculus, non dico de pratis, vna cuiuslibet maris conchila, non dico de rubro, vna tetrahonis pennula, taceo de pauo, ſordidum artificem pronuntiabit creatorem*; Vbi aduerte per ironiam dixiſſe, *ſordidum artificem*, ac ſi diceret: non, ſed omnino præſtantem: cũ nullus hominum, aut etiam Angelorũ nequidem vnicum floſculum efformare poſsit, vnde quęlibet creatura Deum eſſe manifeſtò comprobat. Sic in Apologetico cap. 17. concludit. *Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt*.

Minutius felix in Octauio idẽ clarius docet; *Quid enim*, inquit, *poteſt eſſe tàm apertum, tam confeſſum, tamque perſpicuum, cum oculos in cælum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra citraque luſtraueris, quam eſſe aliquod numen præſtantiſsimæ mentis, quo omnis natura, inſpiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cælum ipſum vide quam late tenditur, quàm rapidè voluitur, vel quod in noctem aſtris diſtinguitur, vel quod in diem Sole luſtratur; iam ſcies quàm ſit in eo ſummi moderatoris mira, & diuina libratio. Vide & annum, vt Solis ambitus annum faciat, & menſem; vide vt Luna auctu, ſeuio, labore circumagat. Quid tenebrarum & luminis dicam recurſautes vices, vt ſit nobis operis, & quietis alterna reparatio*; &c. huiuſmodi, quæ eleganti ſermone fuſius ibi proſequitur.

Theodoretus quoque ſermone 4. de prouident. ex ſyderum contemplatione, ſtupore meteororum, elementorũ conſideratione, admirabili corporis humani ſtructura, in quo nulla eſt pars, quæ non authori ſuo luculentum ferat teſtimonium, ex manuum opificijs, & artibus, ex hominis in belluas imperio Deum eſse demonſtrat. Eiuſdemmodi, & apud Titum Boſtrenſem leguntur ſub finem libri ſecundi contra Manichęos.

Tandem S. Epiphanius in libro contra gentes, Gregorius Naſianſenus orat. 4. & 30. S. Ioannes Chryſoſtomus in Pſal. 13. S. Ioannes Damaſcenus lib. 1. de fide Orthodoxa; S. Auguſtinus tam lib. 8. & 11. de Ciuitate Dei cap. 4. quàm lib. 10. confeſsionũ cap. 6. & lib. 3. de libero arbitrio, alijque plures fuſiſsime docent creaturas omnes ita Deum eſse perſonare, vt is è numero rerũ delendus eſse videatur, qui poſt tot teſtimonia, de alicuius ſupremi numinis exiſtentia, & prouidentia dubitat.

Verum quia non pudet Atheos aliquando reſpondere, tàm præclari vniuerſitatis huius tum totius, tum eorum, quibus conſtat, ordinis cauſsam, ac principium naturam eſse, placuit hoc caput eleganti Lactantij Firmiani diſcurſu ſigillare. *Natura*, inquit, lib. 2. diuinar. Inſtitut. cap. 8. *qua dicitur orta eſſe omnia, ſi conſilium non habet, efficere nihil poteſt. Si autem efficiendi, aut generandi potens eſt, habet ergo conſilium: & propterea Deus ſit neceſſe eſt. Nec alio nomine appellari poteſt ea vis, in qua ineſt & prouidentia excogitandi, & ſolertia, poteſtaſque faciendi. Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutiſſimus: qui vidit nihil aliud eſſe naturam, quam Deum. Ergo*, inquit, *Deum non laudabimus*

bimus, cui naturalis est virtus, nec illam didicit ex vllo? Immo laudabimus, quamuis enim naturalis illi sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipsa natura est. Cum igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis, Deo, in eodem luto hæsitans, versuram soluis. A quo enim fieri mundum negas, ab eodem planè fieri mutato nomine confiteris. Hactenus Lactantius loco citato, qui idem pulcherrimè adhuc prosecutus est lib. de Ira Dei cap. 10. *Natura*, inquit, *quam veluti matrem esse rerum putant; Si mentem non habet nihil efficiet vnquam, nihil molietur. Vbi enim non est cogitatio, nec motus est vllus, nec efficacia. Si autem consilio suo vtitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, virtute ad consummandum, potestate ad regendum, & continendum, cur natura potius, quàm Deus nominetur.*

Cum igitur non sine summa prudentia, & incredibili arte, ac consilio fieri tam perfecta potuerint, tantumdem erit naturæ illorum omnium efficientiam tribuere, ac Deo: quod nos quærimus; Vt enim vniuersè ex effectis causa cognoscitur, sic ex iisdem ita eleganter, & concinne factis, vt maior cogitari industria nequeat, summo etiam consilio, & ratione perfectum ei faciundo præfuisse conijciendum est: quod ipsum appellamus Deum.

CAPVT XIII.

Veritati diuinæ existentiæ, testimonium perhibent scientiæ speculatiuæ tàm naturales, quàm supernaturales.

NOn solum creaturarum, sed etiam scientiarum orbe supremi alicuius numinis assertioni famulante, præter posita superius, ac subindè adijciẽda, placuit hic ex præcipuis disciplinis rationes aliquas depromere, ne aliquẽ modum prætermittere videar, adducendi Atheos ad Deum; & quamuis huic argumento feliciter iam insudarit Mersennius in cap. 1. Geneseos, aliâ tamen breuiori ratione illud idem prosequi conabor.

Incipiendo igitur à scientijs sermocinalibus, seu rationalibus, inter quas primum obtinet locum dialectica, quãta in illa, quotque radiantia diuinitatis habentur testimonia, dum subtilissima ratione prædicabilium series, & ordines ab ente transcendente ad genera, & generibus ad species, & ab his ad indiuidua constituuntur; dum prædicamentorum ortus, prædicationes, species substantiæ, accidentiumque gradus, ordo, pondus, mensura, aliaque huiusmodi ita stabiliuntur, vt tamen summum ens ab his omnibus excludatur. *Deus enim*, inquit D. Augnst. cap. 3. de cognitione veræ vitæ, *nullis verbis propriè exprimi, nulla potest cogitatione comprehendi, quomodo immensus, & incomprehensibilis prædicaretur, si humana locutione, vel meditatione includeretur. Nunc autem patet quàm sit admirabilis, cum omnibus linguis sit indicibilis, omnibus cordibus sit incogitabilis. Dialectica namque differendi potens, potenterque dubia definiens, cunctas scripturas euibrans, & euiscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cum in diuinitatem intendit, tantę maiestatis luce repercussa pauidum caput tremefacta reflectit, atque in abdita mundauę sapientiæ fugiens delitescit, dissolutisque syllogismorum nexibus stulta obmutescit.*

Quod si ad physicas disciplinas transeamus, primum inter naturæ principia nobis occurrit materia prima, ex qua eruitur existentia Dei, non solum ea ratione, quod sicut datur materia ens imperfectissimum, tanquam pura potentia excludens omnem actum; ita debet dari ens perfectissimum, & purus actus excludens omnem potentiã: Vel sicut datur *ens omnino passibile*, id est potentia merè passiua, potens pati, & non agere: ita dari debet *ens omnino impassibile*, potens agere, & non pati: Sed ex hoc potissimum, quod datur causa materię primę; eo enim ipso, quod

quod est imperfectissima omnium entium, non potest habere esse à se: sed necessariò debet illud habere ab alio: vel si quis contenderet eam habere esse à se, cogeretur quoque fateri eam Deum esse, quod esse stolidissimum non immeritò dicit D. Thomas contra quemdam Dauid de Dinando qui materiæ primæ diuinitatem tribuebat. Datur ergò causa materiæ primæ: nulla autem alia potest esse nisi Deus solus quod sic probo: Illa causa quæ producit aliquid ex nihilo,& ex nullo presupposito subiecto est Deus: sed causa, quæ producit materiam primam, producit eam ex nihilo, & ex nullo præsupposito subiecto, vt satis patet ex hoc, quod ipsa sit primum subiectum, aliud ante se non supponens; ergò causa producens materiam debet esse Deus.

Prob. Maior quia causa,quę producit aliquid ex nihilo, & ex nullo præsupposito subiecto, saltem vt causa principalis, debet habere virtutem infinitam: ergò debet esse Deus: patet consequentia, quia cum operari sequatur ad esse, & vnumquodque agat in quantùm est in actu in genere causæ efficientis, virtus in operando infinita, arguit infinitatem in essendo in eadem virtute: vndè cum Deus sit ens infinitum in essendo, illud etiam, quod habebit virtutem infinitam in operando erit Deus. Antecedens probatur,tanto virtus agentis debet esse perfectior, & intensior, quanto magis distat terminus à quo, à termino ad quem qui producitur,sed inter nihil,& ens, datur distantia infinita; ergo ad illam superandam, educendumque aliquid ex nihilo, & ex nullo præsupposito subiecto, requiritur virtus infinitè perfecta, & intensa: de quo argumento vide nostrum Biasium à Concept. disput. 17. Metaphysicę.

Secundum argumentum, quod ad probandam Dei existentiam subministrant physicę disciplinæ sumi posset ex via motus, de qua supra: secundum ex animæ rationalis immortalitate, quę in libris de anima demonstratur: Tertium ex ipsamet corporis humani consideratione,cuius adeò est excellens & artificiosa structura: vt ea Galeno homini Ethnico, ac de Deo minus commodè sentienti celebrem illam, & planè admirabilem sententiam expresserit lib. 3. de vsu partium, qua ex humani corporis dispositu, ac situ, & proportione partium, & earum elegantia, atque opportunitatibus singularum,non alium quam Deum authorem esse professus est, immensa,& inexplicabili virtute, solertia, sapientia, & potestate præditum. Qua in re non infimum obtinet locum tanta vultuum vocisque humanæ diuersitas, quæ cum ad hoc inducta sit, vt iniuriæ caueatur, & iustitia conseruetur, nullius alterius, quā diuini numinis effectus esse potest.

Quod igitur pertinet ad vultuum diuersitatem, certè sine illa neque iustitia inter homines conseruari, neq. Reipublicę vllius forma consistere posset, sed maxima rerum omnium perturbatio facilè nasceretur, quomodo enim mariti suas vxores, parentes suos liberos, creditores suos debitores, subditi Principes, Magistratus impios, & sic de alijs, cognoscerent: nec enim signū aliquod externum sufficeret, quandoquidem ad libitum assumi, & deponi posset. Quia verò sæpe res in obscuro agitur,nec hominem videre possumus, quem alloquimur, aut in eo discernendo acies obtusior decipi potest, non minorem Deus vocum,quam vultuum varietatem induxit,vt gemino teste difficilius hallucinaremur.

Quare D. Augustinus istam vultuū diuersitatem miraculum appellare non veretur lib. 21. de Ciuitate Dei cap.8. vbi contendit aduersus paganos Deum aliquid in rebus facere posse, quod homines naturaliter experiri nequeunt. Non ergo,inquit,de notitia naturarum caliginem sibi faciant infideles, quasi non possit in aliqua re diuinitus fieri aliud, quam in eius natura per humanā

ſuam experientiam cognouerunt, quãuis & ipſa, quæ in rerum natura omnibus nota ſunt, non minus mira ſint, eſsentque ſtupenda conſiderantibus cunctis, ſi ſolerent homines mirari niſi rara. Quis enim conſulta ratione non videat in hominum innumerabili numeroſitate,& tanta naturę ſimilitudine valde mirabiliter ſic habere ſingulos ſingulas facies, vt niſi inter ſe ſimiles eſsēt non diſcernerentur ſpecies eorum ab animalibus cęteris, & rurſus niſi inter ſe diſsimiles eſsent,non diſcernerentur ſinguli ab hominibus cæteris. Quos ergò ſimiles confitemur, eoſdem diſsimiles inuenimus. Sed mirabilior eſt conſideratio diſsimilitudinis, quoniam ſimilitudinem iuſtius videtur expoſcere natura communis. Et tamen quoniã quæ ſunt rara, ipſa ſunt mira, multo enim amplius admiramur,quando duos ita ſimiles reperimus, vt in eis diſcernendis aut ſemper, aut frequenter erremus.

Quartum è Phyſica argumentum ſit omnium elementorum, rerumque ex illis compoſitarum concors diſcordia, atque diſcors concordia: *Quis enim*, inquit Athanaſius orat. contra Idola, *cernens contrarias inter ſe naturas, coaptatas tamen eſſe, & concordem inter ſe harmoniam tenere,atque vnum quaſi corpus abſoluere, non ſecum cogitet foris,& ſeorſum eſſe eum ab iſtis, qui ea in hunc modum coniunxerit.* Enimuerò ſi fatemur corporis humani fabricam ſtatim ruituram, ſi ex eo euolet anima, quia quatuor illos humores quatuor elemẽtis reſpondentes ſola regere, & in concordia retinere poteſt: quis ita demens fuerit, qui non fateatur totum hunc mundum tot partibus inter ſe diſsidentibus compoſitum ſtare non poſse, niſi quis illas partes à mutua internecione cohibeat, eaſque ſummo ingenio ad concordiam reducat.

Nunc ad mathematicas tàm puras, quàm impuras, ſeu mixtas deſcendo: inter quas vt primum habet locum Arithmetica, cui pro obiecto quantitas diſcreta, ſeu numerus abſolutè conſideratus,primum etiam ex illa ſumemus argumentum ad probandam Dei exiſtentiam. Vt igitur omnes numeri pendent ab vnitate, cum ex ea, vt ex infinito theſauro, digiti articulique numeri, centenarij, millenarij, cęterique in infinitum emergant: Sic omnes rerum creatarum ſpecies pendent ab vno primo principio, quod eſt Deus: Vnde Mercurius Triſmegiſtus, per vnitatis, & numerorum analogiam, ad veram vnitatem cogitandam, veroſque naturæ numeros nos eleuans; hæc ſcribit in Pimandro cap. 4. Vnitas omnium principium, radix atque origo,abſque vero principio nihil, initium autem eſt non principium, ſed alterius. *Vnitas ergò principium,omnemque continet numerum à nullo contenta, omnemque gignit numerum,nullo genita numero. Quidquid vtique genitum,imperfectum,diuiduum, creſcens, atque decreſcens: ei verò quod perfectum nihil horum accidit, id ſane quod augeſcit, virtute augetur vnitatis, euaneſcit autem imbecillitate propria, cum vlterius vnitatem capere nequeat. Hæc tibi pro viribus imago Dei ſubſcripta ſit, quã ſi diligenter conſideraueris, oculiſque internis pranoueris,crede mihi fili aſſenſum ad excelſa comperies.* Hactenus Mercurius. De quo argumēto vide Petrum Bongum lib. de myſtica numerorum ſignificat. c. 1. de Vnitate.

Poſſe inſuper beneficio Arithmeticæ, eiuſque regularum, recenſere numerum arenæ maris, imo & totius terræ, aliaque huiuſmodi mirabilia præſtare, de quibus preter Merſennium agunt Diophantus, Steuinus, Buteo in logiſtica & Clauius,profectò ſatis oſtēdũt animum noſtrum neſcio cuius infinitudinis eſſe participem, que toti mũdo, cuius partes ſingulas ita diſsecat, & pro libito enumerat,eiuſque ambitum, etiam ſi immenſus apparet, in ſe tam arte complectitur,anteponi debeat, atque adeò animum hominis ab alio, quam à mundo ſuam originem repetere debere: eſseque præter mundum hunc

hunc, inuisibile aliquid, quod nostris corporibus hanc infuderit mentem, quę terræ, quæ cœlis, quæ toti mundo ita dominatur, vt quantus quantus sit, cum etiam veluti punctum sibi animus noster proponere valeat.

Non minus efficacia ex Geometria, quæ habet pro obiecto quantitatem continuam, desumuntur argumenta ad ostendendum Deum esse; vt enim alia omittam de quibus potest videri Nicolaus Cusanus lib. de docta ignorantia, & Mersennius in Genes. cap. 1. dum Geometria docet in circulo lineas omnes circumferentiam tangentes æqualiter à centro distare, circulum principio fineque carere, seque ipso contentum esse, cæteris figuris non indigere, imo omnes comprehendere, atque superare; dum inquam Geometria hæc & similia de circulo docet, numquid in eo tersissimum habemus diuinitatis speculum, à qua tanquam à suo fontali principio, non minus quam lineæ à centro circuli, dependent omnes creaturæ, tam vt sint, & fiant, quàm vt operentur; nō minus, quam circulus cæteras figuras, polygoniamque infinitam, Deus etiam infinitas creaturas, earumque perfectiones comprehendit; sic Mercurius trismegistus dixit Deum esse Sphæram, cuius circumferentia nusquam, & centrum vbique: ea enim ratione qua creaturas in infinitum perfectiores potest producere, vel etiam omnia comprehēdit, omniaque termino carens limitat, rectè dicitur eius circumferentiam nusquam esse; centrum verò vbique, qua eius irradiatio in omnium rerum peripheriam extenditur.

Transeundo modo ad Mathematicas impuras, seu mixtas, Musica, quæ est scientia Arithmeticæ subalternata, respicitque pro obiecto numerum non absolutè consideratum, sed sonorum, suum etiam symbolum confert ad asserendam Dei existentiam; vt enim vnitas est fundamentum Musicæ, nam diapason consonantiarum omnium perfectissimum ab æqualitate suam nobilitatem repetit, in illa si quidem vnisonantia consistit, ęqualitas autem ab vnitate profluit; ita etiam Deus solus principium sine principio, est æqualitas, vel melius vnitas æqualitatis fundamentum, cui creaturarum omnium diapason innititur. Vt insuper organa, panduræ, psalterium, sambuca, tubæ, tympana, testudines, cæteraque id genus instrumenta, iunctæque cum eis hominum voces debitam melodiam, & harmoniã efficere nequeunt, nisi prius à viro musico in concordiam redigantur, qui fides, vel voces, & sonos magis ac magis intendat, atque paulatim remittat, donec omnes inter se consonent: Ita etiam in orbe terrarum, mundique theatro, vbi plurimæ naturę dissonæ sunt, quæ tamen ferè semper in vnum ordinem, ac velut harmonicum concentum rediguntur, vt admirandum illud systema componant, debet dari summus aliquis Musicus, Deus videlicet, qui hæc omnia ad concordiam reducat.

Tandem si nemo est, etiam Atheorũ, qui vbi cytharę deprehendit sonum, vel cantionem aliquam è testitudine resonantem, licet instrumentum minimè videat, non fateatur aliquem cytharædum esse debere, qui sonum illum efficiat, siue digitis, & plectro, siue ponderibus, atque motibus, aut etiam venti, ignis, vel aquæ beneficio, quibus omnibus varia instrumenta parari possunt, quæ etiam in hominum absentia harmonicę resonent; quid obsecro de mirabili mundi systemate tot, & tam excellentes concentus includente, quid de singulis creaturis tam perfectè resonantibus, & ad sonos harmonicos cōpositis dicemus, & concludemus, nisi dari necessario quemdam inuisibilem ordinis adeo concinni, & harmonici authorem, qui quidem mundum videat, nec tamen ab eo intuitiuè videatur, quem nos merito Deum appellamus, quandoquidem nihil ei deesse potest, & omnibus abundè tribuit.

Vt Musica Arithmeticæ, ita Astrologia,

logia, Geographia, & Hydrographia, & Optica Geometriæ ſubalternantur, ſecundum quod quantitatem, Geometriæque principia ad corpora cæleſtia, terram, aquam, & viſum applicant. Incipiendo igitur ab Aſtrologia, quis attentè conſideret cœlorum magnitudinem, qua vſque ad firmamenti concauum 80. milliones milliarium numerantur, motuum pernicitatem, ac diuerſitatem, cæteraque huiuſmodi, quæ tã in cœlis, quàm in aſtris cernuntur, & non ſtatim fateatur tam ingentia, & admiranda corpora fieri non potuiſſe, niſi ab aliquo ſupremo, nobiſque inuiſibili opifice, qui neceſſario eſt Deus. In Geographia ſimiliter, & Hydrographia multa docentur ex quibus neceſſariò ſequitur aliquod agens admittendum eſſe, quod totius naturæ vim longè ſuperet, inter quæ non vltimum obtinet locum, quod terra vt potè omnium elemẽtorum grauiſſima deberet aquis vndequaque ſubijci, iuxta id de antiquo Chao à poëta decantatum *omnia pontus erant*, cum igitur rem alio modo diſpoſitam videamus, ſatiſque conſtet hunc orbem à ſua ſuperficie aquas illas remouere non potuiſſe, neceſſarium fuit, vt quis eas à terra ſegregarit, vt arida fieret, commodamque hominibus habitationem præberet. At nullum viuẽs corporeum huiuſmodi ſeparationem facere potuit, nullum enim erat, cũ totam terram circumdarent aquæ, igitur ad aliquod viuens ſpirituale deueniendum eſt, quod opus tam arduum perfecerit, quod Deum Optimum, Maximum appellamus, vt Iob cap. 38. teſtatur dùm omnipotentem de mari ita loquentem inducit. *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia; Et dixi vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Verum cùm Scripturæ Sacræ valedixerint Athei, fortè ſatius fuerit ex ipſis Paganis teſtimonia depromere, quibus confundantur, ſufficiatque modo vnus pro cæteris Ouidius lib. 1. Metamorph. qui poſtquam de Chao verba fecit, hæc habet,

Sic erat inſtabilis tellus, innabilis vnda
Lucis egens aer, nulli ſui forma manebat,
Obſtabatque alijs aliud; quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis; humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Quæ omnia ſtatim fatetur Deo authore ſuis fuiſse conſtituta locis, & limitibus circumſcripta

Hanc Deus, & melior litem natura diremit
Nam cælo terras, & terris abſcidit vndas.

Vbi Deum meliorem naturam appellat, quod in eo creaturę omnes melius, & præſtantius eſſe, quam in ſeipſis habeant, cum in eo eminenter ſecluſiſque omnibus imperfectionibus cõtineantur. Nunc venio ad Opticam, ex qua facilè quis animaduertet eſse aliquid præter aſpectabilia, quod nos ad ſe rapiat; dum enim, ſi in cœlum vultum erigimus, totum illud ſpatium, quod inter cœlum, & terram intercedit, inoffenſo obtutu perluſtramus, nec enim hebeſcit acies remotiſſimorum ſyderum interuallo. ſi verò horiſontem verſus oculos intendimus, breui terrarum intercapedine abrumpitur, & ſummum Optici aiunt ſi 40. milliaria complectamur; quid aliud ſignificat niſi mundum hũc elementarem non eſse perpetuum hominum domicilium, eoſque non vt terræ, ſed vt immenſæ alicuius patrię incolas creatos fuiſse, adeo vt is, qui genus hominum condidit, deſiderium ardentiſſimum inſeruerit, quo ad melius domicilium aſpicerent, & illuc pro viribus tenderent iuxta id:

Pronaque cum ſpectent animantia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Inſuper quis poteſt intelligere, qua ratione

ratione tam parui oculi, pupilla adeo angusta, non tantum pyramide radiosa videre possit obiecta tam immania, & tam longe dissita, sed etiam de ijs, eorumque magnitudine, distantia, & virtute dijudicare, nisi agens infinitum, & optimum supponamus, qui rei tam paruæ tantam virtutem contulit, vt re vera in vnius oculi fabrica non minus videatur admirabilis, quàm in totius mundi constructione.

At, si quot sunt scientiæ & artes, tot sunt præclara diuinæ existentiæ testimonia, si, inquam, scientię inferiores tot ac tanta nobis exhibent diuinitatis argumenta; quid Theologia tam naturalis, quàm supernaturalis, omnium scientiarum nobilissimæ; ad primam pertinent quinque illa priora argumenta, ex parte motus, ex parte causæ efficientis, ex parte necessarij, ex parte graduum rerum, & tandem ex parte gubernationis earum, de quibus cum iam supra abundè egerimus, superest vt ad argumenta Theologiæ supernaturalis transeamus; Hæc igitur dùm docet dari effectus plurimos supra naturæ cursum, qualis est regressus à priuatione ad habitum, siue per illuminationē cæci, siue per resurrectionem mortui, & sexcenta alia admirabilia à Christo Domino, alijsque Sanctis Viris ad hunc vsque diem edita, omnino violenta cursui ordinario naturæ. Adde scrutationes cogitationum, adde tot prædictiones futurorum, quæ non antè prædici, quàm prænosci potuerunt, adde visiones, & reuelationes de Deo, eius perfectionibus; dum hęc inquam, & similia docet supernaturalis Theologia, numquid existéntiam Dei luce meridiana clariorem iam pene ipsis oculis intuemur.

Cum enim hæc omnia viribus naturæ fieri nequaquam possint; cum, inquam, miracula quæ in morborum curationibus, & huiusmodi rebus fieri solent, nec à proprietatibus occultis herbarum, lapidum, & animalium, nec ab humanæ naturæ proprietatibus siue idiosyncrasia fieri, nec in animam sensitiuam, aut eius phantasmata, atque species, nec in spiritus, & vapores à corpore exhalatos, nec in motrices intelligentias, nec in astra, vllamue aliã causam naturalem referri possint. Cum insuper resurrectio mortuorum non possit in dæmones refundi, nec in Necromantiam, nec in astra, nec in nouos legislatores, nisi fortè isti legislatores à Deo, vt Moyses, & Dominus noster Iesus Christus mitterentur, nec in intelligentias, & eleuationem alicuius animæ super alias, nec in vim herbarum, aut sanguinem refusum, nec in hominis afflatum, nec in reuocationem ab extasi, lethargo, & spasmo, nec in calorem putredine mixtum, aliaque similia: Cum denique scrutationes cogitationum, prædictiones futurorum, apparitiones Angelorum siue etiam dœmonum, & animarum, quas Scriptura Sacra, vel etiam Sancti Patres, & historiæ Ecclesiasticæ Scriptores narrant, reuocari non possint in fabellas vetularum; & pias principum fraudes, vel Sacerdotum technas, in mathematicas scientias, in vapores corporis humani vel alterius, in phantasiam, aut desiderium, in specula, in intelligentias. Cum inqnam, omnia supradicta, ijsque similia opera nusquam viribus naturę tribui possint, prout aduersus Atheos pluribus demonstrat eruditissimus Mersennius in Genes. cap. 1. Superest vt ex illis Deum esse concludamus.



CA-

CAPVT XIV.

Deum esse probatur ex scientijs moralibus, & effectiuis.

CVm præter scientias purè speculatiuas, vel contemplatiuas, quas alij theoreticas, & speculatiuas appellant, dentur adhuc scientiæ practicæ, seu morales; & effectiuæ, quæ alio nomine poëticæ, & artes nuncupantur, postquam superiori capite egimus de primis in ordine ad venandam Dei cognitionem, superest breuiter agere de alijs duabus; vt sic nulla sit scientia, nullusque effectus siue naturalis, siue supernaturalis, siue moralis, siue artificialis, quorum non audiantur voces eorum Deum esse annuntiantium.

Igitur sicut primum totius philosophiæ moralis fundamentum est finis, sic enim se habet in practicis, sicut prima principia in speculatiuis, primum etiam argumentum ex vltimo hominis fine desumemus, ad indagandam, & probandam Dei existentiam; pro cuius intelligentia notandum est, felicitatem, seu finem hominis situm esse in nobilissima operatione, vt demonstrat Aristoteles 19. Moral. cap. 6. Hic autem necesse est, vt sit actus nobilissimæ potentiæ, cuiusmodi sunt in homine intellectus, & voluntas, quarum vtra alteri præstet, licet in controuerso sit, vtramque tamen præstare cæteris in controuerso non est, vnde concludendũ est hominis finem, & felicitatem vt quo sitam esse vel in intellectione, vel in volitione, vel in vtraque. Noto secundò intellectum, & voluntatem tendere per suos actus ad omne ens: intellectũ sub ratione veri, voluntatem sub ratione boni. Ex his duobus principijs apud Sapientes planè certis demonstratio de existentia Dei ita deduci potest.

Felicitas hominis, debet esse realis, & passibilis, sed non esset talis, nisi daretur ens summè verum, & summè bonum. Ergo datur &c. Maior huius argumenti patet, quia finis homini præstitutus à natura est propria felicitas; consecutio autem finis non debet esse impossibilis, nisi velimus dicere naturã hominem frustra produxisse, adeoque nihil aliud esse hominem, quàm vanitatem vanitatum; quod Athei negant, dum fatentur ad hoc hominem in mũdo positum, vt secundum virtutẽ agat, & in omnibus rectæ rationis dictamini se se conformet, amanda diligat, mala oderit, sit in alios beneficus, sit fidelis in promissis, prudens, iustus &c.

Minor probatur, nam felicitas hominis consistit in operatione siue intellectus, siue voluntatis, siue vtriusque, vt patet ex primo supposito, & notando. Sed tales operationes non possunt felicitare, nisi detur ens summè verum, & summè bonum: intellectus enim non potest quiescere in vno, aut pluribus veris finitis: nec voluntas in vno, aut pluribus bonis finitis; non solum quia hæ potentiæ ex se ordinantur ad omne verum; & sic non possunt quiescere, nisi in omni; sed etiam quia, posita assecutione vnius, aut multiplicis veri, aut boni finiti, intellectus, aut voluntas potest vlterius tendere ad assecutionem alterius veri, & boni, quo caret, & sic non quietari.

Nec potest dici vtramque potentiã quiescere in comprehensione omnis veri, aut in fruitione omnis boni distribuendo per singula vera, aut bona creata, & in infinitum creabilia; Siquidem impossibile est intellectum, & voluntatem quietari per tendentiam ad vera, aut bona in infinitum procedentia; nam neque vnquam simul ea apprehenderet, neque successiuè vnquam posset peruenire ad finem, *nullus autem* vt notat Aristoteles 12. Metaph. textu 8. *inciperet agere quicquam, nisi esset perventurus ad finem*. Ergo debet dari verum eminenter continens omne verum, & bonum eminenter continens omne bonum, in quo intellectus, & voluntas hominis conquiescat. Tale verum, & bonum Deus est.

Secun-

Secundò omnis potentia habet suum obiectum adæquatum, in quo quiescit, vt potentia actiua ignis in producendo summo calore, & potentiæ motiuæ in suis centris. Sed voluntas hominis, eiusque amor non quietatur in bono finito, vt satis experientia constat. Ergo signum est manifestum dari bonum infinitum, vt centrum, *in quo*, vt ait D. Dionysius de diuinis nominibus cap.4. *omnia consistunt*.

Tertiò experientia patet visis creaturis tanquàm effectibus inesse homini naturale desiderium cognoscendi creatorem, seu causam primam omniũ; maximeque delectari intellectum cum ad illius cognitionem peruenit, contẽplaturque Deum vt ens incausatum, omnia causans, infinitum, summe bonũ, & pulchrum: præsertim si sit talis intelligens expeditus à prauis affectibus, qui trahunt alio; non est autem verisimile appetitum naturæ tendere ad non ens, & ad chimæram, & intellectum, cuius obiectum est ens, & verum, maximè quiescere in non ente, & falso: datur igitur summum bonum, summũque verum, in quo omne bonum, & verum, se solo humani appetitus quietatiuum. Quare D. August. lib. 1. Confess. cap. 2. *Fecisti*, inquit, *nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Quod idem argumentum alio modo fieri, & proponi potest. Quicumque asserit nihil à natura frustra, & in vanum fieri, Deum esse fateatur necesse est; Sed Athei ipsi fatentur omnia propter aliquem finem à natura fieri, & nihil frustra, igitur Deum esse fateãtur necesse. Maior probatur, quia nisi Deus admittatur natura hominem frustra produxit; Sed Athei negant hominem frustra conditum esse, ergò necessariò debent Deum admittere. Maior huius vltimi argumenti, in qua tota est difficultas probatur, nisi homo dignum amoris sui, & aliarum actionum obiectum habeat, sed obiecto debito careat, frustra est in mundo; sed nullũ obiectum dignum, atque congruum, vel debitum habet siue amoris sui, siue aliarum virtutum, nisi Deus esse supponatur, igitur Deus admittendus est: ita Mersennius loco sępius citato, qui vltimam huius argumenti minorem, in qua sola est difficultas ad longum probat; Maior enim satis patet, cum facultates illæ frustra esse dicantur, quę obiecto carent.

Ad moralem etiam spectat graduum & ordinum differentia, qua videmus aliquos diuites esse, nobiles, & dominos, alios vero inopia premi, ministrare & mechanicas artes exercere, & ex hac efficacissimũ pro Dei existẽtia depromi potest argumentum; dum enim ex paupertate, quam omnes fere mortales ita fugiunt, & odio plusquam Vatiniano prosequuntur, totus orbis omni commodorum genere, & omnibus ornamentis impletur, quidquid enim pulchri, & admirandi cernitur, paupertatis est opus, vt egregiè prosequitur Perseius initio satyr. 1. & Manilius Astronom. 1. quis ex illa, tot tantaque bona pręter naturæ totius authorem elicere potuit.


Quod videamus insuper sępe viros pios affligi, diuersisque tribulationibus concuti, malos verò florere, licet ipsi etiam diuersis calamitatibus impetantus; mirum in modum aduersus Atheos summã alicuius supremi numinis prouidentiam, & existentiam commendat; vt fusius demonstrant Iulius Serenius, Theodoretus de prouident. D. Chrysost. sermone de terræ motu, & sermone 4. de prouidentia patebitque diligenter consideranti causas, ob quas Deus tribulationes bonis immittit, quæ videri possunt apud Mersennium cap. 1. comment. in Genesim.

Tandem si percurram singulas philosophiæ moralis non tam species, quàm partes, tot habebimns clarissima diuinæ existentiæ argumenta; vt enim Oeconomica nullam domum sine patrefamilias, Politica nullam Ciuitatẽ, aut Prouinciam, sine Principe, nullum

regnum, vel imperium sine Rege, aut Imperatore, nullum exercitũ siue duce stare posse docent; quanto magis concludendum est totum istum mundum ex tot dissidentibus partibus compactũ stare non posse sine aliqua causa vniuersali, quæ sit illius gubernatrix? maximè cum totam rerum vniuersitatem ita conseruari, atque perpetuari videamus, vt singula iuxta naturæ exigentiam suo tempore adueniant; vbi sanè tàm admirabilem, tamque constantem dispositionem obseruamus, vt ea nullo modo in casum referri possit, sed necessario in summi numinis prouidentiam refundi debeat, alioquin enim non semper continuari deberent, quæ videmus, quandoquidem illud, quod casu contingit, raro fieri solet.

Quod pertinet ad artes, quas philosophiam effectricem appellamus; quis satis mirabitur Atheorum insipientiã, qui, visa re aliqua artefacta, vt columba Tarentini, quæ in medio aere pendula conquiescebat; Sphæra Archimedis motus cœlestes referente, & cæteris huiusmodi, quæ ad miraculum vsque vnaquęque ars præstat, libentissimè fatentur, & asserunt talia casu minimè facta fuisse, sed ingeniosissimi alicuius, & excellentissimi artificis industria; & tamen visis rebus naturalibus, quæ in infinitum prope sunt artefactis præstantiores, summum artificem, & rerum omnium naturalium, atque supernaturalium, creatorem admittere nolunt.

Sed de his satis, nunc ad alia procedamus argumenta.



CAPVT XV.

Deum esse demonstratur ex consensu totius humani generis.

Atheum tacitis forsan naturæ, scientiarumq; omnium vocibus obsurdescentem, clamore omnium gentium pręmere lubet; clandestinumque mendacium *dicētis in corde suo non est Deus*, totius humani generis testimonio deprehendere; quo argumenti genere plures olim vsi sunt, præcipuè Minutius felix in Octauio; *Quid*, inquit, *quod omnium de isto habeo consensum? Audio vulgus, cùm ad cælum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt: & Deus magnus est: & Deus verus est: & si Deus dederit: vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio? & qui Iouem Principem volunt, falluntur in nomine, sed de vna potestate conueniunt; Audio poetas quoq; vnum patrem diuum, atque hominum prædicantes, & talem esse mortalium mentem, qualem parens omnium Deus induxerit &c.*

Igitur pro intelligentia huius rationis, notandum est non minus potentiã intellectiuam esse ex suis intrinsecis determinatam ad verum, quam sit potentia illa visiua ad luminosum, & coloratum, cum non minus proportionatum sit intellectus obiectum verum, quam sit oculi lux, & color. Vndè sicut ad discernendam lucem à tenebris, album à nigro satis est consulere commune iudicium oculorum; ita ad discernendum verum à falso non oportet, nisi consulere iudicium intellectus, & si ferè omnibus hoc, vel illud constanter appareat verum: pauci aliqui, qui id falsum esse dicant, estimari debent amētes, eo planè modo, quo cęci censerētur ij, qui reclamantibus cæteris negarent meridie lucescere; quare Aristoteles 1. Ethic. cap. 12. legem appellat opinionem multitudinis; & Seneca epist. 118. *multum*, inquit, *dare solemus pra-*

præsumptioni omnium hominum; magnumque est apud nos veritatis argumentum aliquid omnibus videri; quod maximè verum est, quando in illa multitudine, pariterque sentientium pluralitate conueniunt sapientes.

Noto secundò aliud esse quærere vtrum Deus sit, aliud vtrum Vnus sit, aliudque simile, nos hic Dei existentiam præcisè quærimus, non vnitatem, aut aliquod aliud attributum. Dari autem Deum aliquem adeò vnanimi omnium consensu receptum est; vt non tam fuerit mortalium mentibus Dei inserenda cognitio, quam Deorum multiplicitas amputanda. Quare Augustinus serm. 10. de verbis Domini; *Pauci*, inquit, *inueniuntur tantæ impietatis, vt impleatur in ijs, quod scriptum est, dixit stultus in corde suo non est Deus. Insania ista paucorum est. Sicut enim magna pietas paucorum est: ita & magna impietas nihilominus paucorum est*. Vnde eadem ratione, qua ex hoc, quod magna pietas, magnaque vitæ sanctitas sit paucorum, rectè arguitur magnam, perfectamque iustitiam esse supra omnes naturæ vires; ita similiter ex hoc, quod pauci inueniantur tantæ impietatis, qui Deum esse negent, multi verò per oppositum, qui illum existere fateantur, colligendum est veritatem esse certissimam, luminique naturali conformem.

Superest modo referre, quid de Dei existentia non solum rudes, & indocti, sed potissimum sapientes inter Ethnicos vnanimiter tenuerint, sicut enim in qualibet arte statur iudicio peritorũ: ita standum est in scientijs. Vt autem in hoc ordinatè procedamus, recolenda est superius allata lib. 2. sectarum omnium priscorum sapientum diuisio in Ionicam, & Italicam, rursus Ionicæ, in Academicam, Peripateticam, Stoicã, & Epicuream; Vel si altius rem velimus repetere, Sectæ omnes generatim diuiduntur in tres, Barbaricam, Grçcanicam, Italicam, vt ex Laertio in Proœmio, & Lypsio in introductione ad Stoicam Philosophiam loco statim citato notaui. Barbarica comprehendit Chaldæam, Aegyptiam, Gallicam, Græcanica Poëticam, cuius Princeps Orphæus, & Ionicam, cuius Princeps fuit Thales Milesius &c.

Harum igitur, cæterarumque ab illis ortarum sectarum principes, præcipuique sectatores, cum inter se pugnarent in cæteris, in hanc vnam veritatem coniurarunt omnes, Deum aliquem dari, intelligendo nomine Dei primum ens, siue primitate causalitatis, siue excellentiæ. Quorum testimonia, & sententiæ videri possunt apud Augustinũ Eugubinum lib. 1. de perenni Philosophia. Interim sic argumentor, Quotiescumque aliquid omni intellectui, aut ferè omni representatur, vt verum, id vt verum firmissimè habendum est: Sed Deum esse, omni intellectui, aut ferè omni prçstantissimorum etiam Philosophorum repræsentatur vt verũ. Ergò vt verum firmissimè habendum est. Maior patet tum ex primo supposito, tum etiam ex hoc quod si verũ non esset Deum esse, non solum id esset falsum, sed etiam penitus impossibile, & contradictionem implicans. Cum enim in diuinis idem sit esse actu, & posse esse: non esse actu, & esse impossibile, vt Aristoteles, & omnes Philosophi docent; Si Deus iam non est: prorsus impossibile est, contradictionẽque inuoluit, ipsum aliquando existere. At quomodo fieri potest, id quod non solum est falsum, sed penitus impossibile, ita omnibus gentibus maximeque inter illas sapientibus esse persuasum, & vt verum repræsentatum.

Minor probatur ex secundo supposito, quo ad sapientes, quibus insuper addo omnium gentium tam barbararũ, quàm litteris cultarum consensum, quç omnibus sæculis, quantum ex historijs constare potest, tenuerunt esse aliquod numen, quod res humanas cognoscat, & gubernet, quod nostri curam gerat; ad quod in periculis, & afflictionibus sit confugiendum, à quo præmia pro rectè

rectè factis, & supplicia pro sceleribus sint expectanda. Cuius rei manifestum signum, & argumentum est, quod omnes habuerint sua sacra, suas cærimonias, sua templa, suos sacerdotes ad cultum numinis institutos. Quid enim religionis sensus ita cunctis quamuis barbaris, & efferatis gentibus innatus, & in animo quasi insculptus aliud probat, quàm Dei, supremique alicuius numinis existentiam *Si non sunt Dÿ*, inquit Sextus Emphyricus lib. 8. aduersus Mathemat. *nec religio, quæ est scientia cultus Deorum: eorum enim quę non sunt, cultus esse nequit; est autem religio, ergò sunt Dÿ*; Nihil dici poterat sapiẽtius, si de Deo dixisset, non de Dijs.

Ad hoc etiam pertinet, quod omnes gentes in repentinis periculis naturæ quodam instinctu, absque deliberatione ad Deum recurrant, eiusque opem implorent: *O Deus succurre, ò Deus adiuua me, ò Deus miserere &c.* Rursus quod Deum dicant omnia scire, omnia posse: eius fauorem deprecentur amicis, vindictam imprecentur inimicis, vt doctè prosequitur Tertullianus libello de anima testimonio, & Nemesius cap. 44. de homine.

In hoc autem totius generis humani consensu de primi entis existentia, plura sunt consideranda, quæ vim huius argumenti mirum in modum confirmant, primum est vniformitas, quod cum in cæteris tanta sit non solum inter sapientes, sed etiam inter rudes opinionum dissensio, in hāc tamen veritatem coniurarunt omnes, Deum aliquem dari; omnimodæ enim vniformatis talis consensus apud tot gentes, apud sectas planè omnes, quas Varro distribuit minutius in centum octoginta, tam mira, inquam, in hoc vno consensio ab alio oriri non potest, nisi quia vis tàm perspicuæ veritatis, vel à dissidentibus consensum extorquet.

Secundum est vnanimis huius consensus antiquitas, quod cum ante Protagoram, qui vixit tẽporibus Socratis, nulla fuerit Atheismi vel vmbra, vt testantur Tullius, & Lactantius; contra verò Dei cognitio quando cæperit nulla memoria; quod argumento est vna cum mundo incepisse. Antiquissimus Historicorũ inter prophanos Herodotus historiam orditur ab oraculis Deorum. Antiquissimi Poetarum Musæus, & Orpheus de Deo cecinere. Antiquissimi Philosophorum Zoroaster, & Mercurius, Chaldeę, & Aegyptię sectę principes de Deo philosophati sunt tanquā de re notissima, ac pridem recepta. Hoc argumento, vtitur Simplicius in cap. 38. Enchiridionis. *Vbi omnes*, inquit, *homines tàm Barbari, quàm Graci tum infinito superiori tempore, tum nunc alÿ alÿs rationibus Deum esse censent*. Tullius vero lib. 2. de nat. Deum, *hoc*, inquit, (Deum esse) *nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis: nec vsu cum sæculis, ætatibusque hominum inueterare potuisset*.

Tertium est firmitas, & certitudo, qua apud omnes etiam Barbaros viguit hic consensus sine hæsitatione, quodque mirabilius est sine magistro. Ita fatetur Iulianus apud Cyrillum lib. 2. cap. 4. *Cognitionem Dei rem esse, quæ doceri nequeat, sed per se discatur ab hominibus. Omnes enim absque doctore Deitatem quamdam credimus*.

Quartum tandem, & vltimum est causa tantę vniuersalitatis, & stabilitatis in hoc consensu, nam quod semper, aut frequenter, vt sæpius monui, non est à casu. Ergò à causa per se. Sed falsitas non potest esse causa per se assensus in intellectu, hic enim ex sua natura assentitur verò, non falso. Ergò quod est causa per se talis assensus est veritas. Nec potest responderi trahi intellectum ab inclinatione, & prauo affectu voluntatis ad malum; vt accidit in Turcis propensis ad sectam Mahometicam propter licentiam veneris, aliarumque rerum carni, & sanguini fauẽtium. Nam primò voluntas prauè inclinans ad propriam excellentiam potius

tius inclinat ad credendum, quod nihil sit supra hominem, quam quod sit: At dum statuit sibi Deum, statuit aliquod eccellentissimum supra se, à quo distet in infinitum: quod est contra inclinationem voluntatis ad eccellentiam propriam: Secundò voluntas propensa ad libere agendum, dum statuit sibi iudicem omnium operum, & cogitationum; hoc ipso connotat sibi limites suæ libertatis, quod etiam est contra propriam inclinationem. Non igitur consensus adeò vniuersalis, & stabilis in existentiam Dei potest oriri ex inclinatione voluntatis, vt probatum est, superest ergò vt oriatur ex inclinatione intellectus ad verum; & sic quod causa tam vniformis, tam vniuersalis, tamque stabilis, & firmi consensus sit veritas. Contra verò in paucis ijs, qui Deum negant, & adhuc dubitanter, vt cap. 2. huius sect. de Protagora dictum est, cumque suæ opinionis erubescentia, vt dicemus infra, facilè apparet causam illius non esse veritatem, sed inclinationem voluntatis ad malum. Atheismi enim finis est securitas male agendi iuxta illud Prophetæ Psal. 73. & 51. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus; corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs;* quare modernus ille Atheus apud Zachariam Bouerium tom. 1. demonstr. 1. artic. 2. *Ede, lude, bibe, iam Deus figmentum est.*

En ergò, quomodo omnes gentes, omnes ætates, omnes religiones, omnes sacrorum ritus, omnes sacerdotes, omnes prophetę, omnis magorum disciplina, omnes omnium gentium, non solum post Christum, sed etiam ante illustriores Philosophi, denique natura ipsa rerum, quæ hunc sensum humano generi insculpsit, firmissimum perhibent testimonium veritati diuinæ existentiæ. Etsi enim non omnes conueniant, sit ne illud numen vnum an plura, corporeum an incorporeum, finitum an infinitum; omnes tamen sentiunt esse aliquod numen, idque esse colendum, vt etiam Cicero testatur lib. 1. de legibus, cum ait: *De hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non etiam si ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Et Plutarchus lib. contra Colotem cap. 18. egregiè dixit *peregrinantibus multas occurrere sine manibus vrbes, nusquam tamen extare vrbē, aut oppidum, quibus nullus sit Deus, nulla iuramenta, nullæ præces, nulla sacrificia, talem vrbem à nemine vnquam visam, nec videri posse, potiusque conspiciendam sine sole vrbem, quam sine Deo, ac religione.*

Vndè si ad omnimodam certitudinem veritatis primorum principiorum sufficit vnanimis hominum consensus, si quidem aliter probari non possunt, quam ex terminis, termini autem probari non possunt, nisi ex communi cōceptu omnium ita apprehendentium terminos; & hoc satis est ad dicendum insanijsse Heraclitū, & paucos alios negantes prima principia; ad omnimodā etiam certitudinem diuinæ existentiæ, collocandosque eam negantes inter insanos, sufficit totius orbis, & omnium sęculorum de illa iudicium. Quare vbi legimus Psal. 13. *dixit insipiens*; vertit Augustinus serm. 10. de verbis Domini, *Dixit stultus in corde suo non est Deus, & insania ista paucorum est.* Præclarissimeque hinc argumentum ducens Chrysostomus in Psalmum citatum, *quomodo*, inquit, *omnis lingua Deum nominat? falluntur ergò omnes hominum myriades, quæ Deum esse dicunt: & solus insipiens reputat verum dicere, qui solus ita mentitur. Quicumque quidem vel septem testimonia vult in testamentis euertere, per consensum reprobatur, & eijcitur: publicam autem mundi linguam solus insipiens vult euertere.*

CA-

CAPVT XVI.

Deum esse probatur tàm ex commodis, quæ stabilita semel Dei existentia consequuntur, quàm ex absurdis, & incommodis, quę suam ab Atheismo originem ducunt.

INter argumenta ad veritatem diuinæ existentiæ demonstrandam efficacia, non inferiorem habet locum illud, quod conflari solet tàm ex commodis ad Dei affirmationem, quàm ex absurdis, & incommodis ad illius negationem consequentibus, quæ latè prosequitur Mersennius in Genes. cap. 1. ratione 32. & Lessius lib. 1. de prouidentia numinis ratione duodecima.

Commoda quæ sequuntur dum admittitur Deus, sunt vera pietas, perfectaque virtutum omnium cultura, atque adeò cum illis necessariò connexa rerum publicarum, & regnorum tranquilla gubernatio aliaque sexcenta illis similia; quid dicam de summa animi delectatione, qua mens humana semel conscia sensus diuini intra se latentis recreatur, tantoque thesauro diues, quidquid delitiarum est, quidquid honoris, aut voluptatis sensu titillat, aspernatur. O quale hominis gaudium, vbi credit opera sua præmium immensum acceptura, cum Deo grata esse credit, qui nihil virtute præditum sine pręmio relinquit; qualis consolatio, dum in aduersis, dum in morbis Deum esse credit, qui sibi adsit, sibique laurum, & coronam offerat, si ea patienter sustinuerit. O quantum bonum, quod Deum habeamus, qui nos, statim atque volumus aliquid turpe committere, secretò, atque benignè arguat, nobisq; ruinam è scelere futuram ostendat, vt à vitio reuocemur; qui, vbi malè fecerimus, nos ad pœnitentiam hortetur, & expectet, nobisque pœnitentibus libentissime veniam indulgeat. Ob quas & similes causas Deum fateri, atque credere tantùm refert, vt licet illius existentia foret incerta, nec Deum esse rationes vllæ suaderent, singuli tamen nullum non lapidem mouere deberent, vt sibi ipsis Deum esse persuaderent, ex quo tot sequuntur bona, & commoda; vbi per oppositum si semel creditur nō esse, omnia inde vitia, omnia scelerum genera sublato Dei metu oriri quotidiana comprobatur experientia modernorum Atheistarum, qui sub politicorum nomine, vt suis commodis seruiant, nullo se scelere non ingurgitant.

Igitur quam melior, & commodior summi alicuius boni affirmatio illius priuatione, seu negatione, tam prudentius ille, qui Deum esse credit, & asserit, non credenti præferendus est; ille enim, qui Deum esse ait, bonum aliquod infinitum affirmat, ex cuius credulitate non solùm nullum imminet periculum, sed potius infinita oriuntur bona; qui verò Deum negat, nihil asserit; quid autem quęso ex priuatione, quid ex negatione, quid ex nihilo potest vtilitatis decerpi. Sed iterum sequenti discursu Atheos vrgeo, vel est Deus, vel non est Deus, si sit & negetur, ò quanta ex tali negatione, & incredulitate Atheum manent pericula; vbi per oppositum, si per impossibile non esset, & tamen esse crederetur, & affirmaretur, nullum ex tali credulitate periculum nullumque timendum est incommodum, quin potius innunera sunt expectanda bona. Age igitur Athee, illam nullius Dei, vndequaque vanam, & præposteram cogitationem excute; elige certum, & verissimum, elige optimum; & incertum, falsissimum, atque pessimum relinque, nec enim vllus vnquam te excusatum habebit, quod deteriora secutus fueris, sic enim aduersus vtilitatem tuam, aduersus ipsam naturam dimicas; at nemo te arguet; quod fueris meliora complexus, quod iucundius, & vtilius elegeris, quale est Deum credere; qui tametsi per impossibile nullus esset, nihil inde incommodi sequatur, quod eum credideris;

dideris; saltem enim ea durante cogitatione tuus animus recreatus fuerit, ac vitam iucundè traduxeris, nec te pœnitebit vnquam de huiusmodi credulitate.

Sed vt hanc rationem ad philosophicam speculationē reducamus, meliusque videamus, quot & quanta ex falsa Atheismi persuasione sequantur absurda, supponendum est primò falsum, esse malum intellectus. Sicut enim bonum voluntatis secundum gradum rationalem est bonum honestum; ita bonum intellectus, ad quod appetitu scilicet, & inclinatione naturali fertur, est verum; quare malum voluntati rationali improportionatum est inhonestum, sicut malum intellectui dissentaneum, est falsum. Suppono secundò intellectum, & voluntatem esse potentias per se connexas, mutuamque inter se sympathiam habere; ita vt bonum vnius sit etiam per se connexum cum bono alterius. Ex quo sequitur vlterius, vt malum vnius non possit esse per se connexum cum bono alterius, neque vice versa bonum vnius cum malo alterius. Vt igitur inuestigemus vtrum ex his propositionibus vera sit hæc, *Deus est*, an hęc *Deus non est*, videndum quæ ex his sit per se connexa cum bono voluntatis, quæ cum malo. Illa enim, quæ erit per se connexa cum bono voluntatis, erit etiam bonum intellectus, & sic vera: quæ autem per se cum malo voluntatis, erit etiam malum intellectus, & sic falsa: Suppono tertio ex dictis cap. 2. huius sectionis Atheismum tùm effectum, tùm radicem esse omnium vitiorum in voluntate. Contra verò assensus in hanc propositionem Deus est, est principiū per se dirigens voluntatem ad bonum honestum, & radix omnis bonitatis moralis, vt sæpius iam monuimus, præclareque docet Plato de legibus lib. 10. *Qui Deos*, inquit, *esse putat*, *nec facit quicquam spontè impiè*, *nec loquitur*.

Ex his suppositis existentia Dei demonstratur per deductionem ad sequētia absurda.

Primum est. Si Deus non esset, per se bonum in intellectu esset causa per se mali in voluntate.

Secundum est. Si Deus non esset per se malum in intellectu esset causa per se boni in voluntate. Siue quod idem est sequeretur, veram, & summā sapientiam extinguere omnem virtutem, & homines efficere pessimos: summum verò errorem, & amentiam excitare ad omnem virtutem, & homines efficere pijssimos.

Tertium est. Si Deus non esset, per se malum in voluntate esset causa per se boni in intellectu.

Primi absurdi sequela probatur; quia hæc propositio, *Deus non est*, est causa per se mali in voluntate, cum ex tertio supposito fructus illius doctrinę, & persuasionis, sit omnium scelerum turpitudo, & abominabilis enormitas. Sed hæc si esset vera, esset per se bonū intellectus, vt patet ex secundo supposito, sicut enim, si est aliquod numen, prima, & suprema veritas est *esse Deum, qui mundum regat*; ita si nullum est numen prima, & suprema veritas erit, *nullum esse Deum qui mundum regat*; erit enim veritas de eo, quod apprehēditur ab omnibus esse supremum, ac primum omnium principium: Ergò per se bonum in intellectu, prima scilicet & summa veritas, esset causa per se mali in voluntate, omnium scilicet vitiorum. Confirmatur quia non potest esse causa per accidens, *neque eius quod est semper, neque eius quod est frequenter*, 2. Physic. cap. 48. Sed cum Atheismo in intellectu, vt ex vtraque historia tàm prophana, quàm sacra constat, videmus semper, aut frequenter coniunctam maximam malitiam in voluntate. Ergò Atheismus non potest esse causa per accidens talis malitiæ. Ergò causa per se. Ergò si esset vera hæc propositio, *Deus non est*, sequeretur primum absurdum, quod scilicet verum, quod est per se proprium intellectus bonum, esset causa per se mali in voluntate, siue quod idem est, quod vera, & summa sapien-

ſapientia extingueret omnem virtutem & homines efficeret peſſimos.

Secundi abſurdi ſequela probatur; quia ſi hæc, *Deus eſt*, falſa eſſet, eſſet per ſe mala intellectus; cum ex primo ſuppoſito malum per ſe intellectus ſit falſitas; & tamen eſſet per ſe cauſa boni in voluntate; cum ſit principium dirigens voluntatem ad omne bonum morale; Ergò per ſe malum intellectus eſſet cauſa per ſe boni in voluntate: ſiue quod idem eſt, ſummus error, & amentia excitaret ad omnem virtutem, & homines efficeret optimos; id quod eſt impoſſibile, meraque chimæra, eſſet cauſa omnis religionis, pietatis, iuſtitiæ, temperantiæ, modeſtiæ, benignitatis, patientiæ denique omnis virtutis, & honeſtatis: pacis inſuper & tranquillitatis in republica, & omnis boni in genere humano. Perſuaſio enim numinis, eiuſque amor, & timor, hæc omnia bona pariunt: & quo illa maiora, & vehementiora fuerint, eo maiora bona ex illis in animis hominum, & ſtatu politico oriuntur. Vndè nunquam extitit Reſpublica bene inſtituta, in qua religio, & perſuaſio prouidentiæ numinis non viguerit: & priuatim quo quiſque fuit erga numen reuerentior, & religioſior, & probitate, & vitæ innocentia fuit illuſtrior.

Nec poteſt reſponderi falſam perſuaſionem in religionibus ſæpe maximam vim habere ad hominum animos à ſceleribus abſterrendos, & ad probitatem, ac iuſtitiam impellendos. Ethnici enim qui plures Deos pro multitudine, & diuerſitate rerum humanarum ſtatuebant, eorumque prouidentia res humanas geri, & mortalibus præmia vel ſupplicia pro meritis decerni putabant (quæ tamen omnia falſa erant, & impoſſibilia) nihilominus ex hac animi conceptione abſtinebant à multis iniurijs, & ſceleribus, quibus illa numina credebant offendi, ne in illorum iram incurrerent, & pænas ſiue in hac vita, ſiue in futura darent.

Hæc inquam, reſponſio non valet, etſi enim perſuaſio Ethnicorum fuerit quidem falſa in particulari (quatenus ſentiebant hos vel illos eſſe numina, & curare res humanas) nõ tamen in genere quatenus ſentiebant eſſe aliquod numen, cui res humanæ ſint curæ, quodque factorum exigat rationem. Vnde quando vel metu numinis offendendi, vel affectu placendi abſtinebant à malo, vel faciebant aliquid boni, impellebantur non vi perſuaſionis, qua falſa erat de tali numine, ſed quà vera in genere. Solùm enim errabant in re ſubiecta, tribuentes rationem numinis, & prouidentiæ illis, quibus minimè oportebat, eumque in illis venerantes. Itaque non auferebant ipſam rationem formalem numinis, & prouidentiæ, ſed eam ſtatuebant: ac proinde retinebant aliquo modo iuſtitiæ politicæ verum fundamentum. At verò ſi nullum eſt numen, nulla prouidentia, ipſum fundamentum in genere penitus eſt falſum & fictitium; ac proindè fieri non poteſt vt aliquam vim habeat ad vitæ probitatem; aut ſi aliquam vim habet, vt experientia conſtat habere maximam, perſpicuum eſt non eſſe rem fictitiam, ſed veriſſimam.

Tertij tandem abſurdi ſequela probatur, quia malitia, & corruptio voluntatis eſt cauſa atheiſmi, ſi quidem illos videmus tandem decidere in talem impietatem, *qui ſe tradiderunt impudicitiæ, & repellentes bonam conſcientiam, vt ait D. Paulus ad Epheſ. 4. circa fidem naufragauerunt*. Et tamen ſi hæc *Deus non eſt*, eſſet vera, eſſet per ſe bonum intellectus. Ergò per ſe malum voluntatis eſſet cauſa per ſe boni in intellectu. Quæ cum omnia, & ſimilia ſint ex terminis ipſis abſurda, ab omni ſpecie veri aliena, rationis luci aduerſa, & dictu horrenda, nemo etiam non videt, illud quoque principium, quod fons eſt ſcatebrarum, oportere à veritate eſſe alieniſſimum.

CA-

CAPVT XVII.

Veritati diuinæ existentiæ testimonium perhibent Atheorum silentium, & perplexitas, infelixque tàm illorum, quàm blasphemorum, sacrilegorum, & periurorum exitus.

TAnta est diuinæ existentiæ veritas, vt testimonium etiam extorqueat ab hostibus, Atheiq; Deum fateantur, dum negant. Ita primum colligitur ex illorum silentio, quodq; suam de hoc opinionem fateri erubescunt; vt experientia constat, ideoque vt notat Diuus Augustinus in Ps. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; *quia*, inquit, *nemo hoc audet dicere, etiam si ausus sit cogitare*. Vt igitur ex erubescentia hominum circa quædam inhonesta, quæ student occultare, manifestè constat talium rerum difformitas ad rationem naturalem: ita ex silentio, & erubescentia Atheorum tàm apparet diuinæ existētiæ veritas, quàm difformitas Atheismi ad lumen naturale, & rationis. Cum enim adhuc reperiantur multi adeò profligatæ, perditæque conscientiæ, vt suos etiam errores iactitent,& in sua glorientur malitia; certè dùm Atheismum qui iactet, reperitur nemo, satis indè apparet, quam id sit extremæ falsitatis, & impudentiæ, quod postremum pudet etiam impudentes.

Ad hoc secundò pertinet Atheorum perplexitas, etsi enim nolint Deum credere, & quidquid possunt efficiant, vt hanc è mente sua cogitationem expellant, ac prorsus extinguant; non alia ratione, nisi vt liberius genio indulgeant, licentius viuant,laxentque fræna iniquitati: dum nullum timent scelerum inspectorem, eoque minus vindicem & vltorem; vndè Deum negant, quia nolunt: quia metuunt: etsi, inquam, ita res se habeat; nihilominus Atheorū conscientiam appello, nunquid verissimum sit illud, quod volentes nolentes saltem in magnis periculis, in morte præsertim, violentissimos patiantur synderesis motus, quibus ad Deum cogitandum, & admittendum vrgentur; non alia profectò ratione, nisi quia hęc veritas ita est à natura omnium mentibus insita, vt natiuam illius persuasionem corrumpere non possit vita tametsi Atheorum profligatissima.

Tertiò tandem infelix Atheorum exitus, grauissimaque supplicia, quibus tàm ipsos,quàm cæteros blasphemos, & sacrilegos fuisse punitos sacra & prophana testatur historia, satis ostendunt Deum esse, supremumque aliquod numen, quod illorum iniuriam sentiat. Quamuis enim præcipua peccatorum vindicta reseruetur in sæculo futuro, quandò fiet omnibus iusta meritorum compensatio; nonnulla tamen illius exempla in hoc sæculo interdùm edere voluit Deus; vt homines intelligerent, Deum esse, eumq; nō dormire, sed excubare in rebus humanis, & omnia aduertere. Nos aliquot illustriora ex profanis scriptoribus in medium adducemus.

Primum sit Acrotheotorum, seu Thoëum, quos omnes terra dehiscēte voratos fuisse narrat ex Theophrasto Porphyrius lib. 2. de Abst. Secundum Bionis, qui cum Deos nihil esse dixisset tabe consumptus palinodiam coactus est flendo canere, ex Laertio lib. 4. Tertio Lucianus Deorum irrisor à canibus discerptus est, ex Suida in Lexico. Quartò Euripidem, quem ferunt in Atheismum prolapsum, terræ hiatus absorbuit, ex Eusebio lib. 14. de præparat. Euangel. cap. 6. Quintò Plinius, quem inter Atheos adnumerant aliqui, Vesuuiano incendio perijt,iam tum Atheis supplicium irrogante flamma. Sextò Anastasius Imperator, cum incidisset in Atheismum, post terribilia præsagia quemdam vidit his eum verbis alloquentē.

Ecce, Imperator, ob peruersitatem fidei tuæ quattuordecim annos deleo vita tua. Tandem Simplicius in cap. 38. Enchirid. cũ retulisset Thoes ob atheismum terrę voragine absumptos, eumdem finem miserrimum testatur omnibus Atheis euenisse; *Si quis fortè vnus, aut alter ab omni æuo talis fuisse perhibetur.* Sufficiant hæc pauca exẽpla ex innumeris quę proferri possent; nulla enim est natio, nulla prouincia, nullum oppidulum, vbi Atheismus, cæteraque in Deum blasphemiæ, non fuerint à numine sæpius vindicata; adeò vt hic metus vbique gentium plerumque homines ab illis flagitijs deterreat.

Nec mirum alicui videri debet, quod non solum vnius veri, summiq; numinis, sed etiam falsorum numinũ contemptores, & sacrilegos legamus diuinitus fuisse punitos; cum enim in suorum numinum sacris peccarent vel contra conscientiam, qua credebant ipsis aliquid diuinitatis inesse, vel potius generali numinis; mirum non est, si pænam subindè senserint. Similiter dictis non obstat, quod inter Atheos; & blasphemos plures sint, qui in hac vita non puniuntur. Id enim non est signum defectus Dei existentiæ, vel prouidentiæ, sed tantum dilationis pœnæ. Ad prouidentiam pertinet non hic omnia punire, sed sinere res agi suis motibus, præcipuè vindicta in futurum dilata: alioquin & genus humanum breui exhaustum foret, & virtutis officia seruiliter coacta, non libera, non ex ingenuo in bonum virtutis affectu profecta viderentur. Satis existentia Deique prouidẽtia se prodit, dum subindè miris, & insolitis modis in hoc sæculo peccatoribus pœnas irrogat, idque in media hominum luce, omnibus animaduertentibus, ac diuinæ potentiæ manum ea in re cognoscentibus.

Hæc sunt præcipua tàm apodicticè, & demõstratiuè, quàm moraliter probatiua diuinitatis argumenta, quibus qui non cedit, *nimis profectò hebes est, & stolidus*, vt ait Gregor. Nazianzenus orat. 2 de Theolog. Ideo enim *in Sole posuit tabernaculum suum*, vt non possit rationis capax negare Deum esse, nisi qui oculatus solem esse inficiatur. Vnde Tullius lib. 2. de natura Deorum, de Dei existentia loquens, *de hoc*, inquit, *qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, Sol sit, an nullus sit, dubitare possit.* Vel vt dicit Plato dialogo 10. de legibus loquens de Atheo; *Quibus si nihil melius, quam nos dicere potest nobis credat: & ita in posterum viuat, vt de dijs non ambigat.* Quo certè nihil dici poterat sapientius, si de Deo dixisset, non de Dijs. Ad hoc enim vt supradicta argumenta sint aduersus Atheos efficaciter probatiua diuinæ existentiæ, sufficit vt omnia illa saltem collectiuè sumpta præualeant omnibus Atheorum obiectionibus in contrariũ; quod quantum sit verum facilè constabit diligenter examinanti, & conferenti omnia, quæ huc vsque diximus, cum ijs quæ Athei solent obijcere.

CAPVT XVIII.

De Atheorum obiectionibus.

QVod spectat ad Atheorum obiectiones, quibus nullum esse Deum insinuare, atque probare conantur, cùm tàm exactè reperiantur solutæ à Patre Mersennio loco sæpius citato Comment. in Genesim, vt nihil superesse videatur, quod impiam illorom causam iuuet, & aliundè non tàm pugnent directè contra Dei existentiam, quàm contra aliquorum Dei attributorum, vel operum explicationem, de quibus iam non est sermo, longiori illorum discussioni, vel responsioni libenter supersedeo; solumque Atheos moneo ex D. Augustino de nat. & grat. cap. 25. *procli-*

uiores

uiores nos esse quærere potius, quid contra ea respondeamus, quæ nostro obijciuntur errori, quam attendere, quæ salubria, vt careamus errore; Quodque sicut multa concedunt, quæ non vident, quorumque essentiam, & proprietates penitus ignorant; ita etiam si in omnibus, rerum diuinarum exacta ab homunculis humi repentibus ratio reddi non possit, non tamen inde sequitur negandam esse statim Dei existentiam, nam vt passim animaduertūt Patres, circa Deum versamur scientia, & ignorantia, scientia quod sit; ignoratione quid sit. Ita enim spectandam se exhibet existentia in huius veritatis theatro, ac veluti in Orchestra creaturarum; vt tamen lateat essentia intra proscænium: quo nomine Deus tàm à SS. Patribus, quàm à Sapientibus inter Etnicos passim dicitur *notus*, *& ignotus*. Hinc scitum illud Simonidis, à quo, vt refert Tullius lib. 1. de nat. Deor. *cum quæsiuisset hoc idem* (quid esset Deus) *Tyrannus Hiero, deliberandi vnum sibi diem postulauit. Cum idem ex eo postridiè quæreret, biduum petijt, & cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiratusque Hiero quæreret, cur ita faceret; quia quanto,* inquit, *diutius considero; tanto mihi res videtur obscurior.*

Vtinam hæc intelligerent Athei, & saperent, non ita ex rerum diuinarum ignorantia quo ad earum essentiam, & sensum, paralogisarent ad negandam Dei existentiam, quam ex omnibus creaturis facilius est deprehendere, quàm substantiam ope accidentium, quàm animam ex quibuslibet animalis actionibus, quam magnetis virtutem ex ferri attractione, & ad polum conuersione, quàm denique quodlibet occultum ex ijs, quæ mundo continentur, licet multa sint aperta ex quibus occultum illud conijciamus, & assequamur. Sic inter præcipuas Atheismi causas non vltimum habet locum summa animi elatio, qua Athei omnia Dei consilia penetrare volentes, & non valentes, satius ducunt Deum absolutè negare, quàm suam ignorantiam, propriamq; mentis humanæ infirmitatem humiliter agnoscere; huiuscemodi Atheos Dauid Psal. 72. increpat, *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso: ecce enim ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias*. Nec non D. Augustinus quamuis ad aliud propositam in libro de dono perseuerantiæ capit. 14. dum ait *Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus inuenire? nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est*.

CAPVT XIX.

Vtrum Deum esse sit per se notum.

Etsi tàm ista, quàm sequentes omnes quæstiones non sint absolutè necessariæ ad asserendam, vel stabiliendam contra Atheos diuinæ existentiæ veritatem, nihilominus tamen, quia ad illam etiam conducunt, nec non ad completam huius materiæ tractationem, placuit in præsenti illas excitare; primumque examinare an hæc propositio *Deus est*, sit per se nota; 2. Vtrum de existentia Dei dari possit ignorantia inuincibilis; 3. Vtrum Deum esse sit primum cognitum.

Igitur quod pertinet ad primam quæstionem; quia probationum genus, quod ex antecedentibus, & prioribus ducitur, ita in propositionem per se notam tàm secundum se, quàm quo ad nos cadere non potest; vt tamen illud admittat, quod ex effectis, & ijs, quæ posteriora sunt, atque etiam ijs ex incommodis, & absurdis, quæ in contradicentium parte altera cernuntur; ideo etiam aliqui Theologi existimant hanc propositionem *Deus est*, ita esse à posteriori demonstra-

ſtrabilem per creaturas, tanquam per veros Dei effectus, vt adhuc ſit propoſitio per ſe nota, ex ſola terminorũ explicatione nobis innoteſcens. Cur autem propoſitio per ſe nota excludat medium à priori, non excludat à poſteriori, ratio eſt in promptu; quia hoc ipſo, quod habet medium à priori; iam prædicatum non immediatè ineſt ſubiecto: & ſic non erit nota per ſe, ſed per aliud intrinſecè intermedium inter prædicatum, & ſubiectum. Contra verò medium à poſteriori non importat cauſam intrinſecã, & in eſſendo; ſed extrinſecam, & in cognoſcendo, & ſic non impedit immediatam connexionem prædicati cũ ſubiecto: Non enim eſt cauſa, vt prędicatum inſit, ſed vt cognoſcatur ineſſe; medium verò à priori eſt ratio, cur prædicatum & cognoſcatur, & inſit.

Pro intelligentia, & reſolutione huius difficultatis repetenda ſunt aliqua ex Logicis, & Philoſophis circa naturam propoſitionis per ſe notæ, & primò ſupponendum tanquam certum dari aliquas veritates indemonſtrabiles & per ſe notas; vndè poſtea Scholaſtici deriuarunt nomen propoſitionis per ſe notæ; Quod quidem minus propriè dicitur, nam cum propoſitio mentalis, idem ſit ac cognitio obiecti complexi; non dicitur notitia per ſe nota, ſed obiectum cognitionis, ſeu veritas obiectiua. Ab hac tamen transfuſus eſt hic dicendi modus in ipſam propoſitionem, quæ per ſe nota dicitur, cum circa veritatem verſatur per ſe notam; eadem enim ratione qua plerumque actus potentiarum ſuis applicantur obiectis, ita, & rationes obiectorum ſuis etiã actibus.

Animaduertendum eſt ſecundò, *per ſe*, poſſe accipi dupliciter; primò, vt contradiſtinguitur à per accidens; ſecundò vt contradiſtinguitur à per aliud; hic accipitur ſecundo modo; ita vt propoſitio, vel melius veritas per ſe nota opponatur propoſitioni, & veritati notæ per aliud. Cognoſci verò per aliud, adhuc contingit dupliciter; vel vt dicit medium ex parte ſubiecti cognoſcentis, vel vt dicit ex parte rei cognitæ; non ſumitur hic primo modo, nam quælibet veritas cognoſcitur per medium ex parte cognoſcentis; cum inter illam, & principium, ſeu ſubiectum cognoſcẽs ſemper intercedat ſaltem ipſa cognitio tanquam medium, & ſic nulla veritas in hoc ſenſu eſſet nota per ſe: quia quælibet eſſet per aliud, ſcilicet cognitionem nota. Quare hic vſurpatur, per aliud, ſecundo modo, ita vt veritas per ſe nota excludat mediũ ex parte obiecti, ſeu rei cognitæ.

Sed rurſus ex parte illius medium poteſt ſumi dupliciter: primò pro quocumque medio; ſecundò pro medio tantum extraneo. Non accipitur hic primo modo; omnis enim propoſitio, ſeu veritas per ſe nota innoteſcit media notitia terminorum, ſcilicet prædicati, & ſubiecti; quoniam ipſa prima principia in tantum cognoſcimus, in quantum aliqua prioritate terminos prius cognoſcimus. Excludit igitur propoſitio per ſe nota tantũ medium extraneum; ita vt per ſe nota dicatur illa, quæ ex terminis proprijs eſt nota; ſeu cum præcisè ex ipſa incomplexa veritate terminorum collatorum ad inuicem veluti ex quodam virtuali diſcurſu, poteſt determinari intellectus, & veluti concludere, quod inter illas res ſit certa cõnexio, ſi propoſitio ſit affirmatiua, aut diuiſio, ſi ſit negatiua: ita vt ſupponamus aliquo modo intellectum prius neſcire talem veritatem, & veluti in aliquo priori naturæ, vt poſtea ex ipſa pura, meraque notitia terminorum ſimplicium poſſit determinari, quantum eſt ex vi illorum terminorum ad aſſenſum, vel diſſenſum, vt patet in illo exemplo omne totum eſt maius ſua parte; ad cuius aſſenſum determinari poteſt intellectus, ex ipſa præciſa veritate incomplexa terminorum.

Dictum

Dictum fuit veluti *ex quodam virtuali discursu*; nam re vera non requiritur formalis discursus, aut illatio ex veritate illa incomplexa terminorum ad inferendam complexam veritatem propositionis, seu ad formandam propositionem per se notam, quia illa simplex notitia terminorum, ex qua determinatur intellectus, non est affirmatio, vel negatio, qualis requireretur ad verum, & perfectum discursum, vt suppono ex dictis suo loco, sed est simplex notitia, ex qua per virtualem tantùm, & imperfectum discursum potest inferri veritas rei per se notæ, vt si quis dicat, Hoc est totum, & hoc est eius pars, ergò hoc totum est maius sua parte, qui discursus non raró fiunt. Quare licet ad assensum propositionis per se notæ non requiratur semper, quod efformentur tales discursus imperfecti in actu exercito, illi tamen non repugnant: siue quod idem est, non est contra rationem propositionis per se notæ, quod inferatur per discursum ex antecedenti, & consequenti, dummodo in tali discursu non assumatur pro medio termino, nisi pura ipsa, & nuda veritas incomplexa terminorum propositionis, quæ infertur, ad inferendam veritatem complexam, ad quam determinant ipsæ veritates incomplexę terminorum. Quod alij alijs terminis explicant, scilicet propositioné, seu veritatem complexam per se notam non excludere medium incomplexum, id est cognitionem prædicati, & subiecti; sed complexum id est aliam propositionem complexam per quam probetur.

Ex quibus omnibus habetur propositionem per se notam in tota sua latitudine esse illam, quæ est apta nata cognosci, terminis eius obiectiuis tantùm cognitis, hoc est, cuius veritas est tam clara, vt cognita re per eius voces importata, seu cognita essentia subiecti, & prædicati propositionis intellectus statim ei præbeat assensum. Cuius vltimam veluti radicem, fundamentalemque rationem attingit D. T. 1. p. quæst. 2. artic. 1. in corp. dum docet, ex hoc aliquam propositionem esse per se notam, quod prædicatum includatur in ratione subiecti; loquendo maximè de propositione affirmatiua, qualis est illa de qua est quæstio in præsenti. Cum enim termini propositionis sint subiectum, & prędicatum, hæc propositio erit per se nota ex terminis, cum prædicatum in seipso sine vllo alio medio complexo, aptum est causare notitiam, quod insit subiecto, si sit propositio affirmatiua, vel non insit, si sit propositio negatiua, contrariorum enim est eadem ratio, & disciplina. Tunc autem hoc accidit, quando nullum medium intercedit inter prædicatum, & subiectum; sed ipsum prædicatum immediatè, & per se est de ratione, seu definitione subiecti. Sic propositio *per se nota*, est eadem penitus cum immediata. Omnis enim propositio excludens medium inter prædicatum, & subiectum est immediata, vt satis patet ex terminis, sed omnis propositio per se nota excludit medium inter subiectum, & prædicatum; vt patet ex dictis: Ergò omnis propositio per se nota, est immediata. Et etiam vice versa, omnis propositio immediata est per se nota; nã omnis propositio immediata habet prædicatum immediatè inclusum in ratione subiecti; ideo enim immediata dicitur; quia vna extremitas inest altera immediatè; Sed omnis propositio habens prædicatum immediatè inclusum in ratione, seu definitione subiecti est per se nota, vt constat ex dictis, ergò sicut omnis propositio per se nota, est immediata; ita etiam omnis propositio immediata est per se nota. Et in hoc sensu Aristoteles 1. poster. text. 5. dixit *Scientiam esse ex primis, & immediatis, & indemonstrabilibus*; quia omnis demõstratio resoluitur in prima principia per se nota.

Diui-

Diuiditur autem à S. Thoma propositio *per se nota*, in propositionem *per se notam secundum se tantum*, & in propositionem *per se notam secundum se, & quo ad nos simul*; addunt alij tertium membrum *propositionis per se nota, quoad nos tantum, & non quo ad se*. Ita vt iuxta illos adequata diuisio in hac re sit triplex, nempe in propositionem per se notam, secundum se tantum, & in propositionem per se notam quo ad nos tantum, & in propositionem per se notam tam secundum se, quam secundum nos; Prior est, quæ ita est cognoscibilis per suos terminos, & ad simplicem illorum explicationem, vt etiam nullum habeat medium, à quo veritas rei dependeat, licet habeat aliquod aliud medium quod vocant *cognitionis*, per quod cognoscatur à nobis: Posterior est, quæ caret tam medio cognitionis, quàm rei, constatque terminis à nostro intellectu statim cognoscibilibus. Tandem propositio per se nota quo ad nos tãtum, iuxta Doctores illam admittentes, est, quando intellectus determinatur ad assensum alicuius propositionis, per cognitionem sensitiuam, per quam sensus immediatè videt coniungi aliquod accidens cum aliquo subiecto, licet merè accidentaliter; & hoc pacto potest esse per se notum, quod creatura existat, quod Petrus moueatur, quod aliqua aqua sit calida, & sic de reliquis; dicitur autem ea veritas nobis per se nota, quia intellectus immediatè assentitur illi, determinatus per sensum, sine vllo alio medio, & discursu: vndè dicitur per se nota ad sensum, non quia solus sensus illam cognoscat, sed quia intellectus per sensum determinatus, non indiget alio medio ad eius assensum; non dicitur autem per se nota secundum se, quia intellectus præscindendo à sensu repræsentante talem accidentalem coniunctionem, non potest determinari ex ipsa veritate incomplexa terminorum ad talem assensum; quantumcumque enim bene sciat, & noscat Petrum, & similiter, quid sit motus, non poterit ex hac veritate incomplexa terminorum, determinari ad dicendum, Petrus mouetur magis quam non mouetur; vnde non potest dici nota secundum se.

Quod pertinet ad duo prima huius diuisionis membra expresse à D. Thoma allata loco citato. Etsi aliqui Theologi vt Henricus 1. p. summæ artic. 22. quęst. 2. & Scotus in 1. distinct. 2. quæst. 2. existiment per se notum secundum se non opponi ad per se notum nobis; sed omnem propositionem per se notam secundum se esse etiã per se notam nobis: & sic malè diuidi propositionem per se notam in secundum se, & quo ad nos; nihilominus tamen longè verior est dicendi modus Doctoris Angelici D. Thomæ: primò ex hoc quod Philosophus docet 1. Poster. cap. 6. & 1. Physic. text. 1. aliqua dari notiora natura, seu secundum se, ignotiora nobis; alia notiora nobis, ignotiora secundum se. Vnde sic argui potest, omne comparatiuum supponit positiuum, cui superaddit respectum ad aliud. Ergò si ex Philosopho notiora diuiduntur in notiora secundum se, & notiora nobis; etiam nota diuidentur in nota secundum se, & nota nobis. Ergò etiam per se nota, in per se nota secundum se, & per se nota nobis. Secundò probatur veluti à priori; Omnis propositio, in qua prædicatum est de ratione subiecti, est per se nota secundum se, vt dictum est; Sed non omnis talis propositio est per se nota nobis; vt patet experientia in multis definitionibus obscurissimis: Ergò non omnis propositio per se nota secundum se, est per se nota nobis; & sic bona est diuisio propositionis per se notæ, in secundum se, & nobis.

Per quod patet ad fundamentum Scoti dicentis; quod eadem est propositio per se nota, & per se noscibilis; *alioqui*, inquit, *si nullus intellectus actu cogno-*

cognosceret; nulla propositio erit per se nota; Vnde colligit illam esse per se notam, quæ quantum est de natura terminorum nata est habere euidentem veritatem contentam in terminis; Sed hoc non potest fieri sine respectu ad intellectum potentem illam cognoscere ex terminis. Ergò omnis propositio per se nota secundum se respectu cuiuscumque intellectus apprehendẽtis tales terminos erit nota: *Vndè*, inquit, *patet, quod nulla est diuisio de per se nota in se, & nobis*.

Respondetur enim concedendo libenter propositionem per se notam appellare tantùm actum primum, & esse eamdem cum per se noscibili, atque adeò dicere ordinem ad intellectum tãquam cognoscibile ad cognitiuum. Negatur tamen dicere hunc ordinem, vel respectum ad omnem intellectum, sed tantùm ad distinctè apprehendentem terminos, vt sunt in se. Cum igitur termini tales sunt, vt quomodocumque etiam confusè cõprehensi statim præferant connexionem inter se; tunc erit propositio per se nota, secundum se, & nobis, vt hęc, quodlibet est, vel non est; omne totum est maius sua parte. Cùm verò termini sunt immediatè connexi secũdum se; sed confusè à nobis apprehẽsi, non ingerunt ex se hanc notitiam: tunc erit propositio per se nota secũdum se, & intellectui apprehendenti distinctè terminos; non tamen nobis plerumque indigentibus medio termino diuerso, per quem veniamus in notitiam illius.

Vnde vlterius propositio per se nota à nobis subdiuiditur in propositionem per se notam omnibus, & per se notam solùm sapientibus: vbi per propositionem per se notam omnibus intelliguntur illæ, quarum termini ita claram, & apertam continent veritatem, vt ad simplicem illorum explicationem, sine alio medio termino diuerso, quiuis intellectus quantumuis rudis facilè determinetur ad certũ, & euidentem assensum propositionis ex illis compositæ; vt sunt illæ propositiones, omne totum est maius sua parte; si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, & cætera huiusmodi. At per propositionem per se notam solùm sapientibus intelliguntur illæ, quarum termini apti sũt apprehendi à solis sapientibus. Sæpe enim contingere potest, vt termini propositionis per se notæ, significati talibus vel talibus vocabulis, contineant veritatem simplicem, non facilè, & ab omnibus penetrabilem, sed post multum studium, & doctrinam, quia scilicet sit valdè à sensu remota, atque adeo, quæ de facto non penetratur sufficienter ad determinandum intellectum ad euidentem assensum veritatis complexæ ex illis, & sic remanebit per se nota illa propositio secundum se, & sapientibus tantùm, nõ autem omnibus. Hanc doctrinam habet D. Thomas (quam sumpsit ex Boëtio lib. hebdomad.) tam 1. part. quæst. 2. artic. 1. quàm quæst. 10. de potent. artic. 12. in corpore; & vtrobique pro exemplo propositionis per se notæ sapientibus tantum, affert illud, *quod incorporalia non sunt in loco*, quæ est propositio negatiua per se nota, sapientibus tamen, qui transcendentes sensum, percipiunt quid sit ens incorporeum, & sic illis per se notum est talia entia non esse in loco.

Pro cuius exempli, quod multi reijciunt, intelligentia aduertendum est D. Thomam non dicere, *spiritualia* non esse in loco, nam multi existimarunt, spiritualia habere etiam suum corpus, & esse aliquo modo quanta, & corporea, vt dicitur in tractatu de Angelis; neque contrarium est per se notum quo ad nos, sed indiget probari, vt fit loco prædicto de Angelis; Sed dixit *incorporalia*, sic enim per se notum est ex terminis, quod si aliqua detur substantia carens omni corpore, & omni quantitate extensa, & dimẽsiua (hoc enim intelligitur per illam

vocem,

vocem, *incorporalia*) non ſit in loco, dummodo etiam intelligatur, quid ſit eſſe in loco, ſcilicet propriè, vt in loco, nempe occupare locum, & extendi ad extenſionem loci, & circumſcribi loco; Quia tamen non omnes, ſed ſoli ſapientes habent ſufficientem notitiam certam talium terminorum; ideò ſolis eſt per ſe nota illa propoſitio, non autem alijs rudioribus, qui contrario modo ſæpe exiſtimant omnia eſſe in loco ſicuti corpora.

Hinc poteſt inferri primò propoſitionem per ſe notam ſecundum ſe, & ſapientibus, ſed aliquibus, aliquibus autem non per ſe notam, ita interdū non eſſe per ſe notam, vt etiam exiſtimetur falſa à vulgò, vel rudibus; Secundo non eſſe neceſſe ad propoſitionem per ſe notam, & ſolis ſapientibus, vt termini talis propoſitionis ſint per ſe noti lumine naturæ, ſine vlla inueſtigatione, aut ſtudio, aut diſcurſu antecedenti, ſicuti ſunt termini propoſitionum per ſe notarum omnibus hominibus, qui per ſolum ſenſum accipiuntur vt plurimum; ſed ſatis eſt, ſi termini propoſitionis per ſeipſos apti ſint ſemel penetrati ſine vllo medio determinare intellectum ad aſſenſum alicuius alterius veritatis complexæ ex ipſis. Et ratio eſt, quia quantumcumq; aliquis per multos diſcurſus, & rationes peruenerit ad cognitionem quidditatiuam alicuius rei, & iam ſciat de illa re, quid eſt, & conceptu definitiuo apprehendat illam rem, ſi comparando hanc rem, cum alia item cognita, poteſt per ſe immediatè determinari intellectus ad aſſēſum complexum, ſeu veritatem complexam ex illis terminis, hæc propoſitio erit per ſe nota illi intellectui, ſeu abſque vllo medio, vt conſtat ex ſuppoſitione facta; Sicuti ſi per impoſſibile ad hoc vt aliquis veniret in cognitionem quidditatiuam rei ſignificatæ, per hoc nomen, totum, & pars, eſſent neceſſarij multi diſcurſus, ſicuti communiter eſſe ſolent neceſſarij ad inueſtigandas rerum definitiones occultas, adhuc tamen, poſita iam notitia ſufficienti quidditatiua illorum terminorum, eſſet illi intellectui per ſe notum, quod omne totum eſſet maius ſua parte, non minus, quàm nunc.

Quantùm ad tertium membrum primę diuiſionis, etiam diuiſi ſunt inter ſe Doctores, aliqui enim exiſtimant, ſi dantur propoſitiones notæ ſecundum ſe, & non quo ad nos, debere etiam dari oppoſitam combinationem earum, quæ ſunt notæ quo ad nos, & non ſecundum ſe, cuiuſmodi ſunt omnes propoſitiones accidentales ad ſenſum patentes: videturque hoc habere fundamentum in doctrina D. Thomæ quæſt. 10. de potentia artic. 12. in corpore, vbi ait, *Hoc quod eſt eſſe, in nullius creaturæ ratione perfectè (id eſt neceſſario, vel eſſentialiter) includitur, cuiuslibet enim creaturæ eſſe aliud eſt ab eius quidditate, vnde non poteſt dici de aliqua creatura, quod eam eſſe ſit per ſe notum ſecundum ſe*. Vbi illa particula ſecundum ſe videtur addita ad oſtendendum, quod illa propoſitio, & ſimiles ſolum ſecundum ſe non ſunt per ſe notæ; non autem quo ad nos. Alij tamen probabilius putant hanc doctrinam aduerſari D. Thomæ, qui vbique propoſitionem per ſe notam reciprocat cum immediata, & cum ea, in qua prædicatum clauditur in ratione ſubiecti; talis autem non eſt propoſitio contingens, & ad ſenſum patens, vt ſatis conſtat. Vnde ad rationem primæ opinionis reſpondetur non dari per ſe nota tantùm quo ad nos, quia per ſe notum opponitur ad per aliud: & ſic debet excludere medium inter prædicatum, & ſubiectum: ita vt ex vi ipſius prædicati trahatur immediata connexio ſui cum ſubiecto. Hoc autem non accidit in propoſitionibus notis per ſēſum tantum: in quibus cum ſint merè accidentales termini non important ex ſeipſis neceſſariam connexionem

nem inter se. Sed hoc parum refert ad præsens institutum.

Notandum est tertio, quod etsi, ad hoc, vt aliqua propositio sit per se nota, quoad nos non sit necesse, vt nos habeamus cognitionem intuitiuam subiecti, & prædicati, seu quod idem, vt cognoscamus intuitiuè quid sit de subiecto, & prædicato, sed sufficiat multoties abstractiua cognitio, quia talis cognitio imperfecta, & abstractiua veritatis incomplexæ terminorum potest esse sufficiens in aliquo casu ad determinãdum intellectum ad veritatem complexam formandam ex ipsis terminis incomplexis; vt patet in omnibus discursibus procedentibus ex medio termino solum cognito cognitione abstractiua; Verumtamen ad hoc, vt hæc propositio *Deus est*, sit alicui per se nota, requiritur cognitio intuitiua, & quidditatiua perfecta illius vocabuli, Deus, quæ non erit nisi in Patria; hoc autem est, non propter rationem vniuersalem, sed propter particularem in tali materia; potest enim interdum esse aliqua veritas adeò perfecta, & latens nobis, vt requiratur cognitio perfecta terminorum, etiam in aliquo casu intuitiua, ad hoc, vt ea veritas, sit etiam per se nota, quo ad nos, & hoc accidit respectu veritatis propositionis propositæ, *Deus est*; imo tota difficultas præsentis questionis consistit in hoc, an scilicet talem aliquam cognitionem scilicet abstractiuam, & imperfectam habeamus, aut habere possimus nos in hac vita de Deo, naturaliter loquendo, vt ex vi solius termini ita noti possit ea propositio, *Deus est*, esse etiã nobis per se nota; quod si non potest, sicuti re vera non potest, erit necessaria cognitio intuitiua.

Aduertendum est quarto, quod ad hoc vt hęc propositio *Deus est*, seu Deus existit in rerum natura sit per se nota, necesse est, vt nobis qui huic veritati assentimur per iudicium, & propositionem affirmatiuam, per quam componimus prædicatum cum subiecto, affirmando vnum de alio, necesse inquam est, vt præcedat simplex notitia terminorum saltem quid nominis, nempe quid intelligamus hoc nomine Deus, & quid sit esse; quæ simplex notitia si est talis, vt ex se sit apta determinare intellectum ad necessarium, & euidentem assensum huius veritatis complexæ nempè Deus est, erit illa propositio per se nota nobis, sin minus, non erit per se nota nobis, etiamsi quantum est ex se sit per se nota, iuxta notitiam, & definitionem propositionis per se notæ superius traditam; & quidem de prædicato illius propositionis, nempè de particula illa, est, seu existit, satis superque omnibus, etiam rudibus notum est, quid sit, seu quid significet, ex eo ipso, quod quilibet cognoscat se ipsum esse, nam simili modo quærimus, an Deus sit in rerum natura, suo modo; sicut quolibet cognoscit se esse, & existere; quare de hac particula, *est*, non est difficultas, quantum ad notitiam, quid sit, sufficientem pro prædicato illius propositionis, *Deus est*; vt dicatur nobis per se nota; sed tantùm de notitia subiecti Deus.

Vndè noto quintò, quod cum hæc propositio, *Deus est*, sit de secundo adiacente; & quidem per verbum, est, ita vt si resoluatur in propositionem de tertio adiacente, prædicatum sit ipsa subiecti existentia, resoluitur enim in hanc, *Deus est existens*; Hinc sequitur in præcognitione subiecti huius propositionis, non debere præsupponi, an sit reipsa, sicuti sępè præsupponitur in alijs propositionibus, quæ sunt de tertio adiacente, distincto ab existentia subiecti; nam hoc pacto tota hæc difficultas esset inanis, & ludicra, peteretur que principium, nam posito semel, quod Deus sit, vel existat, omnino per se notum est Deum esse, ex suppositione scilicet quod sit; Hinc vlterius sequitur, quod in præcognitione, quid sit, de hoc subiecto, Deus, quæ necessaria omnino est ad cognitionem illam complexam Deus est; & ad ferendum iudi-

iudicium de eadem, an sit per se nota nobis, non debet inuolui existentia ipsius Dei formaliter; sed debemus attribuere Deo aliquid diuersum ab eius existentia formaliter, siue illum præcognoscere quo ad alia prædicata, quæ soli Deo tribuimus, vt si dicamus nomine Dei, nos intelligere in nostro cõceptu primam causam, vltimum finem, ens independens à quo cætera dependent &c. & sic formetur difficultas, an sit nobis per se notum, dari primam causam, dari vltimum finem, dari ens independens, prout à nobis iam præconcepta sunt, & consequenter sit nobis per se notum dari Deum; vndè hęc propositio *Deus est*, sit nobis per se nota.

Sextò tandem, & vltimò notandum est veritatem diuinæ existentiæ, seu Deum esse, posse intelligi dupliciter, primò in confuso, & in aliqua ratione communi, nempè in eo quod aliquid detur, & quod detur bonum, & felicitas aliqua in genere. Secundò potest considerari veritas diuinæ existentiæ, seu Deum esse, secundum propriam aliquam, & distinctam rationem ex illis, quæ illi soli conueniunt, vt statim diximus v. g. quod sit prima causa &c. his prænotatis pro intelligentia difficultatis ad illius resolutionem statuuntur sequentes conclusiones.

Prima Conclusio, hæc propositio, *Deus est*, est per se nota, secundum se. Fundamentum sumitur ex dictis supra. Omnis propositio in qua prædicatum clauditur in ratione subiecti, siue cuius termini ex se, & sua natura sunt cognoscibiles, quæque caret medio rei, quo extrema illius, id est prædicatum, & subiectum coniunguntur inter se; talis, inquam propositio, seu veritas quãtum in se est, per se nota est, nempe secundum se, & ex parte sui; Sed *Deus*, qui est subiectum in præsenti propositione, & eius *existentia*, quæ est attributum, sunt aliquid secundum se maximè cognoscibile, cum sint aliquid maximè immateriale: item Deus & eius existentia carent omni medio rei quo connectantur inter se; imo existentia Dei est de intrinseco conceptu diuinę essentiæ, etiam pro vt essentia consideratur inadæquatè, seu quatenus noster intellectus, ob suam imbecillitatem in intelligendo, & concipiendo pro præsenti statu diuidit illam in plures conceptus inadæquatos, si quidem essentia Dei distinguitur ab essentia vera creaturarum, quod hæc includat aliquid potentialitatis, ratione cuius dicitur esse possibilis antequam existat: essentia verò Dei excludat simpliciter, & absolutè omnem istam potentialitatem, quę potentialitas excluditur tantum per existentiam; Ergo Deum esse, seu existere est per se notum secundum se.

Probatur secundò veluti negatiuè, reijciendo fundamentum eorum, qui oppositum tenent. Igitur si esset aliqua ratio cur Deum esse, seu existere non esset per se notum secundum se, maximè quia, vt putant aliqui, semel probato à posteriori per creaturas Deũ esse, habitaque ex illis aliquali Dei cognitione, possumus per quemdam veluti regressum demonstratiuum à priori probare de Deo quod existat v. g. deuenimus à posteriori per creaturas in cognitionem Dei tanquam primæ causæ; atque adeo formamus hunc cõceptum de Deo, quod sit prima omniũ creaturarum causa, & vlterius discurrendo facilè deprehendimus, quod prima causa in suo conceptu inuoluit necessario existentiam; vnde sic possumus à priori regrediendo argumentari: Prima causa necessario existit, sed Deus est prima causa, ergo necessario existit: quo in syllogismo, alijsque similibus notandum est tamen, quod quandò in minori affirmamus de Deo medium terminum assumptum, quæ semper est aliqualis definitio Dei, vt cum dicimus, sed Deus est prima causa, est ens necessarium, est ens à se, & independens, & sic de alijs, particula illa, *est*, non debet sumi adiectiuè, ita vt significet

ficet existentiam in actu exercito, sic enim esset petitio principij; sensus enim esset, sed Deus est existens prima causa, ergò est existens &c. sed debet sumi pro mera, & nuda copula prædicati cum subiecto, vt sensus sit; sed conceptus primæ causę, entis necessarij, entis à se, & independentis cõuenit Deo; vel si inuoluit existentiam ille conceptus, debet solum inuoluere illam in actu signato.

Si aliquid, inquam obstaret nostræ conclusioni, maximè esset doctrina statim allata, ex qua videtur sequi demonstrabilitas à priori diuinæ existentiæ, non quidem per veram causam realiter distinctam ab ipso Deo, siue extrinsecam, siue intrinsecam, quod satis ex se patet repugnare Deo, nec esse necessarium ad præsens institutum; sed per causam virtualem, & metaphoricã, quo pacto communiter ex vno attributo demonstratur aliud; sed talis doctrina nihil obest; si quidem existentia diuina nullam prorsus habet causam, neque extra Deum, vt certum est, neque intra Deum quantumuis virtualẽ, & metaphoricam, quia esse conuenit Deo ex modo nostro concipiendi in primo modo dicendi per se, atque adeò maximè essentialiter, multoque magis, quam homini rationalitas, vt supponimus, conceduntque omnes; ergo nullo modo est demonstrabilis à priori diuina existentia.

Quod totum clarius fiet, si ostenderimus syllogismum supra factum, vel alios similes non procedere per causam à priori; ad hoc enim vt aliqua demonstratio in prima figura, vt est syllogismus allatus, dicatur esse per causam à priori, necesse est vt medius terminus sit, causa maioris extremi; id est, vt subiectum maioris sit causa siue formalis, siue virtualis prędicati eiusdem maioris, alioqui non erit syllogismus per causam à priori, vt satis ex se patet; medius autem terminus syllogismi superius facti, & similium, qui est illa qualiscumque Dei definitio nõ est vllo pacto causa maioris extremi nempe diuinæ existentiæ; & ratio est, quia existere est de essentia primæ causæ, entis summè necessarij, entis à se, & independentis, non minus, quam rationale est de essentia hominis; vnde ea propositio prima causa existit; ens summè necessarium existit, & similes sunt per se notæ secundum se ex illo genere, in quo prędicatum est de intrinseca ratione, & definitione subiecti, sicut diximus de illa alia, Deus existit; vndè nullo modo dicendum est, quod esse primam causam, esse ens summè necessarium, sit causa cur existat, sed omnino inuoluitur in conceptu, & ratione primæ causæ, entisque summè necessarij, secundum se, existentia, non minus quàm in definitione hominis rationale: Hoc ergò non videntur considerasse auctores oppositæ sententiæ; sed tantum supposuerunt illas propositiones, prima causa existit, ens summè necessarium existit, esse per se notas secundum se, & hoc sufficere ad demonstrationem propter quid, quod tamen non sufficit, sed debet esse ita per se nota secundum se maior indemonstrabilis, vt contineat causam maioris extremi, qualis est illa, omne rationale est admiratiuum, vel discursiuum, vel risibile, in qua verè subiectum est causa prędicati.

Non tamen propterea illi modi argumentandi supra positi videri debent inutiles; sed reducuntur semper ad demonstrationem *quia*, latè sumpto vocabulo pro omni demonstratione non procedente per causam; quod est verũ etiam si procedant ex definitione, aut quasi definitione subiecti; non enim procedunt ex adæquata definitione illius, sed tantùm ex inadæquata, ad probandum aliquid, quod spectat etiam ad eamdem definitionem subiecti, & cuius nõ sunt causæ illæ inadæquatæ definitiones; quod totum prouenit ex eo, quod, cùm Deus sit infinitæ perfectionis, atque adeo non possit à nobis sumi adæquata eius definitio, sic enim maximè

ximè in eius definitione poneretur existentia, tanquam prædicatum indemõstrabile à priori; sumitur tantùm à nobis aliquid eius definitionis imperfectè conceptum, & ex eo procedimus ad aliud eiusdem definitionis propter necessariam connexionem inter illa duo; non quia primum sit causa secundi; sed quia secundum est etiam de ratione primi, vt satis constat in exemplis positis; & interdum etiam contingere potest in rebus naturalibus: v.g. supposito, quod hæc definitio adæquata animę; nempe esse id, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, in sensu collectiuo conueniat soli animæ rationali; si quis ita argueret; illud quo intelligimus, est illud, quo sentimus, sed anima rationalis est illud, quo intelligimus, ergò anima rationalis est illud, quo sentimus; talis syllogismus procederet ex inadæquata definitione animæ rationalis, nempe esse illud quo intelligimus; ad concludendam aliam partem definitionis eiusdem, nempe esse id quo sentimus; cuius tamen perfectionis non est causa anima rationalis vt sic, sed tantũ in illa est necessariò coniunctum vnum prędicatum cũ alio.

Secunda conclusio, Deum esse, si sumatur in confuso, & in aliqua ratione communi, nempe in eo, quod aliquid detur bonum, & felicitas aliqua in genere, est nobis per se notum; Est D. Thomæ 1.p. quæst. 2. artic. 1. ad 1. & 3. ratio est, quia certum est per se nobis notum esse, quod detur aliquid, quod detur bonum, & aliqua fælicitas, & beatitudo in communi, quam naturaliter omnes appetunt, certum est autem, quantumcumque homo id ignoret, quod Deus est præcipuum ens, præcipuum verum, & bonum, præcipua beatitudo; & omnia sunt talia per participationem ab ipso, & per analogiam ad ipsum; necesse est ergò, per se nobis notum esse Deum sub hac communi, & confusa ratione entis, veri, vel boni. Itaque si aliquid per se nobis notum est, quodcumque illud sit, oportet, vt in illo sit etiam per se notum nobis Deum esse, secundum hanc cõmunem, & confusam rationem essendi; omne enim ens creatum essentialiter in tantum est, in quantum est participatio, & similitudo diuini entis, & omne bonũ, diuinæ bonitatis, omneque verum, diuinæ veritatis; atque adeo si quid verum semel est nobis per se notum, notum est etiam nobis Deum existere secundum suam similitudinem, & participationem, & communem rationem; prout idem S. Doctor expressius docet 1. contra Gentes cap. 12. in solutione quarti argumenti, q. 10. de veritate artic. 12. ad 3.

Tertia Conclusio, hæc propositio, seu veritas, *Deus est*, non est per se nota, quo ad nos viatores: dico quo ad nos viatores, quia loquendo de beatis nemini dubium esse potest, quin Deũ esse sit illis per se notum; etsi enim loquendo formaliter de illis, vt sic, & ex vi visionis beatificæ nulla possit ab illis formari propositio, atque adeò neq; propositio per se nota de deitate, quatenus omnis propositio formaliter sũpta eo ipso, quod fiat per compositionem, vel diuisionem, requirit essentialiter duos terminos, siue alietatem prędicati, & subiecti saltem per intellectũ; à beatis autem Deitas non videtur nisi per modum vnius simplicissimi termini; Dei tamen existentia, est veritas illis per se nota; eo enim ipso, quod Deum esse sit veritas per se nota secundum se, vt prima conclusione ostensum est, debet etiam esse veritas per se nota cuicumque intellectui videnti Deum, vt est in se, atque adeo quidditatiuè, & intuitiuè; sed talis est intellectus Beatorum, ergo &c. Conclusio sic explicata, & ad intellectum viatorum, siue humanum, siue Angelicum restricta probatur sequentibus rationibus.

Quotiescumque intellectus indiget medio vt cognoscat aliquam propositionem, tunc illa propositio non est nota nobis secundum se, seu quo ad nos: sed ita est, quod tàm intellectus Angelicus

gelicus, quàm humanus in statu viæ consideratus indiget medio, vt cognoscat Deum existere; ergò non est propositio per se nota quo ad nos viatores. Maior est certa, probatur minor, non potest intellectus cognoscere immediatè, seu sine medio, nisi ea quæ immediatè mouere eum possunt, satis enim constat intellectum eodem modo cognoscere obiectum, quo ab eo mouetur, ita vt si ab obiecto moueatur immediatè, cognoscat illud immediatè, si mediatè tantum, etiam mediatè cognoscat; Sed Deus non potest mouere immediatè intellectum creatum, secundum quod ab illo naturaliter cognoscitur in statu viæ, ergò ad illius cognitionem indiget aliquo medio. Probatur minor, quia si Deus immediatè moueret intellectum creatum, ita vt ista propositio Deus est in statu viæ esset per se nota nobis viatoribus, iam cognosceremus quidditatiuè perfectè Deum, quod est absurdissimum: Probatur sequela; ad hoc enim, vt aliquid cognoscatur quidditatiuè perfectè nihil aliud videtur requiri, nisi quod noster intellectus immediatè atque adeò per propriam speciem attingat necessariam, & immediatam connexionem prædicati cum subiecto, sed si semel Deus immediatè moueret intellectum creatum: iam cognosceret immediatè, & per propriam speciem necessariam, & immediatam connexionem, quæ est inter Deum eiusque existentiam, ergò cognosceret Deum quidditatiuè perfectè; non enim potest immediatè cognosci talis connexio, nisi etiam natura talis subiecti, talisq; prædicati cognoscatur; si quidem connexio prædicati cum subiecto, non est aliquid præter ipsum prædicatum, atque subiectum quatenus ad inuicem vniuntur, & maximè si considerentur ex parte subiecti. Cum igitur pro præsenti statu viç secundum naturæ vires repugnet talis cognitio immediata Dei & per propriam speciem, siue quod idem est, quod sciamus de Deo perfectè quid est, concludendum est hanc veritatem Deus est, ita esse per se notam secundum se, vt tamen non sit nobis per se nota, sed necessariò indigeat demonstrari per ea, quæ sunt magis nota, quo ad nos, nempè à posteriori, & per creaturas, vt supra vidimus.

Secundò probatur, siue alio modo explicatur præcedēs ratio, omnes enim eidem fundamento defectus cognitionis quidditatiuç Dei pro præsenti statu innituntur; Illa sunt per se nobis nota, quæ statim terminis notis cognoscuntur, sed ad simplicem terminorum huius propositionis, Deus est, explicationem, & cognitionem, non statim cognoscimus Deum esse, siue quod idem est, nulla notitia, seu cognitio, quam habemus, aut habere possumus in hac vita naturaliter de Deo, quantum ad quid est, est sufficiens ad determinandum intellectum ex ipsa præcognitione terminorum ad hunc certum assensum, quod Deus sit in rerum natura, ergò veritas huius propositionis, *Deus est*, non est nobis per se nota in hac vita. Maior patet ex ipsa definitione propositionis per se notæ; minor probatur primò ab experientia, quia nemo experitur proposita sibi illa propositione, Deus est, & explicatis vtcūque solis terminis, determinari suum intellectum ad certum, & euidentem asensum illius veritatis, sed esse necesarios multos discursus ab effectibus, & creaturis, & rebus nobis notis; & quia potest esse, vt aliquis, vel non percipiat, vel nolit percipere vim argumentorum, maximè in natura corrupta, & intellectu vitijs obtenebrato; hinc fit vt aliquis non solum ore, sed etiam corde, & mente dicere possit, nō est Deus, & sibi persuadere Deum non esse, & ad hoc affert D: Thomas 1. p. quæst. 2. artic. 1. in argumento sed contra locum Psalmi, *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*: Probatur secundo ratione eadem minor.

Quia omnis notitia, quam intellectus creatus habere potest de Deo, quan-

quantum ad quid est, in statu vię naturaliter, vel est per positionem; seu per conceptus positiuos, aut affirmatiuos, vel per remotionem, seu per negationes, & conceptus negatiuos, vel per vtrosque conceptus, vt suppono tanquam certum ex communi tàm Patrũ, quàm Theologorum doctrina, & consensu; sed nulla talis notitia de Deo potest sufficienter determinare intellectum ad assensum illius veritatis, Deus est; ergo &c. Probatur minor, in qua totum est difficultatis pondus, & ex qua originem ducunt omnes prorsus rationes, non solum illæ, quæ probant veritatem nostrę conclusionis, sed etiã illæ, quæ impugnant; probatur, inquã, inductione afferendo omnes conceptus, quos solemus habere de Deo, quantum ad quid est, vt quod sit prima omnium causa, primum ens necessarium, id quod maximè est ens, vel quo nihil maius, aut melius excogitari potest; & sic de alijs; at quod detur de facto prima omnium causa, primum ens necessarium, id quod est maximè ens, & quo nihil melius concipi potest, non est nobis per se notum, sed indiget demonstratione, pluribusque discursibus; vt satis patet ex ijs quos supra attulimus; ergò nulla est notitia, nullusque conceptus ex illis, quos formare possumus de Deo in hac vita, quantum ad quid est, qui possit sufficienter determinare intellectum ad assensum illius veritatis, Deus est, non inuoluendo in subiecto illius existentiam ipsam formaliter, vt supra monui notando quinto.

Sic ad omnia argumenta desumpta ex his & similibus definitionibus, ad probandum quod hæc propositio Deus est, sit per se nota ex sola, & simplici terminorum eius cognitione, facilis, & breuis responsio esse potest, vt quando deuenitur in argumento ad talem nominis, de quo agitur explicationem, v. g. Deus est id, quo maius cogitari non potest, respondeatur distinguendo, ita vt per se nobis notum sit Deum esse tale aliquid, aut dari tale ali quid nego; ita vt hoc ipsum indigeat demonstratione ex aliquo principio nobis noto, concedo; & sic negandum est Deum esse, seu existere, esse nobis per se notum. Quæ est expressa mens D. Thomę 1. p. quęst. 2. artic. 1. vbi respondendo ad hoc idem argumentum ait; *Dato etiam quod quilibet intelligat hoc nomine Deus, significari hoc quod dicitur, scilicet illud, quo maiùs cogitari non potest; non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat, id quod significatur per nomen, esse in rerum natura; sed in apprehensione intellectus tantum.* Quasi diceret, id quod maius cogitari non potest, non posse quidem concipi sine existentia absolutè, seu in actu signato, id enim significatur per esse, *in apprehensione intellectus*; non tamen inde sequitur hãc propositionem, Deus est, esse per se notam; vt enim sit talis, nõ tantum in conceptu Dei includi debet existentia signatè, sed etiam exercitè; ita vt reluceat ex terminis existentia exercita, atque adeo multo magis realitas subiecti, quæ supponitur ad existentiam; quod tamen est impossibile intellectui creato non habenti conceptum Dei quidditatiuum; cuicumque enim non habenti talem conceptum, ratio entis perfectissimi non fert existentiam, nisi signatè in intellectu; cum ad concipiendum, ens perfectissimum, & quo melius cogitari non potest, sufficiat signare in conceptu perfectionem existentiæ; cum nomen, qualis est Deus, ex vi, & proprietate significationis suę non significet existentiam in actu exercito, sed solum in actu signato, ad distinctionem verbi; & sic explicatio istius numinis Deus quęcumque sit, non potest nos ducere in cognitionem Dei, vt existit in actu exercito, neque consequenter in cognitionem quidditatiuam Dei, & vt Deus est in se, cum existentia in actu exercito sit de essentia Dei.

Sed quia aliquis posset instare, quod scilicet id, quo maius cogitari non potest

teſt, debeat inuoluere exiſtentiam, non ſolum vt ſignatam, ſed etiam vt exercitam, quia maius eſt hoc ſecundum, quam illud primum tantum, ſubdit D. Thomas reſponſionem ſuperius datam, quæ euacuat totam hanc argumentationem, ſcilicet cum diſtinctione, id quo maius cogitari non poteſt, includit in ſuo conceptu exiſtentiam, etiam vt exercitam; ex ſuppoſitione, quod detur tale ſummum cognoſcibile exiſtés, ſicuti ſupponitur in caſu noſtro, vt cognitum per diſcurſum, concedo; abſolutè, & nulla facta tali ſuppoſitione, nego, & conſequenter abſolutè negatur, quod Deum eſſe, ſit per ſe notum nobis, nam hoc ipſum non eſt nobis per ſe notum, ſed probatione indiget, dari ſummum cognoſcibile actu extra intellectum exiſtens, quo maius cogitari non poteſt, etiam ſi per intellectum nos id cognoſcamus, & nominemus; ex conceptu enim ſignato, non ſolum exercitus non fit per ſe notus; ſed neque à ſignato, licet inferre ad exercitum. Expreſſit autem hanc ſolutionem D. Thomas loco iam citato 1. p. illis verbis *Nec poteſt argui, quod ſit in re,* (aliquid ſcilicet, quo maius cogitari non poteſt) *niſi daretur, quod ſit in re aliquid tale, quod non eſt datum à ponentibus, Deum non eſſe*: & clarius in ſcripto paruo 1. ſentent. diſtinct. 3. quæſt. 1. artic. 2. ad tertium, *Deus eſt quo maius cogitari non poteſt, dicendum, quod verum eſt ſi ſupponatur Deum eſſe, vnde ratio iſta non cogit, quia ſupponit id, quod probare debet.*

Eodem etiam modo ſoluit aliud argumentum in eadem propoſitione fundatum quæſt. 10. de veritate artic. 12. ad 2. in 1. ſentent. diſtinct. 3. quæſt. 1. artic. 2. ad 4. & 1. contra Gentes c. 10. num. 2. Id quod non poteſt cogitari non eſſe, eſt nobis per ſe notum, vt ſatis patet ex primis principijs, quæ propterea dicuntur per ſe nobis nota ex terminis, quia non poſſumus cogitare non eſſe vera; ſed de Deo, eo ipſo, quod ſit id quo maius cõcipi nõ poteſt, nõ poteſt à nobis cogitari, quod non ſit, ergò Deũ eſſe eſt nobis per ſe notum: Reſpondetur enim concedendo maiorem benè intellectam, & negando minorem, ad probationem autem in illa contentam, & in prędicta definitione Dei contentam, diſtinguendum eſt, veram eſſe illam nominis Dei explicationem, ex ſuppoſitione quod aliquis admittat, & cognoſcat verum Deum eſſe, & conſequenter ex hac ſuppoſitione non poterit negare Deum eſſe; qui verò negaret Deum eſſe, negaret etiam conſequenter dari tale aliquid, quo maius concipi non poteſt, quare hoc illi eſſet probandum. Ita ex doctrina D. Thomę, quo etiã loco citato quæſt. de veritate, & 1. contra Gentes capit. 11. ad 2. aſſignat cauſam; cur aliquis poſſit cogitare Deum non eſſe, non ex parte obiecti, quod eſt ſumma veritas, ſed ex parte noſtri intellectus deficientis, ad cognoſcenda ea, quæ ſecundum ſe ſunt notiſſima, vnde ex hoc non ſequitur, quin Deus ſit re vera id, quo maius cogitari non poteſt; ſed tantum non eſse nobis per ſe notum dari tale aliquod ens in rerum natura.

Aduertendum eſt ergò diligenter, quod non eo ipſo, quod à nobis ſignificetur aliqua veritas, eo ipſo, inquam, illa veritas per illud nomen ſignificata, poſſit dici nobis per ſe nota, vt conſtat ex hac ipſa re, de qua agimus in præſenti, nam omnes homines, qui admittunt Deum, nomine Dei, intelligunt aliquid quod exiſtat, & maximè conſtat, non tamen inde ſequitur, aut ex illo inditio concludi poteſt, Deum eſse, eſse omnibus his per ſe notum. Et ratio vniuerſalis eſt, quia ſæpiſſimè illa veritas ſignificata tali nomine, fuit iam prius à nobis inueſtigata per diſcurſum, ſiue à priori, ſiue à poſteriori, aut ſimilibus modis argumentandi, ſicque inueſtigata ſignificatur poſtea tali, vel tali nomine ex ſuppoſitione præcedentis inueſtigationis; vndè licet talis res exprimatur, vel ſignificetur ſub tali nomine, non tamen propterea

ſequi-

ſequitur illam rem tali nomine ſignificatam, eſse per ſe notam quoad nos ex terminis. Quod innumeris declarari poteſt exemplis v. g. omnes, qui admittunt Angelos, nomine Angeli intelligunt aliquam ſubſtantiam intelligentē homine nobiliorem, non tamen eſt per ſe notum nobis dari talem ſubſtantiam homine nobiliorem, aut eſse poſsibilē, quamuis ſub illo nomine id intelligatur; eodem modo licet nomine Dei intelligamus ſummum ens maximè exiſtens, quodque habet exiſtentiam non ſolum ſignatam, ſed etiam exercitam, poſtquam iam mediante diſcurſu deuenimus in notitiam talis entis, atque adeò potuimus ſub tali nomine illud intelligere, non propterea dari tale ſummum ens exiſtens, eſt nobis per ſe notum abſolutè, nam illud ipſum, quod ſub tali nomine ſignificatur, non fuit nobis notum ex terminis, ſed ex inueſtigatione per diſcurſum.

Et ex hac doctrina conantur aliqui conciliare vtramque ſententiam; quatenus hęc propoſitio, Deus eſt, accepta abſolutè, nullaque facta ſuppoſitione, non eſt propoſitio per ſe nota quo ad nos, vt oſtenſum eſt, quantumuis enim nomine Dei concedamus ſignificari ens exiſtens, & maximè exiſtens, quodque habet conſequenter exiſtentiam tàm ſignatam, quàm exercitam, abſolutè tamen loquendo in hac propoſitione, Deus eſt, prout à nobis cognoſcitur, non inuoluitur, nec poteſt inuolui alia exiſtentia ex parte ſubiecti, quàm in actu ſignato, non exercito, niſi principium petere velimus, nam hoc ipſum quærimus, an ſcilicet per ſe notum ſit nobis dari hoc primum ens exiſtens in rerum natura, quod nos mente præcognouimus, nulla ſcilicet facta ſuppoſitione. At ſi talis propoſitio procedat ex hypoteſi de realitate, & exiſtentia ſubiecti iam per diſcurſum cogniti ſic eſt propoſitio per ſe nota, aut ſe habet per modum propoſitionis per ſe notę. Supereſt iam vt vni, aut alteri obiectioni breuiter ſatisfaciamus.

Obijcitur primò, illæ veritates, quorum cognitio nobis naturaliter ineſt, quibuſque maxima facilitate aſſentitur intellectus, ſunt nobis per ſe notæ, vt ſatis patet exemplo primorum principiorum, ſed veritas diuinæ exiſtentiæ nobis naturaliter ineſt, magnamque à natura facilitatem ad illam cognoſcendam, illique aſſentiendum habemus; ergò &c.

Reſpondetur ad hoc argumentum 1. negando maiorem, aliud enim eſt aliquid eſse per ſe nobis notum, aliud naturaliter; vt enim cognitio Dei dicatur nobis naturaliter inſita, ſufficit quod habeamus principium cognoſcēdi eius exiſtentiam in ipſa natura, quod cum habeamus, immo in nobis ipſis, quia dum cognoſcimus, quod ſumus, & quod non à nobis, ſtatim deuenimus in cognitionem dari aliquid, à quo ſumus; rectè Sancti Patres cognitionem huius propoſitionis, *Deus eſt*, eſſe nobis à natura inſitam aſſeruerunt; non tamen per ſe notam, cum ad hoc inſuper requiratur, vt eius veritas naturaliter cognoſcatur ex ſola, & ſimplici cognitione terminorum eius obiectiuorum, quod impoſſibile eſse ſatis ſupra demonſtrauimus. Vnde maioris claritatis gratia poteſt diſtingui maior argumenti, videlicet *illas veritates eſſe nobis per ſe notas, quarum cognitio naturaliter nobis ineſt*, quando ita naturaliter, vt ſine diſcurſu per diuerſum medium ab ipſis extremis, intellectus illis certò, & euidenter aſſentiatur, concedo; ſi verò per diſcurſum ex alio nobis naturaliter noto, nego, & ad minorem dico, veritatem diuinæ exiſtentiæ ſecundo modo nobis eſse naturaliter notam, & inſertam, non primo, vnde neganda eſt conſequentia.

Similiter ex ea ſumma facilitate, qua homines aſsentiūtur huic veritati Deus eſt, non debet colligi, eam eſse per ſe notam illis ex terminis, vt hoc loco in rigore Philoſophico loquimur, ſed tantùm quod euidens cognitio de exiſtentia Dei tam facile omnibus, & vbique occurrit

occurrit ex creaturarum, suique potissimum ipsius consideratione, vt etiã palpari videatur ab ijs qui volunt eum inquirere: sicut cæco erranti in sylua densissima facilè occurrit arbor, in quam impingat; vel quam palpet, & sua manu attractet, iuxta illud Actuũ Apostol. cap. 7. *Quærere Deum, si fortè attractent eum, aut inueniant, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Insuper D. Thomas 1. contra Gentes cap. 11. rectè notat tantam facilitatem, vt etiam aliquando audito nomine Dei, sine vllo discursu soleamus assentiri huic propositioni, *Deus est*, sicuti solemus primis principijs, rectè, inquam, notat tantam facilitatem oriri ex assuetudine, quæ aliquo modo trãsijt in naturam, qua ab infantia, & traditione parentum, & communi omnium æstimatione discimus Deum esse illumque inuocare; similiter etiam contingit, vt postquam aliquis per discursum, & demonstrationem à posteriori cognouit Deum esse; postea illi propositioni *Deus est*, assentiat sine vllo discursu, ex sola memoria prçteritæ demonstrationis, & rationis, vt solet cõtingere in alijs propositionibus demonstratis. Vnde ex ea facilitate, qua nos maximè Christiani solemus assentire illi propositioni, Deus est, etiam præscindendo à fide, non debet inferri, quod illa propositio sit nobis per se nota ex terminis, hoc enim prouenire potest ex prædictis, alijsque similibus capitibus.

Obijcitur secundò; Ista propositio *Deus est colendus*, est omnibus per se nota; cum sit primum omninò principium, vndè pendet tota praxis actionum moralium; vndè Aristoteles 1. topic. cap. 9. dixit, *pœna, non ratione indigere eos, qui dubitant, vtrum Deos honorare oporteat*. Ergo hæc, *Deus est*, multò magis, & à fortiori debet esse nobis per se nota; nam illa hanc includit, & vt cognoscatur quod Deus sit colendus, supponitur necessario cognitio diuini esse.

Huic argumento multiplex adhiberi potest responsio. Primò respondent aliqui hanc propositionem, *Deus est colendus*, non esse per se notam nobis; quod multæ rationes naturales, & Theologicæ adducantur, quibus moralis Philosophus, & Theologus ostẽdunt veritatem istius practicæ propositionis. Secundò & melius respondetur hanc propositionem, *Deus est colendus*, sumi posse dupliciter; primò merè speculatiuè: & sic est per se nota secundum se, & quo ad nos, reddit enim hunc sensum, Deus dignus est qui colatur. Deus autem ab omnibus apprehenditur, vt quid excellens: & apparet ex terminis connexio excellentiæ cum debito cultus. Sed ita speculatiuè accepta præscindit ab existẽtia: non secus ac illæ aliæ, *debita esse reddenda, parentes honorandos*; Vndè potius dicendum esset, Deus est colibilis, quam colendus. Secundò potest accipi practica practicè, seu vt principium actuale praxis, nempè cultus qui de facto ab omnibus populis Deo exhibetur, & sic non est per se nobis nota, eo enim ipso quod actualis exhibitio cultus supponit actualitatem eius, cui exhibetur, si semel hçc, *Deus est colendus*, practico practicè sumpta, esset per se nota nobis, esset etiam per se nota hæc, *Deus est*, quæ in illa includitur; qua in re adhuc distinctione vtendum esse putant aliqui, & est tertia responsio, hanc nimirum propositionem, *Deus est colendus*, practicè consideratam accipi posse dupliciter vel absolutè, vel ex suppositione. Primo modo non esse per se notam nobis; si enim absolutè non est per se notum nobis Deum esse, neque erit absolutè per se notum, Deum colendum esse, nam cum coli actu non possit, nisi quod actu est, cultus actualis Dei supponit Deum actualem; secundo modo esse nobis notam ex suppositione. Hæc enim, *Deus est colendus*, resoluitur in hanc conditionalem,

Si Deus est, colendus est; quæ est euidens ex terminis; absolutè autem pronuntiari solet, Deum esse colendum, quia iam supponitur Dei existentia aliundè cognita.

Quartò tandem & vltimò respondetur ad hoc argumentum concedendo antecedens absolutè, & negando consequentiam; etsi enim sit necessarium, quod principia practica, præsuponāt necessariò speculabilia sibi proportionata, non tamen est necessariū, vt præsupponant illa semper, etiam secundum quod sunt aliquo modo extrema talis propositionis practicæ ad hipotheticam, & conditionalem reductæ, cognita cognitione eiusdem generis; ita vt si propositio practica sit per se nobis nota, debeat etiam esse talis speculatiua, sed potest cognosci per discursum, v.g. quod parentes sint honorandi, est propositio practica per se nota quo ad nos, & tamen ista cognitio supponit aliam speculatiuam discursiuam, qua cognoscimus parentes nostros existere; & quinam illi sint non enim est nobis per se notum, hos, & illos in particulari esse veros nostros parentes, sed id tantum ex communi fama traditione, educatione, alijsque eiusmodi signis arguitiuè colligimus. Ita pariter in præsenti casu, licet absolutè concedatur, quod Deus sit colendus, sit propositio per se nota nobis cognitione practica, non tamen illa, Deus est, sed supponitur tantum cognita per discursum. Quod etiam est verum, potestque contingere in ipsismet propositionibus speculatiuis, nullum enim est inconueniens, quod aliqua propositio dicatur nobis per se nota, v. g. *incorporalia non esse in loco*, etiam si eius extrema nobis innotescant per discursum, vt notauimus supra. Quod puto esse vniuersaliter verum, quotiescumque per talem discursum non innotescit nobis, illud idem, quod in tali propositione, quæ dicitur nobis per se nota, prædicatur de subiecto, sed aliud prædicatum distinctum, nec subiectum talis propositionis est ratio, vel causa talis prædicati.

CAPVT XX.

Vtrum de existentia Dei dari possit ignorantia inuincibilis.

Satis patet connexio huius difficultatis cum antecedenti, dum enim statuimus Dei existentiam ita esse veritatem per se notam secundum se, vt tamen non sit per se nota quoad nos, statim in quæstionem venit, suboriturque dubium, vtrum possit esse simpliciter ignota nobis, & sic inuincibiliter ignorari; imo ex hoc fundamento partem affirmatiuam tenent aliqui Theologi, si enim semel, inquiunt, veritas diuinæ existentiæ non est per se nota nobis, sed vt innotescat necessariò indiget demonstratione, cum talis demonstratio possit ab aliquo præsertim rustico, alijsque curis distento penitus ignorari; necesse est talem veritatem esse aliquādo simpliciter ignotam nobis, & sic inuinciibiliter ignorari.

Pro intelligentia, & resolutione difficultatis, suppono primò tanquam certum ex communi tam Patrum, quā Theologorū consensu, aduersus Guillelmum Parisiensem tractatu de legibus cap. 21. posse dari ignorantiam inuincibilem, eorum etiam, quæ quis scire tenetur, vt pluribus docetur 1. 2. quæst. 76. Suppono similiter, idem esse ignorantiam inuincibilem, & inuoluntariam, atque adeo inculpabilē, de qua D. Thomas 12. quæst. 6. artic. 8 ex quo sequitur, quod si ignorantia rei alicuius sit aliquo modo volita directè, vel indirectè, tunc illa ignorantia non erit amplius inuincibilis, sed vincibilis, imo culpabilis, & peccaminosa si sit eorum, quæ scire tenemur. Quemadmodum igitur aliqua ignorātia dupliciter esse potest inuoluntaria, totidem etiam modis potest esse inuin-

uincibilis; primò per totalem inaduertentiam, seu incogitantiam obiecti; quandò nimirum id quod ignoratur, nunquam venit in mentem, neque illius fuit cogitatio, tàm confusa, quàm distincta, tàm in vniuersali, quàm in particulari, tàm certa, quàm dubia; secundò cum cogitatione obiecti, & cum firmo assensu oppositi. Prima vocari potest ignorantia negatiua per solam negationem scientiæ: secunda verò positiua per errorem positiuum scientiæ oppositum.

Vndè notandum est secundò sensum præsentis quæstionis duplicem esse posse, primò, vtrum Deum quis ignorare possit inuincibiliter negatiuè, nullo modo cogitando de Deo: secundò positiuè assentiendo, quod non sit Deus. Rursus quia hæc ignorantia comparari potest, & ad subiectum, scilicet ad intellectum, qui ignorat, & ad obiectum, scilicet ad Deum, qui ignoratur, & adhuc dupliciter ad vtrũque; ad subiectum vno modo per respectum ad communitatem, ita vt tota aliqua communitas ignoret inuincibiliter Deum; alio modo respectu indiuidui singularis; ad obiectum autem, vno modo vt Deus ignoretur sub ratione explicita, & distincta primæ causæ: alio modo, vt ignoretur sub quacumque ratione etiam confusa, & implicita; secundum multiplicem hunc ignorantiæ respectum, quæri potest, vtrum dari contingat ignorantia inuincibilis de existentia Dei.

Notandum est tertiò, quod cum existentia Dei, & eius vnitas, siue Deũ esse, & esse vnum sint duæ veritates distinctæ; non sequitur quod si dari possit ignorantia inuincibilis vnitatis Dei, de quo agemus sectione sequenti, dari etiam possit ignorantia inuincibilis existentiæ illius in genere, etsi enim re vera sit impossibile, quod sit Deus, quin sit vnus, tamen in ordine ad nostram cognitionem sunt duę veritates ab inuicem separabiles, potestquę haberi cognitio existentiæ Dei in genere, cum ignorantia siue vincibili, siue inuincibili vnitatis illius, imo cũ falsa persuasione in particulari, & in re subiecta, tribuendo rationem numinis & prouidentiæ illis rebus, quibus minimè oportet, eamque in illis venerando, vt satis patet in Etnicis. Quemadmodum enim, licet sit impossibile, quod Deus existat, quin sit etiam Trinus, quin sit infinitæ substantiæ, infiniti intellectus, infinitæ sapientiæ, & sic de alijs, rectè tamen potest cognosci à nobis, & demonstrari eius existentia, sub aliquo tantum attributo, præscindendo à modo quo illi conuenit, aut à cæteris attributis; v. g. quod detur primum mouens, præscindendo ab eo quod sit corpus, vel spiritus, quod sit forma assistens, vel informans, & sic de cæteris, de quibus distinctæ quæstiones instituuntur; ita etiam nullum est inconueniens, quod cum ignorantia vnitatis Dei, possit tamen dari sciẽtia existentiæ illius in genere. Quod exemplo multarum rerum posset declarari, cum quarum falsa opinione, & persuasione in particulari, seu materialiter considerata, v.g. alicuius ponentis suam beatitudinem, in diuitijs, aut honoribus, potest stare vera opinio, & persuasio eiusdem beatitudinis in communi, & formaliter consideratæ, quod sit summum bonum; & sic de alijs.

Notandum est quartò, quod sicut ex statim dictis non est necesse, quod illa cognitio, per quam dicitur superari, & vinci ignorantia inuincibilis diuinæ existentiæ, sit vndequaque perfecta ex parte obiecti, sine vllius prorsus erroris admixtione, sed satis est quod sit cognitio de Deo generalis per quam cognoscatur esse principiũ omnium rerum, excedens omnia, à quo dependent, & gubernantur omnia; ita similiter non requiritur, quod illa cognitio sit semper ex parte subiecti vndequaque perfecta, & per veram demonstrationem acquisita, sed sufficit quod habeatur vel per illam, vel per

Dei reuelationem, vel per sapientum magisterium, vel per rationem duntaxat probabilem. Ratio est, quia cum nulla occurrat ratio contra Deũ, quæ persuadere possit, vel leuiter ipsius non existentiam, ideo sola ratio probabilis, quod Deus sit, plusquam sufficiens est ad tollendam illã Dei ignorantiam inuincibilem, & ad inducendam mortalibus aliqualem colendi Deum obligationem.

His prænotatis dico primò, nullam reperiri nationem, vel communitatem, apud quam dari contingat ignorantiã inuincibilem siue negatiuam, siue positiuam, de existentia Dei, etiam sub ratione explicita primæ causæ, primique omnium rerum principij. In hac conclusione conueniunt omnes Theologi tam 1. parte quæst. 2. quàm 1. 2. quæst. 76. imo Sotus lib. 2. de iustit. & iur. quæst. 4. artic. 2. expresse asserit illam esse certissimam de fide.

Probatur primò omnibus illis authoritatibus Sacræ Scripturæ, quibus supra cap. 3. demonstrauimus hominẽ ad certam, ac euidentem Dei cognitionem naturaliter peruenire posse, via ascensus, & à posteriori; à fortiori enim eiusmodi authoritates probant de aliquali Dei cognitione, quæ sufficit ad tollendam ignorantiam inuincibilem. Ex illis tamen duas præsertim ad præsens institutum placet ponderare primam ex veteri testamento, secundam ex nouo. E veteri igitur testamento insignis locus habetur psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, &c. quia, scilicet ad arguendam alicuius supremi numinis, non solùm existentiã sed etiam gloriam, satis est solus cælorum aspectus; quare magnus Antonius, teste D. Athanasio in eius vita, Cælum, *librum idiotarum appellabat*. Sequitur. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*, id est, Dei scientiam pariunt recursantes tenebrarum & luminis vices, quibus dies diei, & nox nocti succedit, vt sint nobis operis, & quietis alterna reparatio. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*, id est idioma, quo cæli creatorem annuntiant, & loquuntur, non est vlli incognitum, sed à quolibet populo, ac natione percipitur. Vndè Tertullianus lib. de testim. animæ. *Omnium*, inquit, *gentium varius sonus, propria cuique genti loquela, sed loquelæ materia communis, Deus vbique, & bonitas Dei vbique*. Ideoque subditur, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, denique, *in sole posuit tabernaculum suum*, quia ille Dei existentiam nescit, qui solem meridie lucescere nescit; vndè sicut nullus expeditum habens oculorum vsum inuincibiliter ignorare potest Solem meridie lucere, ita certè posita omnibus obuia, cœli, Solis, syderum, aliarumque creaturarum cognitione, impossibile est in multitudine, quin saltem aliquibus in mentem veniat dubitatio, an hæc ab aliquo facta sint, nec ne; vel an ab aliquo regantur, nec ne; quæ dubitatio in quotidiano conuictu à perspicacioribus ad rudiores transfunditur. De quo psalmo vide interpretes, & potissimè D. Thomam.

Secundus locus habetur ad Romanos cap. 1. vbi post illa verba, *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, &c. Statim infert D. Paulus Gentiles fuisse *inexcusabiles*; quod saltem debet intelligi in ordine ad cognitionem Dei (quidquid sit, an etiam posita tali cognitione potuerint excusari ex ignorantia ab idololatriæ crimine, de quo agemus sectione sequenti) si autem posset dari ignorantia Dei inuincibilis, ita vt ex creaturarum consideratione superari nullo modo posset, vnde D. Paulus vocaret inexcusabiles omnes homines illos, qui ignorauerunt Deum, vt statim probabitur in nostris rationibus.

Secundò probatur conclusio authoritate SS. Patrum, qui illam vnanimiter docent; ideoque notitiam Dei naturaliter insitam appellant, quod talis

lis notio non indigeat assiduo labore disciplinæ, sicut aliæ veritates, sed illicò ipso naturæ lumine ex rebus creatis, adeò facili consequentia colligatur, vt quasi naturaliter indita videatur. Nam visa hac rerum vniuersitate, mundique machina, mole, & amplitudine, absque vlla alia laboriosa ratiocinatione, statim apparet Deum esse, si non euidenter, saltem summa probabilitate, quod sufficit, vt nulla saltem reperiatur natio, vel communitas, apud quam dari contingat ignorantiam inuincibilem de existētia Dei. Quare D. Gregorius Nazianzenus orat.2. de Theologia, *Nimis*, inquit, *absurdus, & præposterus est, qui argumentis naturalibus non cedit, & inficiatur Deum esse*; cum paulò ante dixisset, *Quemadmodum quispiam citharam pulcherrimè constructam conspiciens, aut etiam eius cantum audiens, nihil aliud quam ipsum citharæ conditorem, atque citharædum mente reputat, etiam si de facie ipsi ignotum: eodem quoque modo nobis is, qui res vniuersas procreauit, easque moderatur atque conseruat, se se declarat, etiam si animis nostris, ingeniisque comprehendi nequeat*.

Similia habet Chrisostomus homil. 3. in cap. 1. ad Romanos; *Quid enim dicent Gentiles? te ignorauimus. Itane verò? non exaudistis cælum vocem ab aspectu emittens? non exaudistis compositam rerum harmoniam, tuba illustriore clamantem? omnia ordinem seruantia, eademque tùm à magnitudine, tùm à pulchritudine, ipsum veluti præconio opificem annuntiant*. Cæteræ Sanctorum Patrum authoritates videri possunt partim in locis à nobis superius citatis capit. 12. partim etiam apud interpretes D. Thomæ tam 1. p. quæst.2. quam 12. quæst. 76. & etiam 2.2. quæst.94. vbi præsens difficultas solet agitari.

Tertiò probatur authoritate Philosophorum, Aristoteles enim lib. 3. Ethicorum cap. 1. docet, *ignorantiam vniuersalis non esse inuiti, neque facere inuitum*; & quamuis aliqui existiment quod per *ignorantiam vniuersalem*, aut vniuersalis, non intelligatur ignorantia præceptorum vniuersaliorum: sed ignorantia prauæ electionis, quæ est in quocumque peccato, ratione cuius omnis peccans dicitur ignorans. Tamen D. Thomas 3. Ethic. cap. 1. interpretatur Aristotelem de ignorantia rei vniuersalis, videturque magis consonum veritati, Philosophum de vtraque ista ignorantia fuisse locutum in eo loco. Ait enim; *ignorantia quæ in electione consistit, non est causa inuiti, sed prauitatis*. Deindè ait, *ignorantia vniuersalis digna est vituperatione*; vbi satis constat illum mentionem facere duarum ignorantiarum, quarum neutra est inuincibilis; cum neutra sit inuoluntaria; primæ, quæ est cum praua electione, secundæ quæ est ignorantia vniuersalium, scilicet principiorum legis naturalis, inter quæ cum primū teneat locū alicuius supremi numinis existentia, ignorantia illius non potest esse ex Philosopho inuiti, id est inuoluntaria, ac per consequens inuincibilis.

Denique ex Plutarcho lib. contra Colo. cap.28. supra animaduertimus cap.15. *Multas occurrere peregrinantibus vrbes sine mænibus, nusquam tamen extare vrbem, aut oppidum cui nullus sit Deus*; & ex Tullio tàm lib. 1. de nat. Deorum, quam lib. 1. de legibus, *Nullam vnquam gentem, neque tam immansuetam, neque tam feram extitisse: quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum se habere debeat, tamen habendum sciat*.

Quartò probatur rationibus, prima desumitur ex loco D. Pauli superius citato, quia si potest dari inuoluntaria, atque adeò inuincibilis, atque adeo inculpabilis ignorantia huius veritatis Deus est, saltem per respectum ad communitatem, malè D. Paulus reprehenderet, inexcusabilesque vocaret, omnes illos, qui ignorauerunt Deum; sed illi tales, tam loco citato, quam etiam Sapient.13. vocantur inexcu-

excu-

excusabiles, ergò dicendum est saltem respectu totius alicuius nationis, vel communitatis dari non posse ignorantiam inuincibilem diuinæ existentiæ. Probatur sequela maioris, nã illa ignorantia, quæ nullo studio, nullaque industria, aut diligentia superari potest, omnino excusabilis dicenda est, vtpotè inuoluntaria, atque adeò inculpabilis, qui enim fieri potest illud esse voluntarium, vel peccaminosum, quod aliter fieri non potest, estque omnino incognitum. Sed ignorantia inuincibilis provt illam definit D. Thomas 1.2. q.76 artic.2. ea est, quæ studio, & diligentia superari non potest; ergò si semel daretur talis ignorantia communiter de existentia Dei, esset omnino excusabilis; cum igitur diuina Scriptura tam acriter illam reprehendat locis citatis, est argumentum manifestum, si quæ sit in hominibus ignorantia diuinæ existentię, illam esse omnino vincibilem, atque culpabilem, & ex negligentia pura, cordisque prauitate procedentem.

Secundò, non potest dari ignorantia inuincibilis veritatis, quæ est omniũ maximè obuia, facillimoque negotio superabilis, sed hæc veritas, Deus est, est omnium maximè obuia, & facilis, ergò saltem respectu communitatis dari non potest ignorantia inuincibilis de illa: Probatur minor, nam id quod primo cuilibet obijcitur est cælum & terra, & cuncta quæ in eis sunt, sed posita hac prima cognitione sensibili, moraliter est impossibile in multitudine, quin aliquibus in mentem veniat dubitatio, an hæc ab aliquo facta sint, nec ne; vel ab aliquo regantur, nec ne; si enim visis alijs effectibus longè minoris momenti statim primum illorum authorem mente reputamus, & vniuersaliter loquendo visis effectibus inest in homine naturale desiderium cognoscendi causam, & ex hoc admiratio in hominibus consurgit, quantò magis ex vniuersi consideratione statim potest oriri dubium de prima illius causa, primoque principio; Ergò hæc veritas Deus est, est omniũ maximè obuia, tamque facili discursu cognoscibilis, vt impossibile sit moraliter dari aliquam communitatem, in qua sit ignorantia inuincibilis de existentia Dei sub ratione etiam explicita primæ causæ efficientis, vel gubernantis.

Tertiò probatur, quia dupliciter inter homines fieri solet, vt vnus alteri quidpiam manifestet. Primo adhibendo aliquod lumen, quo res videri possit. Secundò proponendo aliqua signa externa, vt imaginem, vel scripturam, aliudque huiusmodi; ita vt his positis non videatur dari posse ignorantiam inuincibilem rei, quæ sic alicui manifestatur, sed ita Deus manifestauit hominibus quod ipse existat; primo præstando illis lumen rationis, quo id intelligere possint, iuxta illud Psalmi 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui*; quod explicat D. Thomas 1.2. qu. 94. de cognitione naturali Dei ex creaturis habita. Secundò proponendo etiam speciem creaturarum externam, quæ est veluti signum quoddam, ac vestigium diuinæ potentiæ, diuinæque sapientiæ inquirendæ; *cum enim Deus*, inquit D. Ambrosius seu quisquis est ille verus author in epist. ad Rom. cap.1. *inuisibilis esset, vt etiam à visibilibus posset sciri, opus fecit, quod sua visibilitate opificem demonstraret*; ergo videtur esse impossibile moraliter quod detur ignorantia inuincibilis diuinæ existentiæ respectu communitatis, etiam sub ratione explicita primæ causæ, primique rerum omnium principij.

Quartò, tunc posset dari aliquod fundamentum asserendi ignorantiam inuincibilem diuinæ existentiæ, quando non prouidisset Deus hominibus de medijs necessarijs ad illius cognitionẽ taliter vt si illa deesset defectus eius non tam se teneret ex parte hominis, quam ex parte ipsius Dei, & prouidentiæ eius; sed opposito modo res se habet, prouidit quippè Deus de omnibus medijs necessarijs ad cognitionem diuinæ existentiæ, vt satis patet ex superiori argumento, ita vt si illa desit, defectus

eius se teneat tantùm ex parte hominis, cui cum Deus prouiderit omnia media ad ipsum cognoscendum necessaria, ipse tamen ex culpa sua, & ex prauitate cordis non vtitur illis; ergò nullũ est fundamentum asserendi ignorantiam inuincibilem diuinæ existentiæ. Maior huius argumenti videtur esse certa; minor autem præterquam quod, vt dicebam, satis patet ex superiori argumento, potest insuper probari ex hoc, quod innata est omnibus creaturis inclinatio quædam in suum principium, & in suũ finem, vnicuique conformiter ad naturam suam, tanquam in id per quod perficiuntur: ne igitur dicamus hominem esse peioris conditionis, quàm res insensatæ, quæ naturali pondere feruntur in suos fines, Deo supplente cognitionem finis, quam per se ipsos habere nequeunt; fatendum est Deum etiam hominibus prouidisse iuxta modum suum, de medijs necessarijs ad consecutionẽ sui finis; vndè cum modus hominis proprius tendendi in suum finem sit per cognitionem, dicendum est Deum illi prouidisse omnia necessaria ad hoc, vt finem suum, atque adeo creatorem suũ cognosceret, ita vt si illum ignoret, nõ possit vnquam hoc imputari nisi culpæ hominis, qui dictamẽ rationis, & synderesis suæ suggerentis principiũ, & conditorem à quo condita fuit, ductum sequi contemnit.

Confirmatur hoc argumentum; Deus non deficit in necessarijs, sed necessariũ est homini per modum præambuli ad fidem, & vt possit rectè actiones suas naturales dirigere, cognoscere Deum; quin sicuti se habent principia in speculatiuis, ita finis in practicis; vnde sicut ad speculatiuam cognitionem conclusionum; necessaria est prius cognitio principiorum, quæ sunt regula conclusionum, & cognitionis ipsarum; ita similiter, & cognitio finis erit omninò necessaria in ordine ad actiones bonas naturaliter; ergò si illa desit, deficiet aliquod maximè necessarium; cum igitur Deus nunquam deficiat in rebus adeò necessarijs, nunquam poterit deesse nobis illa cognitio, nisi ex defectu & culpa nostra.

Quintò, Theologi communiter docent 1.2.quæst.76.non posse dari ignorantiam inuincibilem circa prima principia vniuersalissima iuris naturalis, aut circa præcepta decalogi nudè sumpta, & sine aliqua circumstantia; ergò multò minus poterit inuincibiliter ignorari Deus, cuius cognitio magis necessaria est, quam illorum præceptorum, cum sit finis illorum; maximè si loquamur de tali ignorantia in ordine ad communitatem.

Quare quod de Acrotheitis refert Theophrastus, de Callaicis Strabo, de Brasiliensibus Molina 1. par. qu.2. nullam scilicet apud hos Dei notitiam repertam, falsum esse putant aliqui; hoc tamen concesso, nõ inde probatur quod illa ignorãtia nõ fuerit vincibilis, & culpabilis, quia non illis defuere media ad illam superandam, cum solo intellectus & rationis lumine, si non demonstratiuè, saltem probabiliter potuerint Deum cognoscere ex creaturis. Vndè hæc est maxima differentia inter peccatum infidelitatis, & ignorantiam Dei, quod multi, vt ait D.Thomas 2. 2. quæst.10. excusantur à peccato infidelitatis per ignorantiam; secus autem à defectu cognitionis Dei, vt est author naturæ; cum enim ex viribus naturę per discursum ita facilem haberi possit, ac viso fumo quilibet deuenit in notitiam ignis occulti, non est vndè tota aliqua communitas ab illius defectu excusari possit.

Dico secundò, non posse dari errorem, seu ignorantiam inuincibilem positiuam de existentia Dei respectu particularis indiuidui adulti, & ratione vtentis.

Probatur; quia vt notauimus supra, ad talem ignorantiam requiritur positiuus assensus ad propositionem contrariam sine rationabili dubio oppositi. Sed in nullo instanti in homine rationis cõpote, quantumuis rustico, & agresti, dari

dari poteſt poſitiuus aſſenſus, quod prima aliqua cauſa non ſit, ſine vllo dubio oppoſiti, ergo, &c. Probatur minor, vel enim ponitur quis ita ſagax, vt occurrat ei ratio ad aſſentiendum, quod Deus non ſit; & multò magis occurret ad aſſentiendum quod ſit; & multò minus occurret ad aſſentiendum quod non ſit. Ergo remanente ſaltem dubio oppoſiti, non poterit habere errorem, ſeu ignorantiam inuincibilem poſitiuam, quod prima aliqua cauſa non exiſtat.

Sed inquiret aliquis, an de exiſtentia Dei poſſit dari, ſi minus error, ſaltem dubitatio poſitiua inuincibilis, atque adeo inculpabilis. Reſpondetur negatiuè. Et ratio eſt, quia poſitiuè dubitans de exiſtentia Dei ſub ratione explicita primę cauſæ, vel non applicat animum ad veritatem hanc vlterius inueſtigandam, vel applicat; ſi primũ; tunc illa dubitatio hoc ipſo erit vincibilis, & culpabilis, contra lumen rationis; cui cum hæc duo ſaltem ſint euidentia, primum Deum eſſe colendum, ſi eſt; ſecundum non poſſe determinatè coli, niſi determinatè ſciatur eſſe, actualis enim exhibitio cultus ſupponit actualitatem eius, cui exhibetur; ſtatim inde conſurgit homini debitum applicandi animum ad indagandam hanc veritatem, ſit ne Deus, nec ne; vt videatur practicè, coli debeat, nec ne; nam vt ait D. Gregorius lib. 27. moral. cap. 3. *Omnis homo eo ipſo quod rationalis creatus eſt, debet ex ratione intelligere eum, qui ſe condidit Deum eſſe*. Vnde ſi contra hoc debitum, non applicetur animus ad vlteriorem inquiſitionem: hoc ipſo dubitatio remanens erit voluntaria, vincibilis, & culpabilis. Quod idem dicitur ſi applicetur cum prauo affectu, & propenſione ad negãdum. Si verò applicetur animus eo ſtudio, eaque diligentia, quæ in re tanti momenti debetur; tunc moraliter eſt impoſſibile, vt lumen rationis omni prauo affectu expeditum non ſtatim aſſentiatur diuinę exiſtentiæ per rationes ita faciles, & cuicumque obuias. Quare rectè Venerabilis Beda lib. 3. in Iob. cap. *Omnis homo*, inquit, *Deum ignorare non poteſt, niſi aut contemnat, aut negligat*. Et Cyprian. tract. de vanit. idol. *Hæc*, inquit, *eſt ſumma delicti nolle recognoſcere, quem ignorare non poſſis*.

Dico tertio; apud nullum agens morale in nullo tempore, vel inſtanti dari poteſt ignorantia inuincibilis negatiua de Deo, ſaltem ſub aliqua ratione confuſa, & implicita, ſeu communi boni, veri, & vltimi finis.

Probatur 1. Agens morale, qua tale, hoc eſt, præuio iudicio rationis dictante, quid in actionibus moralibus ſit conforme, quid difforme rationi, vel operatur honeſtè, vel non. Sed in neutro caſu, in nullo tempore, vel inſtanti poteſt haberi ignorantia inuincibilis negatiua Dei modo dicto; Ergo &c. Maior probatur, & fundatur in veritate illius ſententiæ, quæ aſſerit non dari actionem indifferentem in indiuiduo; aut ſi datur non pertinere ad agens morale, quà tale, ſed ad naturale; Minor probatur: & primo in actione morali honeſta; non enim poteſt quis honeſtè operari, niſi operetur formaliter propter honeſtum vt ſic, ſeu ex motiuo honeſtatis, vt dicitur 2. Ethic. cap. 4. atque adeo niſi ex præcognitione illius; cum voluntas non tendat in incognitũ; ſed eſt impoſſibile, quod agens morale ita operetur, niſi etiam præcognoſcat conformitatem, quam honeſtum habet ad vltimum finem; cum in tantum honeſtum ſit confoꝛme rationi; inquantum eſt conforme fini vltimo naturæ rationalis: à quo menſuratur omnis bonitas medij tendentis in finem; Ergò etiam eſt impoſſibile, quod apud vllum agens moraliter honeſtè, in vllo tempore, vel inſtanti detur ignorantia inuincibilis negatiua de Deo, ſaltem ſub ratione aliqua confuſa finis vltimi: cui talis actio iudicetur conformis, & ſic honeſta. Et certè ſi omnis voluntas appetens bonum, appetit Deum ſaltem implicitè, vt docet D. Thomas

quæſt.

quæst. 22. de verit. artic. 2. eo quod omne bonum sit participatio primi boni: multo magis appetens bonum honestum, quod tale est, vt medium est ad vltimum finem, appetet saltem implicitè Deum sub ratione vltimi finis, etiã si non cognoscat illum sub hoc nomine *Deus* explicitè & distinctè.

Quod etiam hæc Dei pręcognitio requiratur in agente morali exercente actionem malam moraliter, quæ erat altera pars minoris, probatur ex eodẽ fundamento, quod omnis actio, vt sit mala moraliter, debet esse cum præcognitione malitiæ; in actu enim malo, licet quis non operetur ex motiuo malitiæ; cum malum vt malum non possit esse volitum; operatur tamen cum pręcognitione malitię admixtę actui; atq; adeò cum præcognitione difformitatis ad vltimum finem naturæ rationalis; à quo mensuratur conformitas, aut difformitas ad rectam rationem, & sic malitia: sed non potest præcognosci difformitas ad finem vltimum: nisi precognoscatur finis vltimus; ergò in agente morali exercente actionem etiam malam moraliter, non potest dari ignorantia inuincibilis negatiua de Deo sub ratione quadam communi, & implicita vltimi finis. Et hoc est, quod docet S. Thomas 1. p. quæst. 2. ad 1. Deum naturaliter cognosci ab omnibus sub quadam confusione, inquantum scilicet Deus est hominis Beatitudo.

Probatur secundò, quia vnusquisq; adultus tenetur conuertere se in Deum tanquam in vltimum finem, referendo se & omnia sua in illum, alias peccat mortaliter: Ergò cum ad amorem finis, & conuersionem voluntatis in ipsum sit necessaria cognitio; nõ potest adultus rationis vsum habens inuincibiliter ignorare Deum saltẽ sub ratione summi boni, & vltimi finis, patet consequentia probatur antecedens ex doctrina D. Thomæ 12. quæst. 89. art. 6. ad 3. vbi asserit, in primo instanti vsus rationis teneri hominem conuerti in Deum; & non faciendo vim modo in illa particula, in primo instanti, sufficit id, quod certum est apud omnes, quod scilicet illud præceptum conuertendi se in Deum, pro aliquo instanti in vita obligat vnumquemque; inde enim satis colligitur pro illo instanti neminem quantumcũque rusticum, & rudem posse habere ignorantiam inuincibilem Dei. Neque valet dicere, quod sufficit, quod ille conuertatur ab bonum rationis in communi; hoc inquam non sufficit, etsi enim pro illo instanti non sit absolutè necessarium ad satisfactionem præcepti, vt cognoscatur Deus vt causa prima, siue sub ratione explicita primæ causę, primique rerum omnium principij, non potest tamen non confusè cognosci vt finis vltimus, tum quia vnusquisque pro tunc tenetur conuerti ad aliquod summum bonum tanquã in vltimum finem, subijciendo se illi, & referendo se, & omnia sua in illum, tanquam in superiorem regulam morum: sed esse vltimus finis est Deus saltem imperfectè, & confusè cognitus, ergo &c. tùm etiam, quia ad actionem moralem prerequiritur cognitio honesti, vel inhonesti; hoc autem non mensuratur à Deo sub ratione causæ primæ, sed sub ratione finis vltimi: cum honestum, qua tale, constituatur per ordinationem ad finem, inhonestum verò per deordinationem à fine.

Dico quartò. Etsi pro aliqua temporis differentia possit naturaliter dari ignorantia negatiua, seu inaduertentia inuincibilis de existentia Dei sub ratione explicita primę causę respectu adulti habentis vsum rationis, si tamen diu vixerit moraliter est impossibile, quod etiam Deum sic ignoret.

Explicatur prima pars huius conclusionis ex eo, quod potest etiã adulto ratione vtenti, saltem per aliquod temporis interuallum non occurrere talis cogitatio primæ causę: præsertim si sit valdè rudis, si solus reperiatur in syluis ab omnium consortio segregatus;

tus; nec etiam ad actionem moralem requiritur talis cognitio, sed sufficit cognitio Dei imperfecta, sub ratione confusa vltimi finis, vt statim diximus; ergo pro aliqua temporis differentia potest quis adultus ignorare Deum inuincibiliter negatiuè sub ratione explicita primæ causæ.

Si tamen diu vixerit, moraliter esse impossibile, quod sic Deum ignoret, quæ est altera pars nostræ cõclusionis; Probatur primò, sicut enim impossibile moraliter est, vt quis diu habitet in pulcherrimo aliquo palatio omnibus numeris absoluto; neque vnquam illi in mentem veniat cogitatio aliquem eius dominum, aliquem architectum fuisse; ita, cum mundum sine Deo nõ esse factum certum sit, sicut nec domũ sine artifice, & ædificatore; vt præclarè docet Eusebius lib. 7. de præparat. Euang. cap. 2. moraliter est impossibile, quod aliquis diu viuat in hoc mundo, quin illi cogitatio aliqua occurrat de supremo illius domino & authore, quæ quamuis statim à principio non sit cognitio demonstratiua, tamen ad minus erit valdè probabilis, quod sufficit, vt non detur ignorantia inuincibilis Dei sub ratione explicita primæ causæ, & teneatur quis ad illum sic colendum.

Probatur secundò, quia quilibet quantumuis rusticus, & agrestis applicans animum ad conseruationem vitę, ad bonum, & existimationem propriam, inuenit per naturalem discursum multas veritates ad hęc spectantes. Ergo etiam applicans animum, eo studio, eaque diligentia, quam debet adhibere ad inuestigandum Deum, longè facilius è creaturis colliget creatorem, statimque apparebit quam sit consentanea rationi existentia primę causæ; etiamsi non penetret rationes demonstratiuas, quibus probatur. Quamobrem Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theologia, *Deum esse*, inquit, *& esse causam quamdam, quę & creauit vniuersa, & contineat, cum ipse nos aspectus, tum naturæ lex docent*; & hęc sufficiant de præsenti difficultate, circa quam, si quæ sint diuersæ sententiæ, si quæ obiectiones in contrarium, ex dictis facilè conciliari, & solui possunt.

CAPVT XXI.

Vtrum Deum esse, sit primum cognitum.

CVm triplex sit ordo in ratione intelligibilis, primus est originis seu generationis, secundus perfectionis, tertius causalitatis, seu adæquationis, circa propositam difficultatem aliquid vt certum supponitur, aliud in dubium reuocatur. Certum est primò, Deum esse primum cognitum primitate, tum perfectionis, tum causalitatis; perfectionis cum sit ens omnium perfectissimum; causalitatis cum sit etiam prima rerum omnium causa. Certum est secundò Deum non esse primum cognitum primitate adęquationis, quasi contineat omne cognitum, etsi enim contineat omnia eminenter, non tamen continet formaliter. Ens autem creatum est cognoscibile in se, & sub propria ratione formali.

Tota igitur difficultas procedit de primitate originis, seu generationis; id est, vtrum principium nostrę cognitionis originetur, non solùm causaliter influẽdo in omnes omnium cognitiones, sed etiam obiectiuè à Deo: ita vt Deus sit primum obiectum ab intellectu cognitum, siue vt loquuntur aliqui obiectum primo occurrens in intellectu; & circa difficultatem sic intellectam duplicem reperio sententiam, prima est Henrici in summa artic. 21. quæst. 2. & Bacconij in 1. sent. dist. 3. quæst. 1 art. 3 contendentium Deum esse primum cognitum primitate, quam vocant originis, seu generationis; contraria tamen sententia longè est communior, & probabilior, quam tanquam certam supponere videtur D. Thomas in 1. dist. 3. q. 1. art. 3. in corp. dum docet via naturali procedi à creaturis ad creatorem, via

autem

autem fidei procedi è conuerso. Priusquam autem ad illius probationem deueniamus; notandum est parum ad illam referre, vtrum singularia, minusque vniuersalia, atque magis determinata, sint prius nota, quam magis vniuersalia, & indeterminata, siue enim iuxta probabiliorem D. Thomæ doctrinam 1. p. quæst. 85. artic. 3. vniuersale prius cognoscatur, quàm singulare saltem cognitione confusa, siue iuxta Scotum opposito modo res se habeat; habemus aliud fundamentum firmius ad probandum esse impossibile, quod Deus pro præsenti statu naturaliter cognitus, sit obiectum primo occurrens in intellectu.

Quia pro præsenti statu creatura intellectualis naturaliter loquendo; non cognoscit Deum nisi abstractiuè, atque adeò non in seipso, sed in alio, vel ex alio, ex creaturis videlicet tanquam ex effectibus; ergò prius cognoscuntur creaturæ quam Deus, saltem prioritate originis, quatenus naturalis Dei cognitio suam originem ducit à præuia creaturarum cognitione, & consideratione. Antecedens fuit probatum supra; consequentia etiam patet, nam illud quod primò cognoscitur ab intellectu primitate originis, seu generationis debet per se, & ratione sui cognosci, si igitur cognoscatur tantùm Deus ex creaturis, tanquã ex suis effectibus à posteriori; implicat in terminis quod sit primum cognitum primitate originis, seu generationis.

Quod argumentum non solum probat respectu intellectus immersi in materia, qualis est pro præsenti statu intellectus humanus, Deum non esse primum cognitum, sed neque etiam respectu emersi, puta Angelici, vel animæ separatæ, cum ex dictis supra nullam aliam naturaliter habeant de Deo cognitionem, quàm abstractiuam; Est tamen differentia inter vtrumque intellectum, quod tam Angelus, quàm anima separata in statu naturæ, ita prius cognoscunt existentiam creaturæ, quam Dei, prioritate originis, seu primitate positiua, quatenus etiam in illis suo modo cognitio Dei, si non formaliter, saltem virtualiter, & obiectiuè originatur à cognitione creaturæ; ita inquam hoc est illis commune cum intellectu immerso in materia, vt tamen ad distinctionem illius, attingant simul vtramque simultate durationis. Eo enim ipso, quod tam Angelus, quàm anima separata habent in primo instanti actualem cognitionem intuitiuam, & comprehensiuam sui ipsius, vt hic suppono ex tract. de Angelis; procul dubio cognoscunt se in illo primo instanti secundum omnia prædicata sibi intrinseca, atque adeò secundum ordinem transcendetalem, quem intrinsecè dicunt ad Deum. Ergò in eodem instanti, atque adeò simul simultate durationis attingunt vtramque existentiam, cognoscendoque se quidditatiuè, vt entia secunda, & causata, cognoscunt etiam terminatiuè, & connotatiuè ens primum & causans; vndè aliqui dicunt, tàm Angelo, quàm animæ separatæ in statu naturæ, Deum esse primum cognitum, saltem negatiuè; quia scilicet non prius alia cognoscunt, quàm Deum prioritate durationis, licet prioritate originis, Deus sit illis posterius cognitus, vt dictum est.

Probatur secundò conclusio, potissimum respectu intellectus immersi in materia; omnis enim nostra cognitio intellectualis oritur à sensibus, ex Philosopho 1. metaph. cap. 2. quod patet tum à posteriori ex experientia, tùm à priori per commensurationem ad statum immersionis in materia sensibili. Ergo id, quod primo cognoscitur ab intellectu immerso in materia pro præsenti statu, est sensibile materiale, seu ens quidditate materiali concretũ, traductum per sensum ad phantasiam, & ab hac medio phãtasmate ad intellectum; sed Deus est obiectum maximè immateriale, & semotum à sensi-

bus, ergo non poteſt habere rationē primi cogniti prioritate originis reſpectu intellectus immerſi in materia.

Confirmatur, quia pro præſenti ſtatu noſter intellectus cognoſcit Deū ſemper ad modum entis materialis; ergò ens materiale, eſt id quod primò attingitur à noſtro intellectu; tùm quia poſteriora induunt modum priorum, non autem è conuerſo; tum etiā quia videtur impoſſibile, quod Deus cognoſcatur ad modum entis materialis; & ens materiale non ſit prius cognitum: quomodo enim poſſet ens materiale modificare cognitionem, quam pro præſenti ſtatu habemus de Deo, niſi præceſſiſſet, & prius cognitum fuiſſet? quando enim intellectus cognoſcit aliquid ad modum alterius, ſumit normam, regulam, & exemplar cognoſcendi ex illo, ad cuius modum aliud cognoſcit; vnde ſicut pictor pingens, aut ſculptor efformans aliquid ad exemplar alterius, prius de neceſſitate debuit cognouiſſe illud, ad cuius exemplar aliquid pingit, aut efformat; ita intellectus noſter imprimens, & veluti pingens in ſe imaginem ad exēplar, & ſimilitudinem alterius, debuit prius neceſſariò cognouiſſe illud, ad cuius ſimilitudinem imaginem pingit & efformat.

Inſtabit aliquis, & dicet cum Henrico loco ſuperius citato, in quolibet obiecto creato prius confusè cognoſci rationem entis, quam talis entis, cum intellectus in obiectum ſuum tendat, ad gradus vniuerſaliores prius cognoſcendos; ſicque in ratione illa generaliſſima entis denudati ab omni differentia, cognoſci Deum, qui eſt ens ſimpliciter.

Reſpondetur ad hoc argumentum primò falſum eſſe, quod ens primo cognitum ab intellectu noſtro ſit ens in vniuerſali amplitudine ſua, ſicut videtur ſupponere inſtantia, longe enim probabilius eſt, eſſe ens concretum quidditate ſenſibili, ſeu concernens quidditatem ſenſibilem, & materialē, ad cuius modum omnia cognoſcimus pro præſenti ſtatu, vndè dum dicitur, quod intellectus in obiectum ſuum tendit, ad gradus vniuerſaliores prius cognoſcendos; debet tantum concedi ſi illi gradus vniuerſaliores ſint magis proportionati potentiæ intellectiuæ, ſeque habeant per modum obiecti intenſiui, ſeu motiui, non autem extenſiui; negandum autem ſi res ſecus ſe habeat; quare cum ens conſideratum vt præſcindit ab omni concretione quidditatis materialis non ſit ita proportionatum intellectui noſtro, ſicut eſt ens quidditate materiali concretum, non exiget cognoſci prius, ſecundum priorem illam conſiderationem, ſed ſecundum poſteriorem; quia vt optimè notat D. Thomas quæſt. 2. de veritate artic. 6. *Actio ſequitur conditionem formæ per quam agens agit*; vndè cū ſpecies intelligibilis, per quam noſter intellectus pro præſenti ſtatu viæ naturaliter intelligit, ſit educta à phantaſmate, & quidditatem materialem, quæ in eo relucet, concernat, propterea debet cognitio ſequi modum talis ſpeciei, & primò conſequenter reſpicere illud ens, quod quidditatem materialem concernit: non autem ens quod præſcindit à quidditatis materialis cōcretione, & reſpectu.

Reſpondetur ſecundò, dato, quod obijciatur in obiecto ſingulari prius ratio entis vt ſic, quam entis materialis, nihil indè ſequitur contra noſtram concluſionem, quodque Deus ſit primum cognitum, ſed potius oppoſitum. Tum quia Deus eſt ens maximè determinatum, & ſingulare, imo ipſa ſui determinatio, & ſingularitas per eſſentiam: & ſic, ſi ens maximè vniuerſale eſt primum cognitum: Deus, ens maximè ſingulare, erit vltimum cognitum. Vnde quando idem author obijcit vniuerſale eſſe prius cognitum, Deum eſſe maximè vniuerſale, atque adeo primum cognitum; diſtinguenda eſt maior, & admittenda ſi intelligatur de vniuerſali in prædicando,

ſecus

secus autem de vniuersali in essendo; Deus autem est ita quid maximè vniuersale in essendo quatenus continet, vel formaliter, vel eminenter omne esse, vt tamen non sit quid vniuersale in prædicando; vnde admisso adhuc principio Henrici, quod vniuersaliora in prædicando sint prius nota; non tenet consequentia quod Deus sit primum cognitum; cum sit manifesta fallacia æquiuocationis; & fiat transitus ab vniuersali in prædicando, ad vniversale in essendo, vel causando; Tum quia, si prius obijcitur nostro intellectui cognoscenda, ratio vniuersalior, prius obijcietur ratio vniuersalissima entis, præscindentis à creato, & increato, quam ratio entis determinata ad increatum. Ergo ex doctrina ipsa Henrici sequeretur primum cognitum non esse ens increatum, sed aliquid vniuersalius, nempè ens commune creato, & increato.

Obijcit secundò Bacconius, aliquid dupliciter posse cognosci, vno modo perceptibiliter, alio imperceptibiliter, primo modo, prius cognosci creaturam, secundo prius Deum.

Sed contra est, etsi enim cognitio Dei ex creaturis, tanquam ex suis effectibus ita sit facilis, ex dictis toto huius sectionis decursu, vt iure merito discursus quidam imperceptibilis appellari possit; implicat tamen in terminis, quod Deus dicatur esse primum cognitum imperceptibiliter, eo ipso quod cognoscitur in alio, & ex alio; deinde arguendo à priori, non est assignabile, vndè proueniat in intellectu hæc species primò repræsentatiua Dei; nam in nobis, vt superius dictum est, omnis species naturalis desumitur ab obiecto creato, & sensibili, in quo formaliter nulla reperitur ratio propria obiecti increati, & spiritualis; imo potius reperitur ratio opposita. Ergò neque perceptibiliter, neque imperceptibiliter potest nobis obijci Deus per modũ obiecti primo cogniti, prioritate originis, vel generationis.

Obijcitur tertiò, vnumquodque sicut se habet ad esse, ita ad cognosci, vt dicitur 2. metaph. tex. 4. sed Deus est primum ens: Ergo primum cognoscibile, primumque cognitum; deinde nulla creatura perfectè cognoscitur nisi Deo perfectè cognito; cum quælibet creatura cõstituatur per ordinem ad Deum, & vnumquodque perfectè cognoscatur per ordinem ad suam causam; ergò nulla creatura simpliciter cognoscitur, nisi Deo prius simpliciter cognito; cum ita se habeat simpliciter ad simpliciter, & minimum ad minimum, sicut maximum ad maximum.

Respondetur ad hoc argumentum distinguendo maiorem, & concedendo libenter, ens, sicut se habet ad esse, ita se habere ad cognosci respectu illius intellectus cuius est obiectum proportionatum; vel de cognoscibilitate secundum se, non autem quo ad nos, & comparatiuè ad intellectum respectu cuius non tam se habet per modũ obiecti motiui, & intensiui, quàm extensiui; deindè concessa minori, Deum videlicet esse primum ens, pariter distinguenda est consequentia, & concedendum, sicut Deus est primum ens secundum se, ita esse primum cognoscibile secundum se, primumque cognitum respectu intellectus diuini, non autem respectu nostri, non enim valet consequentia à secundum se ad secundum nos, vt satis superque dictum fuit superius.

Ad confirmationem respondetur primò concedendo antecedens, & negando consequentiam; ad cuius probationem dico ita se habere simpliciter ad simpliciter, & minimum ad minimum, sicut maximum ad maximũ, in eodem ordine, seu genere cognitionis, ita vt, si sit sermo de cognitione rei per suam causam, per idem simpliciter & perfectè consequimur illam, scilicet per causam magis vel minus pene-

penetratam; & sic cognoscendò creaturam per Deum, tanquam per suam causam primam, est certissimum quod prius iuxta modum talis cognitionis debet cognosci Deus, quam creatura, causa quam effectus; si verò sit sermo de cognitione alicuius rei à posteriori, & per suum effectum, in tantum sic cognoscitur, in quantum prius vel simpliciter, vel perfectè cognoscitur effectus; cum igitur pro præsenti statu nullam aliam habeamus Dei cognitionẽ quam abstractiuam, & à posteriori; creaturæ autem possint à nobis cognosci in seipsis, manifestè sequitur nos ex illis sic prius cognitis posse tantùm deuenire in cognitionem Dei, atque adeo pro præsenti statu non posse habere rationem obiecti primo cogniti.

Secundò respondetur negando antecedens, Angelus enim in statu naturæ habet cognitionem perfectissimam sui ipsius comprehensiuam, & intuitiuam; & tamen non habet in illo statu nisi imperfectam cognitionem Dei; quare potest retorqueri argumentum, & dici, quod sicut potest haberi perfecta cognitio creaturæ, sine perfecta cognitione Dei; ita simpliciter potest haberi cognitio creaturæ sine cognitione Dei; quamuis sit impossibile, quod habeatur perfecta cognitio creaturæ, maximè sub illo conceptu, sine aliquali, & imperfecta cognitione Dei, vt mox dicetur.

Obijcitur quartò, non potest concipi accidens nisi simul, imo nisi prius cognoscatur substantia, ad quam dicit ordinem; ergo neque poterit cognosci creatura, quin prægnoscatur Deus, Siquidem maior est ordo, & dependẽtia creaturæ ad Deum, quam accidentis ad substantiam.

Respondetur pariter ad hoc argumentum negando antecedens; prius enim pro præsenti statu, quo omnis nostra cognitio suam originem ducit à sensibus, cognoscuntur accidentia, quam substantia, & sic etiam retorqueri potest argumentum: sicut substantia non est obiectum prius cognitum, quam sit accidens, etiamsi substantia secundum se sit prior, quam accidens, ita Deus non erit obiectum prius cognitum, quam creatura; etiãsi secundum se sit prior, quam creatura.

Obijcitur quintò, vnumquodque per illud primum cognoscitur, quod magis intrinsecè illi conuenit. Sed Deus secundum illapsum per essentiam est intimior creaturæ quàm ipsa sibi. Ergo primum, quod natum est, cognosci ex phantasmatibus creaturæ est Deus.

Respondetur ad hoc argumentum admittendo maiorem ad summum de eo, quod magis intrinsecè conuenit creaturæ constituendo essentiam illius; Deus autem non habet illapsum in creaturas per essentiam, constituendo essentiam creaturæ; sed tantùm vt intimè præsens, & vt essentiale principium, & finis creaturæ; per quæ prædicata se habet ad conceptum creaturæ tantùm connotatiuè, & extrinsecè. Vndè tantùm sequitur, creatura perfectè cognita sub ratione creaturæ, necessariò etiam cognosci vt correlatiuum creatorem, sed non prius.

Obijcitur sextò, quia hoc maximè spectat ad perfectionem Dei in ratione intelligibilis, vt ipse & finis sit, & principium nostræ cognitionis. Sicut enim Deus, & finis, & principium est rerum secundum esse reale, ita etiam erit secundum esse intentionale.

Respondetur primò pertinere ad perfectionem Dei, quod sit principium nostræ cognitionis effectiuè non obiectiuè; non enim tenet consequentia à primo, & perfectissimo cognoscibili quantum est de se, ad primum cognoscibile nobis, imo potius opposita valet consequentia pro præsenti

senti

ſenti ſtatu, quo modus procedendi naturalis in intellectu imperfecto, eſt ab imperfectis ad perfecta, & 1. phyſic. tex. 2. manifeſtiora natura dicuntur nobis immanifeſtiora. Vndè ſicut in ſtatu perfecto patriæ Deus eſt obiectum primarium, creatura ſecundarium; ita in ſtatu imperfecto viæ, creatura eſt obiectum primarium, Deus ſecundarium: & ſicut ibi creaturæ cognoſcuntur in Deo clarè viſo, & facie ad faciem, ita hic Deus in creaturis cognoſcitur per ſpeculum in ænigmate.

Verùm quia omnes ſupradictæ rationes, tantùm probant Deum non eſſe obiectum primo cognitum prioritate originis, cognitione apprehenſiua; ſupereſt difficultas, vtrum ſaltem ſit obiectum primo cognitum per primum actum diſcurſus quem facimus? circa quod nihil certi ſtatui poſſe puto; etſi enim iuxta probabiliorem Diui Thomæ ſententiam 1. 2. quæſt. 89. artic. 6. qua tenetur homo in primo inſtanti vſus rationis conuertere ſe ad Deum diligendo eum ſuper omnia, dicendum ſit conſequenter Deum ſaltem ſub aliqua ratione confuſa debere eſſe obiectum primo à nobis cognitum, per primum actum diſcurſus à nobis factum, maximè ſi ſumatur illud primum inſtans rationis rigorosè, & indiuiſibiliter, quia tamen omnes non ſic illud intelligunt, nec etiam omnes huic præcepto ſatisfaciunt, ideo dixi nihil certi de facto ſtatui poſſe, ſed aliquando eſſe obiectum primo cognitum, aliquando non.



SECTIO

SECTIO QVARTA

De Vnitate Dei aduersus Politheismum, siue Idololatras Deorum pluralitatem admittentes.

CAPVT PRIMVM.

De Politheismo, eiusque causis, origine, & varietate.



VEMADMODVM Atheismus, ex dictis superiori capite, est nomen Græcum significans falsam, & impiã illorum persuasionem, qui alicuius supremi numinis existentiam directè negant: ita quoque Politheismus est nomen Græcum significans superstitiosum illorum errorem, qui eiusdem supremi numinis vnitatẽ directè negant, indeque Deorum pluralitatem admittunt, & colunt. Vt enim vnitas, qua asserimus vnum duntaxat esse Deum, inuoluit negationem omnis alterius Dei distincti ab illo, quem dicimus esse vnum, quemque adoratione, ac seruitute illi sola debita veneramur, non solùm tanquam actu existentis, verum etiam tanquam possibilis: Deus enim necessariò est vnus; atque adeò non solum actu non datur, sed nec dari prorsus potest vllus alius Deus: vt, inquam, vnitas Dei similem inuoluit negationem, ita qui semel negant eius vnitatem, siue illum esse vnum, plures consequenter Deos confingere, ijsque diuinum honorem, & cultum exhibere tenentur; vnde rectè Politheistæ, nec non etiam Idololatræ vocantur; loquendo de idololatria propriè sumpta, prout illam potissimum intendimus in hac sectione impugnare, ad quam tria requiruntur, scilicet opinio aliqua diuinitatis de idolo, seu re, quæ adoratur, affectus adorationis in voluntate, & adoratio ipsa, seu exhibitio signi submissionis, & recognitionis alicuius excellentiæ diuinæ in re sic adorata.

Idololatriæ autem, siue Politheismi hoc modo considerati plures solent assignari causæ, quas D. Thomas 2. 2. quæst. 94. art. 4. ad duas reducit. Primam vocat dispositiuam, seu occasionalem ex parte hominum se tenẽtem, alteram verò consummatiuam ex parte dæmonum: vbi dum Angelicus doctor ait, causam idololatriæ dispositiuam fuisse ex parte hominum, non loquitur de illis attenta præscisè, vel absolutè eorum natura, cum potius naturalis ratio illis dictet, quod vnus sit Deus, & quod non sit mortuis cultus diuinus exhibendus, neque rebus inanimatis; sed in responsione ad primum refundit illam in naturæ defectum, *vel* per inordinationem affectus, prout scilicet homines aliquem hominem, vel nimis amantes, vel nimis venerantes, honorem diuinum ei impenderunt: *vel* per repræsentationis delectationem, quatenus homo naturaliter de repræsentatione delectatur, vt docet Philosophus in Poet. cap. 2. Et ideo homines rudes à principio viden-

dentes per diligentiam artificum imagines hominum expressiuè factas, diuinitatis cultum eis impenderunt; *vel* tandem per ignorantiam intellectus, qua homines veri Dei excellentiam non considerantes, quibusdam creaturis propter pulchritudinem, seu virtutem, diuinitatis cultum exhibuerunt. Cum autem ex eodem D. Thoma dicta quæst. 94. art. 1. ad 4. duplex distinguenda sit idololatria, vna sine imaginibus, alia cum illis, & idolis sensibilibus, ita res se habet, vt potissima prioris causa fuerit ignorantia veri Dei, propriæve eius excellentiæ non debita consideratio, vt habetur Sapient. cap. 13. v. 1. posterior autem, siue idololatria cum cultu, & veneratione sensibilium simulachrorum, originem habuerit ex delectatione a repræsentatione promanante, vt eodem Sapient. capite dicitur v. 10. nec non ex nimio affectu ad aliquos homines mortuos, & desiderio præsentiæ illorum, accedente tyrannide, vel nimia Principum assentatione, eiusdem libri Sapient. cap. 14. vbi Sapiens, prius asserto, idolorum vsum non fuisse ab initio, neque futurum in perpetuum, sed ab hominibus otiosis, & vanis inuentum esse, modum inuentionis describens ait: *Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit, & constituit inter seruos sacra, & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio figmenta colebantur. Et hæc*, concludit Sapiens nonnullis interiectis, *fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.*

Porrò dæmones vocãtur à S. Thoma causa Idololatriæ consummatiua, *vel* quia se colendos hominibus errãtibus exhibuerunt, tùm dando responsa in Idolis, tum plura quæ hominibus mirabilia videbantur patrando, tũ eis aliqua temporalia bona promittẽdo; *vel* etiam quia sine his, diabolo suadente, & tentante homines in idolatriam prolapsi sunt, creaturas, à quibus, aut quarum auxilio in suis necessitatibus, aut ærumnis subleuari sperabant, vt Deos colendo, in quo cultu ratio Idololatriæ consistit; vnde, & psal. 95. dicitur: *Omnes Dij gentium dæmonia*: quia aut erant dæmonia, aut figmenta dœmoniaca, cooperante dæmone suis præstigijs, ac deceptionibus, vt aliæ etiam præter ipsum creaturæ, vel animatæ, vel inanimatæ vt dij à gentibus colerentur. Tantùm sufficiat de origine causali, siue de causis, & occasionibus idololatriæ, nunc paulò fusius agemus de temporaria eius origine, id est, de initio temporis; in quo introduci cæpit idololatria.

Pro cuius intelligentia notandum est primò ex D. Augustino vltimo lib. & cap. de ciuitate Dei, septem mundi ætates distingui posse: *primam* ab Adã vsque ad diluuium; *secundam* à diluuio vsque ad Abraham: *tertiam* ab Abraham vsque ad Dauid: *quartam* à Dauid vsque ad transmigrationem populi Dei in Babylonem: *quintam* à transmigratione illa vsque ad Christi Domini natiuitatem: *sextam* à Domini natiuitate vsque ad diem iudicij: *septimam* à iudicij die in æternum.

Secundò aduertendum est, dum inquiritur, qua mundi cæperit ætate Idololatria, posse esse sermonem de illa strictè sumpta, pro idolorum cultura, siue pro cultu falsorum Deorum medijs simulachris, & imaginibus, vel de illa in ampliori significatione pro quocunque diuino cultu creaturis exhibito. Et iterum quæri potest, comparando inter se idololatriã sine imaginibus, & cum imaginibus, quænam illarum antiquior fuerit, & prius inceperit, atque adeo quodnam fuerit omnino primum totius idololatriæ initium.

Tertiò obseruandum est, vbi inuestiga-

ſtigatur, an Idololatria ſine Imaginibus prius fuerit in vſu, quam cum illis, id poſſe intelligi, vel de priuato cultu, quem vnuſquiſque ſibi eligebat iuxta proprium errorem, & opinionẽ, vel de publico cultu per dedicationem templorum, & ſacrificiorum.

Quartò ſciendum eſt in hac difficultate de temporaria Idololatriæ origine tot eſſe, quot capita, ſententias. Aliqui enim exiſtimant, illam, etiam per vſus ſimulachrorum incæpiſſe à tempore Enos filij Seth, & nepotis Adæ; vel quia ipſe cæpit Dei imaginẽ ritu Catholico erigere, iuxta illud Geneſ. cap. 4. 26. *Iſte cæpit inuocare nomen Domini*: & indè alij erroneè ſumpſerunt occaſionem idola cõdendi, & depingendi Deum, ſub forma ſenſibili tanquam propria Dei, quod ad Idololatriam ſpectat, vt docet Dionyſius Carthuſ. ſequens ſcholaſticam hiſtoriam Geneſ. 4. & ſumitur ex Hebræorum lectione, & interpretatione, quam ibidem refert Lipomanus in Catena ex D. Hieronymo: vel quia ipſemet Enos fuit tam pius, & ſanctus, vt cæperint illum inuocare, eique tanquam Deo imaginem dicare; quod ſignificat Theodoretus quæſt. 47. in Geneſ. alijque citati à præfato Lipomano in Catena Geneſ. 4.

Alij ad Aegyptios initium huius praui cultus referunt; cum enim impius Cham Noe filius in Aegypto regnaret, docuit accolas adorare cæli aſtra, Solem, Lunam, & Stellas vt Deos, quod inquiunt ſuaſu difficile non fuit in regione, vbi propter defectum nubium, & imbrium, mira claritate, ac pulchritudine fulgent, miroſque in terram emittunt influxus. Quin imo horum exemplo omnes propè populi, ac gentes in hoc vnum deinceps conueniſſe videntur, vt Solem, & Lunam, reliquaque aſtra, Deos eſſe crederent; Elementa quoque viſibilia, vt aërem, & ignem, ijdem coluerunt Aegyptij, Nilumq; ipſum cuius aquarum abundantia Aegypti regio fertilis redditur; nec his Dijs contenti, vix animal vtile, aut nociuum reliquere, quod non colerent vt Deum, v. g. canes, boues, oues, hircos, catos, crocodilum; ex auibus ibices contra ſerpentes, vt ait Plinius lib. 10. cap. 28. Inſuper his Dijs brutis addidere multa herbarum genera; de quibus omnibus iuuat audire aliquos Poetas lepidè eos irridentes; primus ſit Anaxãdrides Rhodius Poeta Græcus, qui alloquens Aegyptios ait.

Haud eſſe vobiſcum queo cummilito
Concordibus nec moribus, nec legibus,
Per maxima interualla differentibus.
Bouem colis: Dijs ego macto bouem.
Tu maximum Deum anguillam putas: ego
Obſoniorum credidi ſuauiſſimum.
Carnes ſuillas tu caues: at gaudeo
His maximè. Canem colis, quem verbero
Edentem vbi deprehendo fortè obſoniũ.

Alter autem Iuuenalis, lib. 5. ſatyr. 15.

Quis neſcit Voluſi Bythinice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat, &c.
Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morſu.
O Sanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina.

De iiſdem Aegyptiorum Dijs videri poſſunt Herodotus in Euterpe, Diodorus Siculus, Solinus, D. Auguſtinus lib. 2. de ciuit. Dei cap. 22. Euſebius *de præparat. lib. 8. cap. 26.* Theodoretus de Euangelij cognitione lib. 13.

Sed quod magis eſt plura ad illos ſpectare videntur Scripturæ loca, in quibus vel condemnatur, vel prohibetur, vel etiam reprehenditur nonnunquam ſimilis Idololatria filiorũ Iſrael, quam propter diutinam cum Aegyptijs cõuerſationem diſcere ab illis potuerant: Deuteronomij cap. 4. verſ. 19. *Ne fortè eleuatis oculis in cælum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea; & colas, quæ crea-*

creauit Dominus Deus tuus in ministeriū cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt. & cap. 17. v. 3. *Vt vadant, & seruiant Dijs alienis, & adorent eos, Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi*. lib. 4. Reg. cap. 21. v. 3. *Et adorauit omnem militiam cæli, & coluit eam*. item lib. 2. Paralip. cap. 31. v. 3. Vbi per militiam cæli, tam in his, quā in alijs Scripturæ locis significantur stellæ, quod plurimæ sint, & sicut exercitus ordine dispositæ, quarum multitudini cum luna de nocte præesse videatur, nec non propter magnas, quas præ cæteris affert vtilitates suis influentijs plantarum germinationi, omnique agriculturæ, inde Regina cæli ab Idololatris dicebatur; Ierem. 7. *Et mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli*. A nonnullis etiam creditur Sapientem ad Aegyptios allusisse vbi ait Sap. 13. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*, &c. *sed aut ignem, aut spiritum*, id est aerem puriorem supremæ regionis, aut citatum aerem, græce celerem, id est ventum, qui vndequaque concitatè mouetur; *aut gyrum stellarum*, quæ in orbem voluuntur; *aut nimiam aquam*, græcè vehementem, aut violentam, qualis est alueus Nili, *aut solem, & lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt*: cap. autem 14. ver. 15. ad eosdem insuper referre videtur ipsam idolorum originem, siue Idololatriam cum imaginibus, & idolis sensibilibus; quatenus verisimile est, eum ibi attingere historiam cuiusdam Syrophanis Aegyptij, quam Diuus Fulgentius (si tamen eius est opus) in lib. 1. Mytholog. §. *Vnde idolum dicitur*, in hunc modum narrat: *Diophanes Lacedæmonum author libros scribit antiquitatum viginti quatuor, in quibus ait Syrophanem Aegyptium familia, substantiaque locupletem filium genuisse, quem velut enormis substantiæ successorem, ineffabili vltra quem paternitas exigebat affectu erga filium, deditum amabat. Isque dum aduersis fortunæ incursibus raperetur, patri geminæ orbitatis crudele dereliquit elogium*, &c. Et infra, *Denique doloris angustia, quæ semper inquirit necessitatis solatium, filij sibi simulachrum in ædibus instituit*. Et paulò post: *Denique idolum dictum est Idodynin, quod nos Latini speciem doloris dicimus. Namque vniuersa familia in domini adulationem, aut coronas plectere, aut flores inferre, aut odoramenta simulachro succendere consueuerat: nonnulli etiam seruorum culpabiles, Domini furiam euitantes, & ad simulachrum profugi veniam merebantur, & quasi salutis certissimo collatori, florum, aut thuris offerebant munuscula, timoris potius effectu, quam amoris affectu*.

Tandem Exodi 8. v. 25. vbi Pharaoni dicenti, *Ite, & sacrificate Deo vestro in terra hac*, respondit Moyses: *Non potest ita fieri, abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro; quod si mactauerimus ea, quæ colunt Aegyptij coram eis, lapidibus nos obruent*: Per abominationes Aegyptiorum debent intelligi eius generis animalia, quorum cædem siue ad esum, siue ad sacrificium abominabātur Aegyptij, quod ea pro Dijs colerent, puta oues, capras, tauros, quos potissimè in veneratione Aegyptij habebant sub nomine Apis; & quorum quia aliqua sacrificaturi erant Hebræi, indè Moyses eos ab Aegyptijs lapidibus obrui timendum esse dixit: sicut & ob eamdem causam Aegyptij detestabantur pastores ouium, vt habetur Genes. cap. 46. v. 34. Hæc sunt quæ pro secunda faciunt sententia tribuente Aegyptijs primam cuiuscumque Idololatriæ originem; adeo vt Mercurius Trismegistus referente Augustino *lib. 8. de ciuitate Dei cap. 23*. appellarit Aegyptū imaginem cæli, & mundi totius templum.

Tertia sententia docet Idololatriā ab Assyrijs, ad quos etiam Chaldæi pertinent, initium sumpsisse, quatenus Nembrod, siue Belus, de quo Genes. 10. v. 10. *fuit autem principium regni eius* Baby-

Babylon, circa annum mundi 1841. vt tom.2. lib.3. sect. 1. cap. 63. pag.240. notauimus, aut propter elementi ignis actiuitatem, aut quia didicerat à suis maioribus mundum, sicut diluuio perierat, ita aliquando igne absumendũ fore, ideoque illum timebat, vt Deum cæpit colere, suisque subditis colendum proponere, tali postea apud eos cultu multo tempore permanente; qui non obscurè colligi potest ex illo Genes. 15. *Ego Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum*; multi enim interpretes affirmant Deum his verbis voluisse Abrahæ in memoriam reuocare illud mirabile, & ingens beneficium liberandi illum, vel ab incendio, vel à persecutione, quæ illi, totique familiæ suæ inferebatur, quia ignem colere nolebant maximum Chaldæorum Deum à tempore Nembrod, circa quod vixit Abraham.

Ninus autem huius Nembrod, qui alias vocatur Belus, filius, primus quoque Idolorũ inuentor dicitur, quia, vt narrat Magister *in historia scholastica super caput 2. Genesços*, vita functo Nembrod seu Belo patre suo, in solatium doloris imaginem eius fecit, quã tanto prosecutus est honore, vt quibusuis reis ad illam confugientibus libenter parceret, propter quod etiam cæperunt homines diuinos illi honores impendere, vt ait D. Hieronymus in illud Isaiæ 46. *Confractus est Bel*. Cuius rei exemplo, cæteri non solùm Dijs suis, verum & sibi dilectis vita functis simulachra formandi, eaque adorandi vsum sumpserunt. Nec leue huius sententiæ argumentum, aut obscura coniectura est, quod pleraque idola variarum nationum, & præcipuè Orientalium, ex hoc Belo appellationem duxerint, vna vel altera litterula mutata, vt obseruauit D. Hieronymus in cap.2. Osee. Nam Idolum Moabitarum vocabatur *Beelphegor* num.25. eo quod coleretur in monte Phegor, cuius fit mentio num.23. Idolum verò Tyriorum, ac Sydoniorum vocatum est *Baal*, & *Belial*, cuius toties fit mentio in Sacra Scriptura; & *Baal Sanes*, id est, princeps cæli, appellatum est Idolum Punicorum, vt ait D. August. *qu. 16. super librum Iudic. Beelzebud* autem Idolum Acharonitarũ 4. Reg.1. à muscis (zebud enim muscam significat) quæ in odorem mactatorum illi pecorum aduolabant; quare vt illi supremum suorum Deorum Beelzebud vocabant: Ita Iudæi in eorum odium, & irrisionem principem dæmoniorum appellabant eodem nomine, Lucæ 11. *In Beelzebud principe dæmoniorum eijciet dæmonia*. Tot autem in locis Idolum Assyriorum cultum fuisse, aut ab illis in alias nationes, & regna idolorum formationem, & adorationem diffusam fuisse, in causa forsan fuit, quod prima, ac suprema penes eos mundi Monarchia per multos annos extiterit: vnde *Nahum cap.3.* de Niniue Metropoli Assyriorum, fundata à primo inuentore idolorum Nino habetur; *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficijs suis: ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum*, &c.

Quarta tandem sententia Iudæorum, referente Diuo Thoma 2.2.q.94. art. 4. & Isidoro *Etymolog. capite vltimo*, facit Ismaelem primum Idolorum inuentorem, & authorem: putantque aliqui ludum illum Ismaelis cum Isaac, qui valdè displicuit Saræ *Genes.* 22. fuisse adorationem idolorum ab Ismael ex luto formatorum, quam Isaacum fratrem suum docebat. Nos, quid in tanta sententiarum varietate certius, ac verisimilius tenendum sit, sequentibus aperiemus dictis.

Primum dico, nunquam sic obcæcatum fuisse mũdum ante Christi Domini aduentum, vt aliquo, vel modico tempore nullus verus Dei cultor internus, & externus fuerit, sed omnes Idololatriæ, aut cultui falsorum deorum indulserint; istud dictum est tam certum,

tum,

tum, quàm certum etiam de fide esse ostendimus tom. 3. lib. 3. sect. 3. veram Dei Ecclesiam nunquam defecisse, nec vnquam defecturam esse; Etsi enim aliquantulum difficile sit explicare ad amussim quomodo, & in quibus particulariter per singulas mundi vsq; ad Christum ætates, verus Dei cultus permanserit; non propterea statim asserendum est, veram Dei Ecclesiam aliquando defecisse, totamque idololatriæ immersam fuisse, cum tot eius indeficientiæ argumenta in communi habeamus ex scriptura, loco statim citato à nobis adducta, nec non etiam ex illa constet de multis particularibus apud quos perseuerauit semper vnius veri Dei cultus.

Id patet à principio mundi vsque ad diluuium in Abel, & Cain, quos sacrificia Deo vero obtulisse narratur Genes. 4. & id ipsum accepisse ab Adam Patre, dubium esse non potest, qui caput, ac doctor orbis constitutus à Deo fuerat: Mathæi autem 23. v. 35. Abel vocatur iustus; nec non ad Hebræos cap. 15. *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus.* Idem ferme refertur de alijs Adami filijs, maximè de Seth, & eius progenie, quam enumerans Sacra Scriptura vsq; ad Noe, nihil sapiens idololatriam de eis pronuntiat: sed potius verum Dei cultum tribuit Enos, Henoch, & Noe. De Enos enim filio Seth dicitur Genes. 4. 26. *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini*, de Henoch vero filio Iared, & patre Mathusalam, Genes. 24. *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus*: cuius etiam fit mentio Ecclesiastici cap. 44. v. 16. & ad Hebræos cap. 9. v. 5. *Fide Henoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo*. Tandem de Noe filio Lamech Genes. cap. 6. v. 9. habetur *Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit*. Ecclesiastici cap. 44. v. 17. *Noe inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Ideo dimissum est reliquum terræ, cum factum est diluuium*, & ad Hebræos 9. *Fide Noe, responso accepto de ijs, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum: & iustitiæ, quæ per fidem est, heres est institutus*.

In hoc ergo temporis interuallo ab Adamo vsque ad diluuium Chronologia, & successio Orthodoxæ Ecclesiæ, verique Dei cultus sic se habet. Adam primus fuit iustitiæ præco, & gubernator populi Dei per annos 930. quibus vixit, & interim nati sunt Abel iustus ab impio Cain occisus, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusalam, Lamech, Seth post Adamum secundus iustitiæ præco, & gubernator populi Dei annis 112. obijt anno ætatis suę 912. quibus interim Lamech natus est Noe. Enos defuncto Seth patre tertius iustitiæ præco, & gubernator populi Dei annis 98. obijt anno ætatis 609. Cainan post obitum patris sui Enos quartus iustitię præco, & princeps populi Dei annis 105. obijt anno ætatis 910. Malalel post obitum patris Cainan quintus iustitiæ præco, ac princeps populi Dei annis 45. obijt anno ętatis 895. Iared post obitum patris Malalel sextus iustitiæ præco, & princeps populi Dei annis 152. obijt anno ætatis 962. quibus interim Sem natus est Noe, mortuus autem Lamech pater Noe, quinquennio ante patris sui Mathusalam obitum. Mathusalam post obitum Iared aui sui, cum Henoch eius filius, & pater Mathusalam viuens in cœlum iam translatus esset, septimus fuit iustitię præco, & princeps populi Dei annis 234. mortuusque est anno ætatis 969. paulo ante diluuiũ vniuersi orbis terrarum, quo anno mũdi 1656. vt tomo libro 3. sect. 1. cap. 63. ostendimus, tota posteritas Cain, & omnes à Seth altero Adami filio pro-

prognati deleti sunt, excepto Noe cum tribus filijs, & vxoribus.

In secundo temporis interuallo, à diluuio vsque ad seruitutis Aegyptiacæ solutionem, Noe post auum Mathusalem, cui Lamech filius, & pater Noe præmortuus iam fuerat, octauus iustitiæ præco fuit, ac princeps populi Dei annis 350. mortuusque anno ætatis 950. contemporaneos habuit Enos, Cainan, Malalel, Iared, Mathusalam, Lamech patrem, Sem filium, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarugh, Nachor, Thare, Abraham, & Loth. Sem post patrem Noe nonus iustitiæ præco, ac princeps populi annis 120. mortuus est anno ætatis suæ 600. cum interim Abrahæ natus esset Isaac ex Sara, Isaac autem ex Rebecca Iacob, & Esau. Genes. 11. 21. & 29. Post obitũ autem Sem apud Abrahæ posteros Ecclesia Orthodoxa, verusque Dei cultus mansit, vsque ad Aegyptiacæ captiuitatis solutionem. In hoc autem interuallo etsi dubitetur de pluribus, vt de Thare patre Abrahæ, Nachore auo, & Sarug atauo an fuerint idololatræ, de quo modo non disputo; adhuc tamen parte affirmatiua concessa, cui fauere videtur illud Iosue 24. *Hæc dicit Dominus Deus Israel, transfluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor; seruieruntque dijs alienis*, non propterea sequitur verum Dei cultum vniuersaliter tunc desijsse, qui semper in Sem permansit, in Abraham, & eius filijs, de quo propterea dicitur Ecclesiastici cap. 44. *Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria: qui conseruauit legem excelsi, & fuit in testamento cum illo. In carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis. Ideo iure iurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum, & vt stellas exaltare semen eius, & hæreditare illos à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem eius. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum confirmauit super caput Iacob*. Item Romanorum 4. nec non ad Galatas 3. & ad Hebræos 11. fides Abrahæ magnificè commendatur: *Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exijt nesciens quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus*. Quæ, & similia Scripturæ loca, vbi passim de Abraham fit mentio, manifestè pugnant cum hoc, quod idololatrica vnquam superstitione infectus fuerit; quin imo conuincunt eum semper fuisse fidelissimũ veri Dei cultorem, meritoque vocatum per excellentiam patrem credentium: vnde etiam Iudæi asserebant Ioann. 8. *Pater noster Abraham est, & non ex fornicatione nati sumus*; id est non ex idolorum cultoribus processimus, quia principiũ sui generis in Abraham constituebant, & citato Iosue loco cap. 24. vbi insinuari videtur Idololatria Thare & Nachor siue sumatur Nachor pro auo Abrahami, siue pro eius fratre, ita quoque appellato, dicitur expressè: *Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus: & adduxi eum in terram Chanaan*: non alia certè ratione nisi quia electus fuerat, seruatusque illæsus ab omni Idololatria; à qua etiam eius ope narratur ab aliquibus Thare ad veri Dei cultum, & religionem se transtulisse, propter quod persecutionem patiens à Chaldæis, coactus est fugere cum filio suo Abrahamo, ac nepote Loth, migrauitque in Mesopotamiam, vbi permansit verus Dei cultor vsque ad mortẽ, quod significari videtur præfato Iosue loco, cum dicitur, Thare, & Nachor habitasse trans flumen, & seruisse dijs alienis; nimirum eo tempore, quo trans fluuium, id est, in Chaldæa habitauerunt.

In alijs insuper familijs plures etiã tunc

tunc fuisse veros Dei cultores clarissimè demonstrant exempla. Melchisedech, & Sancti Iob; docetque Diuus Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 10. *Profectò*, inquit, *credibilius est, & in filijs Sem, & Iaphet fuisse aliquos contemptores Dei, & in filijs Cham cultores Dei*. Quare vbi eiusdem lib. c. 11. & lib. 18. c. 39. ait linguam Hebræam, quæ ante diuisionem linguarum communis erat, post diuisionem mansisse in sola familia Heber; & indè argumentatur in solo Heber, & familia eius (quæ & familia Thare erat) remãsisse rectam veri Dei fidem, religionẽ ac pietatem; intelligendus est non de singulis hominibus seorsim consideratis, vt patet ex statim dictis, sed de familijs, quatenus in nulla alia, quam in Heberina, magis vniuersaliter, perfectiusque perseuerauit verus Dei cultus; in quo etiam si defecisset Thare, vt opinantur aliqui, non propterea sequeretur eum totaliter in illa familia defecisse; nec esto ita esset, in toto orbe, cum extra illam fuerint etiam in alijs nonnulli tunc veri Dei cultores; quos in alio à solutione captiuitatis Aegyptiacæ vsque ad Christum interuallo nunquam defuisse, quia satis cõstat ex dictis tomo 3. lib. 3. sect. 3. libenter hic fusiori huius rei probationi supersedeo.

Dico secundò probabilius, ac verosimilius esse, quod in prima mundi ætate, hoc est, à creatione mundi vsque ad diluuium inuenta non fuerit Idololatria, ita expresse docet Cyrillus Alexandrinus lib. 1. & 3. aduersus Iulianum, nec non Diuus Thomas 2.2. quæst. 94. art. 4. ad 2. videturque habere fundamentum in illo Sap. 14. vbi dicitur idola neque fuisse ab initio, id est, in prima ætate, neque in æternum mansura. Ratio est, quia homines illius primæ ætatis fuerunt in multo minore, quam in alijs numero, illique omnes lõgissima vitæ duratione mundi creationem ferè attigerunt, vt enim ait Diuus Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei cap. 8. *Tam longa fuit vita illorum hominum primæ ætatis, vt qui minimum vixit ante diluuium ad septingentos quinquaginta tres annos perueniret: nam plures & nongentos annos etiam transierunt*. Igitur cum recens adhuc in illis esset memoria creationis mundi ab vno vero, & solo Deo, iuxta doctrinam ab Adamo, cui ferè omnes conuixerant, traditam; verosimilius videtur, tunc nec cogitationem pluriũ Deorum, nec idololatriam primum fuisse exortam, multoque minus à tempore Enos, aut occasione illius.

Vndè cum dicitur Geneseos 4. ipsũ cæpisse inuocare nomen Domini, id intelligi non debet, quasi ante illum nullus verus Dei cultus extitisset, cum oppositum constet ex Scriptura, aut vt se opponeret idololatriæ, quæ iam serpere inceperat, quod asserendi nullum habetur in eadem Scriptura fundamentum; sed, quia, vel primus assumpsit hoc munus docendi alios inuocare nomen Domini, vel instituit peculiares ritus, preces, ac cæremonias colendi Deum; inter quas etiamsi fuisset metaphorica aliqua Dei per imagines repręsentatio ad instructionẽ, & memoriam eius, quod tamen necessariò non sonant verba Scripturæ, *Iste cæpit inuocare nomen Domini*; quæ facilè intelligi possunt de aliquo quocumque solemni ritu per publicas deprecationes, vel templa, aut sacra, vel certa sacrificia communia, vt multi exponunt; non propterea verum esset ex ritu imaginum sumptam tunc fuisse idola fingendi occasionem, nullo existente in scriptura talis euentus indicio, vel argumento, multoque minus quod ipse Enos cæperit inuocari, eique tanquam Deo imagines fuerint dicatæ, quia Scriptura non dicit passiuè *iste cæpit inuocari*, sed actiuè *inuocare*: & licet passiuè loqueretur, iuxta illam lectionem non diceretur, ipsum Enos cæpisse inuocari, sed tunc, id est, eo tempore cæpisse inuocari Deum, vel speciali ritu publico, vt statim dictum

est,

est, vel speciali nomine Iehoua, vt ait Caietanus; vel tandem ex alijs, quia primus Enos quamdam hominũ congregationem instituerit, qui tanquam viri religiosi Deo specialius consecrati illum colerent. Tanquam quid ergo probabilius, ac verosimilius maneat, quod in prima mundi ætate non inceperit Idololatria, maximè ante Enos, vel occasione illius.

Dico tertiò certissimum quidem esse, quod in temporis interuallo à diluuio vsque ad Abrahamum, iam erat Idololatriæ vsus tam sine, quam cum imaginibus, & idolis sensibilibus; incertum autem quo præscisè tempore, & à quibus incæperit; probabilior tamen sententia videtur esse illa, quæ idololatriam sine imaginibus Aegyptijs, cum imaginibus verò Nino primùm tribuit; Explicantur singula; nam Iosue 14. habetur: *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntque dijs alienis.* Iam ergo tempore Abrahæ vsus seruiendi dijs alienis, atque adeo Idololatriæ inualuerat. Quem etiam falsorum, siue alienorum Deorum cultum fuisse per sensibilia idola constat, tum quia hoc solet intelligi in Scriptura nomine falsorum Deorũ, tum quia Laban pater Rachel huiusmodi habebat idola, quę Rachel furata est Genes. 31. 19. quę quasi iure hęreditario, & patrio more in illa familia asseruabantur. Verùm quando id præscisè in hoc cæperit interuallo, nihil certi statui posse ostendit tanta sententiarum diuersitas, quarum nulla firmam vndequaque probationem affert, sed ea, quæ pro secunda superius adducta fuere sententia, probabile tantum reddunt, quod Aegyptijs prima sit Idololatriæ sine imaginibus tribuenda inuentio; propterea que Eusebius Cæsar. lib. 1. de præparat. Euangelica refert *eos primos omnium Solem, & Lunam Deos putasse: quibus non sanguinem, aut nidorem afferebant, sed fruges terræ, quam etiam ipsam, vt Deum adorabant.* Quæ similiter pro tertia attulimus sententia, quam etiam sequuntur Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. & 3. contra Iulianum, Gregorius super illud Lucæ 11. *In Beelzebud principe dæmoniorum eijcit dæmonia*: Isidorus lib. 8. Etymol. cap. vlt. nec non D. Hieronymus Osee 2. circa illa verba, *Et erit in die illa*, &c. probabiliter quoque tantùm suadent, Ninum fuisse primum Idolorum, siue idololatriæ cum Idolis inuentorem, suo Patri Belo simulachrum erigendo, cum Ismaele ex Hebræis, Syrophane ex Aegyptijs antiquior fuerit, nec non alijs omnibus, qui ex Græcis, aut Romanis, pro idolorum inuentoribus adduci solent.

Quod si quis contra hoc obijciat, Sapientem cap. 14. superius citato, nõ ad Ninum erigentem statuã patri suo, primam retulisse idolorum inuentionem, sed ad quemdam alium, qui eam filio suo immatura morte sublato dedicauit, quem esse Sirophanem Aegyptium, superius etiam relatum, quidam affirmant.

Respondetur primò ob hunc Sapientiæ locum dictam sententiam de Nino primo idolorum authore non esse omninò certam, quatenus qui ibi memoratur, siue sit Syrophanes, siue quicumque alius pater, potuit esse Nino antiquior, verum quia id absolutè ignoratur, & ex alia parte scitur Ninum antiquissimum fuisse, inde probabiliter conijcitur eum apud Assyrios primum idola adinuenisse.

Respondetur secundo hunc Sapientiæ locum nihil prorsus maiori etiam huius sententiæ probabilitati officere; siquidem Sapiens non facit vim in hoc, quod occasio huius Idololatriæ cum imaginibus fuerit amor parentis ad filium mortuum, vel amor filij ad parentem quoque mortuum, sed in hoc quod ex affectu ad præsentiam, & reuerentiam mortuorum hominum occasio erigendi illis idola sumpta sit; vt ibi docent Interpretes, & optimè Cypria-

Cyprianus lib. de Idolorum vanitate. Vnde reliqua, quæ in particulari dicuntur, videntur afferri gratia exempli, nã fieri quidem potuit, vt & filius ex amore patris, & pater ex affectu ad filium, & subditi ad Regem, & amicus ad amicum illi consuetudini initium dederint. Sapiens autem vnum, vel aliud exemplum indicat, alia verò non excludit, nec asserit illud exemplum de amore parentis ad filium fuisse omnium primum; hoc ergò non obstante, potuit, ob adductas superius rationes, aliud de Nino præcedere; vel etiam quia author huius libri creditur à multis inter Aegyptios enutritus, forsan apud eosdem idololatriæ initium designare voluit, ex Sirophane præfato, etiam si ante illum apud Assirios Ninus primus Idolorum inuentor extitisset.

En quæ de Idololatriæ vt sic origine certius, ac probabilius dici posse videntur; comparando iam inter se idololatriam sine imaginibus, & cum imaginibus, quænam illarum antiquior fuerit, & prius inceperit, dubium quoque est inter doctores, quidam enim affirmant idololatriam creaturarum cælestium sine idolis ab hominibus fabricatis antiquiorem fuisse, non tam ex propria Philosophorum inuentione, si quidem munus philosophandi, & inquirendi Deum ex creaturis non videtur tam antiquus, sicut Idololatria imaginum, quàm ex quadam admiratione cælestium corporum, & syderum, & præsertim Solis & Lunæ, nec non propter miros eorumdem in terram influxus; Alij verò docent Idololatriam cum imaginibus fuisse omnium primam. Quæ duæ sententiæ facilè possunt ad concordiam reuocari, si dicatur primã esse veram quo ad priuatum cultum, quem vnusquisque sibi eligebat iuxta proprium errorem, vel opinionem; alteram autem de publico cultu per dedicationem templorum, & sacrificiorũ, sic enim verius esse videtur illum incepisse cum idolis, & ab illis initium duxisse. Quia Sapient. 14. expresè dicitur. *Initium fornicationis, Idolorum inuentio.* Loquitur autem ibi Sapiens de proprijs Idolis arte factis, & fornicationem vocat, iuxta vsitatam Scripturæ phrasim, superstitionem colendi creaturas diuinis honoribus; ergò necesse est, vt dicatur saltem communem, & quasi generalem in hac parte hominum corruptionem, ab idolorum, & vanarum imaginum fabricatione, & dedicatione, ortam fuisse. Vndè etiam verisimile est, nimium, quem ibi ponit Sapiens affectum ad homines mortuos, fuisse primam huius corruptelæ causam, vel occasionem, quæ postea incrementum accepit ex propensione hominis ad præsentiam sensibilem rerum, quas amat. Verisimile pariter est, prius fuisse ab hominibus inchoatas, & in æstimatione habitas imagines hominum, ac postea dæmones se se insinuasse, cæpisseque per illas imagines aliqua responsa dare, vel alia prodigiosa patrare, vt homines deciperent, & in eis aliquid diuinum esse facilius persuaderent. Adeo vt prius fuerint imagines, vt imagines repræsentantes homines, quam vt idola putatiuè, vt ita dicam, deificata per immissionem, seu coniunctionem inuisibilium spirituum. Tandem quia legitur apud Plinim lib. 34. cap. 7. & lib. 35. cap. 12. *Plasticam artem prius fuisse, quã statuariam*; verisimile quoque est, idola ex luto formata priora fuisse, quam ex alia materia fabrefacta: quæ, cum primis adhuc illis temporibus rudi quadã, ac imperfecta repræsentatione efformarentur, nec non ante Dedalum statuæ sine manibus, vel pedibus, vel oculis effingerentur, primus Dædalus has partes suffecisse dicitur, sed adhuc imperfectè; donec tandem arte pictoria, & statuaria ad summum apicem perueniente, mirabiliter depingi, ac sculpi cęperunt, Imperantibus Græcis & Romanis, Deorum simulachra, vt quę supersunt eorum reliquiæ, ac monumenta clarè testantur. Hactenus de temporaria origine, siue de initio temporis, in quo cępit Idololatria, vel Politheismus.

Iam quod attinet ad eiusdem varietatem, quæ est tertia, & vltima huius capitis pars, relicta illa, quæ attendi posset penes Deorum falsorum numerum propè infinitum; nec non materiæ diuersitatem: *neque enim interest*, inquit Tertullianus lib. de Idololat. cap. 3. *an plastes effingat? an cælator sculpat? an phrygio detexat? quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum*. Primum Idololatria, siue Politheismus ratione modi colendi, vel adorandi diuidi potest in verum, & fictum, nec non in fictum, & falsum simul. Circa quam diuisionem, vt magis explicetur, obseruandum est, duobus, vel tribus modis posse aliquam adorationem dici veram, nimirum, vel ex parte personæ adorantis, vel ex parte rei adoratæ, vel ex vtroque simul. Cum enim adoratio consistat in recognitione, & confessione alicuius excellentiæ per signum aliquod protestatiuum, vt existentis in re adorata, interdum talis significatio falsa est, quia res ipsa talis non est sicut significatur, siue in illa talis non reperitur excellentia, & tunc dicitur adoratio falsa ex parte obiecti, seu rei adoratæ, etiam si ex parte subiecti, siue ex intentione adorantis, non sit ficta, sed vera, quatenus verè intendit talem rem adorare. At verò si adorans non intendat interius ita adorare, sicut exterius ostẽdit, tunc adoratio dicitur non tam falsa, quam ficta ex parte adorantis, quia scilicet in re adorata verè inuenitur illa excellentia, quam signa exteriora demonstrant, licet adorans illam non recognoscat, aut verò confiteri non intendat. Si autem signum adorationis, & in se falsum sit, & ab adorante ficto exhibeatur animo, tunc adoratio, & ficta simul, & falsa dici poterit. Nunc applicando diuisionem hanc ad Politheismum, siue Idololatriam, dicendum est omnem Idololatriam esse falsam adorationem ex parte rei adoratæ, quia in ea protestatur excellentiam, quæ in illa non habetur. Quare in hoc sensu omnis Idololatria potest dici falsa latria: Latria enim est nomen significans adorationem protestatiuam diuinæ excellentiæ in eo, cui exhibetur, & ideo tunc est simpliciter, & verè latria, quando verè significat talem excellentiam in re adorata, quando autem falsò illam significat, est falsa latria, quæ Idololatria dicitur.

Hæc autem ipsa Idololatria potest interdum esse vera Idololatria ex parte adorantis, interdum verò ficta. Vera dicitur, quia non ex animo ficto procedit, sed ex intentione adorandi, licet aliàs falsum significet, sicut qui falsam propositionem affirmat, putans esse veram, & ex intentione dicendi verum, formaliter non mentitur, licet materialiter falsum proferat. Sic ergo potest esse aliqua vera, id est non ficta Idololatria, quamuis in se sit falsa: aliqua verò potest esse ficta, seu falsa etiam ex parte adorantis; qui talem cultum ex animo non impendit. Quæ fictio nonnunquã esse potest ex parte intellectus, vt cum quis non existimat esse in re sic adorata diuinam excellentiam, & nihilominus propter extrinsecas causas vult illam externo signo profiteri: è contrario aliquando potest esse fictio in solo affectu, vt accidit in dœmonibus, qui velint, nolint, credunt esse in Christo diuinam excellentiam, & interdum coguntur illam agnoscere, eique genua flectere, & nihilominus affectum non habent adorandi Christum, sed solùm exhibendi hoc vel illud signum, quia ita constringuntur: Sæpe etiam potest esse fictio ex vtroque capite, vt patet in fideli, qui à tyranno cogitur thus offerre Idolis, in quibus nec credit esse diuinam excellentiam, nec habet animum faciendi illum actum in honorem Idolorum, sed solùm exterius, ad fugiendam mortem, vel ob alias causas, vndè aliquando etiam poterit interiore affectu in verũ Deum huiusmodi actum referre.

Cum igitur ex dictis supra tria debeant ad Idololatriam concurrere circa

Idolum, vt omnino vera, & in suo consummata sit genere, scilicet, existimatio aliqua diuinitatis de Idolo, seu re, quæ adoratur, affectus adorationis, & tandem adoratio ipsa, seu exhibitio signi submissionis, & recognitionis alicuius excellentiæ diuinæ in re sic adorata, vel interioris, si adoratio sit merè interna, vel exterioris, si externa insuper sit: Ad Idololatriam omninò verã ex parte colentis requiritur opinio diuinitatis, seu alicuius diuinæ excellentiæ in re adorata. Quamuis autem talis Idololatriæ modus, siue existimatio diuinitatis de Idolis manibus factis, ipsimet lumini naturali repugnet, vel quia per se euidens est, illa non habere vitam neque excellentiam vllam, præter eam figuræ pulchritudinem, quam ab artifice habent, si considerentur in se; vel quia, si considerentur, aut ratione numinis superioris, quod illis coniungebatur, vel ratione hominum, qui per illa repræsentabantur, & vt Dij colebantur, eadem ratio naturalis dictat, Idololatrię cultum multis Dijs datum, nulli dari posse ex opinione, seu æstimatione veræ diuinitatis: quia excellentia diuinitatis in eius singularitate, & eminentia super res alias consistit, atque adeo destruitur, quando inter multos diuiditur; vnde fieri non posse videtur, quod adoratio diuisa inter multos procedat ex opinione veræ diuinitatis in singulis: Etsi, inquam, ita sit, loquẽdo de recta ratione, cuius dictamini omnino repugnat Idololatria, siue Politheismus, secus autem rem se habere, attenta illius per peccata corruptione, factum ipsum ostendit, quo ante Christi Domini aduentum, totus ferè terrarum orbis, pauculis legis naturæ exceptis cultoribus veri Dei, ac populo Israelitico, Idololatriæ insania, ac cæcitate laborabat; partim Deo permittente, ad punienda hominum scelera, partim dęmonum opera, qui semper fuerunt valde solliciti in deceptione hominum, maximè affectando sibi diuinos honores: quos obtinere præsertim à rudioribus difficile illis non fuit per statuas, & in statuis multa mirabilia, & inusitata operando, nec non responsa de rebus incognitis plerumque dando: cum enim talia scire, speciatim futura contingentia, ad Deum spectet, videntes Pagani idola eos instruere de his, quæ non sunt hominibus peruia, absque vlteriori consideratione, vel reflexione circa huiusmodi rerum naturam, vel differentiam, existimabant ea, vel, quæ per ea repræsentabantur, aliqua pollere diuinitate: & hinc ortum habuere oracula, siue falsorum Deorum delubra, vbi dæmones sua per eorum idola dabant responsa interrogantibus; de quibus videri inter alios potest Clemens Alexand. *in adhortat. ad Gentes*, & ibi Gentianus Heruetus eius Scholiastes.

Insuper licet inter Gentiles, vt docet, latèque prosequitur Diuus Augustinus *lib.4. de ciuitate Dei cap.* 8. *& seq.* agniti fuerint maiores, & minores Dij, & inter omnes vnus supremus, quem Iouem appellabant; non propterea sequitur eos cæteris proprium diuinitatis cultum non tribuisse, sed tantùm quatenus illis indigebant, aut etiam ab vno supremo eos dependere credebant: Si quidem factum ipsum satis ostendit Gentes errasse, sacrificando pluribus dijs, ac subindè vnumquemque ex illis Dijs tanquam verum Deum, siue, quod idem est, sub aliqua ratione supremæ excellentię colendo. Quod multipliciter contingere potuit, *primò* quia credere poterant, vnumquemque Deũ in aliquo munere, seu præsidentia, & efficacia circa aliquas res supremam habere vim, ac potestatem, quamuis alij dicerentur maiores, alij minores iuxta dignitatem rerum, quibus præsidebant. *Secundò* quia multi Gẽtilium præsertim è vulgo cęca quadam ignorantia, falsaque traditione, ac fide ducti putabant singulis rebus vim quamdam inuisibilẽ, ac supremam inesse, ideoque supremo cultu esse colendam, absque vlla ad vnum supremum creatorem, & guberna-

natorem omnium relatione, nec discurrebant, qua ratione id fieri posset, aut quomodo conuenienti regimini vniuersi non repugnaret. *Tertiò*, quia ipsimet Philosophi, licet vnum summum faterentur Deum, cui cæteri Dij essent perfectione inferiores, non in omnibus tamen perfectionibus summum & vnicũ illum existimarunt, aliosque ab illo in omni operatione sua dependere; sed potius supremam ex se habere efficaciam, & virtutem in aliquo genere, propterea que etiam illos esse ab hominibus colendos, vt Deos, hoc est, supremo quodam cultu illis propter se debito: ita vt quantumuis re vera vna tantum sit suprema omnium rerum creatrix essentia, earumdemque gubernatrix prouidentia, nihilominus per errorem opinati sint, diuisam esse curam, & gubernationem vniuersi, aliumque Deum esse, qui curam habeat segetum, alium vinearum, alium aliorum fructuũ aut aquarum, & elementorum, ac cælorum, vel metallorum, & sic de alijs, vt loco superius citato tradit S. Augustinus. *Quartò* quia Gentiles Deorum cultum ad propriam referebant vtilitatem, propriumque commodum, vnde quantùm ab illis se iuuari posse credebant; tantùm ijsdem cultus exhibebant: vt igitur existimare poterant, inferiores Deos non minus sibi esse posse vel beneficos, vel maleficos, quam summum Deum; ita quoque fieri potuit, quod eos adorandos crediderint vt Deos, siue supremo cultu soli Deo debito. *Quintò* tandem, & vltimò id fieri potuit errore quodam practico, quia licet plures Gentiles, Philosophi prꝫsertim, speculatiuè non errarent in ferendo iudicio de perfectione vnius summi Dei, aliorumque minorum ab illo dependentia, practicè tamen errabant in iudicio de cultu illis tribuendo, nullam in hoc constituentes differentiam inter summum Deum, & cæteros: quemadmodum inter homines, etsi Reges terrꝫ sint in potestate, & dominatu inæquales, omnes tamẽ eisdẽ excellẽtiæ, ac honoris titulis coli volũt.

Hactenus de primo idololatriꝫ mẽbro, seu de idololatria vera ex parte colentis, ad quã in eo requiritur aliqua opinio diuinitatis de Idolo, seu re, quæ adoratur.

Ad aliud autem membrum, quod est ficta, seu apparens Idololatria, talis opinio minimè requiritur, vniuersaliter enim verum non est, haberi non posse affectum colendi aliquem, vt Deum, quin habeatur opinio diuinitatis in illo. Nam sicut duobus modis potest quis scripto, vel dicto proferre mendacium, nimirum vel putans se dicere verum, vel volens loqui contra mentem; ita quoque duobus modis potest quis velle diuinum exhibere honorem ei, qui non est verus Deus: Primo deceptus falsa opinione diuinitatis in illo conceptæ, vt explicatum est supra; secundò quatenus prꝫscisè vult per adulationem vel diabolicum timorem illum adorare, & signum falsum excellentiæ adhibere; ad primum autem etsi requiratur actus intellectus, quo res adorabilis, seu quæ adoranda proponitur, ꝫstimetur, seu habeatur pro Deo, cum tunc non ficta, sed vera sit adoratio, secus autem ad secundum, qui, vt supponimus, non est vera, sed ficta, nec non falsa adoratio. Quamobrem si considerentur eiusmodi actus, vel adorationis modi in ratione Idololatriæ formaliter, ita se habent, vt primus, qui ex infidelitate mentis procedit, & ex errore circa Deorum multitudinem, sit Idololatria propriè, ac simpliciter dicta; secundus autem qui est sine propria mentis infidelitate, cum affectu tamen tribuendi diuinum honorem alteri, quam Deo vero; vt si quis credens, Dæmonem non esse Deum, velit illi offerre sacrificium, aut aliquid simile præstare, animo honorandi ipsũ, vt eum sibi habeat propitium; & tertius, quo sine errore intellectus, & sine affectu colendi in volũtate, exhibetur creaturæ signum merè externum adorationis soli Deo debitæ, ad vitandum v. g. grauissimum malum mortis, vel aliud æquiualens, reductiuè tantum tales, aut tanquam actus in illa specie imperfecti dici

dici debeant, quamuis aliàs grauissima sint peccata. Vndè si secundus Idololatriç modus cum primo conferatur, licet iste sit deterior peccandi modus quantum ad id, quod supponit, scilicet infidelitatem, & errorem: ille tamen, quo ad id, quod formaliter ponit, id est quo ad propriam culpam religioni contrariam, videtur esse peior, sicut Diuus Thomas 2. 2. q.10. art.6. docet simpliciter grauiorem committi infidelitatem per hçresim, quam per paganismum, quoniam illa est cum maiori cognitione veritatis, & repugnantia eiusdem fidei. Prçterquam quod vix potest aliquis sciens, aut credens soli vero Deo latriam esse tribuendam, velle illam ex animo exhibere creaturæ, nisi ex Dei odio, vel formali contemptu illius, aut ad vindictam de illo sumendam, sicut operantur dçmones, & damnati. Qui modus operandi, & supponit summam voluntatis peruersionem, illamque participat. Collatione autem facta inter eumdem primum, & tertium Idololatriç modum, videntur se habere sicut excedens, & excessum: Nam primus excedit, tùm quia supponit infidelitatē in tali persona, tùm quia verum includit affectum colendi falsum Deum. Tertius verò modus excedit, quia est peccatum ex certa scientia, & non ex ignorantia sicut primus: & consequenter quia fit ordinariè cum maiori scandalo propter circumstantiam personæ. Vndè per se loquendo, & intra grauitatem superstitionis, cuius Idololatria est species, maiorem quidem habet malitiam primus, quam tertius modus; per accidens tamen, & propter nocumentum proximi tertio potest modo grauius cōtra virtutem charitatis peccari. Tantum de prima diuisione Idololatriæ, vel Politheismi, attenta eius ratione formali, diuersisque modis, quibus adoratio diuina alicui creaturæ tribui potest.

Secunda Politheismi, vel Idololatriç varietas, ac diuisio desumi potest ex parte obiecti materialis, siue ex multiplici rei adoratæ differentia. Etsi enim attenta huius vocis etymologia, nomen Idololatriç significare tantùm videatur Idololatriam cum imaginibus, secundū quod Idolum illud componens solet definiri imago destinata ad indebitum cultum alicui tribuendum; quia tamen ipsummet Idoli nomen ex hac sua primçua significatione extensum est ad significandam quamcumque creaturam, quæ tanquam Deus colitur, seu colenda proponitur supremo cultu soli vero Deo debito, etiam si talis res non sit imago, neque vt imago alicuius falsi Dei adoretur, sed vt ipsemet falsus Deus; iuxta communem loquendi modum Sacræ Scripturæ vbique obuium, cui etiam aperta suffragatur ratio; si enim omnis adoratio creaturæ, per quam vt Deus colitur, peccatum idololatriæ est, manifestè sequitur omnem creaturam sic adoratam idolum esse, etiamsi non in aliqua imagine, sed in se, & propter se immediatè adoretur, quâ ratione Tertullianus lib. de Idololat. cap.3. dixit, Idololatriam agi posse sine Idolo, id est sine simulachro, & aliquando factam esse *sine isto nomine, licet non sine isto opere*: vbi significat nomen Idoli, & Idololatriæ non quidem fuisse, donec simulachra pro Dijs adoranda introducta sunt; rem autem ipsam, id est, Idololatriæ vitium sine simulachris sensibilibus exerceri potuisse: Inde fit, quod sicut nomen Idoli, licet ab statuis pro Dijs adorandis sumptum sit, extenditur ad significandam omnem rem creatam, quæ tanquam verus Deus adoranda exhibetur, ita quoq; nomen idololatriæ quod ex idolo, & latria componitur, comprehendit omnem prorsus adorationem, ac seruitutem cuicumque creaturæ exhibitam, cum opinione aliqua diuinitatis de illa.

Idololatria igitur hoc modo considerata primùm diuiditur in eam, quç fit sine imaginibus, & in illam quæ fit cum illis; rursus prima tot habet partes, quot sunt creaturç, vel animatæ, vel inanimatç, quibus olim Gentiles diui-

nos tribuisse honores tam prophanæ quam sacræ ipsæ testantur litteræ; Sapient. 13. vbi expressè dicitur illos, *aut ignem, aut citatum aerem, aut gyrũ stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam rectores orbis terrarum Deos putasse*: Hieremiæ cap. 3. dum ait Dominus per Prophetam: *Numquid vidisti quæ fecerit auersatrix Israel? abijt sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi*: multi enim interpretes huiusmodi verbis alludi putant ad cultum Idolatricum, quo antiquitus arbores annosæ loco falsorum Deorum colebantur, quem vsque ad nostra etiam tempora perdurasse apud Indos Peruanos refert Acosta *lib. 5. de historia Indorum cap. 5*. Similiter quando Leuitici cap. 26. v. 1. præcipitur: *Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum, ego enim sum Dominus Deus vester*: vt per illa verba non facietis idolum, & sculptile, intelliguntur statuæ in honorem Deorum falsorum affabre factæ, omnisque proindè lapis, statua factus, sub nomine sculptilis comprehenditur; ita per subsequentia verba, nec erigetis titulos nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, videntur significari impoliti etiam, ac rudes lapides, in quibus tamen aliquod magnum apparebat, v.g. in quantitate, in situ, in eminentia, quibus olim Pagani diuinos exhibebant honores, quosque vbi eos erigebant vice falsorum Deorũ titulos appellabant: & hi sunt tituli qui citato Leuitici loco prohibentur; nam alij excitati in memoriam alicuius rei insignis non vetabantur; exempli gratia ille quem erexit Iacob Genes. 28. in signum mirificæ visionis, ac memoriam diuinę promissionis ad ipsum factæ; nec non Absalon 2. Reg. 18. qui à Iosepho *lib. 7. antiquitatum*, dicitur fuisse columna marmorea. Quod autem aliqui putant ibi allusionem fieri ad Deum celebrem, qui vocabatur Terminus, cuique Numa Pompilius in colle Tarpeio Sacellum erexisse legitur, stare non potest, cum longè antè Numæ tempora vixerit Moyses, qui Leuiticũ conscripsit. Nisi velimus dicere iam tempore Moysis apud Gentes vsum fuisse, eos colendi lapides, vt quid diuinitatis habentes in seruandis confinibus, quos Terminos appellabant, quia illis tam publicos, quam priuatos vniuscuiusque agros certis limitibus distinguebant; quem postea morem Numa imitatus, vt religiosius seruaretur, neuè tam facilè termini statutis defixi locis dimouerentur, Deo Termino, qui saxum ingens erat, Sacellũ erigere voluit, quasi supremo eorum vindici, qui limites illo semel distinctos violare auderent.

Altera Idololatriæ, quæ fit cum imaginibus, species in tot quoque partes diuidi potest quot fuere Idolorum, ac simulachrorum genera, quibus Gentiles diuinos exhibuerunt honores; Idolum enim non est simulachrum tantùm, *quod humana effigie factum, & consecratum est*, vt nimis restrictè illud describit Isidorus *lib. 8. etymologiarum*; verum ad alias etiam figuras se extendit, vt expressè dicitur Sapient. 13. *Et assimilat illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparat*. & ex capite 32. exodi constat, Hebręos imitantes Aegyptios Idolum fecisse in vituli effigie, latiusque explicauit Diuus Paulus ad Roman. 1. dicens: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum*. Imò etiam potest figurari Idolum, quod nõ sit alicuius rei veræ, vel speciei effigies sed fictæ, vt chimeræ: ad quam tamen malè etiã ab alijs limitatur ratio Idoli, vt sentire videtur Origenes hom. 8. in Exod. sic exponens quod Paulus ait 1. Corinth. 8. *Scimus quia nihil idolum est in mundo*; quod sequitur Theodoret. quæst. 38. in Exod. & Oecumenius in 1. ad Corinth. alijque plures.

Etsi

Etsi enim verum sit, multa talia fuisse Idola Gentium, vt habetur ex Athanasio orat. contra Idola; nihilominus Idolum potuisse etiam esse, ac de facto fuisse imaginem alicuius rei veræ, & aliquando subsistentis clarè demõstrant citata Scripturæ loca. Idololatria igitur, siue Politheismus adæquatè ex parte obiecti consideratus in tot potest diuidi partes, quot fuere varia Idolorum genera, quorum duo prima statui possunt illud quod rem non subsistentem, nec possibilem repræsentat, sed fictam, vt chimæram, vel quid simile, deinde illud, quod imago est alicuius rei veræ, & aliquando subsistentis, cuiusmodi fuere imagines hominum, vel aliquorum animalium, nec non aliæ similes.

Vt autem malè restringitur ratio Idoli, aut ad imaginem alicuius rei veræ, & subsistentis, aut ad imaginem rei non subsistentis, sed fictæ, quasi ratio Idoli cõpleatur absque vllo alio, per hoc quod sit imago rei falsæ, vel fictæ; siquidem imago chimeræ, vel alterius rei fictæ, si non ad cultum, sed ad delectationem, aut memoriam, vel exercitium artis fabricetur, vocari nõ potest Idolum; ita etiam non sufficit, vt quęcumque imago sit Idolum, quod sit consecrata, id est, ad cultum dicata, sed debet restringi ad consecrationem indebitam, seu excedentem creaturæ capacitatem; ita vt propria Idoli ratio in hoc consistat, aut per hoc compleatur, quod sit imago ad indebitum cultum alicui creaturæ tribuendum destinata. Atque ita Sapiens d. c. 13. describens constitutionem Idoli præter sculpturam, & picturam adiungit: *& fecit ei dignam habitationem*, &c. & cap. 14. cum dixisset, patrem rapti filij fecisse imaginem subdit: *Et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cepit, & constituit inter seruos suos sacra, & sacrificia.* Quare licet Idolum possit esse imago veri hominis, aut alicuius alterius rei veræ, si tamen destinetur ad colendum illum hominem, vt Deum, iam erit imago falsi Dei, & sub ea ratione erit imago rei non existentis; quo in sensu accommodari potest superius adducta Origenis, & aliorum sententia, rectèque Diuus Augustinus in lib. Iud. declarauit Idolum, *cuiusdam Dei falsi simulachrum*. Imo fortassis eadem, vel proportionali ratione, si quis iniquũ hominem, & in peccatis mortuum sibi depingeret ad cultum, quamuis non vt Deum, sed vt Sanctum, hominem illum colere vellet, talis imago rationem Idoli participaret, vt docet Sanderus *lib. 1. de Imaginibus*, quia licet talis imago verum repræsentaret hominem, simul etiam falsum referret Sanctum. Et in hoc quoque sensu rectè dici potest Idolum inuoluere falsitatem in sua repręsentatione, ac subindè imaginem falsam; intelligendusque est D. Paulus loco citato 1. Corinth. 8. vbi ait: *Nihil esse Idolum in mundo*, nimirum in ratione, qua Deũ falsum, vel personam summo honore dignam repræsentat, vndè post adducta verba statim subiungit, *quod nullus est Deus, nisi vnus*. Et ita etiam dicuntur Idola non esse. Esther. cap. 14. v. 11. nec non in alijs pluribus Scripturę locis. Cæterum si imago sit alicuius rei veræ, & simul dignæ secundum rectam rationem aliquo vero honore, & cultu, solumque talis erigatur imago, vt res per illam repręsentata debito colatur honore, nequaquam illa imago potest Idolum appellari. Et hac ratione septima Synodus Generalis Nicæna II. definiuit imagines Christianorum, & provt Ecclesia Catholica eas recipit, & approbat, Idola dici non posse, vt infra Deo dante fusius contra hæreticos ostendemus.

Tertiò Philosophi Gentiles, præsertim Varro, Idololatriam, siue Politheismum, hoc est, plurium Deorum opinionem in triplicem Theologiam iuxta Augustinum *lib. 6. de ciuitate Dei cap. 5.* & Eusebium *lib. 1. & seq. de Præparat. Euang.* distinxerunt, physicam,

Ciui-

Ciuilem, & Fabulosam. Ad primam spectant opiniones, quas de vno, vel pluribus Dijs Philosophi in suis scholis, ac libris docebant, & D. Thomas 2. 2. quęst. 94 art. 1. ad duas reducit: Prima fuit eorum, qui totum mundum animari ab ipso Deo asserebāt, & ideo illum, vel præcipuas eius partes adorabant, tanquam Diuinitate plenas; nec nōn aliorum, qui, licet non vnum, & eumdem supremum Deum existimarent animare totum mundum, & singulas eius partes, varia tamen numina inferiora credebant esse in Sole, Luna, elementis, &c. Altera opinio Philosophorum, quam D. Thomas refert, est Platonis, & aliorum, qui teste Diuo Augustino *lib. 7. de ciuitate Dei cap.* 12. cum agnoscerent, esse vnum summum Deum cæterarum rerum cōditorem, nihilominus plures minores Deos colebant, quos intelligentias, aut Dæmones vocabant, inter quos etiam annumerabant quorūdam mortuorum hominum animas diuinitatis participes effectas, quod quomodo contingere potuerit in prima diuisione sufficienter explicuimus.

Secunda circa Deorum pluralitatem Theologia, fuit Ciuilis, ita vocata, quia veluti communi ciuium vsu, & consensu introducta erat, eaque frequentius Pontifices, ac populi in Deorum cultu vterentur. Et licet difficile sit explicare, quam Varro inter hanc à physica, & fabulosa differentiam statueret; vt habet D. Augustinus *lib. 6. de ciuitate Dei & sequentibus*; verisimile tamen est sitam fuisse in opinione diuinitatis, quæ simulachris, aut imaginibus ab hominibus factis inesse putabatur. Quam opinionem idem Sanctus Augustinus *lib. 8. de ciuitate Dei, cap.* 23. Hermeti Trismegisto tribuere videtur dum ait: *Ille alios Deos dicit à Summo Deo factos, alios ab hominibus.* Priores enim Dij videntur ad Theologiam physicam pertinere, posteriores verò ad ciuilem, siquidem ij Dij ab hominibus facti, videntur esse Idola, & simulachra, *quæ opera sunt manuum hominum*; vt ibidem Augustinus subiungit omnino videndus. Sic ergo Theologia Ciuilis à Physica *primum* distingui potest, quod ista sine sensibilibus imaginibus poterat exerceri, de qua intelligendum est, quod ait Sapiens cap. 13. Philosophos, *aut ignem, &c. aut Solem, & Lunam rectores orbis terrarum Deos putasse*: illa verò in simulachris præcisè fundata erat: *Secundò*, quia Physica creaturam à Deo factam, Ciuilis autem statuam ab hominibus fabricatam, vt Deum colebat. Nam si interdum aliqui Philosophi vtebantur imaginibus Solis, aut Lunæ, aut aliarum mundi partium, illas tamen non adorabant, vt habentes diuinitatem aliquam, sed solùm vt repræsentantes falsos Deos, quod etiam ad Idololatriam pertinebat. cum imagines, aut simulachra, quæ Theologia ciuilis colenda proponebat, adorarentur, vt habentia in se Diuinitatem, saltem per aliquam vnionem inuisibiliū spirituum; hac enim potissimum arte copulandi sensibilibus imaginibus, & & statuis spiritus inuisibiles; ita vt simulachra essent quasi animata corpora illis spiritibus dicata, & subdita, docet Diuus Augustinus loco citato Ciuilem Theologiam introductam fuisse, *Et hoc*, ex Trismegisto, *esse Deos facere, eamque magnam, & mirabilem Deos faciendi accepisse homines potestatem*: non erat tamen magna potestas, sed mirabilis dœmonum astutia, qui se fraudulenter statuis immiscebant, & per ea ita loquebantur, reddebantque respōsa, vt viuere existimarentur. Vnde *tertiò* inter Theologiam Physicam, & Ciuilem hæc potest differentia constitui, quod illa in discursu aliquo philosophico, quamuis sophistico fundabatur; hæc vero in sola deceptione dœmonum per præstigia, & apparentia signa; de qua loqui videtur Sapiens cap etiam 13. vbi postquam vanam Philosophorum Theologiam reprehendit, quos asserit Deum inquisiuisse,

& in

& in operibus illius conuersatos fuisse, ad illius tamen cognitionem sua non peruenisse culpa, & ideo huius mundi partes tanquam Deos, & rectores orbis terrarum coluisse, deindè subiungit: *Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum, & argentum, artis inuentionem, & similitudinem animalium*, &c.

Tertia tandem Theologia fabularis, seu fabulosa dicta est; quia, licet priores Theologiæ non minus falsæ essent, quam ista; nihilominus ista per excellentiam ita vocata est, quod nec vanis ratiocinationibus, nec solis dœmonum præstigijs introducta fuisset, sed ad eam spectaret adoratio quorumdam hominum mortuorum, quos Gentes, vt Deos colebant ex falsa hominum traditione, Poetarumque præsertim figmentis. In hoc etiam Idololatriæ genere docet D. Thomas 2. 2. quæst. 94. art. 1. Gentiles quidem vsos fuisse Idolis, & simulachris ea tamen vt Deos non adorasse, sed homines quosdam, qui per illas repræsentabantur, quos appellabant Iouem, Appollinem, Mercurium, &c. De quibus hominibus etsi innumeras fabulas confingerent, & de illis (quod mirabilius est) innumera scelera, & turpissima narrarent flagitia, nihilominus eos, Deos esse opinabantur, & vt tales colebant; quod sibi persuaderent diuinitatem, esse aliquam excellentiam, quæ ab hominibus comparari posset, non tantum virtute, sed etiam industria, potentia, alijsue similibus modis, quantumuis cum omni vitiorum genere coniunctis. De cuius etiam falsæ Theologię superstitione videtur loquutus Sapiens cap. 14.

Quartò Politheismus diuidi potest iuxta nationum, in quibus viguit diuersitatem, prout vnaquæque specialem aliquorum Deorum cultum amplexa fuisse legitur; multi in Sacra Scriptura passim referuntur, quos simul collegit Laurentius Beierlinch *in Theatro vitæ humanæ* verbo *Idolum*: de his quoque fusè disseruerunt Lactantius Firmianus *in libris Institut.* nec non D. August. *in libris de ciuitate Dei*, præsertim 2. 3. 4. & 18. ex modernis Gyraldus, Alexander ab Alexandro, Textor in Officina, Ripa in Iconologia, alijque plures. Præ omnibus autem nationibus Græci, cum prius Aegyptiorum, aliorumque populorum superstitionem ab Aegyptijs acceptam deriderent, in multo plures, ac maiores errores postea collapsi sunt; qui adulteros, latrones, ebriosos, ac facinorosos homines, brutis ipsis impuriores, Iouem, Venerem, Bacchum pro dijs coluerunt; deindè Romani, subacta enim Græcia, quasi captiuam eius superstitionem circa Politheismum, falsorumque Deorum cultum in patriam transtulerunt; adeo vt referat Blondus Historiographus plusquā triginta Deorum millia Romam triumphantem coluisse; rectèque propterea Sanctus Leo ait *serm. 1. in natal. Apost. Petri, & Pauli*, quod, *cum penè omnibus dominaretur gētibus, omnium gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem*: vnde quantum vtraque natio erat sic per diabolum tenacius illigata, tantùm per Christum fuit mirabilius absoluta; cuius fidem, ac doctrinam Atheniensibus euangelizandi, nec non Idololatriam destruendi, quia Diuus Paulus, cum in Areopago peroraret occasionem sumpsit, inspecta ara cum hac inscriptione (Ignoto Deo) hic breuiter explicabo, quid per talem aram ignoto Deo dicatam intelligi debeat. Historia autem sic se habet Actorum 17. *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inueni & aram in qua scriptum erat*, Ignoto Deo. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli, & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus*

nibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt, ipsius enim genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidi, sculpturę artis, & cogitationis hominis, diuinum esse simile: Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Hactenus Diuus Paulus.

Iam ergo difficultas est, quis sit ille *Ignotus Deus*, cui Apostolus ait se inuenisse aram dicatam; circa quam diuersa sunt Doctorum placita, & primo circa textum ipsum. Diuus enim Hieronymus in epist. ad Titum cap. 1. sic habet: *Inscriptio autem aræ non ita erat vt Paulus asseruit (Ignoto Deo) sed ita: Dijs Asiæ, Europæ, & Lybiæ, Dijs ignotis, & peregrinis, verum quia Paulus non pluribus indigebat ignotis, sed vno tantum ignoto Deo, singulari verbo vsus est, vt doceret illum esse suum Deū, quem Athenienses in ara titulo prenotassent, & eum rectè scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant.* Ita Hieronymus, cuius authoritas sufficere potest ad huius sententiæ probabilitatem, præsertim cum illi consentire videatur Pausanias lib. 1. in Attica, vbi inter alias ponit aras Deorum, & Heroum, qui ignoti vocantur. Verùm hæc sententia alijs non placet, quicquid sit enim an vna sola ara extiterit Athenis cum hac inscriptione, an verò plures? quod Pausaniæ loquendi modus solum videtur sonare, volunt in qualibet ara hanc fuisse inscriptionem, Ignoto Deo, ex quibus vnam commemorat Apostolus se vidisse. Cui sententiæ fauet, *tùm* ipse textus sacer superius adductus, *tùm* etiam, quod Sanctus Paulus volens inscriptione illâ suadere Areopagitis, Atheniensium doctissimis, suorumque sacrorum apices memoriter retinentibus, vnum esse verum Deum, aliter inscriptionem non citarit, quam se haberet: cum igitur eam in singulari, Ignoto Deo, non autem Ignotis Dijs, retulerit: re vera inscriptio fuit, Ignoto Deo: Tum denique, quia apud Lucianū Gentilis homo sic iurare legitur, *Per ignotum Athenis*, & nō per ignotos; ac rursus ex persona Triphon. *Nos autem illum Athenis, ignotum, inuentum adorantes, & manus ad cælum tollentes gratias illi agimus, vt qui digni facti fuerimus huiusmodi potestati, atque virtuti subiecti esse.* Porrò huic parti, quæ assereret non vnam solum, sed plures aras fuisse Athenis sine vllis statuis erectas, hac sola inscriptione superposita, Ignoto Deo, suffragatur, quod ex Appollonio Tyanæo refert Suidas: *Modestius esse de omnibus Dijs benè loqui, præsertim Athenis, vbi etiam ignotorum Deorum aræ dicatæ sunt.*

Præter hæc varia doctorum placita circa inscriptionem in plurali, vel in singulari, in vna, aut pluribus aris, dubitatur adhuc inter illos, qui vnam duntaxat Ignoto Deo aram dicatam admittunt, an ille fuerit vnus verus Deus, an non? pro parte enim negatiua citari solet Oecumenius in acta cap. 17. dum ait: *Duas causas referunt, cur Athenis inscriptum in Ara fuerit, Ignoto Deo. Dicunt enim alij, cum misissent olim Athenienses Philippidem ad Lacedæmonios de societate ineunda, quo tempore Persæ Greciam inuaserant; ei in Parthenio monte Panis simulacrum occurrisse, accusasseque Athenienses, quod cum alios Deos colerent, & venerarent, ipsum negligerent: seque inde auxilium ipsis laturum promisisse. Atque ita Athenienses eius ope victoria potitos templum ei condidisse, ac dicasse. Ac deinde vt cauerent in posterum, ne simile quicquam ipsis cōtingeret, si ignotum*

sibi

sibi aliquem Deum prætermisissent, aram hanc extruxisse, eique inscripsisse, Ignoto Deo. Alij sunt, qui dicunt, cum pestilentia olim laborarent Athenienses, atque adeo exestuarent, vt ne tenuissimorum quidem linteorum velamen possent sustinere: nullamque opem ab alijs, quos Deos existimabant, consequerentur, considerasse, Deum fortasse esse aliquem, quem ipsi inhonoratum omisissent, qui pestilentiam immisit, ac noua ara structa scripsisse, Ignoto Deo: sacrificijsque oblatis statis statim conualuisse. Est autem integra Aræ inscriptio in hunc modum; Dijs Asiæ, & Europæ, & Lybiæ, & Deo Ignoto, & peregrino: Ita Oecumenius loco citato, vbi quidem occasionem affert præfatæ inscriptionis, sed non explicat an ignotus ille Deus fuerit verus, an falsus; tamque pro vna, quam pro altera parte intelligi potest.

Apertius igitur affirmatiuam tenuisse videtur Michael Syngellus in vita Sancti Dionysij Areopagitæ, vbi scribit eum in Aegypto existentem, ac solis defectum videntem in die Dominicæ passionis dixisse, *Ignotus Deus carne patitur; propter quem vniuersum est tenebris obscuratum, & tremefactum*: & hunc sermonem asserit sibi puero fuisse à patre traditum; deindè subiungit: *Cum Philosophi, qui tunc Athenis erant, intelligerent naturæ vices maximè mutari, & verti, potuisse Aram ignoto Deo, de quo nunc loquitur Paulus, constituere. Et fortasse Dionysius ex Aegypto reuersus author fuit, vt talis ara Ignoto Deo erigeretur.* Similia ferè tradit Petrus Comestor cap. 93. in Acta. Adeo vt iuxta hanc sententiam ab Atheniensibus Christo Domino vero Deo, sed sibi ignoto, tunc ob allatam causam ara fuerit erecta. Verum in hac re nihil omnino certi statui posse existimo, nisi quod Apostolus huiuscemodi inscriptionem, seu vero, seu falso Deo factam torsit in argumentum Euangelicæ prædicationis contra Idololatriam, vsus artificio eius loci, quem Rethores locum à fortuitis nominant, cum scilicet fortuitos quosdam euentus conuertunt in argumentum eorum, de quibus peroraturi sunt. Cæterum manendo intra limites probabilitatis, verisimilius puto, eam aram Deo vero vnico fuisse dicatam, quidquid sit de occasione, vel causa talis erectionis, quia Diuus Paulus ait; *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*; quorum verborum magis genuinus sensus videtur esse; quod eumdem Atheniensibus Deum tunc annuntiaret, aut palam faceret, quem ipsi prius nescij colebant, sed Paulus verum annuntiabat Deum, ergo quem Athenienses ignotum colebant Deum, cuique aram erexerant, verus erat Deus. Vocatus est autem Ignotus, quia, cum Athenienses cæteris essent Græcis sapientiores, propter scholas, & gymnasia, quibus eorum ciuitas abundabat, certè plures ex ipsis intellexerant, Deos à Græcis cultos, non esse veros Deos, sed vnicum tantùm dari verum Deum, quem tamen cum perfectè non cognoscerent, & aliàs desiderio tenerentur illum colendi, ideo aram ei dedicarant cum inscriptione, Ignoto Deo. Potest etiam dici eos illum colere voluisse sub nomine ignoti Dei, quia in aperto cæteros abijcere nō audebant, ne à populo, & cæteris Græcis morti traderentur, aut alio supplicio afficerentur; sicut Socrates, de quo cōstat accusatum fuisse à Melito, quod Atheniensium Deos reijceret, ob id morte punitus fuit. Indeque multi forsan è Philosophis, etiamsi agnoscerent verum Deum, cui soli supremus deberetur cultus, tanquam supremo omniū principio, & fini, exteriori nihilominus cultu plures Deos coluerunt, adoratione omnino ficta, vel cum præiudicio conscientiæ populo condescendentes, vel etiam putantes talem Idololatriæ modum illicitum non esse, quando fit ob ciuilem causam, vel saltem quando fit necessitate vrgente, ad vitandum grauissimum mortis malum, aut aliud æquiualens, vt refert S. August. *lib. de vera religione cap. 5. & lib. 6. de Ciuitate Dei cap. 10.* Et idem secutos fuisse antiquos

quos hæreticos, testatur Diuus Thomas 2.2. quæst.94. artic.2. sed hunc errorem impugnabimus infra.

Quintò tandem, & vltimò ratione subiecti diuidi potest Politheismus; quatenus non solùm Gentiles eum amplexi sunt, verùm etiam nonnulli ex illis, qui diuinarum Scripturarum authoritatem recipiunt, ad quos proinde conuincendos illa sequenti vtimur capite. Igitur inter Christiani etiam nominis professores, plures hæretici duos constituerunt Deos, in eoque turpius aliqui eorum ipsis Gentilibus errarunt, quod Deorum istorum alterum, malum esse penitus finxerunt, ac bonitatis omnis expertem. Ita desipuerunt Gnostici ex Nicolao, vel Carpocrate orti, teste D. Augustino *lib. de hæresibus ad quod vult Deus heresi 6.* Cerdon. ibid. *hæresi 21.* & apud Epiphanium *hæresi 41.* Marcion Ponticus sequutus est Cerdonem ex eodem Diuo Augustino *hæresi 22.* sed quia de Cerdone ait posuisse vnum Deum bonum, & alterum iustum, quod idem refert Iren. *lib. 1. aduersus hæreses cap. 28.* indè Alphonsus Castro *lib. 5. aduersus hæreses* verbo *Deus hæres. 1.* asserit, Cerdonem non admisisse alterum Deum tanquam malum. Nihilominus D. August. loco citato refert, quosdam attestari, hunc hæreticum similiter constituisse alterum Deum malum, hoc ipsum intelligendo per ly iustum, hoc est crudelem, & sæuum. Duos quoque Deos, bonum & malum concessit Apelles apud August. *hæresi 23.* & Epiphanium *hæresi 44.* Hic tamen hæreticus dixit, Deum malum factum fuisse à Deo bono. Rursus hic error de duplici Deo bono & malo, maximè viguit apud Manichæos, ita à Mane perditæ illius sectæ authore dictos, vt refert D. Augustinus *hæresi 46.* nec non Epiphanius *hæresi 66.* Manichæos sequuti sunt Priscillianistæ in Hispania apud Augustinum *hæresi 70.* & Leonem Papam epist. 91. cap. 14. Denique si diligenter hæreseon antiquarum historiæ perlustrentur, & eorum qui de his commentati sunt, velut Epiphanij, Theodoreti, Augustini, aliorumque scripta legantur, inuenietur nullam ferè illarum extitisse, quæ non plures Deos constitueret, etsi non eodem modo opinati sint omnes earum authores de qualitate huiusmodi Deorum, an præcipuus in ijs aliquis, & summus conditor ceterorum, ac moderator esset; nec non de emanatione creaturarum ab illis, quarum alij alias à Deo bono, alias à Deo malo effluxisse diuersimodè fabulati sunt.

Præter hos, fuerunt alij, qui occasione mysterij Sanctissimæ Trinitatis errauerunt, diuidentes tres naturas diuinas in tribus personis, qui proinde tres planè Deos constituebant, indeque appellati sunt Tritheitæ, vel etiam Trinitarij. Ita ex antiquis Ademes, Carystius, & Peraticus Euphrates, cuius sequaces appellati sunt Peratæ, apud Theodoret. lib. 1. hæretic. fabul. c 19. Metangismonitæ, id est Transuasantes dicti, *quod filium intrare in Patrem, vt vas minus in maius assererent*, ex Philastrio *in Catalogo hæreseon*, & D. August. lib. de hæresibus, hæresi 58. Ioannes Philopponus alias Grammaticus, vt refert Nicephorus *lib. 18. histor. Eccles. cap. 47.* Seueritarum quoque, siue Theodosianorum quarta, & quinta secta, varijs nominibus nuncupata, licet in alijs dissentirent, in hoc tamen conspirabant, quod tres assererent deitates, seu naturas in diuinis per omnia similes, teste eodem Nicephoro *lib. 18. cap. 49. & 50.* Tradit etiam Diuus Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 1. & 3. Clericum quendam in Gallia docuisse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, *non esse vnam tantum rem, sed tres res esse tres personas, sicut tres Angeli, aut tres animæ, ita tamen, vt potentia, & voluntate omnino sint idem*. A quibus omnibus verbo tenus dissidisse Abbatem Ioachimum crediderunt multi; licet enim concederet, *quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnaque natura: verum vnitatem*

huiusmodi, non veram & propriam, sed quasi collectiuam & similitudinariam esse fatebatur. Quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Ecclesia; vt refertur cap. *Damnamus*, de Summa Trinitate. Ex recentioribus tandem, quidam Valentinus Gentilis, & eius sequaces, eamdem essentiam diuinam iuxta numerum trium diuinarum personarum multiplicarunt, in eoque se ab Arianis differre professi sunt, quod pares, siue æquales tres essentias trium personarum assererent. Sed postea præfatus Valentinus Gentilis asseruit inæqualitatem, quatenus *solum Patrem*, dixit, *esse immensæ substantię, & essentiatorem, & eminentiorem cæteris: filium autem & Spiritum Sanctum esse circumscriptibilem, & essentiatum, licet non in tempore, sed ab æterno genitum, & spiratum ex Patris substantia*; quemadmodum posteriores Arianos sensisse, refert Diuus Augustinus *lib. 6. de Trinitate cap. 1.* Vnde etiam Maximinus apud Augustinum lib. 1. contra ipsum confitetur, Filium non ex nihilo, sed ex Patris substantia genitum, iuxta sententiam Concilij Ariminensis.

Sunt etiam qui Politheismo annumerant hæreticos Arianos; & Macedonianos, sed immeritò cum hi putauerint Filium, & Spiritum Sanctum esse creaturas Patris, solumque Patrem esse verum Deum per naturam. Vndè si quandoque contra illos fuit etiam Sanctissimis Ecclesiæ Patribus pro diuinæ naturæ singularitate certandum; id nonnisi ex consequenti factum est, & quatenus supponebatur ab illis ex diuinis probatum scripturis cōtra præfatos hęreticos, quod Filius, & Spiritus Sanctus essent Deus, cum in diuinis, ita dentur tres personæ realiter inter se distinctæ, vt tamen sint vnus, & solus Deus, non autem tres Dij, vt ineptè aliqui inferebant Ariani, & impiè asserebant alij hæretici superius adducti.

CAPVT II.

Tam diuinarum Scripturarum authoritate, quam vnanimi Sanctorum Patrum consensu ostenditur, non esse nisi vnum Deum verum.

QVoniam ex dictis superiori capite plures etiam hæretici diuinarum Scripturarum authoritatem admittentes Deos multiplices, vel occasione mysterij Sanctissimæ Trinitatis, vel alia, constituere non dubitarunt. Indè, si quæ sint adhuc eorum; vt asseritur, in aliquibus mundi partibus reliquiæ, primùm aduersus illas ex sacris litteris, Sanctisque Patribus Græcis, & Latinis Dei vnitatem demonstrare conabimur; vt enim rectè ait Diuus Damascenus lib. 1. fidei cap. 5. *Apud eos, qui Scripturis credunt, Deum esse vnum, absque controuersia est*. Huiusmodi autem Scripturę loca, ex quibus fundamentalis hæc fidei nostræ veritas colligitur, ad tres potissimum reducimus classes: prima continet illa, in quibus expresse asseritur, vnum tantùm esse verum Deum à quo omnes aliæ res factæ sunt.

Deuteronomij cap. 4. v. 35. *Vt scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum*. cap. 6. v. 4. *Audi Israel Dominus Deus noster, Dominus vnus est*. cap. 32. v. 39. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo*.

Libro 1 Regum cap. 2, v. 2. *Non est Sanctus, vt est Dominus; neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster*. lib. 3. cap. 8. v. 23. *Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo desuper, & super terram deorsum: qui custodis pactum, & misericordiam seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo*.

Psalmo 17. v. 32. *Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum*. psal. 82. v. 19. *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altis-*

Altissimus in omni terra. psal. 85. v. 10. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.*

Sapientiæ 12. v. 13. *Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium.* cap. 13. & 14. v. 21. *Et hæc fuit vita humana deceptio; quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.*

Ecclesiastici cap. 1. v. 8. *Vnus est Altissimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & Dominus Deus.*

Isaiæ cap. 43. v. 10. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Saluator.* c. 44. v. 6. *Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus.* cap. 45. v. 5. *Ego Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus: accinxi te, & non cognouisti me: vt sciant hi, qui ab ortu Solis, & qui ab occidente, quoniam absque me non est. Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc.* cap. 46. v. 9. *Recordamini prioris seculi, quoniam ego sum Deus, & non est vltra Deus, nec est similis mei: annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt, dicens; consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.*

Osee cap. 13. v. 4. *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Aegypti; & Deum absque me nescies, & Saluator non est præter me.*

Malachiæ cap. 2. v. 10. *Numquid non pater vnus omnium nostrum? numquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrum fratrē suum, violans pactum patrum nostrorum?*

Marci cap. 12. v. 29. *Iesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est; Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est;* & v. 32. *ait illi Scriba, Benè Magister in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum.*

Ioannis cap. 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, solum Deū verum, & quem misisti Iesum Christum.*

I. Corinth. cap. 8. v. 4. *Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicantur Dij, siue in cælo, siue in terra (si quidem sunt dij multi, & domini multi) nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.*

Ad Galat. cap. 3. v. 20. *Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est.*

Ad Ephes. cap. 4. v. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

I. ad Timoth. cap. 2. v. 5. *Vnus enim Deus, vnus et mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus.*

Altera classis complectitur innumera propè loca, in quibus Sacra Scriptura, præcepto vnius Dei cultu, Idolorum Deorumque multitudinem detestatur, præcipua sunt.

Exodi cap. 20. v. 3. *Non habebis Deos alienos coram me.* cap. 22. v. 20. *Qui immolat dijs occidetur, præterquam Domino soli.*

Deuteronomij cap. 5. v. 7. *Non habebis Deos alienos in conspectu meo.* cap. 8 v. 19. *Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris Deos alienos, coluerisque illos et adoraueris; ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas,* cap. 11. v. 16. *Cauete ne fortè decipiatur cor vestrum, et recedatis à Domino, seruiatisque dijs alienis, et adoretis eos.* & v. 28. *Maledictionem si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, etc. et ambulaueritis post Deos alienos, quos ignoratis.*

Iosue cap. 23. v. 7. *Ne postquam intraueritis ad gentes, quæ inter vos futuræ sunt, iuretis in nomine Deorum earum, et seruiatis eis, et adoretis illos: sed adhæreatis Domino Deo vestro.* Psalmo 80. v. 10. *Non erit in te Deus recens neque adora-*

adorabis Deum alienum. Et sic de alijs sexcentis, ex quibus apertè constat præter vnum Deum verum, non posse dari alios Deos veros, sed omnes esse necessariò falsos, ita vt diuinitas in plures numero, vel specie distinctos Deos diuidi non possit, aliàs diuinæ Scripturæ malè cultum diuinum ad vnum solum numero, cæteris exclusis, & in abominatione habitis, restringeret.

Ad tertiam classem pertinent illa Scripturæ loca, noui præsertim testamenti, quibus ita realis diuinarum personarum inter se distinctio statuitur, vt simul significetur eas esse vnam numero essentiam, vnam substantiam, siue vnam naturam diuinam, atque adeo vnũ Deum, non autem tres Deos, vt asserunt hæretici.

Matthæi capite vltimo, & Marci 16. dum Christus Dominus iubet Apostolos baptizare: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Etsi enim hæretici Sabelliani ex hoc loco suum errorem confirmare conati sint, nimirum Patrem, & Filium, & Spiritum S. vnam tantũ esse trinomiam personã; eo quod Christus non dixerit, baptizãtes eos in nominibus, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Hoc solũ indicat vnitatẽ trium personarum in natura diuina. Quamobrem præscripta ibi baptizandi forma, in qua trium diuinarum personarum nomina propria, per coniunctionem, quæ diuersa copulat, omnium primò exprimuntur, refellitur, & Sabellius confundens personarum pluralitatem, vel vt ait Hieronymus in epist. ad Marcellam, *Trinitatem in vnius personę angustias cogens*; & Tritheita naturam diuinam iuxta numerum personarum diuidens, ac triplicans, Ecclesia Catholica media incedente via, quæ contra primum errorem, realem trium diuinarum personarum inter se distinctionem, vel pluralitatem; contra secundum verò perfectam earumdem in vna, & eadem numero substantia, vel natura diuina identitatem, & vnitatem docet; atque adeò non plures, sed vnum tantum esse verum Deum.

Alter locus ad probandam contra Tritheitas vnitatem diuinæ essentiæ in tribus personis, siue tres personas esse vnum numero Deum, habetur Ioannis cap. 10. v. 30. vbi ait Christus Dominus, *Ego & Pater vnum sumus*; Quibus sanè verbis, quibus omnes etiã Patres tam Græci, quàm Latini, qui disputarunt contra Arianos, vsi sunt, quia tam Ariani filij diuinitatem negantes, quam Thritheitæ, illam quidem admittentes, sed in personis iuxta earum numerum multiplicantes, manifestè conuincuntur erroris, ideo, vt argumentum ex illis petitum, quo forsan aduersus eos nullum est efficacius, Catholicorum manibus eriperent, illud *vnum sumus* primùm Ariani ad vnitatem, aut concordiam voluntatis torquere conati sunt, exponentes Patrem, & Filium esse vnum non essentia, siue substantia, sed animorum consensu & vnanimi concordia voluntatum, vt refert Diuus Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 3. & lib. 2. contra Maximinum Arianum cap. 12. fusius autem lib. 3. contra eundem cap. 22.

Quam eamdem postea explicationem, licet ad alium ab Arianis finem, Tritheitæ libenter amplexi sunt, nimirum vt defenderent naturæ diuinæ in personis multiplicationem, quam stare posse cum vnitate concordiæ probant pluribus Scripturæ testimonijs, quibus fideles vnum corpus, vna Ecclesia, vnũ regnum esse dicuntur. Potissimum verò Ioannis 17. v. 11. *Vt sint vnum sicut & nos*, & rursus versu 22. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*: & iterum, *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum*. Sed fideles inter se, & cum Christo Domino non sunt vnum substantia, & essentia, sed consensu fidei, & vinculo charitatis. Ergo Pater & filius ex prędicto testimonio non probantur esse vnus numero Deus, aut quid vnum essentia, siue natu-

natura; sed tantum consensu, & concordia.

Verum hanc expositionem, & obiectionem subsistere non posse clarè patebit ex dicendis: quia tamen cum Arianis Christi diuinitatem negantibus modò non disputamus, sed cum Tritheitis, illam in diuinis personis multiplicantibus, ideo omissis illis, quibus ex præfato loco Christi diuinitatem probare possemus, queque infra sectione 11. proferemus, nunc solum nobis ostendendum est, intelligi debere de vna numero natura, non autem specie tantum in diuinis personis, vt contendunt Tritheitę. *Primùm* quia Concilia, & Patres vnanimi semper consensu, ex dicendis infra loco citato, his verbis Ioannis 10. *Vnum sumus*, consubstantialitatem Filij cum Patre, indeque diuinitatem contra Arianos probarunt, non igitur de vnitate solum specifica; aut de vnitate concordiæ debent intelligi, sed de vna, & eadem numero, singularique natura, qua diuinæ personæ sunt vnus numero Deus. *Secundo*, quia sicuti si in sacris litteris alicubi plures numero veri assererentur Dij, deberemus necessariò, ad multiplicitatem trium diuinarum personarum, de quibus in illis fit mentio, multiplicare quoque diuinitatem, seu naturam diuinam, & consequenter, vbi dicerentur quid vnum, recurrere, vel ad vnitatem specificam, vel ad vnitatem concordię, aut alias similes glossas; ita per oppositum, cum ita personæ in diuinis multiplicentur, vt tamen, vbicumque fit mentio in scripturis de vero Deo, loquantur semper de illo tanquam de vno solo singularique Deo, concedere debent aduersarij, tres diuinas personas esse tales vnitate numerica eiusdem substantiæ, vel naturæ diuinæ: Ita vt Ariani filium à Patre in natura distinguentes, magis consequenter ad suum errorem locuti sint, cum creaturam appellantes, quam Tritheitæ cum pro Deo admittentes; adeo verum est dari non posse, nisi vnum numero Deum verum, vel vnam numero diuinitatem, quantumuis tres in illa sint personæ realiter inter se distinctæ; ideoque ipsi Tritheitæ in Arianismum postea degenerarunt.

Tertiò, quia ad hoc vt tres personæ dicantur simpliciter, & absolutè vnus Deus, siue quod idem est, quid vnum sine vllo addito, non sufficit vnitas specifica naturæ diuinæ realiter in illis multiplicatæ, nec etiam vnitas cõcordiæ voluntatum realiter distinctarum; frustra ergo recurritur ab aduersarijs ad huiusmodi interpretationes, vt eludant scripturæ loca, quibus vnus verus Deus perpetuò asseritur: Consequentia videtur esse legitima si antecedens est verum; quod probatur quo ad primam partem, quia sicut homines, quantumuis vnam, & eamdem habeant naturam specificam, non possunt dici vnus homo simpliciter, aut sine addito, quique sic loqueretur, malè loqueretur, non alia certè ratione, nisi quia talis natura realiter in illis numero multiplicatur; ita etiam diuinæ personæ, si natura diuina realiter in illis numero multiplicaretur, malè vocarentur, vt fit in diuinis scripturis, vnus Deus simpliciter, & sine addito: Quo ad alteram verò partem, quia in præsenti difficultas non procedit de vnitate morali, sed de vnitate reali, & physica, qua Deus verus dicitur vnus Deus; igitur licet ad vnitatem moralem, posset, non obstante naturarum distinctione, sufficere vnitas concordiæ, vt patet in exemplis superius in obiectione adductis ab aduersarijs, illa tamen non sufficit, vt tres diuinæ personæ dicantur vnus realiter, ac physicè Deus, vel quid vnum simpliciter, ac sine addito. *Quartò*, quoniam in sacris litteris quoties plura sic dicuntur vnum; vt non addatur quid vnum; significatur eadem prorsus natura, & essentia, si quidem illud *vnum* in neutro genere sine alio substantiuo nomine, valet idem quod *vnum ens*, vnius autem entis vnica est essentia, quæ abstractum est entis,

tis,& solo significandi modo distinguitur ab ente: Quod etiam docet Diuus Augustinus locis superius citatis, & varijs probat exemplis, vt 1. Corinth. cap.6.v.16. *qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*; non enim dixit vnum absolutè, sed vnum corpus: & rursus v. 17. *Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est*: non dixit vnum simpliciter, sed vnus spiritus. Tandem cum Ioannis cap.17.versu 11. Christus prius rogasset pro fidelibus, *vt sint vnum*, id postea versu 21. declarauit,& explicuit, *vt & ipsi in nobis vnum sint*, nam cum fideles in Deo vnum esse non possint per identitatem substantiæ, & essentiæ diuinæ: consequens est, eo ipso significari solam vnitatem fidei, & charitatis, per quam primariò constituuntur vnum cum Deo, secundariò autem vnum inter ipsos. Dum ergo Christus Dominus citato Ioannis cap. 10. non ait: Ego, & Pater vnum volumus, sed *vnum sumus* simpliciter, & absque vllo addito; significauit essentiam, à qua dicitur esse, in eo esse eamdem prorsus, ac in Patre, atque adeo vnum numero Deum cum illo constituere, non autem specie vt asserunt Tritheitę.

Eodem modo discurrendum est de altero loco eiusdē Sancti Ioannis epist. 1. capit.5. vbi ait: *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt*, vnitate scilicet numerica eiusdem essentiæ, vel naturæ diuinæ, supposita, quam præfati non negant hæretici, personarum diuinitate, vt satis clarè ostendimus; cæterum quomodo tam ex isto, quàm ex alio loco probetur diuinitas Filij, & Spiritus Sancti, quam negant Ariani, & Macedoniani, & eorum consequenter cum Patre Homousian cum aliter diuinæ esse non possint, patebit ex dicendis infra sect. 11.

Secundò probatur eadem vnitatis Dei veritas vnanimi Sanctorum Patrū consensu, qui licet tres in illo diuinas agnouerint personas, nihilominus tamen illas non tres Deos, aut Dominos, sed vnum esse numero Deum acerrimè semper propugnauerunt. Et in primis occurrunt illi, qui aduersus Politheismum,& Idololatriam ex professo scripserunt, S. Iustinus Martyr, Tatianus eius auditor in libro contra Gentiles edito tom. 4. Biblioth. SS. PP. Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes, Clemens Alexand. in orat. exhortat. ad Gentes, Minutius Felix in dialogo inter Christianum Octauium, & Ethnicum Cæcilium; Cyprianus in lib. de Idolorum vanitate, Arnobius in libris 7. quos, vt probaret se verè factū esse ex Pagano Christianum, scripsit contra Gentes; nam octauus qui illi operi adiunctus est, non est liber octauus Arnobij, sed Octauius Minutij felicis; Lactantius Firmianus Arnobij auditor in libris 7. diuinarum institutionum; quod opus primum fuit typis mandatum post typographiæ inuentionem cum insigni opere de Ciuitate Dei Sancti Augustini; Eusebius Cæsariensis in libris tam de Euangelica præparatione, quàm demonstratione, Sanctus Athanasius orat. contra Idola, Diuus Augustinus in libro 22. de Ciuitate Dei passim nec non in alijs contra Hæreticos Manichæos, qui habentur tomo 6. Cyrillus Alexandrinus in lib. contra Iulianum; Verum quia tam horum, quàm cæterorum Patrum vnitatem Dei asserentium testimonia proferendi non esset finis, ea dumtaxat loca, in quibus habentur, indicabimus, interdumque etiam magis insignia per extensum adducemus.

In sæculo primo, & secundo.

ASserunt Patres Græci, Clemens Romanus *Constitut. Apostol.* lib. 6. cap. 11. & 14. lib. 8. cap. 15. lib. 2. *recognitionum*. Dionysius Areopagita *de diuinis nominibus* cap. 1. *& de Mystica Theologia* cap. 3. Ignatius in epistola ad Philippenses: *Vnus ergo Deus, & Pater, non duo, neque tres.* Et ad Antiochenos: *Attendentes Apostolicæ doctri-*

na, & legi, & prophetis credentes, abijcite omnem Gentilem, & Iudaicum errorem, vt nec multitudinem introducatis Deorũ, nec pratextu vnius Dei negetis Christum. Prochorus de vita B. Ioannis cap. 1. *Agite itaque fratres fauore consubstantialis Trinitatis*; & cap. 5. *Ioannes capit eos docere de vna sola diuinitate Patris, & Filij & Spiritus Sancti, quam deberent adorare, & quod tres hypostases sint vna substantia.* Iustinus tam *in euersione quorundam dogmatum Aristotelicorum*, quam *in expositione Orthodoxa fidei.* Athenagoras *in Legatione pro Christianis*, Theophilus Episcopus Antiochenus lib. 3. ad Autolicum: *Qua vtilitas manauit ad Orphaeum, ex eo quod trecentos, & sexaginta Deos confessus est, quos tandem reiecit in testamento suo, cũ obiret mortem, asserens vnum esse Deum? Caterum nos Deum confitemur, vnum conditorem, creatorem, & opificem huius vniuersi.* Ireneus lib. 1. cap. 2. & 19. lib. 2. cap. 1. lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 75. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum: *Nihil religio nostra habet antiquius quam Deum vnicum natura esse.* Item lib. 1. *Pædagogi* cap. 6. & 8. lib. 3. cap. 12.

Ex Patribus Latinis, Tertullianus in *Apologetico aduersus Gentes* cap. 17. aduersus *Praxeam* cap. 2. ad *Scapulam* c. 2. & lib. 4. contra *Marcionem* cap. 2.

In tertio, & quarto sæculo.

EX Græcis, Origenes *In proæmio lib. 1. de principijs*, & cap. 3. homil. 12. *in Numeros*; homilia 4. *in Isaiam*, ad cap. 3. epist. *ad Romanos*, nec non dialogo 1. *de recta in Deum fide*: Gregorius Neocesariensis *in confessione fidei*, Eusebius Cæsariensis *de Præparat. Euang.* lib. 11. cap. 9. & in epist. *de fide Nicena.* Concilium Nicænum *in Symbolo*; Athanasius *in orat. contra Idola*, nec non, *de eterna substantia filij, & Spiritus Sancti cum Deo*; & in dictum *omnia mihi tradita sunt à Patre &c.* Sanctus Basilius epist. 141. quæ est *Apologia ad Cæsareanos*; & *sermone de Ascesi, siue exercitatione Monastica*; item hom. 10. *in Hexameron*; Gregorius Nazianzenus in orat. 29. quæ est *de dogmate, & constitutione Episcoporum*; *Et vnus Deus retinendus est, & tres personæ constituendæ, & quidem vnaquæque cum sua proprietate.* Item in orat. 13. quæ est 2. *de pace.* & 32. in præsentia 150. Episcoporum; *Vna autem his tribus natura Deus est.* Epiphanius *heresi* 57. & 62. *In ancorato.* Cyrillus Hierosolymitanus *Cathechesi* 4. 6. & 16. *Neque separamus Sanctam Trinitatem, sicut quidam; neque contrahimus sicut Sabellius.* Gregorius Nyssenus lib. de Trinitate ad Eustachium: *In multitudinẽ extendere numerum deitatum, eorum dumtaxat est, qui laborant errore multitudinis Deorum.* Et præfatione in orat. Catecheticam: *Sin autem Deum quidam non esse dubitet, sed eo dilabatur, vt Deorum putet esse multitudinem, hac aduersus eum vtemur consequentia: Deum perfectum esse putat, an cui aliquid desit? Quod si, vt est consentaneum Dei natura, perfectionem suo attribuat testimonio, exigam vt ipse sit perfectus in omnibus qua considerantur in diuinitate &c.* Ioannes Chrysostomus homil. 20. in priorem ad Corinthios: *Si ergo Patrem non ausus est appellare Dominum cum filio, ne apud illos veniret in suspicionem, quod duos diceret Dominos: neque filium Deum cum Patre, ne existimaretur duos Deos dicere, quid miraris si non meminit Spiritus? Aduersus illos enim tunc decertabat, & contendebat ostendere, non esse apud nos Deorum multitudinem. Propterea illud, vnus, semper retinet, dicens: Nullus est alius Deus nisi vnus: item, nobis vnus est Deus & vnus Dominus.* & in sermone *de Sancta, & consubstantiali viuificaque, & inseparabili Trinitate.*

Ex Latinis, Minutius Felix in Octauio: *Rex vnus apibus, dux vnus in gregibus, in armentis rector vnus; tu in Cælo summam potestatem diuidi credas, & scindi veri illius, ac diuini imperij totam potestatem? Cum palam sit parentem,*

tem omnium Deum, nec principium habere, nec terminum. Cyprianus de Idolorum vanitate: *Vnus igitur omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola teneat omnem potestatem. Ad diuinum imperium etiam de terris mutuemus exemplum. Quando vnquam regni societas, aut cum fide cæpit, aut sine cruore desiit? &c.* Zeno Veronensis sermone 1. de Genesi: *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocauit in filium, ne quid sibimet derogaret. Denique alter in altero exultat, cum Spiritus Sancti plenitudine vna originali coæternitate renitens.* Dionysius Papa apud Athanasium epist. de decretis Synodi Nicenæ: *Marcionis vaniloqui doctrina, sectionem, diuisionemque Monarchiæ in tres principatus instituit: Sed ea diabolica institutio est, non autem verorum Christi Discipulorum, & acquiescentium Saluatoris præceptis. Illi enim vt Trinitatem prædicari à sacris litteris planè sciunt, ita tres esse Deos à veteri, aut a nouo Testamento vspiam induci nequaquam agnoscunt, &c. Non igitur diuidenda est in tres deitates admirabilis, & diuina vnitas, & immensa maiestas, sed credendum est in Deum Patrem, & in filium eius Iesum Christum, & in Spiritum Sanctum, vtrique Deo totius vniuersitatis verbum: Ego enim, inquit, & Pater vnum sumus. Et, ego in Patre, & Pater in me: ita enim & Diuina Trinitas, & sancta prędicatio, professioque Monarchię conseruari poterit.* Arnobius Rhetor *lib. 2. contra Gentes*; Lactantius Firmianus *in libris institut.* & in lib. *de ira Dei cap.* 11. *Ostendimus*, inquit, *in institutionibus nostris Deos multos esse non posse: quod diuina vis, ac potestas, si distribuatur in plures, diminui, eam necesse sit.* Osius Cordubensis *in Synodo Nicęna lib.*2. Hilarius *ad Psalmum* 134. & *lib. de Synodis aduersus Arianos*; Lucifer Calaritanus de non conueniendo cum hæreticis: *Fides Apostolica, & Trinitatem confitetur perfectam, & vnicam deitatem fatetur Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Phębadius *lib. contra Arianos.* Ambrosius ad caput 9. Lucæ lib. 1. de fide cap. 2. & lib. 2. capit. 4. nec non lib. de dignitate humanæ cōditionis cap.2. *Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: non tamen tres Dij sunt, sed vnus Deus tres habens personas: ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates.* Prudentius *contra hæresin Duitarū, præfat. in Apotheosin, & in Apotheosi cōtra Vniotas* Optatus Mileuitanus lib. 4. Philastrius Brixiensis *in hæresi triformē Deū facientium, cap.* 47. Hieronymus ad caput 45. Isaiæ: *Cum instructus armatura Apostoli, omnes docuerit non esse alium Deum nisi vnum, qui sit Iacob, & Israel Deus, confundetur Marcion, duos Deos intelligens, vnum bonum, & alium iustum; alterum inuisibilium, alterum visibilium conditorem.* Item *ad cap.* 4. *epist. ad Ephesios.* Gaudentius Brixiēsis *in tract.* 7. *de Exodo*, & *in tractatu de promissione Paracleti*; Ruffinus *in Apologia sua de fide ad Anastasium.*

In quinto, & sexto sæculo.

EX Græcis, Synesius hymno 1. *Laudo te, vnum. Laudo te, tria. Vnum ens es tria: triaque ens vnum es.* Cyrillus Alexandrinus *aduersus Anthropomorphitas cap.* 6. *De Adoratione in Spiritu lib.*3. Contra Iulianum lib. 4. & lib. 8. *Quod autem vnum & natura verè Deum, visibilium, & inuisibilium opificem, & Dominum confessus fuerit Moyses, & reuelauerit nobis, inficias ibit nullus.* Isidorus Pelusiota lib.1. epist. 494. & lib.2. epist. 142. *Minimè quidem oportet diuinitatis naturam Iudæorum more in vnum Deum, & Patrem contrahere; verum sanctam, atque eiusdem essentiæ Trinitatem dilatare: Si quidem personarum qualitate, atque hypostaseon proprietate distinguentes, per essentiæ identitatem eam rursus* in

in unum Deum contrahimus. Theodoretus *in Genesim quæst.* 20. *in Numer. quæst.*44. & *dialogo* 1. Basilius Seleuciensis *orat. de Verbi Incarnatione*. Andreas Cæsarensis *ad cap.* 10. *Apocalyp.* Ioannes Mazentius *in confessione fidei*: *Est Deus Pater, Deus Filius, Deus etiam Spiritus Sãctus, non tres, sed unus Deus, una substantia siue natura, una sapientia, una virtus, una dominatio, unum regnum, una omnipotentia, una gloria, tres tamen substantiæ, siue personæ*. Aeneas Gazæus *in Theophrasto*; Zacharias Mithylenæus *de mundi æternitate contra Philosophos*. Procopius Gazæus *ad cap.* 1. *&* 3. *Geneseos*. Iustinianus Imperator *in fidei confessione*. Rusticus Diaconus *contra Acephalos*; *Qui igitur unum sunt Pater, & Filius, aliud non sunt. Pater igitur, & Filius, & Spiritus Sanctus unum quidem sunt, quia una eorum natura est: unus autem non sunt, quia tres personæ sunt*. Anastasius Synaita *lib.* 1. *de recta fidei dogmatibus*. Procopius Cartophylax in encomio S. Marci.

Ex Latinis Augustinus *lib.* 11. *de Ciuitate Dei cap.* 10. *lib.* 1. *de Trinitate cap.*4. *Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, diuinorum librorum veterum, & nouorum Catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unius eiusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate, diuinam insinuent unitatẽ. Ideoque non sint tres Dij, sed unus Deus.* Item *sermone* 6. *de Tempore*, & *lib.* 3. *contra Maximinum Arianum cap.* 10. Paulus Orosius lib. 6. cap. 1. *Deum quilibet hominum ad tempus contemnere potest, nescire in totum non potest. Vnde quidam dum in multis Deum credunt, multos Deos indiscreto timore finxerunt; sed hinc iam vel authoritate veritatis operante, tum ipsa ratione desentiente discessum est. Quippe cum & Philosophi eorum (ut de nostris Sanctis sileam) dum intento mentis studio quærunt, scrutanturque omnia, unum Deum authorem omnium repererunt, ad quem unum omnia referuntur: unde etiam nunc pagani, quos iam declarata veritas, de contumacia magis, quam de ignorantia conuincit, cum à nobis discutiuntur, non se plures Deos loqui, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari fatentur*. Paulinus Nolanus *epistol.* 23. *&* 25. Vincentius Lerinensis *contra hæreses cap.* 22. *Beata Catholica Ecclesia, quæ unum Deum in Trinitatis æqualitatem in una diuinitate veneratur: ut neque singularitas substantiæ personarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis distinctio unitatem separet Deitatis*. Petrus Chrysologus serm. 57. 59. & 60. *Deus unus est, sed Trinitate, Deus solus est, sed non solitarius: Diuinitas nec Trinitate diuiditur, nec confũditur unitate*. Eucherius Lugdunensis *de Spiritualibus formis cap.* 1. & *Homilia* 1. *de Epiphania*. Arnobius Romanus *de Deo Trino, & Vno*; *Sicut unus Deus secundum Sacram Scripturam credendus est, quæ dicit: Dominus Deus tuus Deus unus est: ita ipse unus Deus Pater verus, Filius verus, Spiritus Sãctus unus & verus credendus est Deus.* Leo I. *sermone* 1. *de Pentecoste cap.* 3. *& serm.* 2. *cap.* 3. Claudius Marius Victor *præfatione in Genesim*. Eugenius Carthaginensis *de fide ad Hunericum*. Salonius in Ecclesiasten Salomonis; *Quis est iste funiculus triplex, de quo dicit Salomon, qui difficile rumpitur? Vnitas Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; quia in diuinitate tres sunt personæ, sed una tantum est natura*. Ferrandus Diaconus *Regula* 4. Fulgentius *lib.* 2. *ad Monimum cap.* 7. *&* 11. *libr.* 2. *ad Trasimundum cap.* 1. *&* 9. *Libr. ad Donatum cap.* 2. *&* 3. Boetius *lib.* 1. *&* 2. *de Trinitate*; lib. 3. *de consolatione ad Philosophiam prosa* 10. *Omnis Beatus Deus, sed natura quidem unus est Deus; participatione verò nihil prohibet esse quamplurimos*. Paschasius Diaconus *Præfatione in libros de Spiritu Sancto*, nec non *lib.* 1. *cap.*4. Hormida *epistola* 76. *ad Iustinum*, omnino videnda. Cassiodorus *ad Psal.* 50. *&* 116.

Iuni-

Iunilius Africanus in Genesim; *Quod dicit faciamus: una ostenditur operatio trium personarum: In eo verò quod sequitur ad imaginem, & similitudinem nostram, una & aequalis substantia eiusdem Trinitatis indicatur.* Gregorius Magnus *in Symbolo*, & homilia 27. in Ezechielem, *Vnum Deum esse Trinitatem, & Patres veteris Testamenti, & praedicatores professi sunt Noui Testamenti.*

In septimo, & octauo saeculo.

EX Graecis, Leontius *de Sectis act.* 1. Antiochus *de fide homil.* 1. Sophronius Hierosolymit. *epistola ad Honorium*, & alia *ad Sergium Constantinopolitanum*. Maximus Monachus *Centuria* 2. *de charitate num.* 29. *& Expositionis Liturgiae capit.* 24. Thalassius *Hecatontade* 4. *num* 84. *num.* 85. *nu.* 98. Petrus Episcopus Nicomediae in 6. Synodo Constant. act. 10. Germanus Constantinopolitanus *epist. ad Ioannem Synadon*. Ioannes Damascenus lib. 1. cap. 5. & cap. 10. Elias Cretensis *in orat.* 1. *&* 23. *Nazianzeni.*

Ex Latinis, Isidorus Hispalensis *praefat. in Numer.* & lib. 7. Etymologiarum cap. 4. Concilium Toletanum 4. & 6. S. Hildephonsus Toletanus serm. 5. de Assumptione Mariae. Concilium Toletanum 11. *in confessione fidei Sancta Trinitas, vnus & verus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur numero.* Agatho *epistola ad Constantinum Imperat.* Aponius *lib.* 3. *in Cant. Totius aulae regiae ianua est, aeternum, vnũ, verum, in vnitatis essentia semper manentem credere Deum.* Beda *in librum Boetij de Trinitate*, nec non, *de substantijs*, & *ad caput* 5. *Ioannis.* Alcuinus *lib.* 1. *de Trinitate cap.* 3. Ambrosius Ansbertus *lib.* 3. *in Apocalyp.* Carolus Magnus *ad Elipandum Toletanum Episcopum*, & lib. 1. legum cap. 6. & 82.

In nono, & decimo saeculo.

EX Graecis, Nicephorus Constantinopolitanus *epistola ad Leonem III.* Michael Syngelus *in encomio Dionysii Areopagitae.* Theostерictus *de Sancto Nicephoro.* Basilus Macedo Imperat. *in exhortatione ad Leonem cap.* 1. Leo Philosophus Imperat. *epist. ad Omarũ Regem Saracenorum.* Theophilactus *ad cap.* 12. *Ioannis*, & 4. *poster. ad Corinthios.* Moses Barcepha de Paradiso *parte* 2. *cap.* 6. *Statuimus arborem vitae mysticam, esse meditationem, atque cognitionem qua profitemur Sacrosanctam Trinitatem, hoc est, vnum esse Deum, & tres personas sanctas, siue vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate.*

Ex Latinis, Haymonius *ad cap.* 43. *Isaiae*, & *super Euangelium in feria* 6. *Paschae*: Arelatense Concil. 4. *in confessione fidei* Angelomus *lib.* 1. *Regum cap.* 1. *&* 13. Hincmarus *in Vita Sancti Remigij*; Rabanus Maurus *epistola ad Bonosum Abbatem: Deus iste, quem nullus Deorum gentilium negare ausus est verum Deum: Quia etsi negaret, non solum subiaceret debitis paenis, verum etiam certis conuinceretur effectis. Iste ergo Deus, illos falsos esse Deos, & omnino deserendos, eorumque templa, simulachra, & sacra euertenda per suos vates, hoc est, Prophetas, aperta denunciatione praedixit, aperta potestate praecepit, aperta veritate compleuit.* Remigius Antisiodorensis *de celebratione Missae.* Radulphus Flauiacensis *lib.* 10. *in Leuiticum cap.* 2. *Smaragdus Abbas ad cap.* 4. *epistolae ad Ephesios.*

In Vndecimo, & duodecimo sæculo.

EX Græcis Oecumenius *ad cap.2. prioris ad Timotheum.* Euthymius *ad cap.12. Marci. Illud, Audi Israel Dominus Deus noster Dominus vnus est, tres demonstrat hypostases, vnamque diuinitatis naturam: cum enim dicitur Dominus, deinde Deus, & rursum Dominus, tres personę manifestantur; quod autem additur, vnus, natura declarat vnitatem.* Ioannes Zonaras *tom.3. Annal. in Constantino Magno: Dic mihi, inquit Constantinus ad Syluestrum, an Deos colatis, qui Petrus, & Paulus nominantur? respondet ille: Vnus a nobis Deus agnoscitur: Petrus autem & Paulus sunt eius famuli, & ministri.* Georgius Cedrenus *in Constantino: Diuersas in Deitate naturas statuere, Græcum est, vnicam personam, Iudaicum: cæterum sanctam, & vnam essentia Trinitatem deducere in tres personas, hasque in vnam naturam recolligere, rectissimum est, & vera sententia.* Constantinus Harmenopulus *de fide Orthodoxa.* Nicetas Choniates lib.2. Orthodoxæ fidei cap. 21. 22. & 31. lib.4. cap. 14.

Ex Latinis, Berno Augiensis *serm. 7. de Sancto Marco: sicut in hac trium litterarum copulatione diuisio non admittitur, vt pax adimpleatur: ita nec Sancta Trinitas in diuinitatis substantia vllam diuisionem patitur, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus rectè credatur.* Guitmundus Auersanus *in confessione de S. Trinitate.* Anselmus *de Incarnatione Verbi cap.8. ad caput 4. epist. ad Ephesios, & libro de vestimentis, & membris, & artubus Deo attributis: Sicut enim digitus cum manu, vel brachio, manus verò, & brachium cum corpore vnum sunt in natura: ita Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres quidem personæ, sed vna substantia diuinitatis.* Rupertus Tuitiensis *lib.6. in Ioann. cap. 6.* & lib. 5. de glorificatione Trinitatis cap. 18. Hugo Victorinus lib. 7. eruditionis Didascalicæ de Trinitatis summæ per visibilia agnitione capit. 19. *Hoc quoque natura ipsa docet, Vnum scilicet esse rerum omnium opificem, vnum esse rectorem: Nam si diuersa intus consilia præsidentium essent, ipsi se foris rerum cursus ab inuicem aliquando diuiderent. Nunc autem omnia, dum sic concorditer ad vnum finem currunt, profectò indicant, quod vnus est fons, & origo vndè procedunt.* Richardus Victorinus lib.1. *de Trinitate cap. 25. Quam non potest esse omnipotens nisi vnus, tam non potest esse Deus nisi vnus: constat itaque quod credimus: quia vera diuinitas manet in vnitate substantiæ, & substantiæ veritas in vna diuinitate.* Bernardus sermon. paruor. 51. & lib.5. de considerat. ad Eugen. cap. 8. Petrus Lombardus lib.1. distinct. 2. Otto Frisingensis *de rebus gestis Frider. Imperat.* lib. 1.cap.5. *Non tria apud nos, quæ Plato posuit inueniuntur principia, sed vnum tantum: Deus Pater, ex quo omnia: Deus Filius, per quem omnia: Deus Spiritus Sanctus, in quo omnia. Et hi tres, sicut nec tres Dij, ita nec tria principia, nec tria æterna, sed vnum principium, & vnum æternum.* Hugo Etherianus *lib. 1. de Spiritu Sancto cap.8. & lib. 3. cap.1.* Petrus Blesensis epist. 83. Potho Brumiensis *lib.4. de statu Domus Dei cap.2.* Adam Victorinus *in prosa de S. Trinitate.* Innocentius III. lib. 4. de mysterijs Missæ cap.9.

Qui in alijs deinceps sæculis pro vnitate Dei scripserunt aduersus Polytheismum, & Idololatriam innumeri cum sint, tùm Doctores Scholastici, tùm alij, sufficit præclariora Scripturæ, & veterum Patrum loca allegasse cōtra nouos Tritheitas, siquidem admissa semel ab illis Sacrarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum eas interpretantium authoritate, inde facilè, si contumaces non fuerint, conuinci poterunt. *Quod enim Deus vnus sit, vt supra iam notauimus ex Damasceno, & non plures, apud eos, qui diuinæ Scripturæ fidem adhibent, extra controuersiam est.* Quia autem multa in diuinis

uinis reuelantur Scripturis, naturaliter etiam de Deo cognoscibilia, nunc examinandum est, an inter illa numerari debeat, quod sit vnus; siue, quod idem est, an aduersus Politheistas Scripturas negantes, vnum tantum esse Deum, vel non vno plures posse Deos esse, valeat demonstrari, vndè sit.

CAPVT III.

An Deum esse tantùm vnum demonstrari naturaliter possit.

PRiusquam in particulari adducamus, & ponderemus rationes metaphysicas, quibus tàm Philosophi Gétiles, quàm etiam veteres Ecclesiæ Patres vnitatem Dei aduersus Politheistas ostendere conati sunt, placuit hanc quęstionem pro maiori rerum deinceps dicendarum luce præmittere; circa quam duo sunt præcipua doctorum placita. Qui enim, vt vidimus sectione superiori cap. 3. negant demonstrabilem esse Dei existentiam lumine naturali, multò magis id fateri tenentur de eius vnitate; quodque consequenter probabili duntaxat ratione suaderi possit immultiplicitas diuinæ naturæ in plura indiuidua, non autem certo, nisi ex Scriptura, adducendo nimirum motiua credibilitatis, quibus sectione 2. huius libri ostẽdimus euidenter esse credibile, quod doctrina in sacris litteris contenta, quãque ex illis proponit Religio Catholica, fuerit diuinitus reuelata, atque adeò certissimè per fidem credenda. Pro hac sententia citari solent Guillelmus Ocham, Gabriel, Maior; Petrus Alliacensis in 1. sentent. & alij nonnulli.

Alij per oppositum docent singularitatem diuinæ naturę, seu quod plures dari non possint veri dij, non solùm esse certum ex fide, verùm etiam euidens ex ratione. Quæ sententia, vt est inter Patres, ac doctores communior, ita quoque videtur mihi non solùm probabilior, sed omnino certa, eodem tamen modo proportionaliter intellecta, quo superiori sectione explicuimus naturaliter etiam demonstrabilem esse Dei existentiam; Etsi enim eius vnitas nonnihil abstrusior videatur, indeque forsan multo plures fuere, qui in illa, quàm qui in existentia Dei errauere; nihilominus absolutè loquendo, eadẽ videtur esse ratio de existentia, ac de vnitate Dei, vndè sicut illa demonstrari potest, ita & hæc; nedum de possibili, aut quatenus quis asserere posset, dari quidem sufficiens medium, per quod talis veritas possit demonstrari, illud autem non cognosci; verum etiam de facto, siue loquendo de rationibus in hunc finem à Philosophis, & Patribus adduci solitis; quia licet nonnullæ forsan ex illis, per se, ac sigillatim sumptæ, non ita conuincant intellectum, quin homo proteruus, aut malè affectus, suisque passionibus obcæcatus, aliquas possit euasiones inuenire, nihilominus omnes simul consideratæ sunt efficacissimæ, & aliquæ, si non omnes, attentis duntaxat principijs philosophicis naturaliter notis, sunt verę, ac perfectæ demonstrationes, ad probandam contra Politheistas, vnicum tantùm esse verum Deum, si vim earum diligenter perpendere possint, ac velint. Sic enim D. Paulus ad Romanos 1. ait fuisse inexcusabiles Philosophos, *quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*, hoc est, illi soli diuinum exhibendo cultum, *sed euanuerunt in cogitationibus suis*, &c. *& mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum*; &c. at si vnitas Dei non esset, sicut & existentia, certò cognoscibilis, solo etiam lumine naturali, malè ab Apostolo inexcusabiles dicerentur Philosophi, quod præter vnum verum Deũ ab ipsis ita cognitum, alios coluissent Deos.

Quod igitur, tot olim homines in eo fuerint errore versati, vt plures existimauerint esse Deos, imo, quod mirabilius est, bruta animalia, volucres, & serpen-

ſerpentes, imo & lapides vt Deos adorarint, nullum indè ſumi poteſt argumentum, vt contraria veritas de vnitate Dei non cenſeatur demonſtrabilis naturali lumine: ſeu quod in idem redit, hic error Gentilium in pluralitate Deorum non prouenit ex defectu ſufficientis in contrarium demonſtrationis, ſed ad alias referendus eſt cauſas; *Primò* ad hebetudinem mentis, præ qua multi rationum vim, ac pondus penetrare non potuerunt; indeque, præcipuis duntaxat Philoſophis vnitatem Dei agnoſcẽtibus, Idololatria potiſſimũ viguit apud vulgus, Deo etiam ita permittente in iuſtam plerumque peſſimæ hominum vitæ punitionem; *Secundò*, quia ipſimet Philoſophi, licet vnum Deum cognoſcerent, & exiſtimationem plurium Deorum, vulgi errorem eſſe non ignorarent, profiteri tamen veritatem non auſi ſunt, ſed vt populo condeſcenderent, adoratione omnino ficta plures Deos venerati ſunt; vel etiam quia decepti ſunt à dæmonibus, qui affectantes diuinos honores, illis perſuadebant ſibi etiam eſſe debitos propter inſignem excellentiam, & poteſtatem; quod certè mirum non apparebit conſideranti, plures alios turpiſſimos errores contra lumen naturæ in ijſdem per peccata excæcatis fuiſſe. Quare ad eorum poſtea exemplum, apud imperitum vulgus, quod humana opinione, & conſuetudine duci ſolet, Idololatria magis ſemper, ac magis inualeſcere, propagarique potuit, accedentibus etiam omnibus alijs cauſis cap. 1. aſſignatis, non autem ex eo quod naturaliter ineuidẽs, aut indemonſtrabile ſit vnum tantùm Deum eſſe.

Quod etiam Dei vnitas abſtruſior, minuſque peruia dicatur lumini naturali, quam eiuſdem exiſtentia, nihil obſtat eius demonſtrabilitati, cum vnam veritatem eſſe alia abſtruſiorem, abſolutè non arguat, eam eſſe indemonſtrabilem niſi aliquid aliud accedat, viribus naturæ omnino inſuperabile, quod in præſenti non contingit veritate, quia nihil apparet in ea quod repugnet, aut difficilem, intellectui eam reddat: & è contrario multa ſunt, quæ non proteruum, aut non omnino prauè affectum animum ſtatim ad illius inclinent aſſenſum, tùm Metaphyſica, tum Phyſica, tum moralia, vt patebit ex infra dicendis; adeò vt mediocris non ſit difficultas in explicando, quomodo viri in philoſophia eruditi plures Deos admittere, verèque colere potuerint, vt patet ex dictis cap. 1. propterea que D. Bonauentura in 1. diſt. 2. art. 1. quæſt. 2. rectè ait: *Plures eſſe Deos, neque eſſe poſſibile, neque eſſe intelligibile, ſi rectè accipiatur ſignificatum huius nominis Deus.* Vnitas ergo Dei, non ob indemonſtrabilitatem dicitur latentior exiſtentia eiuſdem, ſed, aut præſuppoſitiuè, quia veritas vnitatis ſupponit veritatem exiſtentiæ diuinæ; eo modo quo myſteriũ diuinæ incarnationis ſolet interdum vocari difficilius intellectu, ipſo Trinitatis myſterio; aut etiam quia Deum eſſe vnum, non ita immediatè colligitur ex effectibus creatis, ac eum exiſtere, ſed mediatè ſolum, quatenus ex effectibus primum demonſtratur de Deo aliqua proprietas, ex qua concludi poteſt, repugnare enti habenti huiuſmodi proprietatem, quod multiplicetur. v. g. quod ſit ens à ſe, aut per ſe neceſſarium, ac infinitum; in ens enim à ſe, vel per ſe neceſſarium, & infinitũ, vbi ſemel ex creaturis probata eſt eius exiſtentia; multiplicitatem cadere non poſſe, infra oſtendetur.

Inquiret aliquis an Deum eſſe tantùm vnum, ita ſit lumine naturali peruium, vt de tali veritate dari non poſſit ignorantia inuincibilis? circa quam difficultatem, quæ ſolet tractari, tùm 1. 2. quæſt. 76. ſub alio titulo magis vniuerſali, ſcilicet, an earum rerum, quæ ſunt iuris naturalis, poſſit dari ignorantia inuincibilis; tum 2. 2. quæſt. 10. vbi agitur de infidelitate in communi; duo ſunt præcipua doctorum placita, aliqui enim ſimpliciter negant dari poſſe ignorantiam inuincibilem vnitatis Dei; alij

verò

verò absolutè affirmant. Pro cuius explicatione, primò distinguendum esse puto de illo obiecto, secundum quod cadit sub preceptum fidei supernaturalis, & præscisè secundum quod comprehenditur sub obligatione præcepti naturalis; cum enim duæ sint partes materiæ fidei, vna supernaturalis omnino, quæ nisi per reuelationem cognosci non potest, vt mysteria Trinitatis, Incarnationis, & cætera huiusmodi; alia verò naturalis, quia per rationem naturalem attingi potest, vt Deum esse, & vnum esse; inter quas est discrimen in hoc, quod circa priorem materiam solùm cadit obligatio præcepti supernaturalis, quia lumen naturale illam non attingit, circa posteriorem autem cadit duplex obligatio, vna præcepti supernaturalis fidei, quatenus etiam illa pars à Deo reuelata est, & alia precepti naturalis, quo obligatur homo ad illas veritates cognoscendas etiam in pura natura; indè sequitur propositam difficultatem, an dari queat de vnitate Dei ignorantia inuincibilis, posse de illa procedere vtroque modo considerata.

Incipiendo ergo à primo, verisimilius esse puto, illo posse dari ignorantiam inuincibilem de Deo vno; quia vt sumitur ex Diuo Thoma 2.2. qu. 10. art. 1. dari potest ignorantia inuincibilis totius reuelationis fidei, non minus vt est de veritatibus naturalibus, quam vt est de supernaturalibus; siquidem reuelatio fidei de quacumque materia sit, etiam naturali, non fit nisi modo supernaturali, ac proindè per prædicationem, & propositionem rei credendæ sub authoritate diuina; sub illo igitur respectu quo Deum esse vnum diuinæ subiacet reuelationi, atque adeo redditur materia, & obiectum fidei, dari potest ignorantia illius inuincibilis in omnibus his, ad quos non peruenit hæc reuelatio, nec sufficiens propositio eius, cuiusmodi sunt infideles, qui negatiui appellantur. Nos enim in prȩsenti non loquimur de his, qui Euangelium audierunt, vel audire potuerunt, quorum satis constat infidelitatem esse positiuam, & per consequens peccatum; sed tantùm de illis, qui ipsum Euangelium, aut doctrinæ reuelatæ prædicationem audire nullo modo potuerunt.

Iam si habeatur sermo de hoc obiecto altero modo spectato, hoc est, lumine naturali cognoscibili, eadem ratione de illo, ac de existentia ipsiusmet Dei, proportionaliter discurrendum videtur. Vnde secundò assero, nullam reperiri nationem, vel communitatem, apud quam dari contingat ignorantiam inuincibilem de vnitate Dei, siue negatiuam, hoc est nullo modo cogitando de illa, siue positiuam, hoc est positiuè assentiendo, quod non sit vnus. Ista conclusio patet ex dictis; nec non etiã ex eo, quod præceptum colendi vnum Deum naturale est, & per ipsum lumen rationis sufficienter promulgatur; ergo dari non potest ignorantia inuincibilis illius in tota aliqua natione, multoque minus in toto genere humano; adeo vt talis præcepti transgressio propter ignorantiam excusari valeat. Etsi enim fieri possit, vt dicta promulgatio aliquibus personis, & pro aliquo tempore sufficienter non applicetur; vel quia, ob incapacitatem, rationes vnde vnitas Dei colendi probatur, inuenire, aut penetrare nequeunt; vel etiam, quia maiores illas comprehendentes, à quibus docendi essent, interdum negligentes in hoc præstando se habere possunt: Ex suppositione tamẽ quod hȩc veritas sit naturaliter cognoscibilis, maximèque necessaria ad conuenientem institutionem humanæ vitæ etiam merè naturalem, & ad tendendum in vltimum finem eiusdẽ ordinis, dabilis non videtur ignorantia inuincibilis illius in tota aliqua natione, minusque in toto genere humano; seu quod idem est, videtur impossibile, stante præsertim suauitate diuinæ prouidentiæ, quin semper inter homines fuerint, modoque sint aliqui, qui Deum esse vnum naturaliter cognoscere, idque cæteros edocere potuerint; vt satis pa-

tet in Philosophis ferè omnibus, quos propterea Apostolus ad Rom. 1. vocat inexcusabiles, vt diximus supra ob falsorum Deorum cultum; quod tamen non esset verum, si vnitatem Dei defectu luminis naturalis inuincibiliter ignorassent. Quare aduertendum est, eos maximè qui aliquam habent cognitionem vnius Dei, & errant putando esse alios Deos, quibus diuinus sit tribuendus cultus, nullo modo posse per ignorantiam inuincibilẽ excusari; cum ipsamet existimatio vnius veri Dei sufficiat ad illam ignorantiam, & deceptionem expellendam, si vellent, vt tenentur, aduertere. Nam qui credit, & recognoscit esse in Republica vnum supremum regem, in ipsamet familia vnum supremum caput, vel dominum, quomodo ignorare potest peculiarem honorem illis debitum, non esse alteri exhibendũ: de quo redibit sermo cap. 6.

An autem dari possit aliqua ignorantia inuincibilis de vnitate Dei, respectu particularis indiuidui adulti, & ratione vtentis, per quam ab Idololatria excusabile reddi valeat; breuiter dico, vel illam dabilem non esse, saltem pro longo tempore; vel esse rarissimam, & non posse inueniri, nisi in homine adeo rudi, vt vix censeatur gaudere pleno rationis vsu, præcipuè in his superioribus rebus. Vt accidere potest in aliquo Gentili, qui neque per se philosophari valeret, nec vllam aliundè rectam instructionem haberet: ad hanc enim veritatem de qua agitur, licet naturaliter sit cognoscibilis, cum tamen per se nota non sit, necessaria est, vel inuentio, vel doctrina, vt cognoscatur; Ergo in illo casu in quo rusticus Gentilis, vel ob summam mentis hebetudinem, per propriam inuentionem comparare hanc notitiam non posset, vel etiam defectu sufficientis doctrinæ, quia ipsimet maiores, aut parentes, à quibus instruendus esset, in simili errore versarentur, aut in eo depellendo negligentes essent, fatendum esset in huiusmodi homine toto illo tempore inueniri posse ignorantiam de vnitate Dei inuincibilem, ob quam tunc ab Idololatria, vel ab errore circa multitudinem Deorum excusabilis redderetur.

Hanc cæterum ignorantiam, haud habere locum posse in homine adulto plenum rationis vsum habente, longo saltem, vel toto vitæ suæ tempore, clarè demonstrant, tùm huc vsque dicta, tùm quæ veteres docent de intestino illo, ac tacito testimonio, quod suus cuique dicit animus, etiam vanis Deorum superstitionibus, ac publicis erroribus occupatus, non minus circa Dei vnitatem, quàm existentiam; de quo librũ Tertullianus edidit, quem de testimonio aduersus gentes inscripsit, in eo demonstrans homines eò instinctu naturę ferri, vt vnicum Deum agnoscant, ac communi sermone spontè fateantur. Passim enim ita loqui Gentiles ait: *Quod Deus dederit*, &, *si Deus voluerit*. Item, *Deus bonus est*; *Deus benefacit*; *benedicat te Deus*. Tum, *Deus videt omnia*, & *Deo commendo*, & *Deus reddet*, & *Deus inter nos iudicabit*. Videndus est etiam in Apologetico cap. 17. vbi eadem habet: Et, *ò testimonium*, inquit, *animæ naturaliter Christianæ*. Idem asserit Minutius Felix in Octauio: *Audio vulgus*, inquit, *cum ad cælum manus tendũt, nihil aliud, quam Deum dicunt; et Deus magnus est: et Deus verus est: et si Deus dederit. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio?* Idem & Arnobius gentilibus obijcit, in secundo libro, nec non Lactantius lib. 2. Instit. cap. 1. *Nam & cum iurant*, inquit, *et cum optant; et cum gratias agunt, non Iouem, aut Deos multos, sed Deum nominant, adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab inuisis pectoribus erumpit. quod quidem nõ faciunt in prosperis rebus. Nam tùm maximè Deus ex memoria hominum elabitur cum beneficijs eius fruentes, honorem dare diuinæ indulgentiæ deberent. At verò si qua necessitas grauis presserit; tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit; si morborum pestifera vis incubuerit; si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit;*

rit; si sæua tempestas; si grando incubuerit; ad Deum confugiunt; à Deo petitur auxilium; Deus vt subueniat oratur. Si quis in mari, vento sæuiente iactatus, hunc innocat. Si quis aliqua vi afflictatur, hunc protinus implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur; & per eius diuinum, atque vnicum numen hominum sibi misericordiam quærit. Hæc Lactantius elegantissimè ad præsens institutum. Plotinus denique Enn 6.lib.5.cap.1.egregiè illud idem testimonium animę singularem Deum profitentis agnouit, vbi ait: *Vnum quiddam, idemque numero esse simul vbique totum communis indicat mentis humanæ notio, quando omnes naturali quodam instinctu clamant in vnoquoque nostrum esse Deum: adeo vt vnus in omnibus idemque sit Deus*, &c. *Atque hoc est omnium firmissimum principium, quod anima nostra velut eloquũtur, quod ex singulis in vnam summam redigitur.* Quod etsi testimonium ex communi doctorum, indoctorumque iudicio peti posset, quia tamen præclarius in ore primorum haberi solet, inde capite sequenti præcipua eorum dicta proferemus, quibus vnicum Deũ esse professi sunt.

CAPVT IV.

Ostenditur verum Deum esse vnum ex naturali instinctu, consensuque hominum pro doctoribus præsertim inter gentiles habitorum.

VT aduersus hæreticos diuinarũ Scripturarum authoritatem recipientes, ea vsi sumus cap. 2. ad demonstrandum vnum esse numero Deũ quantumuis tres in illo sint personæ; ita quoque veterum Patrum exemplo, cum aduersus gentiles Deorum cultores Christianam in hac parte causam agerent, insignium in hoc capite Poetarum, ac Philosophorum, nec nõ Sybillarum testimonia quamplurima adducemus, quæ vnicum Deum esse, Deos autem illos, quos vulgus asciuit, mentitos, & inanes esse prædicant. Eiusmodi non pauca Patres cap. 2. citati memorarunt, Iustinus *in Cohortat. ad Græc. & lib. de Monarch.* tum Athenagoras *in Orat. pro Christianis*; Clemens Alexandrinus *Admonit. ad Gentes, & in lib. 7. stromat.* Lactantius *lib. 1. Institut. cap. 3. 4. & 5. nec non in libro de ira Dei cap. 11.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 1. contra Iulianum*, Eusebius *lib. 13. de Præparat. Euang.* & alii passim.

Primum igitur è prophanis Scriptoribus, quorum extant opera, Mercurium Trismegistum, etsi Sacerdos esset, & ad Idolorum templa consederet, eadem sensisse, quæ Moyses docuit, & vnum Deum laudibus celebrasse, testatur Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iulianum, fidemque faciunt eiusdem Mercurij verba in Pimandro vbi Deum deprecans, vt rationabile sacrificium suscipiat, sic eum in singulari alloquitur: *Ineffabilis, indicibilis, silentio vocatus*: qui scilicet silendo vocaris, audiens etiam silentes; mox orationem exordiens ait: Sanctus Deus, qui vult cognosci, & cognoscitur à suis. Sanctus es qui solo verbo cuncta fecisti. Sanctus, cuius omnis natura fuit imago. Sanctus es, quem non formauit natura. Nimirum cuius forma nusquam in natura est. Sanctus es, qui superior, & fortior es omni potestate. Sanctus es, qui es omni laude superior. Sic Trismegistus. Et quamuis nonnulli dubitent, vel etiam negent, ea opera, quæ sub eius nomine circumferuntur, esse ipsius, sed ficta à posterioribus fuisse, plures tamen alij oppositum docent, omnes autem conueniunt esse alicuius antiqui Philosophi vnum solum verum Deum agnoscentis; cuius etiam testimoniis cum vsi fuerint Lactantius, Augustinus & alii multi viri doctissimi, dicendum est ea probatam continere doctrinam.

De quo fusius videri potest Augustinus Eugubinus tom. 3. lib. 3. de perenni Philosophia cap. 3.

Orpheus, cum antea trecentum sexaginta quinque Deos inuexisset, vnum postea sub mortem agnouit, vt testatur Theophilus in tertio ad Autolicum, & inter alia, quæ de Deo vero cecinit, sic habet:

Vnicus est per se existens, qui cuncta creauit,
Inque his ipse extat: nulli è mortalibus vnquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.

Deindè

Magnum adeo præter regem non alter habetur.

Item,

In cunctis Deus vnus.

Homerus etiam, qui pater fabularum visus est, poeticosque illos Deos nunquam non habet in ore, naturæ tamen instinctu, sæpe Deum vniuersalem, quemadmodum Philosophi, & posterior ætas, cui singularis innotuit diuinitas, nominauit. E quibus est illud, quod adducitur etiam à S. Iustino Philosopho, & Martyre in Apologia, vbi sic Phænicem cum Vlisse inducit loquentem.

Non mihi si Deus hinc etiam promitteret ipse,
Mutato senio, viridem instaurare iuuentam.

Significans, inquit Iustinus, hoc modo loquendi per antonomasiam verum Deum.

Qui post Orpheum, & Homerum deinceps floruerunt celebriores Poetæ vnius quoque supremi numinis existentiam notam habuere, clariusque adhuc suis scriptis mandatam reliquere, Hesiodus apud Clementem Alexandrinum.

Ipse etenim rex cunctorum, dominusque gubernat
Numina: non Deus huic alter contendere possit.

Aratus operis initio.

Quem placare ideo primum, extremūque laborant.
O mirande Pater! salue, valde vtilis orbi.

Phocyllides in præceptis perænecticis.

Est vnus sapiensque potens Deus, atque beatus.

Sed omnium præstantissime Sophocles, cuius sunt sequentes versus apud Iustinum, Athenagoram, Clementem, Cyrillum, & Eusebium in Chronico:

Vnus profecto est; vnus est tantum Deus:
Qui cælum, & amplum condidit terræ globum,
Marisque fluctus, vimque ventorum grauem.
Plerique nostrum mente sed capti, Deum,
Simulachra nobis, ceu mali solatium,
Cum saxea, atque aerea consecrauimus;
Siue aureas, eburneasque imagines:
Sacris & istos colimus; his festos dies
Agimus: pios hoc esse nos remur modo.

Qui Poetis successere Philosophi, similem de vnitate Dei notitiā habuisse testantur eorum dicta, quæ partim nūc in libris eorum leguntur, partim ab subsecutis Philosophis, qui libros eorum legerunt, referuntur. Igitur post Mercurium Trismegistum, omnium è prophānis Scriptoribus, quorum extant opera, primum, vt notauimus supra, habemus Simonidem, qui non modo singularem Deum nominauit, sed item de sapientia, bonitateque eius ineffabili, & incommunicabili altissime philosophatus est. Testimonium Sapientiæ adducitur ab Aristotele lib. 3. met. cap. 2. bonitatis à Platone in Protagora. Refertur & istud à Clemente in Protreptico, & Cyrillo aduersus Iulianum Pythagoræ dictum: *Deus quidem est vnus. Is autem non est, vt quidam existimant, extra mundum, sed in ipso totus; in toto circulo, præses omnis generationis, vniuersorum temperatio semper existens, & opifex suarum virium, & operum omnium: in cælo illumi-*

luminator, omnium pater mens, & animatio totius circuli, omnium motus.

Archytas Pythagoræ discipulus, apud Iamblicum de secta Pythagoreorum sic loquitur. *Quicumque possit omnia genera rerum, ad vnum, & idem principium resoluere, & rursum componere, & connumerare, is mihi Sapientissimus, maximèque veridicus esse videtur. Insuper pulchram speculam reperisse, ex qua possit contemplari Deum, & omnia, quæ in coordinatione, & serie eius separata sunt. Hacque regia via aperta menti, recta peragere, cursumque conficere, principia finibus connectens, cognoscensque quod Deus est principium, & finis, & medium omnium, quæ secundum ius, rectamque rationem peraguntur.*

Eamdem quoque doctrinam tradit apud Philonem Iudæum Philolaus, eiusdem Pythagoræ cum Archita discipulus: *Princeps, & dux omnium Deus, vnus semper existens, singularis, ipse sui similis, alius ab alijs.*

Asclepius ad Ammonem Regem de Deo profundè scribens, eum singulariter nominat, & ei tanta maiestate laudes dignas concinit his verbis: *Indefatigabilis Spiritus est Deus, semper & eodem modo habens sua scientia. Perennis felicitate, operationibus eisdem vtens ad omne tempus. Supremus omnium Rex, bonus Deus.*

Eadem ratione locuti sunt plures alii celebres Philosophi, qui vel dictis coætanei fuerunt, vel eos subsecuti sunt vsque ad Platonem, & Aristotelem, qui Deum vnum, ac supremum apertissimè omnium prædicarunt; de Platone testatur Cyrillus lib. 1. contra Iulianum, laudans Porphyrium, qui in libro quarto historię Philosophicæ ait Platonem *de vno Deo & sensisse, & locutum esse: nullum vero nomen ei conuenire, neque humanam mentem eum capere: & appellationibus, quæ à posteriori dicuntur, eum impropriè declarari.* Hoc ipsum de eodem Platone, tum de Aristotele asserit Athenagóras. At quia vtriusque, nec non cæterorum post ipsos Philosophorum plura reperiuntur testimonia supremi alicuius numinis vnitatem probantia tam apud citatos Patres, quam apud Augustinum Eugubinum lib. 3. de perenni Philosophia, illis referendis libenter supersedeo, quæ ibi facilè consuli possunt. Quam igitur argumentum ex naturali instinctu desumptũ, est efficax ad probandam aliquam veritatẽ naturaliter cognoscibilem; quamque euidens est huiuscemodi instinctus signum, vnanimis Sapientum consensus in illam; tam clarè constat vnum esse verum Deum, ex allatis Poëtarum, Philosophorumque dictis, de quibus rectè ait Orosius lib. 6. histor. cap. 61. *Eos dum intento mentis studio quærunt, scrutanturque omnia, vnum Deum authorem omnium reperisse, ad quem vnum omnia referuntur. Vnde etiam nunc pagani, quos iam declarata veritas de contumacia magis, quam de ignorantia conuincit, cum à nobis discutiuntur, non se plures Deos sequi, sed sub vno Deo magno plures ministros venerari fatentur. Restat igitur de intelligentia veri Dei per multas intelligendi suspiciones confusa dissensio, quia de vno Deo omnium penè vna opinio est.*

Superest iam vt post Poetas, ac Philosophos nonnulla Sibillarum de vnitate Dei testimonia proferamus. Quemadmodum enim, ne quis in huius veritatis testificatione sexus deesset Anna mater Samuelis 1. Reg. 2. diuino spiritu afflata inter cætera cecinit, *Non est Sanctus, vt est Dominus; nec enim est alius extra te; & non est fortis, sicut Deus noster*; ita quoque inter Gentiles Deus non sine speciali prouidentia Sibillas esse voluit, quæ eamdem veritatem, pluresque alias ad diuina mysteria pertinentes docerent, passim citatæ à primis Ecclesiæ Patribus, ex quorum libris sequentia deprompsimus testimonia, eo quo referũtur ordine tom. 1. Bibliothecæ Sanctorum Patrum.

Ex libro primo, quem citat Theophilus Antiochensis lib. contra Gentes ad Autolycum.

Conditor omnia qui nutrit cunctisque suauem
Indidit afflatum, mortales qui regit omnes
Vnus qui solus regnat Deus, atque supremus,
Omnipotens nunquam genitus, qui cōspicit ipse
Omnia, mortali non aspectabilis vlli.

Ex libro 2.

Vnus & immensus Deus est, regnator & vnus
Aethereus, se se consistens totus in vno,
Cuncta videns solus, non aspectabilis ipse.

Ex libro 3.

Nam solus Deus, & nescit habere secundum.

Ex libro 4.

Audi gens Asia nimis, Europaque superba
Hæc quæ mellisono verissima uaticinari
Ore paro, nostro dictata à numine magno,

Ex lib. 5.

Ne Deus æternus succensens deleat olim
Omne genus, uitamque hominum, stirpemque nefandam,
Aeternus genitor, sapiens Deus usque colatur.

Tandem libris sexto, septimo, & octauo, dum semper in singulari sermo fit de Deo, satis insinuatur eius vnitas, vel immultiplicitas. Quanta autem olim fuerit, nunc verò sit Sibillarum authoritas, quæque ad illas pertinent, sufficienter iam explicuimus tom. 1. lib. 2. sect. 9. cap. 19. vbi consuli possunt.

CAPVT V.

Expenduntur præcipuę rationes vnitatem, seu immultiplicitatem veri Dei demonstrantes.

PLurimæ tùm apud veteres, tùm apud modernos Scriptores inueniuntur rationes, aliæ ex mundi gubernatione, externisque Dei operibus assumptæ, aliæ verò ex diuinitatis natura, conditioneque ipsa petita, quibus eius vnitas, vel immultiplicabilitas probatur, nos in præsenti capite tres præcipuas dumtaxat adducemus, & examinabimus, quibus vtitur D. Thomas 1. p. q. 11. art. 111.

Prima desumitur ex diuina simplicitate; natura enim quę per seipsam, & essentialiter est hæc singularis, non potest multiplicari, aut alteri indiuiduo communicari, vt per se patet, quia singularitas est propria vnicuique, vnde si Petrus v.g. per id esset homo, per quod est hic homo, ita vt idem essentialiter, & formaliter esset, esse hominem, & hunc hominem, quod dici solet, si de essentia hominis esset, esse hunc hominem singularem v.g. Petrū, sicuti non possent esse plures Petri, id est, sicuti hic homo, qui dicitur Petrus, non esset diuisibilis in plures homines, vt est euidens (non quia non possint esse plures homines, qui vocentur eodem nomine Petri) ita non possent esse plures homines, sed solus Petrus esset homo; si enim de essentia hominis esset, esse hunc determinatū, & non alium, semper homo esset hic, & non alius; quemadmodum quia de essentia hominis est, esse rationale, impossibile est, esse hominem nisi rationalem, aut aliud pręter ipsum esse tale; quę omnia clara sunt in Philosophia. Hoc autem totum de facto competit Deo, qui ob infinitam simplicitatem, & actualitatem sui esse, secundum idē est Deus, & hic Deus, ita vt non solū Deus sit sua singularitas, sed etiam de essen-

essentia illius sit esse hunc numero Deum, qui de facto est in indiuiduo: nam si hęcceitas, & singularitas, siue indiuiduatio naturæ diuinæ non esset de essentia Dei, seu quod idem est nō includeretur in intrinseco, atque essentiali conceptu naturæ diuinæ, sed cum fundamento in re ex parte ipsius, liceret eam perfectè concipere, non concepta singularitate Dei intrinsecè inclusa intra totam; essentiam illius naturæ, vel esset differentia diuisiua essentialis, per quam diuideretur vna natura diuina essentialiter ab alia, & constitueretur vnus Deus specie diuersus ab alio; vel esset differentia indiuidualis, & numerica; illud primum dici non potest, non enim datur ratio generica diuinitatis, & ratio specifica contrahens illam ad hanc speciem, vt patet ex eadem infinita simplicitate diuina, & supponitur in hoc argumento, in quo directè probatur non esse plures Deos numero solum diuersos, non solum quia in Deo, cum sit actus purissimus, nulla datur materialitas, ex qua iuxta veriorem sententiam desumitur distinctio merè numerica, & indiuidualis, propterea que Angeli ipsi dicuntur numericè tantùm immultiplicabiles; verum etiam, quia ad differentiam illorum, & cuiuscumque alterius creaturę, omnino est idem in Deo, ob infinitam eius simplicitatem, quod eius natura sit sua singularitas adæquatè, & quod singularitas sit ipsa eius quidditas, & essentia, alioqui iam Deus non esset in ratione essentiæ infinitè simplex, sed compositus, nimirum ex Deitate, & hæcceitate, ex quibus vna numero essentia coalescit, non minus quam compositus est Petrus v. g. ex humanitate, & hæcceitate, quæ est Petreitas extra essentiam humanitatis, licet secundum multos indistincta omnino ex natura rei ab humanitate; Inde enim manifestè sequitur impossibile esse, quod sint plures numero Dij, tūc enim non esset idem esse Deum, & esse hunc Deum: sicuti quia sunt plures homines, non est idem esse hominē, & esse hunc hominem essentialiter: nullum siquidem indiuiduum est multiplicabile in plura indiuidua, hoc enim proprium est solius naturæ specificæ, non autem naturæ indiuidualis; posito igitur quod natura diuina attenta eius infinita simplicitate sit essentialiter indiuidualis, non potest ipsa multiplicari, non multiplicata etiam natura indiuiduali, cuius multiplicatio vt est impossibilis, ita quoque & naturæ diuinæ.

Secunda ratio ad probandum Deū non posse multiplicari, neque numero, neque specie, sed omnino vnum tantū esse, fundatur in infinita eius perfectione, ratione cuius dicitur comprehendere in se totam plenitudinem essendi, vel formaliter, vel eminenter, & esse id quo nihil maius, & excellentius concipi potest; vt enim scite ait Tertullianus libr. 1. contra Marcionem capit. 3. *Veritas Christiana districtè pronuntiauit, Deus si non vnus est, non est, quia dignius credimus non esse quodcumque, si non ita fuerit, vt esse debebit*: Si autem duo, vel plures darentur Dij, nec essent infinitæ perfectionis, siue non haberent infinitatem omnimodam essendi, neq; id quo nihil altius possumus imaginari; oporteret enim eos differre scilicet in Deitate, non enim different solum in persona præcisè; nam sic essent vnus numero Deus, vt sunt de facto tres personę Sanctissimæ Trinitatis habentes vnam, & eamdem numero naturam & propterea in illis non valet hoc argumentum) haberent ergò etiam distingui in natura; & consequenter vel distinguerentur per differentias indiuiduales diuersas, quo pacto distinguntur inter se, & differunt plures homines; vel per differentias essentiales, qualiter inter se differunt duo Angeli naturaliter in opinione probabiliori numero immultiplicabiles intra eamdem speciem; vtrumque autem est impossibile, ita enim aliquid conueniret vni, quod non alteri, nimirum vel perfectio indi-

indiuidualis, vel differentia aliqua essentialis, ad quam potissimum respicitur in hoc argumento, nam ad primam pertinet superius, quamuis etiam ad vtrumque valeat præsens. Si ergo competeret aliquid vni, quod non alteri, vel illud quod hic Deus habet præ alio est actus purus, & entitas infinita, vel quid potentiale, & finitum; si secundũ, ergò creatum, & non Deus; quia Deus est, quo maius nec esse, nec cogitari quidem potest. Si verò id quod habet vnus prę alio, est perfectio actus puri, & infinita, ergò hæc deest alteri, & illa quæ est in altero deest isti, proindeque manet vterque priuatus aliqua perfectione diuina, & infinita, & sic non est summè perfectus, cum deficiat illi perfectio infinita: Impossibile est igitur plures esse Deos. Vnde & antiqui Philosphi, quasi ab ipsa coacti veritate, ponentes principium infinitum, posuerunt vnum tantum principium.

Nec potest contra hanc rationem instari in creaturis, quæ differunt à Deo, & tamen suas habent perfectiones, necnon Deus suam. Aut quod vnus ex ijs Dijs haberet illam differẽtiam quę est in alio eminenter, sed nõ formaliter, & similiter alius haberet differentiam alterius, sicque ambo essent æque perfecti. Nam contra primum est, quod omnes perfectiones, quæ reperiuntur in creaturis, sunt in Deo eminenter, tanquam in primo, & fontali principio, à quo deriuant, essentialiterque dependent, & sic differunt ab illo per aliquam perfectionem creatam, atque potentialitati immixtã, quæ in Deo ab illa purificatur; non verò est aliqua perfectio simpliciter in creatura, quæ non sit in Deo, quo pacto contingeret in dualitate, vel pluralitate Deorum, vt patebit per responsionem ad secundam instantiam. Ea enim perfectio, quę esset in vno formaliter considerata, vel diceret aliquam imperfectionem, vel non, si primum, ergo Deus ille esset imperfectus formaliter, si secundum, ergo deberet esse formaliter in natura diuina perfectissima; cum omnis perfectio, quæ nullam dicit imperfectionem, debeat esse formaliter in natura diuina, aut si illa careret, aliqua perfectione careret, atque adeo in se non haberet totam essendi plenitudinem, quam diuinitatis conceptus exigit. Neque etiam posset dici; quod esset propriè eminenter in illis Dijs, cùm nullus ex eis esset causa alterius, vt est certum. Vnde inquiri quoque posset, quotnam esse deberent hi Dij, cum nullus esset ab alio, duo, an plures? finiti, an infiniti? essentne æque potentes, vel vnus potentior alio? item, si vnus haberet necessariò voluntatem cum alio concordem, vel posset discordare, aut vnus Deus cognosceret alium, vel non cognosceret? quibus omnibus, & similibus manifestam in natura diuina contradictionẽ inuoluentibus, quodcumque respondeatur ex illis, manifestè sequitur non vno plures posse Deos esse.

Tertiò ex ordine, & regimine huius vniuersi, vnitateque ordinis, & amplissima omnium partium ipsius colligatione manifestè colligitur vnitas Dei Principis, & rectoris. Omnia enim quæ sunt in Mundo, inueniuntur esse ordinata ad inuicem, dum quædam quibusdam subseruiunt; quod est euidens proculdubio signum, & argumentum ordinationis, sicuti patet in familijs, & regnis in quibus est subordinatio vnius ad alium in ordine ad gubernationem vsque ad patrem familias, & regem, quæ enim diuersa sunt, in vnum non conuenirent ordinem, siue non haberẽt ordinationem ad inuicem vnum in finem, nisi ab aliquo vno ordinarentur. Et quia posset aliquis instare, quod talis ordinatio possit fieri per plures, vt accidit in Republica, in qua multi gubernant, respondetur cum Angelico Doctore multa melius in vnum ordinem reduci per vnum, quam per multos, cuius ratio est, quia vnius ordinis vnum per se est causa, multa autem nonnisi per accidens, in quantum scilicet

cet sunt aliquo modo vnum. Vt enim docet præfatus Sanctus Doctor 1. p. q. 103. art. 3. manifestum est, quod plures multa vnire, & concordare non possunt, nisi ipsi aliquo modo vniantur: illud autem quod est per se vnum, potest esse causa vnitatis conuenientius, quam multi vniti, maximè si cætera sint paria, & hoc vnum habeat omnem perfectionem illorum multorum; & maximè etiam si hoc vnum esset summum ens perfectissimum, quale debet esse Deus. Quare tota vis, & efficacia huius rationis videtur in hoc stare, quod si essent plures Dij, vel omnes idem omnino, & eodem modo facerent, ac vnus tantùm; vel vnus faceret aliquid, & alius aliud, sicque per accidens omnia in vnum conuenirent; si hoc secundum asseratur, neuter esset Deus, quia à neutro omnia creata dependerent, neuter omnipotens, cum non esset factor omnium. Si autem primum concedatur, idem nimirum facere omnes, quod vnus, eodemque modo, quidquid facit vnus, fieri, & præstari ab omnibus, ergo vltra vnum reliqui superfluunt, siquidem sine illis res æquè benè fierent. Nihil autem videtur absurdius, quam ponere Deũ superfluum, otiosum, & inutilem; quomodo enim primum, summèque necessarium ens potest esse superfluum? Quod tamen non sequitur de personis diuinis habentibus vnam, & eamdem Deitatem, potentiam, intellectum, & voluntatem, qua vnico modo ordinatissimè omnia fiunt, & ita sicut ostenditur non esse tres Deos, ita nec esse tres diuinas personas cum tribus naturis distinctis, supposita fide dictarum personarum.

Ad eneruandam autem huius rationis vim locum non habet famosa illa inter Politicos quæstio, an scilicet apud homines melior, aut perfectior sit gubernatio Monarchica, quæ reducitur ad vnum Regem, vel Principem, quam Aristocratica, quæ reducitur ad optimates, pluresque Senatores, qualis est in Republica; in tantum enim pars affirmatiua pro Aristocratica sustineri potest, in quantum vnus homo sæpe non est prǽditus omni perfectione, prouidentia, & scientia, quam plures habere possunt; & facilius etiam corrumpi potest, quam plures. At si vnus posset omnes has perfectiones vnitim possidere, & esset ęquè incorruptibilis, aut indefectibilis, ac plures, nullus est qui in dubium reuocaret meliorem esse huius vnius gubernationẽ, quam plurium; cum hi plures in tantũ rectè possent gubernare, in quantum aliquo modo essent vnum; vndè si inter se dissentirent, nullamque vnitatem haberent, confusio potius esset, ac destructio, quam gubernatio. Deus igitur, cum sit ens summè perfectum, necesse est etiam vt sit vnus. Et consequenter vt tres personæ, quas in adorando Sanctissimæ Trinitatis Mysterio fides nos docet, sint vnum in vna numero essentia, & natura. Quod idem dicitur de existentia absoluta, qua Deus præintellectus personis, & vt est ens à se, concipitur esse quid actualissimum, necessarióque existens; nec non de omnibus alijs perfectionibus absolutis; nam vna diuinitas vnum habet intellectum, vnam voluntatem, & sic de alijs attributis; cum ergo omnes diuinæ personæ habeant vnitatem numericam in diuinitate, eamdem quoque necessario debent habere in omnibus attributis. Deindè etiam in illis valet locus argumentandi ab vnitate in dicta natura tanquã in tertio, ad vnitatem siue identitatem inter se, eo quod dicta attributa ita identificantur cum diuina essentia, vt nullam inter se habeant oppositionem relatiuam, quæ sola est ratio distinctionis in personis, & cur vna non enuncietur de altera: igitur sicut in vnaquaque persona reperitur eadem prorsus essentia, quamuis cum diuersis modis personalibus illam habendi, ita reperiuntur eadem prorsus attributa absoluta.

Superest solum difficultas, an stante huc

te huc vſque demonſtrata diuina vnitate, rectè vnus numero Deus dici poſſit, vel illi competere vnitas numerica. Suſtinent enim aliqui partem negatiuã, cui fauet S. Baſilius epiſt. 141. quæ eſt Apologia ad Cæſarianos; eo quod ex tali modo loquendi videtur ſequi plures Deos eſſe poſſe, ſaltem per potentiam logicam, vnitas ſiquidem numerica videtur eſſe non poſſe niſi reſpectu numeri, vel actualis, vel certè poſſibilis. Alij autem affirmatiuam docent; quod tamen videtur pertinere ad controuerſiam de nomine potius quam de re. Vndè breuiter dico, vbi Deus appellatur vnus numero, id accipiendum eſſe non poſitiuè affirmatiuè, quaſi natura diuina poſſit numerari, vel ſit diuiſibilis in plura ſingularia, quo pacto Deus non tam diceretur vnus numero, quam vnus è numero, hoc eſt vnus connumerabilis cum alijs Dijs; ſed intelligi debere negatiuè hoc ſenſu, quia dicta natura eſt tantum vna, & non multiplex, nulliuſq; diuiſionis capax; vt contingit in vnitate, quam Logici numericã vocant, quæ propterea dicitur maxima vnitatum, quia nullam admittit diuiſionem, ſic enim Deus rectè vocari poteſt, imo debet vnus numero Deus. Quare dum primæ ſententiæ authores negant Deũ eſſe vnum numero, nihil aliud verè negant, niſi, eſſe vnum Deum inter plures Deos, ſiue qui cum alijs Dijs numerari poſſit, in quo ſenſu communiter dicitur, Petrum eſſe vnum numero hominem, hoc eſt, vnum connumerabilem cum alijs eiuſdem ſpecificæ naturæ hominibus, & non dicitur, hunc hominem, indicato Petro, eſſe vnum numero Petrum, quia cum Petrus ſit terminus ſingularis, non eſt multiplicabilis in multos Petros; quo ſenſu loquuntur patroni ſecundæ ſententiæ, dum aſſerunt Deum eſſe vnum numero, vnitatem enim numericam illius non comparant, cum vnitate numerica, quam habet natura creata ſpecifica, v. g. homo, ſed quam habet indiuiduum creatum, v. g. Petrus, quia de eſſentia Petri, non autem naturæ humanæ eſt Petreitas; vndè ſicut indiuiduum, ex hoc quod ſit immultiplicabile in alia plura numero indiuidua, ad diſtinctionem naturæ ſpecificæ ita multiplicabilis, rectè dici poteſt vnum numero indiuiduũ, ita quoque, cum ex dictis in prima ratione de eſſentia diuinæ naturæ ſit ſingularitas, & indiuiduatio, atque adeo immultiplicabilitas in plura numero diſtincta, rectè dici poteſt illam habens vnus numero Deus, ſiue quod non ſit alius eiuſdem naturæ Deus, ſed totam Deitatis naturam, & vniuerſas perfectiones, ac proprietates, quæ in illa natura concipi poſſunt, comprehendat in ſe vnus indiuidualis Deus, quod ab alijs dicitur, eſſe vnum vniuerſitate eſſendi.

Etſi igitur vnitas Dei ſubſiſtentis in tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis ſit obiectum diuinæ reuelationis, cuicumque lumini naturali prorſus imperuium; attamen ſi ſermo ſit de vnitate Dei, abſtrahendo ab hoc quod in vna, vt exiſtimarunt Philoſophi, vel in pluribus, vt fides nos docet, ſubſiſtat perſonis, ſiue de vnitate per negationẽ plurium numero, vel ſpecie Deorum, ab vno vero Deo, illam pluſquam ſatis demonſtrant ſuperius allatę rationes, ad quas facilè reducuntur omnes aliæ, quas Diuus Thomas habet lib. 1. contra Gentes cap. 42. & Marſilius Ficinus in 2. de immortalitate animarum, Petauius tom. 1. Theologic. dogmat. lib. 1. & alij paſsim.

Quæ rationes non modo contra Gentiles Idololatras dictam Dei vnitatem probant, verum etiam contra hæreticos illos, qui præter bonum, auctoremque boni Deum; malum alterum ſtatuebant, conditorem viſibilium rerum; quales primùm fuere Cerdoniſtæ, Marcioniſtæ, & Manichæi, vt refert Diuus Auguſtinus lib. de hæreſibus, quibus poſtea adhęſerunt Priſcillianiſtę & Albigenſes. Si enim præter Deum illum vnicum, cuius vnitas paſsim in Scripturis prædicatur, quemque Philoſophi agnouerunt, ex ſuperius dictis

ſolo affulgente lumine naturali, alius quiſpiam foret, mali artifex, & priori contrarius: pari cum eo poteſtate, & agendi vi, hoc eſt infinita, præditus eſſe deberet; ſi quidem Dei nomen conditionemque tueri vellet. Si autẽ æqua amborum eſſet vis, & poteſtas; quam in boni Dei opera ille malus exerceret; multa indè ſequerentur abſurda, & impia. Vt enim ait Diuus Athanaſius ſub initium libri illius, in quo aduerſus Gentiles diſputat, præfatoſque hæreticos refellit: *In ijs quæ pari ſunt poteſtate prædita, nihil eſt quod excellat, & præſtantius ſit. Quippè ſi nolente altero, exiſtit alterum, æqualis eſt amborum tum vis, tum imbecillitas: vis quidem æqualis; quatenus in eo quod exiſtunt ambo, volũtatem ſuam vincunt mutuo; imbecillitas verò par erit vtriuſque, quod inuitis ipſis, ac præter eorum voluntatem res accidunt. Si quidem & Bonus renitente eſt Malo; & Malus nolente Bono.* Inſuper ex eodem doctore; *ſi quæcumque ſenſibus percipimus, opera ſunt Mali; quodnam Boni opus erit? nihil enim apparet, præter id quod ab opifice creatum eſt. Quod autem Boni indicium erit; cum nulla extent eius opera, ex quibus cognoſci queat? Nam ex operibus artifex dignoſcitur. Quinam porrò duo omnino eſſe poſſunt inuicem contraria? aut quid eſt, quo illa ſeparantur, vt disiuncta conſiſtant? fieri enim non poteſt, vt ſimul exiſtant; eo quod ſe ſe mutuo extinguendi vim habent. Sed neque alterum eſſe in altero poteſt; quod inſociabilis, ac diſsimilis natura ſit illorum. Itaque tertium erit quiddam, quod illa dirimit, ipſumque Deus. Sed hoc cuius tandem erit naturæ? vtrum illius, quæ ineſt in Bono; an quā malus præditus eſt? incerta planè res erit. Atqui vtriuſque ſimul eſſe nequit.* Hactenus Athanaſius referens abſurda, quæ conſequuntur ex poſitione dictorum hæreticorum.

Præterea, cum ex dictis ſupra in ſecunda ratione Dei appellationi ſubiecta notio ſit eiuſmodi, vt infinitum aliquid, & infinita vi conſequenter pollens ad agendum pariter, ac reſiſtendũ ſignificet; hoc eſt prorſus inſuperabile, & quicquid voluerit ſumma æquè poteſtate, ac facilitate perficiens; non poſſunt duo eſſe, vel plures contrarij, & repugnantes; quales ſunt Bonus ille, ac Malus, quos hæretica prauitas adinuenit. Si enim tales eſſent duo; neceſſario id quod vellent, efficerent ſimul, & non efficerent, quod implicat contradictionem. Efficerent quidem, quoniam quicumque Deus eſt, is eſt omnipotens; & nihil eius voluntati reſiſtere poteſt. Cum autem ſe ſe inuicem oppugnarent, nec alterum altero eſſet inferius, neque ei cedere vellet, aut poſſet (quoniam nec bono malum obſequi; nec malo bonũ cedere ſpontè ſua poteſt: multo verò minus inuitum, ſi infinitum, ac ſi Deus eſt, huic repugnãte diuinitatis iure, ac nomine) neuter ageret quicquam, ſed alter alterũ præpediret. Et ſic de aliis abſurdis, in quibus expendendis, quia poſt iam obſoletum hunc de multiplicibus Dijs, & contrariis errorem, ſuperfluum eſſet diutius immorari, ſufficiat hæc breuiter annotaſſe; poſt fuſiorem pręſertim, ac pleniorem veterum Patrum de hac re diſputationem tunc ob eius nouitatem neceſſariam. Pręcipui fuere Tertullianus contra Marcionem; Titus Boſtrenſis, & Didymus contra Manichæos to. 4. Bibl. PP. Epiphanius, Auguſtinus, aliique plures Gręci pariter, & Latini.

CAPVT VI.

Nunquam licitam eſſe Idololatriam, falſorumque Deorum cultum.

QVia non defuerunt multi antiqui tum Philoſophi, tum hæretici, quorum adhuc hodie non pauci ſequaces eſſe poſſent, qui interdum Idololatriam; ſiue falſorum Deorum cultum licitum eſſe putarunt, placuit pro coronide huius ſectionis hĩc breuiter errorem refellere, Cum autem, vt iam notauimus ſupra cap. 1. tres dentur modi, quibus committi poteſt Idololatria. Primus eſt, quando ex infidelitate mentis

tis procedit, ex falsa nimirum persuasione circa pluralitatem Deorum. Secundus est sine propria quidem mentis infidelitate, sed cum affectu tamen tribuendi diuinum honorem alteri, quam vero Deo. Vt si quis credens dæmonem non esse Deum, velit nihilominus illi offerre sacrificium, aut aliquid simile, animo honorandi ipsum, vt eum sibi reddat propitium. Tertius denique Idololatriæ modus est, quando sine errore intellectus, & sine affectu colendi creaturam vt Deum, tantùm exhibetur signum externum adorationis soli Deo debitæ cum exteriori significatione adorandi creaturam sine intentione cultus. de his omnibus modis, aut aliis ad eos reducibilibus procedit pręsens controuersia.

Circa primum igitur, videntur credidisse eum esse licitum illi potissimum Philosophi, qui etiam agnoscentes vnũ duntaxat esse verum Deum; aliis tamen ab ipso, nempè creaturis quibusdam excellentibus, honores diuinos esse deferendos censuerunt. Inter quos primus se offert Varro, qui vt effugeret apertas rationes contra multiplicium Deorum cultum, cui addictus erat populus Romanus, eumque excusaret, recurrit ad ponendum vnum Deum, qui esset anima mundi, ex cuius participatione physicas mundi partes Deos esse dixit, nominaque falsorum Deorum ad illos transtulit vocans Aethera Iouem, aerem Iunonem &c. eisque cultum, ac honores diuinos asseruit esse deferendos. Plato etiam, & multi eius discipuli, licet benè senserint de Deo, & vnitate eius, ipsum primum verum principium agnoscentes, summumque rectorem, ac moderatorem, post illum tamen censuerunt diuinum cultum esse exhibendum quibusdam substantijs spiritualibus à Deo productis; deinde animabus cælestium corporum, quæ animata esse putabant; tum dęmonibus, quos vnitos esse corporibus aereis credebant; ac denique animabus hominũ, quas per virtutis meritum ad Deorum, vel dæmonum societatem assumi putabant. Verum quidquid sit de huiusmodi opinionibus, quæ plures habent errores admixtos, quos egregiè refutat Diuus Thomas 1. par. q. 3 artic. 8. 2. 2. quæst. 94. art. 1. & 3. contra gentes cap. 120.

Constanter asserendum est hunc primum Idololatriæ modum, nunquam esse licitum, sed grauissimum esse peccatum ex se, quod non solum de fide certum est, verum etiam lumine naturali euidens, vt omnes Theologi sentiunt cum D. Thoma loco citato 2. 2. Ratio potissima, & ad quam cæteræ reducuntur, est, quia talis Idololatriæ modus est directè, & formaliter contra honorem Deo debitum, siue per illum aufertur cultus Deo debitus, & ad creaturam transfertur: Enim verò *si id* quod vni homini debitum est, ac proprium ab eo aufertur, & alteri tribuitur: iniquitas est: à fortiori si cultus, & honor Deo debitus, ab eo in creaturam transfertur, summa impietas est; deinde sicut diuina excellentia singularis est, ita etiam postulat singularem cultum, & honorem, contraque illum directè fit, quoties incommunicabile nomen Dei, & consequenter incommunicabilis honor alteri, quàm vero Deo confertur.

Id autem fieri per Idololatriam, pręsertim verò per istum primum eius modum, quo creditur, aut existimatur creaturam esse Deum, aut aliquid diuinitatis habere, quod ad infidelitatem pertinet, patet ex ipsamet definitione Idololatriæ, quod sit vitium superstitionis, quo creaturæ exhibetur cultus, seu diuinus honor: Etsi enim nostri temporis sectarij, vt laudabilem Sanctorum, imaginumque illorum cultum liberius condemnent, præfatam definitionem non approbent, vt infra suo dicemus loco, nihilominus illa est ad mentem omniũ veterum Patrum, Tertulliani lib. de Idololatria in principio: *Idololatria*, inquit, *Deo fraudem facit, honores illi suos negans, & conferens alijs, vt frandi etiam contu-*

contumeliam coniungat; Gregorij Nazianz. orat. in Christi Natiuitate post medium, vbi vocat Idololatriam, adorationem à Deo ad creaturas; Ambrosij in cap. 5. ad Ephes. *Idololatria*, inquit, *Dei honorificentiam vsurpat, & vendicat creaturæ*: Augustini lib. 1. de Trinitate; *Iubemur non seruire creaturæ, sed creatori: non eo modo quo iubemur per charitatem seruire inuicem, sed eo modo quo tantum Deo seruitur*; & sic de alijs. Quare, licet loquendo de tertio modo Idololatriæ, siue de Idololatria externa possit esse difficultas, de qua nunc non agimus, quomodo nimirum discriminentur honores, & diuini cultus, ab his qui non sunt diuini, & Deo debiti, vt per eorum exhibitionem quis illam dicatur, vel non dicatur committere, sed ab ea excusari, hoc tamen locum non habet in hoc primo modo, quo nō potest non semper committi Idololatria; cum necessario procedat, vt supponimus, ex opinione diuinitatis, seu alicuius diuinæ excellentiæ in creatura, vel idolo quod adoratur, quæ qua ratione haberi possit iam sufficienter explicuimus supra cap. 1.

At si inquirat aliquis, an saltē in huiusmodi errore possit inuincibilis ignorantia interuenire, quæ errantē excuset? Primo respondetur hoc quæsitum non habere locum in præsenti controuersia, quæ procedit de habente cognitionem vnius Dei, & errante putando esse alios Deos, quibus diuinus cultus tribuendus sit; in illo enim nullo modo dari potest ignorantia inuincibilis, nec consequenter per illam excusari. Ita enim dicit Apostolus ad Roman. 1. fuisse inexcusabiles Philosophos, *qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt*. Quia ipsamet existimatio vnius veri Dei erat sufficiens ad illam ignorantiam, & deceptionem expellendam, si voluissent, vt debebant aduertere. Nam qui credit, & recognoscit esse in republica vnum supremum Regem, quo pacto ignorare, potest peculiarem honorem illi debitum, præsertim nomen Regis, non esse alteri tribuendum. Secundò respondeo, quod si quis omnino ignoraret verum Deum, & vnitatem eius, excellentiamque supremi numinis, pro ratione talis ignorantiæ, eum excusari posse, vel à culpa, vel à tanta culpa colendi plures Deos. Si enim illa ignorantia culpabilis est, quamuis absolutè non excuset culpam, quatenus tamen ignorantia est, aliquo modo minuit illam; si verò contingat illam esse inuincibilem, excusabit omnino culpam non quidem materialiter, sed formaliter, cum nihil sit formaliter peccatum, nisi sit voluntarium, quod ignorātia inuincibilis omnino tollit, vt suppono. An verò talis ignorantia in nostro casu dari possit, iam explicuimus supra cap. 3. & iterum breuiter hic asserimus illam esse impossibilem.

Etsi enim iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 10. possint aliqui per ignorantiam inuincibilem excusari ab infidelitate, quæ est priuatio fidei supernaturalis erga Deum authorem gratiæ, vndè denominantur infideles negatiui; ab illa tamen infidelitate, seu errore, qui est priuatio cognitionis Dei, vt author est naturæ, nullus quantumuis rudis, dummodo sit præditus vsu rationis, excusari potest, cum ad illius ignorantiam vincendam, siue ad cognitionem vnius veri Dei sufficientem ad inducendam mortalibus obligationem colendi eum, & cauendi à peccato Idololatriæ, exhibendo alicui creaturæ honorem soli Deo debitum, non requiratur quod sit demonstratiua, & vndequaque perfecta, sine vllo errore admixto, sed satis est, quod generalis quædam sit cognitio de Deo, quod sit principium rerum omnium, excedens illas, à quo dependent, & gubernantur, quam vnusquisque per rationem saltem probabilem à creaturis desumptam, imo certam moraliter, cum nullā alia probabilis in oppositum sit, quæ illud probabile reddere possit, hoc est plures esse Deos, aut licere cultum vni vero Deo appropriatum alicui creaturæ adaptare sine crimi-

crimine impietatis. Vndè non solùm, qui nouerunt Deum esse vnum duntaxat, nequeunt excusari ab Idololatria, sed nec etiam illi qui eius notitiam nõ habuerunt; eo enim ipso, quod ex cognitione vnius veri Dei statim promanat dictamen rationis naturalis, eum scilicet esse colendum, nullique alteri honorem illi debitum esse exhibẽdum: vt Idololatræ non excusantur per ignorantiam à cognitione vnius veri Dei omnibus peruia, ita nec à crimine Idololatriæ erga creaturas quascumque, sed præsertim ab illa, qua cæca Gentilitas, vt Deos coluit homines imbecilles, obscænos, & flagitiosos; dictante potius lumine naturæ tales nequaquam esse posse Deos, neque vt Deos honorari debere, imo dignos esse irrisione, & vituperio: quia alienum est valdè à natura diuina sceleribus vacare, aut spurcitijs commaculari, cum ea ipsa puniat Deus, imo & quiuis Magistratus Reipublicæ, vel mediocriter benè institutæ.

Et sicut primorum inexcusabilitas significatur loco superius citato Rom. 1. vbi loquens Apostolus de Philosophis Gentilium, qui habuerunt cognitionem vnius veri Dei (vt aduertit D. Thomas lect. 6.) ait: *ita vt sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt*, &c. ita quoque secundorum, Sapientiæ 13. vbi reprehenduntur Idololatræ, quod ob id tale crimen incurrerint, quia caruerunt culpabiliter cognitione vnius veri Dei: dicitur enim; *A magnitudine speciei, & creaturæ, poterat creator horum cognoscibiliter videri*.

Circa secundum Idololatriæ modũ, hoc est cum affectu tribuendi diuinum honorem alteri, quàm Deo vero, sine propria mẽtis infidelitate, An sit licitus? Diuus Thomas 2. 2. quæst. 94. artic. 2. refert quosdam veteres, qui partem affirmatiuam tenuisse videntur; quatenus putauerunt quod offerre sacrificium, & alia ad latriam pertinentia non solùm summo Deo, sed etiam aliquibus creaturis propter aliquam insignem excellentiam earum esset debitum, & per se bonum. Verùm hoc non est tantùm hæreticum, sed etiam contra rationem naturalem, quia cum adoratio debeatur ratione excellentiæ, vbi est propria, & incommunicabilis ratio excellentię, etiam debet esse incommunicabilis adoratio; Dei autem excellentia, & ratio eum adorandi vnica est, cuicumque puræ creaturæ incommunicabilis, ergo & adoratio, quam latriam vocamus. Vndè sicut esset crimen læsæ Maiestatis humanæ, si in vno Regno alius vt Rex honoraretur præter verum Regem, exterioribus saltem honoris signis soli vero Regi debitis; ita quoque grauissimum est læsæ Maiestatis diuinę crimen, diuinum cultum, vel honorem creaturæ tribuere præsertim animo, & affectu honorandi illam; quidquid sit de adoratione externa, de qua mox agemus: quamuis hæc etiam ratio probet non solum esse illicitam internam adorationem, sed etiam externam, quæ ad Deum specialiter determinata est, vt singularem illius excellentiam, & dominium significet, quale est sacrificiũ, & ideo sacrificium creaturæ offerre tàm intrinsecè malum esse, atque verbis cõfiteri illam esse verum Deum docet Sãctus Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 19. vbi referens tacito nomine auctorum quorumdam sententiam, qui asserebant sacrificium inuisibile puræ mentis Deo quidem summo tanquam meliori esse offerendũ, at sacrificia visibilia alijs Dijs inferioribus, hæc habet in contrarium; Exteriora sacrificia ita sunt signa interiorum, sicut verba sonantia sunt signa rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes ad Deum dirigimus significantes voces, cui tamẽ res ipsas in corde quas significamus offerimus: ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse nouerimus, quam ei cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debemus.

Cuius rationis vis non consistit in hoc,

hoc, quod adoratio externa, vel sacrificium non possit esse sine interno, aut semper sit illius argumentum, sicut nec voces, aut verba sonantia non sunt semper signa interni conceptus, vt patet in mentientibus, vel fingentibus; sed in hoc, quod sicut verba sonantia, supposita semel impositione, non possunt non esse, vbi pronuntiantur, significatiuæ rerum, ad quas significandas imposita sunt; ita sacrificium etiam visibile tàm est ex natura rei ad Deum determinatũ, vt singularem ipsius excellentiam, ac dominium significet, vt nulli creaturæ possit offerri, quin simul significetur illam esse Deum. Quemadmodum etiã in vocibus hæc oratio miserere mei, vel da mihi gratiam tuam, ita soli Deo competit, vt nulli creaturæ possit adaptari, quin significetur illam quoque esse Deum, quantumuis illam profundens talem non habeat de illa conceptum.

Quantum ad tertium Idololatriæ modum, quo exhibetur externum duntaxat signum sine errore intellectus, & sine affectu colendi creaturam; varia fuere placita; primum nonnullorum Philosophorum, qui existimauerunt latriæ cultum exteriorem non esse quidẽ Idolis tribuendum tanquam per se bonum, aut opportunum, sed tanquam vulgari consuetudini cõsonum, vel quãdo fit necessitate vrgente ad vitandum grauissimum malum mortis, aut aliud æquiualens; tales fuere Plato, & Marcus Varro referẽte Augustino per multa capita, & libros de Ciuitate Dei maximè lib. 4. 6. 7. & 10. Cicero ex Lactantio lib. 2. de origine erroris cap. 3. vbi eum ita reprehendit: *Video te terrena, & manufacta venerari, vana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipsi, quos tu stultissimos confiteris*. Senecam quoque vnum solum verum Deum agnoscentem, ita Augustinus introducit loquentem lib. 6. de Ciuitate Dei cap. 10. de cultu Deorum: *Sic adorabimus, vt & meminerimus huiusmodi cultum magis ad morem, quam ad rem pertinere*: & iterum, *quæ omnia Sapiens seruabit tanquam legibus iussa, non tanquam Dijs grata*; Vnde etiam idem Augustinus de omnibus, aut pluribus Philosophis agens libro de vera, & falsa religione cap. 5. tom. 1. ait non esse religionem à Philosophis quærendam, qui eadem sacra recipiebant cum populis, & de Deorum suorum natura, ac summo bono diuersas contrariasque sententias in scholis personabant.

Eumdem amplexi sunt errorem quidam hæretici, affirmantes licitum esse persecutionis tẽpore idola exterius colere, aut in tormentis Christum negare, dummodo fides in corde retineatur. Hi sunt Elesaitę teste Eusebio lib. 6. histor. cap. 28. aliàs 31. Priscillianistæ, quatenus ex Diuo Augustino lib. de hęresibus in 70. dixerunt posse aliquem occultare suum errorem etiam peierando: inde enim consequi videtur idem fuisse dicturos de vera fide. Bogoniles, vt refert Zonaras in vita Alexij Imperatoris: item nostro tempore Anabaptistæ, apud Staphilum in epitome Theologię Lutheri, & alij plures Libertini dicti, vel potius Atheistæ vocandi.

In contrarium fides Catholica, omnesque de illa benè sentientes docent Idololatriam exteriorem nunquam excusari posse à crimine propter metum mortis, aut propter alia mala vitanda, aut aliqua bona comparanda; quantumuis vera intus fides seruetur, colensque nullo pacto intendat creaturam adorare. Quia autem signa sensibilia ad cultum exteriorem pertinentia sunt in duplici differentia; quædam nimirũ ex natura rei, siue primo & per se destinata cultui diuino, quorũ proindè vsus adaptari nõ potest nisi pro illo tantùm; qualia sunt in vocibus orationes illæ, fac mecum Deus misericordiam, da mihi tuam gratiam, æternamque beatitudinem; & in rebus sacrificium, asserente Augustino lib. 10. de Ciuitate Dei c. 10. *Sacrificium nullus est hominum, qui audeat dicere debere nisi Domino soli*. Quædam verò signa sunt talia solùm ex adiũ-

cto, quia videlicet indifferentia sunt ad cultum Dei, & cultum hominum, vel ad aliquid aliud, vt genuflexiones, prostrationes, & similia, quibus quandoq; Deum honoramus, & quandoque creaturas dignitate pręcellentes, vndè ab his non promanat honos, vel cultus diuinus ex natura rei soli Deo debitus, sed tantùm per aliud, id est ex adiunctis: nimirum quando is, qui talibus vtitur signis erga creaturam, id facit, vel quia credit, aut existimat illam esse Deum, aliquidve diuinitatis habere, quod ad infidelitatem pertinet; vel licet hoc non credat, motus tamen passione aliqua amoris, aut odij, vult creaturam, quam scit esse creaturam, colere ac si esset Deus. Vel tandem si vtatur eo signo indifferenti ad cultum Dei, & cultum creaturæ, eo tempore, & his circumstantijs, vt censeatur cultus diuinus exhibitus creaturæ; v.g. qui à Tyranno inuitatus, vt coram Idolo genuflecteret; ei morem gereret, is profectò idololatra esset, quamuis non crederet esse Deum, aut aliquid diuinitatis habere, nec haberet animum illud honorandi vt Deum: quia attentis talibus circumstãtijs hic & nunc colit idolum, sicut Deũ verum. Quia res, inquam, ita se habet circa sensibilia signa ad cultum Dei exteriorem spectantia.

Primum asserimus nunquam licere absque idololatriæ reatu venerari externè creaturam aliquo sensibili signo, primo & per se ad cultum veri Dei ordinato, nisi fieret ioco; nam si repræsentationis tantum gratia id accideret, vt in comædijs, extra controuersiam positum est, id licere, quia talis vsus huiusmodi signorum nõ significat histriones eum cultum idolis exhibere, sed tãtum repræsentare cultum ab idololatris exhiberi solitum. Ex quo nequaquam oritur substractio honoris diuini, aut scandalum adstantium, sed potius contemptus, & irrisio falsorum Deorum. Hæc assertio ita explicata est de fide.

Primumque probatur aduersus hæreticos omnibus his Sacræ Scripturæ locis, quibus habetur, & significatur non solam fidem esse de necessitate salutis, verum etiam fidei, veritatumque eius confessionem: Matthæi 10. *Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo, & eum coram Patre meo, qui in cælis est*; Lucæ 9. *Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet*: 2. ad Timotheum cap. 2. *Si negauerimus eum, & ipse negabit nos*; & ad Romanos 10. *Corde creditur ad iustitiã, ore autem confessio fit ad salutem*; vbi nomine oris omne signum externum intelligendum est, vt communiter explicant doctores; cum igitur idololatria externa licet ficta, fit contra fidei confessionem, nam est confessio alterius Dei, & consequenter continet negationem veri Dei, nam duo simul esse non possunt; sine vlla dubitatione grauissimum est peccatum diuino honori, ac religioni valdè contrarium, quia continet perniciosum mendaciũ contra Dei honorem, scilicet quod sit alter Deus, vt infra magis explicabimus; nec solùm, sed insuper, qui sic colit falsos Deos, cum decipiat alios perniciosè, quia veraciter eum agere existimant, grauissimum in eis generat scandalum. Et ideo 2. Machab. cap. 6. respondet Eleazarus præmitti se potius velle in sepulchrum, quam tale peccatum committere: *Non enim*, inquit, *ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitę tempus decipiantur, & per hoc, maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram*.

Secundò hæc veritas apertè confirmatur vnanimi consensu, & antiqua Ecclesiæ traditione, quę hoc delictum negandi fidei veritatem, quantumuis in actu solùm externo, semper reputauit magnum, & ita illud reprehendit, nec non in suis subditis puniuit; vt constat ex can. 61. Apostolorum, vbi quidem specialiter loquitur de Clericis fidem negantibus. Sed de omnibus fidelibus loqui-

loquitur Concilium Nicænũ. Can. 15. & 12. Anciranum ferè totum, & Elebertinum can. 1. & 2. cuius etiam rei manifestum habemus exemplum in Marcellino Summo Pontifice, qui, cū humana fragilitate in immani illa Diocletiani Imperatoris persecutione perterritus, Deorum simulachris thus adhibuisset, facti pænitens in Concilio Sinuessano scelus suum palam cōfessus est. Et certè, si per talem cultus simulationem idololatriæ macula non contraheretur, maximè persecutionis tempore, Christiani à tyrannis infidelibus fatigati sæpè imprudenter, malèque egissent, non vtendo tali simulatione; quia sæpe magni intererat pro fidelibus defendendis, ac docendis, vt ille qui cogebatur idolatrare superstes per aliquot annos esset; cum igitur nullus vnquam propter tormenta, vel quæcumque nocumenta ausus sit talem simulare cultum, sed omnes viri fortes potius occubuerint, & ad id se obligatos esse firmiter crediderint manifestum est argumentum, illum prorsus esse illicitum.

Tertiò accedit veterum Patrum authoritas, qui eamdem veritatem passim docent; Cyprianus epist. 10. 11. 12. nec non 72. Nazianzenus orat. 43. in nouam Dominicam; Augustinus lib. contra mendac. cap. 6. tract. 66. & 113. in Ioannem, nec non lib. de fide, & Symbolo cap. 2. *Fides*, inquit, *officium à nobis exigit, & cordis, & linguæ*.

Quartò tandem & vltimò probatur rationibus aduersus Philosophos. Quia huiusmodi actus externæ idololatriæ est intrinsecè malus, nam est mendacium perniciosum, Deo iniuriosum, & hominibus valdè scandalosum: Ergo semper est malus, atque adeo quacumque ex causa semper, & pro semper illicitus. Patet antecedens, nam malitia mendacij ita est ab eo inseparabilis, vt propter nullam causam mentiri liceat, vt latè ostendit Augustinus lib. contra mendac. cap. 21. supposito igitur, quod præfatus actus sit mendacium, de intrinseca illius malitia dubitari non potest; atque adeo quin semper sit malus, & illicitus; quæ est consequentia probanda, & in primis si propria fiat sponte, siue cum interrogatione, siue absque illa, nullam habere, vel apparentem excusationem à fortiori patebit, si non habeat locum vbi fit per externam coactionē; quod ita probatur, quia talis coactio quantumuis acerba ex parte subiecti, seu operantis non aufert libertatem sufficientem ad peccandum, vel seruandum præceptum, vt docent omnes Theologi, ex hac igitur parte non excusat: Deinde ab obiecto non tollit deformitatem, cum ex dictis ita sit illi intrinsecè annexa, vt sit ab illo inseparabilis: semper ergo talis actus malus est, & prohibitus, etiamsi propter vitanda quæcumque mala pœnæ cōmittatur.

Si quis obijciat huiusmodi actionē exterioris adorationis, non sufficere ad peccatum, quia grauissima præsertim vrgente necessitate voluntas illi deesse videtur: vndè vera non est idololatria, sed ficta solùm, & apparens: sicut non est idololatra Tragædus, qui in Theatro exterius exhibet diuinum honorem alteri repræsentanti personā Iouis, aut alterius falsi Dei.

Respondetur ad hoc argumentum, illam quidem actionem exteriorem fieri sine intentione, aut voluntate honorandi falsum Deum, vt supponitur, non autem absolutè sine voluntate; vnde verum est peccatum externæ idololatriæ; licet desit interior; respectu cuius propterea illa exterior actio dicitur ficta, & apparens idololatria; quia nimirum falsam habeat significationem ex parte adorantis, non autem quia veram, & absolutè voluntariam malitiam non habeat.

Per quod patet ad exemplum Tragædi, qui, vt notauimus supra in explicatione nostræ conclusionis, non exhibet seriò illum honorem externū, sed ioco solùm repræsentat, qualiter exhi-

exhiberi solet: de ratione autem huius fictæ idololatriæ est, vt exterius seriò exhibeatur, profitendo videlicet exterius verè, & ex animo exhiberi, etiam si falso, & cum mendacio id fiat.

Quia autem mendacium, quod in actu huiusmodi externæ idololatriæ reperitur, Deo iniuriosum, & hominibus valdè scandalosum est, nedum mendacij malitiam annexam habet, verùm insuper videtur esse contra religionem, quatenus est contra honorē Dei, nec non contra charitatem ratione scandali respectu aliorum; nō enim repugnat, quod idē actus habeat plures malitias iuxta diuersas circumstantias; quarum tamen vna solet esse primaria, quæ nimirū magis propriè opponitur obiecto virtutis, & talis est in præsenti actu malitia religioni contraria, qui idcirco vocatur etiam idololatria, quamuis ex se non ita grauis, ac alij duo modi superius allati.

Secundò asserimus. Qui fingit se idolum, aut creaturam aliquam venerari signo aliquo sensibili indifferenti ad Dei cultum, & ad alios fines, sed tamen determinato ex circumstantijs ad falsi Dei cultum, idololatriam cōmittit, etiamsi fiat ad vitandum grauissimum malum mortis, vel aliud æquiualens. Hæc conclusio non minus certa est, quàm præcedens, & eisdem rationibus probatur quibus & ille. Etsi enim aliqualis sit controuersia inter doctores, quales sint in particulari huiusmodi circumstantiæ, vel adiuncta, quæ cultum alias indifferentem, & consequenter licitum, reddant idololatricum, & indè illicitum, omnes tamen conueniunt, quod, vbi signum aliquod sensibile, indifferens ex se ad Dei cultum, & alios fines, determinatur ex circumstantijs, quæcumque sint illæ, ad falsi Dei cultum, idololatra sit ille, qui tali vtitur signo.

Cum autem præfata determinatio possit fieri ex more, aut consuetudine, nec non ex lege, ad id tamen dignoscendum tanquam regulam magis indubitatam ponunt omnes Orthodoxi; quod vbi Tyrannus exigit, & vrget, vt fidelis vtatur signo aliquo sensibili ad idoli, vel alicuius creaturæ cultum, quamuis illud signum v. g. genuflexio sit de se indifferens, & amphibologicum ad cultum diuinum, vel ad aliud; tunc tamē censendum sit determinari, & coarctari ad cultum idololatricū, & consequenter illo vtentem esse verè idololatram, ac si vteretur sacrificijs erga idola colenda. Quæ regula desumitur ex supracitatis Scripturæ locis Mathęi 10. *Qui me confessus fuerit*, &c. & Lucæ 9. *Nam qui me erubuerit*, &c. provt interpretantur veteres Patres, Tertullianus lib. de Idololat. c. 13. Cirillus Ioannis 10. & alij. Ratio est, quia omnes tam fideles, quam infideles existimant, attentis præfatis circumstantijs, quod vsus illius signi ad veram idololatriam spectet, illoque vtentem reputant idololatram: Ex his igitur circumstātijs determinatum est illud signum ad idololatricum cultū, & in sua amplius non manet indifferētia. Patet ista consequentia, supposita veritate antecedentis, quod probatur primò de infidelibus, quia per vsū huiusmodi signi nihil aliud intendunt, quam extorquere à fidelibus professionem sectæ alienæ, & negationem propriæ. Fideles quoque credidisse huiuscemodi signi vsum, exigente, & vrgente tyranno, pertinere ad cultum idololatricum, demonstratur ex hoc quod repudiato talis signi vsu, tot inclyti Martyres mortem fortiter passi sunt, eam multi non passuri, cum ita maius Ecclesiæ bonum, fideliumq; vtilitas plerumque peteret, nisi putauissent illud signum cultus hic, & nunc in casu nostræ regulæ ad obsequium, & honores diuinos idolo exhibendos esse deputatum.

Si autem inquirat aliquis, cur iudice iniustè, vel non iuridice interrogante quempiam, liceat interrogato verbis vti amphibologicis, & sic deludere

dere iudicem, fidelibus autem non liceat cum tyranno vti signis etiam amphibologicis; quemadmodum enim verba amphibologica in sua permanent amphibologia iudice interrogante iniustè, nec ex ea iniustitia limitantur, aut coarctantur ad sensum, quo iudex iniquus interrogat; ita nec signa sensibilia de se indifferentia ad cultum exhibendum Deo, aut ad alios fines, etiamsi vrgeat, vel instet tyrannus, sunt coarctanda ad cultum idololatricum, iuxta quam significationem tyrannicè hic & nunc exigit cultum, sed illis vti poterunt fideles in alia significatione.

Respondetur hoc discrimen prouenire ex hoc, quod in iudicio obligatio manifestandi veritatem respicit ius ipsius superioris, vel iudicis interrogantis, & ideo si ille potestatem non habet interrogandi, nec reus habet obligationem respondendi, sed sine mendacio per amphibologiam negare potest se commisisse aliquod delictum subintelligendo, *ita vt tibi dicere, vel manifestare tenear*. At verò in nostro casu præfata manifestandi veritatem obligatio non fundatur in potestate, vel authoritate tyranni interrogantis, sed in iure ipsius Dei, de cuius fide, & veritate interrogatur fidelis, ideoque quamuis non iuridicè, sed tyrannicè interrogetur, siue à proprio Rege, & superiore, siue à quocumque alio, tenetur sincerè, & propriè veritatem fateri, & quando signum alias indifferens semel ex circumstantijs determinatur ad idoli cultum, etiamsi talis determinatio ortum habeat à tyrannide, fidelis illo vti amphibologicè amplius non potest, sique simulans dicat se nolle colere idolum, sed mortem effugere decipitur, sicut qui vellet se liberare à morte per iuramentum falsum, non intendens adducere Deum in testem, ipse quoque se deciperet, putans se non facere, quod re vera facit.

Quamuis præter tres modos superius adductos alij non sint committendi formaliter idololatriæ peccatum: vt enim idololatra propriè vocatur, qui alteri, quam vero Deo, diuinum honorem exhibet, ita quoque formalis, & propria idololatria posita est in exhibitione talis honoris; quæ cum esse non possit, nisi vel merè externa, vel etiam interna, & hæc vel concurrente simul intellectu, & voluntate, vel sola voluntate sine errore intellectus; manifestè sequitur omnem propriam, & formalem idololatriam in dictis tribus modis adæquatè contineri. Quia tamen causaliter, seu cooperando aliqualiter ad idololatriam varijs etiam modis potest illa participari, vt cum v. g. Dæmon sibi affectat, & procurat diuinum honorem, aut Tyrannus seipsum vt Deum adorare facit, hos quoque modos, & similes omnino illicitos esse affirmamus; quia licet alium falsũ Deum ipsi non adorent, nec etiam seipsos, attamen dum alios ad idololatriam inducunt, & quia ipsi affectant diuinos honores, idololatriæ maculam incurrunt, crimenque læsæ maiestatis diuinæ committunt, imo grauius in eo genere delinquere videntur, quam illi, qui eos adorant, tùm quia maiori contra Deum superbia extolluntur, tum etiam quia in virtute, & radice continet vniuersa aliorum peccata. Idem quoque iudicium proportione seruata ferendum est de illo qui alteri consulit idololatriam, licet ipse idolũ non colat, nec ex errore consulat, sed ex odio, vel deceptione, nam præter alia vitia, quæ in illo actu interuenire possunt, continetur etiam prauitas, & malitia idololatriæ; idemque est de quocumque cooperante, & moralem occasionem præbente alteri, vt idolum colat. Atque de hoc genere peccati loquitur D. Thomas 2. 2. quæst. 169. art. 2. ad 4. vbi docet, peccare artificem fabricantem idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia.

Quæ de grauitate huius peccati solent disputare, tam comparatione facta inter tres supra enumeratos modos

dos formales idololatriæ, quam respe-ctu aliorum peccatorum, vtrum nimirum sit omnium grauissimum, illa prętermitto, quia non sunt huius loci; sicut nec vtrum, & quomodo idololatræ cogi possunt ad vnius veri Dei cultũ profitendum; cum enim aduersus infideles dupliciter procedi possit, vel via disputationis, vt conuincantur, illisque persuadeantur tam supernaturales fidei nostræ veritates, quam naturales, hoc est, quæ naturali etiam lumine cognósci possunt, vt existentia, & vnitas alicuius supremi numinis; vel *via iurisdictionis*, qua per pęnam, & coactionem ad id compelluntur, de hac secunda non intendimus agere in præsenti, sed solùm de prima; vnde tantum sit de idololatria, & Politheismo, quo si eius sequaces à suis in hac re erroribus non reuocentur, vix alia plura sufficere poterunt.

SECTIO QVINTA

In qua aduersus Philosophos Gentiles, aut alios quoslibet Dei Existentiam, & Vnitatem admittentes, ostenditur veræ Religionis, & in ea diuinæ fidei necessitas, indèque, quod illa sit vera, quam profitetur ac docet Ecclesia Catholica Romana.

CAPVT PRIMVM.

Præmittitur breuis Idea rerum in hac Sectione tractandarum.



CVM Religio, siue sumatur pro virtute, siue pro ipsamet hominum societate illam profitente, ordinetur ad Dei cultum; quemadmodum Atheistæ, vt omnem religionem tùm in genere, tùm maximè Christianam, quod carni, & sanguini minimè faueat, illis potissimum odiosam de medio tollerent, Deum esse primùm negauerunt; ita stabilita iam aduersus eos, nec non Politheistas vnius duntaxat veri Dei existentia, manifestè sequitur eum aliqua vera coli religione debere: Adeo vt inter nos, & Philosophos Gentiles, aut alios diuinam admittentes existentiam, rationabilis controuersia esse non possit, an aliqua vera detur in mundo religio, sed potius vbi illa reperiatur; seu quod idem est, an Christiana religio, quam Romana seruat Ecclesia, sit vera religio, provt in præsenti sectione intendimus ostendere.

Cui præstando plures cum adhiberi possent methodi, quibus etiam pro varietate temporum, & hostium vsi sunt Patres, & Doctores, nos eam amplectemur, quæ Philosophos decet, hoc

hoc est nullo adhuc supposito diuinæ fidei testimonio; sed aliquibus duntaxat principijs lumine naturali notis, aut illi saltem adeò consentaneis, vt ea, quæque ex illis vltrò sequuntur, negare non possint, nisi qui sceleribus suis obcæcati non vident. I. erit aliquam dari veram religionem. II. diuinam prouidentiam nostri maximè curam habere in rebus ad illam spectantibus. III. veram religionem esse certò inuenibilem. IV. animam rationalem esse immortalem. V. veræ religionis officia aut munera ex ipsa Dei, creaturæ rationalis, & religionis natura desumenda esse. VI. insufficiens esse ad illa solius naturalis rationis, aut Philosophiæ magisterium. VII. solam fidem diuinam esse tutam in religione ducem. VIII. ex his infertur, Ecclesiã Catholicam Romanam profiteri veram religionem, vtpotè diuinitus reuelatam, concurrentibus, ad hoc dignoscendum, in illam omnibus veræ religionis notis, ac signis, nec non argumentis, & motiuis euidentiæ credibilitatis, quibus stante necessitate diuinæ fidei, vel reuelationis ad veram religionem, voluit Deus hominibus manifestum fieri, vbinam illa certò quærenda, & inuenienda esset. Quibus omnibus ad institutionem theologicam, quæ veram religionem generatim, declarat, aut confirmat, pertinentibus nonnulla subiungentur in fine de ipsorummet eiusdem dogmatum demonstratione, quo nimirum modo, & qualiter probari possint, ex doctrina iam præiacta sect. 1. huius 4. libri.



CAPVT II.

Statuitur existentia, & necessitas veræ Religionis.

QVàm inconsequenter discurrũt, qui ob varias, quas Philosophi circa beatitudinem opiniones habuerunt, illam absolutè negant; aut vitam esse bonam, eo quod aliqui interdum fatui se se laqueo suspendunt, aut alio modo violentas sibi manus iniiciunt: tàm insipienter loquuntur, qui semel admissa vnius veri Dei existentia, verã tamen in mundo religionem haud esse contendunt, contra quos in præsenti capite agimus.

Primumque argumentum ad intentæ veritatis probationem fundatur in communi omnium gentium circa illam consensu: vt enim supra sect. 3. cap. 15. iam sufficienter explicuimus, quod vniuersis videtur, est verùm: *tum* quia verum, quod est obiectum intellectus, & bonum quod est obiectum appetitus, proportionaliter se habent; vnde sicut, quod ab vniuersis appetitur, est bonum; & hoc est primum in morali scientia principium: alioquin negari posset, esse bonam felicitatem, & vitam, ipsumque esse, quod vniuersa appetunt, ita quoque est verũ, quod vniuersis videtur: *tum* quia vniuersorum judicium, si res intimius examinetur, est naturæ iudicium, siue quod idem est, communis hominum in aliquam rem consensus, nullam aliã habere potest causam, quam naturam ipsam, naturæque authorem sapientissimum, à quo genus humanum institutum, edoctumque fuit; qui nec falli, nec fallere potest; proindèque Tullius verissimè ait, de quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est, & Plinius ad Traianum, singulos contingit, aut falli, aut fallere; non autem omnes: Quàm igitur verè, & certò loco statim citato, nec non sect. 4. ex tali consensu collegimus

Dei

Dei existentiam, & vnitatem, quam etiam Philosophi, quibuscum modo agimus, non negant, inde quoque concludendum est dari in mundo veram, qua colatur, religionem; si quidem, vt Plutarchus lib. contra Colotem cap. 18. Tullius lib. 1. de legibus, & alij quamplures iam pridem ponderarunt, atque ex historijs palam omnibus liquet, multæ nationes, ac gentes inuentæ sunt, quæ viuant sine vrbibus, & sine domibus, sine rege, sine pecunia, sine litterarum studijs, & sine illis ferè omnibus, quæ apud homines habentur in pretio; *nusquam tamen*, inquit Plutarchus, *extare vrbem, aut oppidum, quibus nullus sit Deus, nulla iuramenta, nullæ preces, nulla sacrificia: talem vrbem à nemine vnquam visam, priusque conspiciendam sine Sole vrbem, quam sine Deo, ac religione*.

His etiam postremis sæculis, quibus noui mundi debetur inuentio, tot inter gentes ibi degentes, barbarissimas licet, & ignorantissimas, nulla tamen sine religione reperta est, imo in hoc ferè solùm, quod aliquem Deo cultum impenderent, à belluis differræ visæ sunt. Tam altè cunctis à natura insitus, atque adeò verus est religionis sensus. Cuius adhuc euidens est argumentum, quod cum integræ nationes, & regna multoties religiones mutauerint, & falsam pro falsa, & falsam pro vera, & veram etiam pro falsa reliquerint, nihilominus nulla hactenus natio crediderit, vel professa sit sine religione viuere; cum tamen ita viuere, seu Atheistarum religio, scilicet nulla religio, sit omnium placidissima, carnique, & sanguini fauentissima. Vnde è contra, quod aliqui pauci, & Deum, & religionem negent, qui comparatione omnium gentium, & totius generis humani, nihil sunt, nec pro aliquibus reputari debent, sibique mentiti sunt, quia nulla natio fidem ipsis præbuit, clarè patet illius causam non esse veritatem, sed peruersam voluntatis inclinationẽ ad malũ; Atheismi enim, & irreligionis finis est securitas malè agendi, iuxta illud Regij Prophetæ psal. 13. & 51. *Dixit insipiẽs in corde suo non est Deus, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis*. Qua etiam de causa, cum nulla sit fatuitas sine patrono, nulla sine amatore fæditas, ideoque impossibile sit aliquos interdum non delirare, aut vniuersis sine vlla prorsus aliquorum exceptione quidquam videri; sicut nunquam propterea in morali disciplina vniuersi sine exceptione sumi debent, ita vnanimi reliquorum iudicio nihil obstat, vel derogat aliquorum paucorũ exceptio, vel phrænesis, vt innumeris declarari posset exemplis.

Confirmatur hoc argumentum, quia, vt loco superius citato de existẽtia Dei diximus, aliqua debet esse causa per se tantæ vniuersalitatis, & stabilitatis in hoc consensu, quod aliqua detur religio, nam vt ibidem notauimus, quod semper, aut frequenter est, à casu non est: sed falsitas non potest esse causa per se talis effectus, siquidẽ intellectus ex sua natura assentitur vero, & non falso, quodque proindè vniuersis videtur, vt statim diximus, est verùm, sicut est bonum, quod vniuersi appetunt; Nec etiam humana inuentio, quasi hoc de religione negotium ab aliquo ingenio fuerit introductum ad continendum homines in officio, eo quod aduertisset humanas leges non esse ad id satis potentes; *tum* quia assignabilis non est, quis ille adeo ingeniosus fuerit, vbi & quando floruerit, cum tamen certo sciatur fuisse religionem quandocumque fuerunt homines: nec fuisse homines aliquando, vel alicubi, quin tunc, & ibidem fuerit religio; *tum* quia ingeniosus ille, quicumque sit, vel suum probauit inuentum idoneis rationibus, scilicet dari veram religionem, vel non probauit, sed ita pro suo libito asseruit; si primum respondeatur, habemus intentum; si secundum, patet eius absurditas, eo quod nihil sit irrationabilius, quàm

quàm dicere ab vniuerso genere humano ad contradicendum propensissimo, libertatisque amantissimo, admissam vltrò, & sine rationibus fuisse inuentionem eiusmodi, qua nihil grauius excogitari potuerat; *tum* denique quia si, vt dicebatur, humanæ leges alias fundatissimæ nō sufficiunt ad homines cōtinendos, nec leges vnius nationis, pro alia natione; quis prudenter affirmet hominis vnius falsam positionem, aut fabulam suffecisse, vel magis aptam fuisse pro vniuerso etiam genere humano moderando: vt omittam fieri non potuisse, quod homo aliquis generi humano hanc de religione habenda doctrinā impresserit; quia nihil ipsa natura intimius tantam vim habere potuit, nec nisi causa vniuersalissima adeo vniuersaliter, & vbique agere, & influere: Superest igitur, vt naturæ virtuti, diuinitusque signato super nos illius lumini tribuamus, non autem inuentioni, aut deceptioni humanæ, quod omnes gentes, & nationes, moribus interea, ac inclinationibus diuersissimæ, & sibi contrariæ, locorum interuallo dissitissimæ, nullaque coniunctæ communicatione tam semper, tamque conformiter de nullo magis alio, quam de religionis existentia conuenerint; vtque consequenter asseramus verum esse, quod vniuersis videtur, cum à natura, seu illius authore Deo, qui nec fallit, nec fallitur, suam trahat originem.

Deus itaque, cuius existentiam in præsenti supponimus, dum veram religionem inquirimus, qui naturas reliquas, & hominem, qua conuenit cum illis, proprietatibus suis sapientissimè donauit, potiori iure illi, qua intellectualis, ac discursiuus est, prouidere voluit; vndè cum discurrere vnū sit ex alio inferre, ad quod necesse est esse in nobis aliqua communia iudicia, vel principia verissima, certissima, nec probanda, sed vltrò admittenda; si nāque nihil esset eiusmodi, sed cuncta essent probanda, daretur processus in infinitum, nec vnquam concluderetur aut probaretur quidquam; sic homo accepit à natura, seu illius authore Deo primum hoc principium, scilicet viuendum esse cum religione, omneque reuelatum à Deo esse verum; atq; ipsius dei inde discursui, iudicio, & electioni, quia suppositis iam primis principijs discurrere, & eligere potest, relictum fuit, vt hanc, vel illam religionem prudenter, & consideratè amplecteretur, quæ præ cæteris à Deo reuelata, nec non proprijs veræ religionis notis, & characteribus ornata probaretur: Qualis est Christiana, quam Romana Catholica profitetur Ecclesia. Qua etiam ratione patet, qui naturæ principia, quæ homines, & Philosophi inchoatè solum cognouerunt, ad supremam vsque veritatem, hoc est ad Dei cognitionem, verumq; illius cultum perduci possunt, ostendique in ijs ipsis diuinorum mysteriorum, nostræque fidei semina quædam, seu rudimenta latere, eo sensu quo gratia supponit naturam, & fides rationem, quas perficiunt; natura enim sine gratia manca, & ratio sine fide in obscuro tantùm cognitionis, & scientiæ crepusculo versatur, vbi agitur de diuinis eius mysterijs, cuius proindè necessitatem in negotio religionis infra demonstrabimus.

Altera ratio probans existentiam, ac necessitatem veræ Religionis desumitur ex ipsamet natura huius virtutis cuius munus est Deo debitum cultum procurare. Si enim datur virtus conseruatrix iuris paterni, seu pietas, quæ est iustitia aduersus parētes, datur obseruantia erga Magistratus, & viros aliqua excellentia præditos; si, inquam, quoties in aliquo datur ius cultus, obseruantiæ, obsequij, & amoris, datur quoque virtus, quæ pro obiecto suo eas habet actiones, quibus tali iuri fit satis; multo magis posito quod Deus sit, quodque homo sit capax eum colendi, debet dari aliqua virtus, quæ pro obiecto habet, & officio omnes illas

las actiones nostras, quibus supremū ius diuinum conseruatur, Deusque colitur tanquam primum rerum omnium, nostræque naturæ, & nostrum omnium quanticumque sumus principium, & author, cuique proindè sanctiori nexu obstringimur, quam cuiuis alteri, aut parenti, aut benefico, aut Regi, aut maiori etiam dignitate pręcellenti; Hæc autem virtus, est virtus religionis, quæ à Theologis reponitur inter virtutes iustitiæ annexas; Est igitur tam vera religio, quam est verus verèque Deo debitus cultus, pietas, seruitus, & latria, cuius etiam religionis veræ necessitas non est ex solo Dei instituto, sed ex natura rei, seu existit, posito quod Deus est; quare qui negāt Deum, possunt quidem, & debent, vt consequenter ad suam loquantur insipientiam, negare veram religionem; at, qui semel vnius veri Dei existentiam admittunt, fateri quoque tenentur veræ Religionis existentiam, ac necessitatem, & nonnisi paralogizando, aut contra institutionem naturæ agendo, eam abijcere possunt.

CAPVT III.

Ostenditur diuinam prouidentiam nostri maximè curam habere in rebus ad Religionem spectantibus.

NOn desunt impij, qui, vt veram de mundo religionem tollant, diuinam quoque de illo prouidentiam exulare conentur, quod Deum nostra, inquiunt, non curantem, aut negligentem, nec nos curare, vel colere debeamus; Igitur, cum non tantum esse vnum Deum, seu numen aliquod diuinum rebus omnibus alijs longè pręstantius, vt superius ostendimus, sed etiam beneficum, & prouidum, ita vt res humanas, seu ad hominem pertinentes singulari sua prouidentia curet, sit principium adeo cum religione connexum, vt hęc sine eo nulla vera esse possit videri, nemoque melius de religione sentire valeat, quam qui de prouidentia Dei circa res omnes creatas, præsertim verò humanas benè sentit: adeo vt sine sensu diuinæ prouidentiæ, nullum esse in hominibus religionis sensum, & affectum, probēt seu supponant communiter huius argumenti tractatores Sanctus Iustinus Martyr in Cohort. ad Gent. Tertullianus passim contra Marcionem, Lactantius in suis Instit. libro præsertim 1. S. Athanasius in orat. contra Gentes; D. Augustinus lib. de vtilitate credendi cap. 16. vbi expresè ait: *Si Dei prouidentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum.* & lib. de morib. Eccles. cap. 6. de Religione vera disputans supponit sibi tantum esse rem cum illis, qui Deum esse non negant, neque id solum, sed etiam non ab eo negligi res humanas fatentur. *Nullum enim*, inquit, *arbitror aliquo religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris, diuina prouidentia consuli existimet.* Hinc etiam nos, qui in præsenti Philosophum, aut alium de existentia, & vnitate Dei iam benè sentientem, non autem de vera religione, ad quam eum perducere in animo habemus, eo quod existimet Deum nec illius, nec cæterarum rerum humanarum curam habere, intendimus primùm illi ostendere Deum esse earum maximè prouidum.

Qua ergò naturæ face prælucente, & Deum esse, & vnum dumtaxat esse cognoscimus, atque pro certissimo cū Philosophis habemus, eadem prorsus apparet ipsum esse perfectissimum rerum omnium, præsertim autem humanarum prouisorem, seu beneficentissimam illi inesse earum prouidentiam: vnde primo semel concesso, secundū à nullo rationabiliter negari potest; ideoque ipsi Atheistæ, quod diuina prouidentia in suis dispositionibus, in quibus tamen nunquam fallitur, sit abstrusior, nobisque occultior, inde eam calumniandi, postea negandi, tùm

Deum

Deum ipsum, occasionem sumpserunt; tam verum est, hæc duo inter se necessariò connecti, sique Deus sit, eum prouidentiam habere debere; Quia autem circa illam plura possunt considerari, quæ Sanctus Thomas 1.p.q.22. quatuor articulis comprehendit. Primo subiectum eius, an scilicet Deo conueniat. Secundo, obiectum eius an circa omnia versetur. Tertio, & quarto, modum eius, scilicet modum ex parte Dei, & modum ex parte creaturæ. Ex parte Dei, an immediatè prouideat omnibus per se ipsum. Ex parte creaturæ, an imponat eis necessitatem propter suam infallibilitatem. Non omnia hæc, & alia plura illis annexa, quæ fusè prosequitur idem Sanctus Doctor lib. 3. contra Gent. c.64. & sequentibus intendimus hic explicare, sed quantum sufficit pro nostri instituti ratione, ostendere, Deo non esse denegandam perfectam rerum inferiorum, & humanarum prouidentiam; vnde sic arguo.

Dum diuina negatur prouidentia, indeque nullam esse veram religionē colligitur; vel est sermo de illa in cōmuni prout se extendit ad omnem creaturam; vel de illa prout in particulari respicit res humanas, & adhuc inter illas specialius, quæ ad verā spectant religionem; sed quocumque ex his modo consideretur prouidentia, Deo Optimo Maximo competit: Igitur, aut negandum est eum existere, aut in eo admittenda est prouidentia. Maior huius huius discursus est certa. Minorem quoad primam partem probat Diuus Thomas loco superius citato contra Gent. decem rationibus, sed vnam solum, qua vtitur 1. p. qu. 22. art.2. adducam. Tantùm enim se extendit Dei prouidentia, quantum eius causalitas; quia omnia causat per intellectum, ex intentione, & fine operando, & non fortuito, nec preter suā intentionem: id enim magna esset imperfectio: Causalitas autem Dei ad omnia se extendit, quia omne esse creatum, participatio eius est; non ergo Deus, vt ex persona blasphemantiū inducitur Iob 22. *Circa cardines cæli perambulat, nec ad nostra considerat*, sed ad omnia se extendit, quæ in eo est, prouidentia.

Vel aliter, Deus est author, principiumque vniuersale omnium aliarū rerum à se: operatur per intellectum, & voluntatem: non casu, & fortuito agit, sed prudentissimè disponens omnia, eaque ad suos ordinans fines, vt perspicuum est ex perfectione ipsius Dei; in his autem prouidentia consistit; igitur asserendum est, aut Deum non esse, aut imperfectum esse, cuius tamen oppositum modo supponimus cum aduersarijs, aut illum habere de rebus omnibus prouidentiam, tamque illi conuenire, vt Lactantius lib. de ira Dei cap.9. nil repugnantius esse dixerit, quam Deum asserere, & prouidētiam negare, vt ibi refert de Epicuro. Quod etiam eleganter expressit Simplicius in Enchyr. Epicteti cap.38.q.2. *Cum sit numen*, inquit, *quale descriptum est cognitione præditum exquisitissima, & potentia firmissima, & voluntate optima, & omnes res à se producat; nec ignorat res à se productas, esse curandas; qui stupor ne in stupidissimas quidem pecudes cadit, nā illæ quoque suos curant fœtus; neque viliores, quam quæ curentur, aspernatur; nam si tales erant, cur omnino condebantur? nec voluntas eius est accusanda, quasi ob delitias, & socordiam eas negligat; hominū enim isti affectus sunt, nec omnium, sed nō proborum, cum ne pecudes quidem ita delicatæ sint, vel ignauæ, vt fœtus negligant. Sic nullo modo fieri potest, quin Deus consulat rebus à se conditis*. Idem multis suadet Tullius passim, & potissimum in lib. 1. de natura Deorum paulò ante finem: vndè satis probata manet prima pars nostræ minoris.

Nunc ostenditur facilè secunda, res nimirum humanas diuinæ quoque subijci prouidentiæ, vt probat D.Thomas lib.3. contra gent. cap.90. sex rationibus, quarum tertia est, quod,

quantò aliqua sunt nobiliora in vniuerso, tanto oportet quod magis participent ordinem, in quo bonum vniuersi consistit. Vnde Aristoteles in 2. Physic. arguit antiquos Philosophos, qui ponebant casum, & fortunam in constitutione cęlestium corporum non autem in inferioribus rebus. Substantiæ autem intellectuales sunt nobiliores substantijs corporalibus. Si igitur substãtiæ corporales quantum ad suas substãtias, & actiones cadunt sub ordine prouidentiæ: multò magis substantiæ intellectuales. Vndè quod nonnulli Philosophi, vt facerent homines liberos, fecerint eos sacrilegos subtrahendo diuinæ prouidentiæ rerum humanarum curã, ac directionem, alij verò illas sub fato concluserint, vt ita prouidentiæ diuinæ iura saluarent, errauerunt omnes, malèque de diuina senserunt prouidẽtia, aut qualem Deum, primamque rerum causam decet non agnouerunt, ad cuius infinitam perfectionem spectat mouere vnamquamque causam secundam ad suum effectum, secundum conditionem ipsius causæ secundæ, causam enim non potentem deficere ad suum effectum determinat, vt ipsũ necessariò absolutè producat; causam autem, quæ deficere potest, ita determinat, vt tamen absolutè deficere possit in producendo. Quare etiam non dicitur aliquis effectus contingens in ordine ad voluntatem nostram tanquã ad primam radicem contingentiæ, & libertatis, sed in ordine ad sapientiam, & voluntatem diuinam, in quantum scilicet Deus determinauit aliqua quidem euenire necessariò, & istis dedit causas necessarias, alia verò euenire contingenter, ac liberè, & istis dedit causas contingentes, ac liberas. Et quamuis in hoc specialiter explicando siue in concordando hæc duo extrema contingentiæ rerum humanarum, & certitudinis diuinæ prouidentiæ, maxima sit difficultas, non propterea ad illorum negationem recurrendum est, alioquin & culices, & muscas, aliaque similia esse, negari deberet, ad quorum naturam, & differentias ritè explicandũ omnes Atheistas, Lucianistas, Machiauellistas, & alios huius farinæ homines constantissimè prouoco. Quorum vnum præcipuum malum est, quod vellent oculis Deum, & prouidentiam videre, manibusque contrectare. Quin imo, nec hoc concesso, forsan adhuc quiescerent: si quidem sensus etiam multoties decipiuntur, & corriguntur ab intellectu; nam visus suadet in iride esse colores, virgam sub aquis esse fractam, & sic de alijs, quæ nisi intellectus corrigeret, in apertissimos caderemus errores. Hac ergo non obstante, quam sibi arripiunt insipientes, libertate calumniandi diuinam prouidentiam, indeque eam negandi, quia eius opera non capiunt; *quis enim cognouit sensum Domini, aut consiliarius eius fuit?* cum nec in humanis tolerabilis sit ille modus discurrendi: ego nõ inuenio cui bono deseruiat hęc dispositio Regis, ergo est inutilis; ergo mala; inconcussa maneat, non minus diuinæ prouidentię, quam existentiæ veritas.

Superest iam, vt tertiam minoris partem probemus, illi nimirum specialiter subditas esse res ad religionẽ pertinentes. Primò, quia, si, vt statim vidimus ex Diuo Thoma, ob maiorem perfectionem, qua cæteris substãtijs præcellunt intellectuales, earumq; actiones, specialius diuinæ subduntur prouidentiæ, cum etiam inter istas primum teneant locum res religiosæ vt potè spectantes ad cultum diuinum, eoque mediante ad salutem hominum consequenter asserendum est, Deum singulari quoque prouidentia illas curare.

Secundò probatur ab effectu, nam communis illa persuasio, seu iudicium, quod superiori capite diximus omniũ nationum, ac gentium animis naturaliter inesse de existentia veræ Religionis; adeo vt nihil sit in quo natura humana intellectualis magis consenserit,

rit, quam in iudicando dari veram religionem, nec fas esse sine illa viuere: hoc quippè nulla natio, aut negauit; aut ignorauit, nec ex illis quidem, quę ob suam habetudinem ipsamet prima scientiarum genera ignorant, vel etiam negant; hic, inquam, sensus, quo Tullius lib. 1. de nat. Deorum asserit Epicurum conuictum vidisse, esse Deum, quemque tantoperè perorant Patres, Iustinus lib. de Monarchia, Arnobius lib. 1. ad Gentes versus finem, & maximè Tertullianus lib. de testimonio animæ, non potest non esse effectus Dei prouidentis, vt hoc primo principio, à natura indito, vbique sparso, & radicato, quodque sine probatione par est credere, quia prima non probantur principia, & si aliqua sunt huiusmodi, illa sunt procul dubio, in quibus omnes gentes conueniunt, & natura tota consentit, omnes docti, & indocti, rudes, ac ingeniosi imbuti, veram in genere amplectendam esse religionem, facilius disponerentur ad eã in specie suscipiendam, quæ talem esse illis persuaderetur. Eoque magis certò credendum est digitum Dei hic esse, quo plures non defuerunt impij, qui hunc religionis sensum omnibus vijs abrogare, liberareque homines ab eius onere studuerunt, & tamen genus humanum alioqui corruptissimum libertatisque amantissimum semper illis restitit, nec vlla vnquam gens aut natio fuit, vel est, quæ sine religione viuendum iudicarit, vel iudicet; hoc est enim euidentissimum potẽtioris vis, & institutionis, quam scilicet à natura, seu Deo authore naturæ insitã habemus, argumentum. Cui non obstat, quod pauci quidam ignorantes, & superbi, suisque sceleribus obcæcati per vim, & violentiam illi resistant; cũ vel lapides, & saxa violenter sursum iaciantur.

Tertiò probatur eo quod, cum de facto sola Religio Christiana, quã profitetur Ecclesia Catholica Romana, sit specialis religio, quam reuelauit Deus, quaque voluit coli, præclarissimis illam insigniuit notis, quibus id hominibus innotesceret, facilèque discerni posset vera à falsis religio. Quis enim admisso Deo, quodque velit aliqua religione coli, id non tribuat ineffabili eius prouidentiæ, qua attingit à fine ad finem, fortiter, & disponit omnia suauiter, quod autem multi homines illam non amplectantur, id non prouenit ex defectu diuinæ circa religionem prouidentiæ, sed ex multis alijs causis, vt diximus supra sect. 1. cap. 6. & 7. Cum tamen, cur dictam religionem Christianam tot amplectantur, & primùm amplexi fuerint hominum milliones, alteri tribui causæ non possit ex parte obiecti propositi, quam dictarum notarum efficaciæ, quibus illam Deus voluit illustrare, & ad illã amplectendam hominum mentes mouere; vt satis ostẽdimus loco statim citato, nec non tota sectione 2. facessat ergo impiorum vox, Deus prouidentiã non habet, aut si habet, non circa religionem, ergo nulla vera religio est. Nam vt ostensum est, aliqua vera religio est, ergo vt Deus est, illaque colitur, non minus circa illam, imo multò magis, quam circa alia, suam extendit prouidentiam

CAPVT IV.

Quod vera religio sit ab hominibus inuenibilis.

CVm præter Epicureos Deũ quidem admittentes, non tamen veram religionem, defectu diuinæ prouidentiæ ad eam se extendentis, quos refutauimus statim, non desint alij, qui sub diuersis prætextibus eius adhuc negent existentiam; in hoc capite contra illos agimus, qui prætendunt impossibilitatem illius inueniendæ; cui enim bono, inquiunt, quærenda in terris est vera religio, si ab hominibus inuenibilis non est. Quia autem pręcipuum apud ipsos huius impos-

possibilitatis fundamentum est, quod cum Pyrrhoniis, Academicis, Scepticis, & alijs huius furfuris hominibus existiment, vel nullam esse veritatem, vel si qua sit, latere in puteo Democriti defossam, indeque eam rerũ omnium humanarum conditionem esse, vt qui in illis, maximè si à sensibus longius remotæ sunt (vt Mathematicas illis affines, vicinasque excipiant) aliud quam coniecturas, aut verisimilitudines quærunt, inani se se labore, & studio excrucient: adeo vt sermone cum hominibus istis superbis, & curiosis sępius habito, post longas concertationes, nihil ab ijs aliud impetrari possit, quàm quæ à nobis Catholicis creduntur, probabilia quidem esse, sed non eiusmodi, vt in ijs quidquam omnino certi haberi queat. Re ita se habente, nonnulli disputationem altius repetẽtes, primùm aliquid ab homine certo cognosci posse demonstrant; deinde suam cuique generi, atque cognitioni certitudinem esse propriam; aliam rebus Mathematicis, aliam Metaphysicis, Physicis aliam, suam moralibus, nec non etiam fidei humanæ: tùm denique si quid certum est, id maximè certum esse, quod religio aliqua vna vera sit, qua vnus verus Deus sanctissimè colatur, &c. ita Ioannes Bagotius in Apologetici fidei parte priore, & & Michael de Elizalde in forma veræ, religionis quærendæ, & inueniendæ quæst. 5. & seq. ambo Theologi Societatis Iesu pari doctrina, & pietate insignes, Diui Augustini methodum, ac ordinem secuti, qui vt in lib. retract. cap. 1. lib. 3. contra Academ. cap. vltimo refert, suas elucubrationes Theologicas, deq; religione vera disceptationes exorsus est à suis contra Academicos libris; *Vt argumenta eorum*, inquit, *quæ multis ingerunt veri inueniẽdi desperationem, & prohibent cuiquam rei assentiri, & omnino aliquid tanquam manifestum, certumque sit, approbare Sapientem, ab animo suo, quia ipsum mouebant, quãtis possit rationibus amoueret.*

Nos igitur eorum exemplo, omissis tamen longioribus de hac re disputationibus, de quibus præfati consuli possunt auhores, nec nõ quæ nos to. 1. lib. 2. sect. 4. diximus, sic sequentem efformamus discursum. Dum dicitur, veram non esse inuenibilem religionem, vel hoc est, quia nullum absolutè datur verum inuenibile, vel quia, licet aliquid sit tale, in specie tamen vera non datur religio, vel tandem quia, licet illa detur, impossibile tamen est illam inuenire: Sed omnia ista sine fundamento asseruntur; Ergo etiam indè malè colligitur veram non esse inuenibilem, atque adeo nec quærendam religionem. Maior huius argumenti videtur esse certa ab enumeratione. Minor autem probatur, quoad singulas partes, quæ tot in hac re conclusionum locum habere possent; melius tamẽ iudicauimus eas sub pręfatam formam reducere; tum claritatis gratia, tum quia sic magis videntur conuincere.

Primæ itaque minoris partis absurditas ostenditur, in qua, quia nemo nunc ita ineptit, vt nihil esse verum dicat, cum si nihil est verum, nec hoc ipsum liceat pronuntiare, nec agere, nec loqui quidquam; quam in amentiam, si credimus Aristoteli lapsus demum fuit Cratylus, qui exprimere aliquid volens digitum mouebat, ratus rei veritatem, quam enuntiare intendebat, transire, elabique prius, quàm absolueretur oratio: at in motu etiam digiti, qui continuus cum sit, spatium temporis requirit, idem timere debuerat; quia talibus, inquam, nugis non datur amplius locus, ideo addidi particulam inuenibile, quatenus Academici hic refutandi, eorumque sequaces absolutè verum non negant, sed tantùm esse inuenibile, attenta definitione Zenonis, qui verũ, vel veri perceptionem definiuit; *Quod ita esset animo impressum ex eo vnde esset, vt esse nõ posset ex eo vnde non esset*: id est, vt explicat Diuus Augustinus, *his signis verum*

rum posse comprehendi, quæ signa non potest habere quod falsum est. At nullum hominibus veri signum suppetit, quod falso subesse, aut competere non possit: nequaquam ergo verum, aut inueniri, aut percipi, aut discerni à falso potest.

Sed hoc eodem effato, *primùm* ad hominem huius sententiæ vanitas proditur; vel enim præfatam definitionem veritatis, seu perceptionis veri, putant esse veram, vel non: si primum respondeatur, iam habetur intentum, aliquod scilicet verum, non solùm sensibile, verum etiam speculabile esse inuenibile; siue quod idem est, aliquam esse propositionem, de rebus non sensibilius, quã non tantum sibi videri, sed veram, ac certam esse iudicent, & approbẽt. Quod si definitionem illam talem non existiment: Ergo ex illa moueri non debent, vt asserant, minusque viri sani iudicij, & rationis, vt arbitrentur, veritatem esse ininuenibilem, seu de illius inuentione desperandum prorsus esse.

Secundò, quia negata semel veritatis inueniendæ possibilitate, fatua quoque, imo impossibilis esset illius inquisitio, quam tamen ipsi laudant: Igitur fateri debent, aut verum inuenibile esse, aut illud inquirendum non esse. Patet consequentia, veritas autem antecedentis probatur, nam vt fatuum, ac imprudẽs esset, in locum aliquem tendere, quo certò quis crederet, se nunquam peruenire posse; ita non minus fatua, & imprudens iudicari debet veri non inuenibilis nunquam finienda inquisitio; sed & impossibilis quoque videtur ex communi axiomate, quod nullus sciens, volensque mouetur ad impossibile, sic enim nemo hominum volare nititur, aut mare vno haustu absorbere; dum ergo Academici verum admittunt, & illius inquisitionem approbant, illius quoque inuenibilitatem concedere tenẽtur, etsi varias ob causas nõ semper in omnibus rebus inueniatur, nec ita sit facilè eam inuenire.

Tertiò, dum Academici, eorumque sequaces veri negant inuenibilitatem, in aliud adhuc maius, & vniuersalius absurdum incidunt; quod nihil omnino liceat ipsis agere: qui enim nihil prorsus iudicant verum, nihilque approbãt, nesciunt quid sit ipsis agendum; imo omnia agent, & nihil; omnia quidẽ quia similiter ignorant, quid sit omittendum; nihil verò, propter eamdem agendorum nescientiam. Nec vim huius argumenti eneruat, quod ad verisimile, & probabile confugiunt, dicentes nihil quidem approbandum; sed tamen multa esse verisimilia, & probabilia. Cum enim probabile idem esse videatur, ac approbabile, certè quibus nihil approbatur, nihil potest esse probabile; deinde, an hoc, vel illud sit probabile, nequit ab ipsis iudicari, si nihil iudicant; atque adeo nihil agere poterunt, aut loqui. Tandem, etsi libenter admittamus primò, multa esse probabilia, & verisimilia, seu opinabilia, idemque esse probabile, ac verisimile seu opinabile: nam probabile dicitur, quatenus, vt mox dicebam, probari, seu ab intellectu admitti potest: verisimile autem quatenus dicit ordinem, vel relationem similitudinis ad verum; insuper, id quod verum est, posse cognosci non tantum vt verum, sed etiam vt probabile, & verisimile, quod tamen tunc non per scientiam, seu assensum, & iudicium certum, sed tantum per opinionem cognoscitur, quia opinio est de verisimili, quatenus verisimile est, sicut scientia, seu certa cognitio est de vero, quatenus verum est; etsi, inquam, hæc, & similia concedamus; impossibile tamen est, quod asserunt, nimirum se probabile sequi, indèque vbi opus est, agere, & tamen quid sit verum ignorare, nec percipere. Qui enim verum, & certum à probabili, seu verisimili, non discernit, nec certò dignoscit, is nihil probabile, aut verisimile cognoscere, minusque ei, vt probabili, & verisimili assentiri potest: at Academici verum ita non cognoscunt, nec cognosci posse asserunt, si ipsis credimus; fateantur ergo necesse est,

ſe eſt, ignorato prorſus vero, aſſenſum veriſimili præſtari non poſſe, aut ſi ipſi, vt aiunt, illi præſtent, ſe aliquod verum certò cognoſcere.

Veritas maioris, in quo tota huius argumẽti vis conſiſtit, ex eo patet, quod non cognoſcitur aliquid eſſe veriſimile, niſi quia ipſum comparatur, aut cõfertur cum aliquo vero, veriſimilitudo enim eſt quædam congruentia cum aliquo alio obiecto vero, quod niſi vt verum certò cognoſcatur, dabitur proceſſus in infinitum, non enim cognoſcitur vt veriſimile, ſeu comparatum cum alio vel cognito vt vero, vel veriſimili, nec veriſimile eſſe iudicatur, niſi quia in eo deprehenduntur aliqua ſigna veri, quæ ſigna non cognoſcuntur, niſi cognoſcatur verum ipſum, cui competunt: vt v.g. intellectus in tantum probabiliter, aut veriſimiliter de aliquo iudicare, aut aſſerere poteſt, quod ſit, vel non ſit aurum, in quantum ſimile eſt, vel nõ, colore, pondere, ductilitate, aut alijs huiuſmodi, iſti auro, quod certò ſcio eſſe verum; & ſic de alijs exemplis tam in ſpeculatiuis, quam in moralibus. Qui verum igitur, & certum penitus ignorat, aut illud à probabili, ſeu veriſimili non diſcernit, nec certò dignoſcit, is nihil probabile, aut veriſimile cognoſcere, minuſque ei vt probabili, & veriſimili aſſenſum præbere poteſt. Vnde rectè Diuus Auguſtinus lib. 2. cap. 12. reſpondet Academico Carneadi: *Tu ergo, cum te nihil veri ſcire dicas, vnde hoc veriſimile ſequeris? At nomen ei non potui aliud imponere: quid ergo nobis diſputandum eſt cum eo, qui nec loqui poteſt?*

Quod vltimò reſpõdent, vt aliquid veriſimile cognoſcatur, ſatis eſſe, ſi percipiatur, quid ſignificet verum, aut ſe per probabile, ſeu veriſimile nihil aliud intelligere, vt refert Diuus Auguſtinus lib. 2; cap. 11. *quam quod ad agendum ſine aſſenſione poteſt inuitare*; ſine aſſenſione autem id vocant, *vt id, quod agimus, non opinemur verum eſſe, aut non id ſcire arbitremur, & nihilominus tamen agamus*. Refellitur *primò*, quia certum eſt prudentem non agere quidquam, nec velle, niſi iudicet id eſſe bonum, & agendum, incerto ſaltem, & probabili, ſeu opinatiuo iudicio; quod tamen iudicium ex dictis habere non poſſet; qui namque verum non cognoſcit, quid ſit probabile, aut ſimile vero, nequit dignoſcere, aut tale eſſe iudicare. *Secundò*, dum vir prudens, vt agat, aut velit, tam accuratè, ac diligenter omnia circumſpicit, vt ſaltem probabilitatem, ac veriſimilitudinem habeat, tantæ diligentiæ alia non videtur eſſe cauſa, niſi quia quærit aliqua ſigna veri. Quod item ex duobus probabilibus, vnum altero probabilius eſſe dicat; certè per Academicum illud inuitare ſine aſſenſione ad agendum explicari nequit, ſed tantùm aliquid probabilius dici poteſt, per hoc, quod magis propè verum eſt, ſeu quod plura, aut manifeſtiora veriſigna, & argumenta habet; nec tantum veri in cõmuni, quod ſi admittant Academici, iam aliquod verum certò cognoſci concedunt, ſed alicuius definiti, & determinati, vt patet in adducto auri exemplo, quod vt aurum eſſe probabiliter iudicetur, debet probabilitas, ſeu veriſimilitudo auri in eo agnoſci. Vt igitur ſi quis fratrem alicuius viſum patris ſui ſimilem eſſe affirmaret, ipsũque ſuum patrem non nouiſſet, etiamſi quid pater eſſet in communi ſciret, inſanus, ineptuſque videretur ex Auguſtino lib. 2. cap. 7. certè non minus ridendi ſunt Academici, qui ſe aut in communi, aut in particulari veriſimilitudinem ſequi dicunt, cum ipſum verum quid ſit ignorent; ſiquidem veriſimile, totum quod eſt, relatiuum eſt, & reſpiciens verum, quare licet neceſſe non ſit, ſublato veriſimili, quod tollatur verũ, quia iſtud eſt tale per abſolutam rationem veri, attamen hoc ſublato ex intellectu nullum in ipſo veriſimile ſupereſſe neceſſe eſt. Sicut etiam omne negatiuum ſupponit affirmatiuum, & non homo, aut non lapis intelligi non poteſt non intellecto homine, aut lapide. Vndè etiam-

etiam si Academici suum probabile, seu verisimile vellent explicare per negationes, adhuc cogerentur fateri se nosse illud vnde negationem petunt, quod nequit esse aliud, quàm ipsum verum cognitum vt verum.

Quartò hæc eadem Academiæ fatuitas ostenditur ex ipsamet intellectus natura, qui præter discursiuã duas alias habet quasi partes, alteram apprehensiuam cum bestijs communem: iudicatiuam alteram hominis, & intelligentium propriam: at licet apprehensiua in illo priori, quo ens dicitur esse in intellectu obiectiuè, seu esse obiectum circa quod intellectus proximè versari potest assentiendo, aut dissentiendo, aut dubitando, vt mox dicemus, ad vera & falsa anceps sit, saltem in homine; & omnia apprehendat, quæcumque audimus; & quæ nobis etiam nolentibus excitantur chimeræ, monstra, puerilia & figmenta quæque; attamen pars iudicatiua, quam Academici, ni bestijs deteriores esse velint, se habere negare non possunt, vero mouétur, siue nequit vlla sua operatione ferri nisi sub ratione veri, vt consideranti omnem eius operationem patebit; quę reducitur, vel ad assentiendum, vel ad dissentiendũ, vel ad dubitandum, & abstrahendum nullo rei propositæ, seu apprehensæ assensu præstito: ad hanc autem ipsam abstractionem, & hæsitationem, qua iudicat intellectus illam sibi nondum liquere, nec se videre cur affirmet, aut neget rem vt proponitur ita se habere, mouet illum verum; ideo enim prudẽter, ac rationabiliter abstrahimus, & hęsitamus, quia ex propositis extremis vtrumque nobis proponitur contingẽs, & possibile; ac ideo vtrobique falsum metuimus, & fugimus, & intellectum ab assentiendo, vel dissentiendo cohibemus; nam si alterum appareret impossibile, illi dissentiremus: & vtrique, si vtrumque repræsentaretur impossibile; quod certè iudicium, in hac abstractione necessario inuolutum, quo iudicatur, neutrum extremum esse tutum, & exploratum, ac ideo cohibendum assensum, fieri non potest sine aliqua præcognitione veri, cui opponatur illud falsum, cui assentiri fugitur. Similiter dum assensum prebet, vel dissensum, seu negat, vel affirmat intellectus aliquod obiectum, cum tale iudicium assensus vel dissensus, sit vel omnino certum, vel incertum, quod iudicium incertum dicitur opinio; vtrobiq; requiritur cognitio veri; de certo non est dubium: de incerto autem, siue probabili patet ex dictis, cum tunc fiat, quãdo, licet non appareat veritas, apparet tamen verisimilitudo, seu quædam congruentia cum aliquo alio obiecto, quod verum esse certò constat. Imo nonnullis vt iudicijs efformandis non sufficit simplex rei apprehensio, sed aliud prærequiritur iudicium: v. g. in iudicijs negatiuis, quæ aliquod affirmatiuum supponunt, intellectus enim non potest iudicare, quod homo non sit equus, nisi prius non solùm apprehenderit, sed etiam iudicauerit, & determinauerit quid sit equus; item in propositionibus modalibus, cuiusmodi est ista, hominẽ esse animal necesse est, debet prius ferri iudicium de propositione inclusa, & quæ à Logicis de inesse dicitur, quę est ista, homo est animal. Ita quoque non potest haberi iudicium de verisimili quin supponatur aliud de vero ipso; siue quod idem est, non potest haberi simplex apprehensio verisimilitudinis, quin simul formale, aut virtuale, quod supponit aliquando formale elicitum, iudicium habeatur, quo determinatè dicatur quid sit verum.

Quintò Academici putant nihil pro certo habendum, aut verum esse inuenibile propter errandi periculum; sed non minus contingit nos decipi in probabilibus, quam in certis, ergo si ob dictum periculum nihil est pro certo habendum, nihil similiter habẽdum erit, vt probabile; & sicut verum, ita quoque probabile, & verisimile erit inuenibile. Sapientis igitur est, in dubijs propter errandi periculum,

suum

ſuum non præcipitare iudicium; ſed nō deſperare de veri inuenibilitate, nec abſolutè certum denegare aſſenſum omnibus rebus indifferenter; cum multa ſint ad Philoſophiam, ſeu ſapiētiæ ſtudium, imò & ad ipſos mores pertinentia, vt approbandam eſſe veritatem, eique conſentiendum, ſi reperta ſit; ſummum hominis bonum ſummè amandum eſſe, media verò mediocriter, ſeu moderatè; & alia ſimilia, quæ ſi quis reuocaret in dubium, is nec probus, nec prudens haberi poſſet, nec etiam operari, quandoquidem multa ſunt in moribus, quæ quia omnium deliberationum, & conſultationum debent eſſe principia, & normæ, ac regulæ actionum conſiliorumque humanorum, ea non tantum vt probabilia, ſed certa eſſe omnino oportet; cum apud ſapientem probabilitas habere locum poſſit tantùm in circumſtantijs, & rebus contingentibus, in quibus vt plurimum verſantur ipſæ actiones humanæ, non autem in primis regulis, & principijs, qualia ſunt de ipſo fine, de bono in communi, alijſque eiuſmodi; cuius eſt ſignum manifeſtum, quod vbi eſt tantum probabilitas, ibi poteſt eſſe inquiſitio, & conſultatio, cum vtraque pars contradictoria probabilis interdum videri poſſit, & adhuc quæri poſſet, vtra ſit probabilior, ſeu magis prope verum; de præfatis autem principijs, conſultatio nullo modo licita eſt, vt, an bonum ſit amandum, an officium, aut fidem prodere liceat? hæc igitur, & ſimilia pro omnino certis ſunt admittenda; vndè rectè Tullius in Lucullo; *cur*, inquit, *vir probus omnes cruciatus perferre ſtatuit potius, quam prodere officium, aut fidem, niſi ita oportere habeat certum, & niſi his rebus ſit aſſenſus, quæ falſæ eſſe non poſſint?*

Sextò tandem, & vltimo, quod Academici in patrocinium ſuæ opinationis de veri ininuenibilitate, ac proinde in inquiſitione conſtitutam eſſe ſapientiam, ſolent adducere, varios ſcilicet ſenſuum errores, aut ſcolarum rixas, & diſſenſiones Philoſophorum, ita vt nihil in rerum natura, aut Philoſophia ſit ita conſtitutum, & à nonnullis creditum, quod ab alijs etiam grauiſſimis Philoſophis non fuerit negatum, aut ſaltem in controuerſiam adductum, nullius eſt prorſus momenti; Cum primū in accuſationem ſenſuum referant tantum eas circumſtantias, in quibus aut obiecta non ſunt bene applicata, vt in debita diſtantia, in bono lumine, & medio, aut etiam ſenſus ipſi ſunt male affecti, vt accidit in inſanis, furentibus, aut etiam ægris; cæterum, vt obſeruat Tullius in Lucullo, omnibus hominibus natura ipſa magiſtra certum eſt, & perſuaſum, certi aliquid per ſenſus poſſe percipi, eſſeque maximam in ſenſibus veritatem ſi ſani ſint, ac valentes, & remoueantur omnia, quæ vim eorum actionemque impediunt; pro vt conſiderari debent, vbi de eorum veracitate agitur, non autem, vt interdum defectu cauſarum ſecundarum, vitiati, & malè affecti euadunt; quamuis etiam, vbi tunc falluntur, aut potius fallaces ſunt ſenſus, mens, & intellectus poſſit eos corrigere, & emendare quod erratur; de quo vide Tullium loco citato, Tertullianum *in lib. de anima cap.* 17. nec non Diuum Auguſtinum lib. 3. contra Academ. cap. 11. & ſequentibus.

Multo minus adhuc ipſis fauent, quę de ſcholarum rixis, ſcientiarumque incertitudine proferri ſolent, & ex quibus nos aliqua delibauimus tom. 1. lib. 2. ſect. 5. cap. 9. talia enim ſolùm probant, vt ibi notauimus, & mox cap. 7. & 8. fuſius oſtendemus, rationis naturalis, diſciplinarumque Philoſophicarum in illa fundatarum inſufficientiam ad veram religionem inueniendam, ſiue eius doctrinam, non eſſe naturalis rationis, & diſcurſus, & inuentionis, ſed ſuperiorem, ac diuinitus traditam, & credendam. Præterea, ſuadent quidem arduum eſſe veritatem inuenire, haud tamen impoſſibile; imo ex his Philoſophorum rixis, & contentionibus euidenter arguitur eſſe aliquid apud eoſdē

ipſos

ipsos certum, & quod quærant, vt in secunda ratione probauimus, & quod supponant, vt in quinta; nisi enim eos insanire, aut pueriliter garrire velimus dicere, ita debent inter se agere, vt sese inuicem audiant, & proposita quæstione aliqua sic discurrant, vt vnusquisque de ea quid sentiat aperiat; hoc autem fieri non potest, absque eo quod omnes de aliquibus principijs communibus inter se conueniant, eaque supponant tanquam certas propositiones, secundum quas de proposita quæstione iudicent, ne in infinitum eat disputatio; ex Philosophorum ergo rixis, & contentionibus, tantum abest, vt colligi debeat, nihil dari certi, quin potius illud necessariò supponi, indeque aliud inquiri, cum eo spectent omnes eorum disputationes, vt suppositis semel aliquibus propositionibus inter ipsos certis, si enim tales eas non arbitrarentur, de ijs quoque contenderent, nec in reliquis suis disputationibus supponerent, sublata omni contentione ipsi in ijs de quibus disceptatur questionibus tanquam certis, & veris, aut vero magis propinquis tandem consentiant. Quæstio enim Philosophica, est appetitio cognitionis, quæstionisque finis est inuentio veritatis: sique nunquam illa reperiri posset, Philosophia quæ ratiocinando progreditur, nullum in quærendo exitum haberet. Vndè rectè Tullius in Lucullo ait, per opinionem Academicorum tolli philosophiæ rationem, eiusque studium, vt omittam alia plura absurda, & incommoda, quæ ex illa sequi docet Augustinus in libris aduersus illos conscriptis. Quaquauersum igitur res consideretur, manet probata prima nostræ minoris pars, aliquid nimirum percipi, aliquid sciri, seu certo cognosci posse, ruitque proinde argumentum ab ininuenibilitate veri absolutè ex Academismo desumptum, & obtrusum ad ininuenibilitatem veræ religionis.

Nunc ergo ostendenda est altera eiusdem minoris pars, veram scilicet religionem esse inuenibilem, veram enim dari religionem sufficienter patet ex dictis, & ex illis quoque deducemus certam eiusdem inuenibilitatem, adeò vt nihil sit inuenibile, si vera religio non est inuenibilis; *Primò* quia non agimus in præsenti cum Atheistis, sed cum Philosophis, aut alijs iam supremi alicuius numinis existentiam agnoscẽtibus, quodque non solùm rebus omnibus alijs sit præstantius, verum etiam beneficũ, & prouidum, ita vt res humanas, & inter illas, quę ad religionem spectant singulari sua prouidẽtia curet; sed cum huiusmodi principijs semel admissis stare non potest verę religionis ininuenibilitas, qui igitur illa recipiunt, fateri quoque debent veram religionem esse inuenibilem, diuinamque prouidentiam non defecisse in suppeditandis hominibus medijs, quibus ad illam quærendam moueri, & inueniendam peruenire possent. Eoque magis vrgebit hoc argumentum, si supponatur, vt mox dicemus, veram religionẽ, seu verum Dei cultum, ita homini rationis compoti, & consequenter religionis capaci esse necessarium, vt sine eo saluari non possit, nec sit à Deo beatitudinem accepturus, siue talis necessitas sit ex solo Dei instituto, & quia ita liberè decreuit; siue sit ex natura rei, positoque quod Deus est, & ab eo factus est homo; hæc enim supposita, quæque rationabiliter negari non possunt, euidenter, vt puto, persuadent Deum ininuenibilem reddere non potuisse veram religionem, quæcumque sit illa, siue denegare hominibus media ad illam inueniendam.

Secundò itaque sic arguo, vera religio dici non potest ininuenibilis, si per eam Deus debitum sibi ab hominibus cultum reddi voluit, eoque vicissim mediante, veram illis retribuere beatitudinem; sed res ita se habet, ergo vera religio dici non potest ininuenibilis. Maior huius argumenti, quæ est conditionata, videtur esse certissima, supposita veritate conditionis, quam minor

nor purificabit; qui enim dat formam, dat etiam consequentia ad illam; quique præstituit finem, dat media ad illius consecutionem necessaria, si igitur vera religio est medium necessarium in finem colendi verum Deum, obtinendique consequenter ab illo veram beatitudinem nostram ab eo dependẽtem, profectò nonnisi irrationabiliter dici potest, eam non esse inuenibilem; quodque natura, vt Mathematici, aut Metaphysici esse possemus, curauerit, instituerit, & aliqua in hunc finem principia, & media impresserit, ipsa autem, & Deus neglexerint, imò stante ininuenibilitate veræ religionis, impedierint, ne per eam ipsum colendo boni esse possemus, atque felices, hæc enim manifestè pugnant cum suauitate diuinæ prouidentiæ: illa agitur neganda est, Deique consequenter existentia, aut veræ religionis inuenibilitas admittenda. Minor autem probatur, si quidem, ex dictis supra, vera religio nihil est aliud, quàm iustitia erga Deũ, qua, vt ipse ritè colitur ab homine, siue supremum ius illius diuinum conseruatur, ita quoque per illam homo non placere non potest Deo, seque ei amabilem reddere, & facere vt sibi optimè velit, & faciat, id est beatum faciat: quia cum beatitudo sit optimum, non aliter Deus homini optimè velle, & facere potest, nisi quando eum vera beatitudine donat; Dei igitur, vt par est colendi, veræque ab illo beatitudinis per modum præmij promerendæ medium absolutè necessarium est, vera religio: adeoque tantò magis præ omnibus alijs veris inuenibilis, quanto magis est necessaria non solùm ex natura rei, verùm etiam ex instituto ipsius Dei, euidens namque est eum non deficere in necessarijs, ac proinde in ijs maximè edoctum ab eo hominem, quæ magis ipsum decent, & quæ pluris ipsorum quoque hominum intersunt, in his autem omnibus primum habet locum vera religio.

Imò cùm ex dictis supra sect. 3. cap. 21. Deus sit primum inuenibile, inde vera maximè religio dicenda est inuenibilis, si quidem Deo inuento, magna iam ex parte inuenta est vera religio, lumine ipso naturali dictante eum esse colendum: Etsi igitur Deum negantibus, liceat omnia negare, & cum illis veræ religionis inuenibilitatem, ab illis tamen, qui vnius veri Dei admittunt existentiam, nequaquam in dubium reuocari potest, veram quoq; posse inueniri religionem, hæc enim correlatiuè dicuntur: & quæ ratio cogit fateri esse Deum: eadem quoque cogit agnoscere eum esse cultu dignum; quique concedunt primum, inconsequenter negant secundum.

Tertiò probatur, quia dũ noui Academici ininuenibilẽ esse contendunt verã religionẽ, vel est sermo de illa in genere, vel de illa specialiter cõsiderata, qualẽ nos credimus esse solam religionem Christianam, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, & ad quã manuducere modo intendimus Philosophum, vnum dumtaxat verum Deum agnoscentem; sed neutro modo vera religio dici potest ininuenibilis, id ergo falsò de illa asseritur. Maior huius argumenti est certa ab enumeratione. Minor autem probatur quo ad primam partem; quia illud ininuenibile dici nõ potest, cuius quærendi, & inueniendi prima à natura habemus principia, si quidem, vt diximus supra, natura non errat, ideoque non errat, quia à Deo facta est, & gubernatur, qui nec falli, nec fallere potest, siue quod idem est, qui est infinitus, omniscius, omnipotens, optimus; nam si quid minus est, decipi potest, & decipere, & consequẽter etiam natura ab illo facta; sed veræ religionis quærendæ, & inueniendæ primum habemus à natura, & Deo eius authore principium, vnanimem videlicet omnium gentium, & nationum sẽper, & vbique consensum de veræ religionis existentia in Mundo, tale enim iudicium, & testimonium esse naturæ, vel alioquin nullum esse iudicium, & testimo-

testimonium naturale, supra demonstrauimus: Ergo loquendo de vera religione in genere dicenda non est ininuenibilis; sed sicut in alijs disciplinis, ex primis, quæ Deus author naturæ præmisit, illarum principijs, potuerunt homines eas inuenire, & excogitare, multaque in illis certo cognoscere; ita quoque, imo à fortiori, quas Deus hominibus de existentia sua, & veræ religionis in genere irrefragabiles ingessit maximas, principia talia sunt, quibus Deum, veramque religionem possint inuenire si velint, cum in hunc dumtaxat finem ea concesserit, diuina tamen accedente gratia pro ijs, quæ supernaturaliter ad illam spectare, & in ea credi voluit.

Iam probatur altera minoris pars; veram scilicet religionem, qualis est Christiana, quam seruat Ecclesia Catholica Romana, non esse ininuenibilē, *primò* ex his, quibus tom.3.lib.3.cap.7. & 8. ostendimus veram Ecclesiam esse visibilem, cum enim vera Ecclesia, veraque religio sint essentialiter connexa, si vera semel Ecclesia est visibilis, eamque talem Deus efficere voluit aliquibus notis, & signis, omnibus peruijs manifestè sequitur veram quoque religionem esse inuenibilem, nec alibi quærendam esse, quàm in illa Ecclesia, quam talibus notis Deus visibiliter declarare voluit esse suam, cuiusmodi est Ecclesia Catholica Romana.

Secundò hanc eandem minoris partē sic probo: Vera religio non solum in genere, siue quo ad ea quæ naturaliter cognoscere possumus de vero Deo colendo, est certò inuenibilis, verum etiā in specie, si de facto datur aliqua religio in Mundo, quam ipsemet Deus instituerit, quaque se coli velle reuelauerit, quamque, vt discerneretur à falsa, talibus insigniuit notis, quæ nonnisi veræ competere possunt religioni, sed aliqua talis de facto datur religio in Mūdo, nempe Christiana, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana; igitur vera religio non solum in genere, verum etiam in specie est certo inuenibilis. Maior huius argumenti videtur omnino certa, supposita veritate conditionū in ea inclusarum; cum enim lumine naturali plusquam notum sit, Deum nec falli, nec fallere posse, atque adeò, quod reuelauerit pro certo, & indubitato tenendum esse, si semel constare potest hominibus institutam fuisse ab eo aliquam in specie religionem, quam sola se coli voluerit; profectò non solùm in genere, sed etiam in specie vera religio erit ipsis inuenibilis. Iterum cum isti noui Academici in tantum desperent de inuenibilitate veri, nec non consequenter veræ religionis, atq; adeò putent veram religionem in inquisitione sitam esse, nullamque interim approbandam, ne quod pessimum esset, falsam pro vera contingat assumere, in quantum iuxta Zenonem, verum, seu veri perceptio definitur, *quod ita est animo impressum ex eo, vnde est, vt esse non possit ex eo vnde non est*: crediturq; ab illis nullum nobis veri signum suppetere, quod falso subesse non valeat; si certò semel ostendatur, Deum religionem aliquam talibus illustrasse signis, quæ solum veræ, & nullo modo falsę conuenire possunt religioni, necessario concedere debebunt veram religionem in specie esse inuenibilem; nec non veram in Mundo religionem esse, ita animis esse impressum nostris *ex eo vnde est, vt esse non possit, unde non est*: quæ est definitio Zenonis.

Rem autem ita se habere cum religione Christiana, quam seruat, & docet Ecclesia Catholica Romana, quæ est minor huius vltimi argumenti probanda, euidenter demonstrant motiua credibilitatis illi, & nulli alteri religioni competentia superius adducta sect. 2. vndè quam certum est Deum esse, cūque mentiri non posse, ac proinde religionem ab eo reuelatam esse veram, tā quoque certum est, illam esse præfatā religionem Christianam, quam talibus communiuit signis, vt à cęteris falsis discerneretur, quæ non nisi à Deo, per-

hibente testimonium veritati, & non falsitati, fieri potuerunt, quæque proinde soli veræ, & non falsę religioni inesse possunt; hæc enim omnia necessariò inter se concatenantur; adeo vt, sicut sola ratio credendi religionem Christianam esse veram, est Deus, qui prima veritas est, illam reuelans, & ratio illam amplectendi est diuina gratia intellectum illustrans, mouensque voluntatem ad captiuandum illum in obsequium fidei, ita quoque ratio illā inueniendi, prædicta sint signa, quibus illam simul visibilem, inuenibilem, & euidenter credibilem idem verus Deus, tanquam à se reuelatam, reddere voluit. Quare quod de vnius veri Dei existentia contra Atheistas, & Idololatras olim dixit Tertullianus *in lib. de testimonio animæ*, & ex eo Cyprianus *lib. de idolorum vanitate*, idem mihi liceat improperare non amplectentibus religionem Christianam in Ecclesia Catholica Romana, quam vt ciuitatem in monte positam, & tabernaculum in sole constitutum, neminem prudentem, deque salute sua sollicitè curantem latere posse, locis citatis docuimus, *hanc nimirum, esse summam delicti, eos nescire velle, quod ignorare non possunt*; vbi ritè illis proponitur: quodque, vt Tertulliani verbis vtar, *omnis talis anima rea, & testis est, & in tantum rea erroris, in quantum testis veritatis, & stabit ante aulas Dei in die iudicij nihil habens dicere*.

Patet ergò, quam vanè noui Academici, vt omnis veri, ita quoque veræ religionis negent inuenibilitatem, quamque absurdius sub tali prætextu inferant, aut nullam dari veram religionem, aut si datur, possidente in dubio libertate, licitum esse omnem religionem abijcere, cum illius inquisitio, & inuentio nulli certo innitatur fundamento, sed omnia in hoc, si alibi, religionis negotio sint dubia, cum nullibi sint tam iuratæ factiones, & diuisiones, & nullibi consequenter sit maius errādi periculum, si aliqua prę alia approbetur religio; patet, inquam, ex dictis, huius vocis impietas, clariusque adhuc patebit, si, qui illam proferunt, vltimo loco considerentur, numero pauci, & modo viuendi tales, vt pro suæ scholæ stemmate habeant, *comedamus, bibamus, & veneri indulgeamus*: quis enim in illis potest esse rectæ rationi locus, qui more pecudum sensibus, & sensibilibus principatum tribuunt? quæ illorum authoritas, quæ sententia? Cum contra hos totum sit genus humanum, hoc est omnium nationum, & gentium iudicium, ac testimonium, dari in Mundo veram aliquam religionem; & consultius, si errandum est, quod tamen in nostro casu impossibile est, *quandoquidem homines sumus, quod cum ipso genere humano errare videamur*, ex D. Augustino *lib. de vtilit. cred. cap. 7.* Accedit insuper quod ob vitæ impuritatem, nō tam veritatem quærant, quàm bona temporalia, imo vt illam non quærant, ista autem liberius sectentur, veram religionem ininuenibilem esse, sibi, & alijs, quamuis frustra, persuadere totis viribus conantur. Quę tamen exceptio non est in his, qui veram admittunt religionem, inter quos innumeri prope sunt sapientissimi, omnigena eruditione, nec minori vitæ puritate, morumque probitate conspicui; quibus proinde cedendum, potiusque credendum esse, recta dictat ratio. Vnde quod dicebatur, in dubio libertatem possidere, non valet in præsenti, quis enim dubium appellare potest, quod, paucis dumtaxat malè feriatis hominibus negantibus, à toto genere humano, non metus, aut alterius commodi purè temporalis vtilitas extorquet, sed sola vis veritatis, vis rationum, & natura, & Deus, quæ vndique veræ religionis existentiam, ac necessitatem deprædicant. Sed esto tam certo, & conuincenti careret fundamento: cum agatur de summis rebus, hoc est de cultu Deo debito, de futura vita, quæ si est, æterna est, & si pænæ sunt, æternæ sunt; atque in illas, si fortè sunt, necessariò omnes tandem incide-

incidemus; non propterea sequitur, *comedamus, & bibamus, omnemque abÿciamus religionem*, sed si fortè sunt, *in rebus dubiis præstat, benè, & religiosè viuere*, vt B. Clemens coucludebat *lib. 1. recognitionum*, quandò veritatem nondum inuenerat. Nec in tali dubio possidet libertas, sed Deus, qui apud omnes gentes per tot sæcula in possessione est, & fuit veri cultus, veræquæ religionis illi debitæ; nec libertas à Deo colendo, cuius adiutorio nos indigere, quemque idcirco à nobis colendum, orandum, & timendum ipsimet agnouerunt Philosophi, libertas est, sed sũma potius miseria, nam est exemptio à summo bono: vti infanti recens nato, parentumque ope indigenti, libertas ab illis, seu exemptio, non libertas, sed miseria, & calamitas esset quam maxima.

CAPVT V.

Quod homo animam habeat immortalem, indeque teneatur veram quærere, & amplecti religionem.

AT esto quod sit Deus, quod vnus, quod vera detur, qua coli possit, religio, quod inuenibilis, non propterea ab homine aut sollicitè quærenda, aut inuenta necessariò amplectenda est, inquiet Epicuri de grege porcus aliquis, existimans cum illo, animam rationalem, seu hominis propriam, esse mortalem, sicut id de aliorum animalium animabus communiter asseritur: Quid enim homini cum vera religione, si mortalem habeat animam, indeque sit incapax, aut bonorum, quæ illius cultoribus, aut malorum, quæ illius cōtemptoribus, post hanc vitam in æternum obuenire possent. O miseram similium voluptuariorum, & helluonum cæcitatem, qui ne religionem admittãt, indeque effrænatius pecudum more genio indulgeant, nihil non deuorant, adeò vt brutis animantibus, quo ad exitum, similes se esse fateri non erubescant; cum potius iuxta sibi datam à Deo præ illis rationem, & intellectũ, ita discurrere deberent: Datur vnus verus Deus, datur vna vera religio, cuius cultoribus ęterna præmia, contemptoribus autem æterna retribuenda sunt supplicia, igitur cum Deus, qui talia promisit, nec falli, nec fallere possit, quam certum est inde, eum animam rationalem, siue hominis propriam immortalitate donare voluisse, tàm necessariò debemus veram quærere, & amplecti religionem, si quæ sit, qua se coli velle declarauerit; vt superiori capite dictum fuit, & probatum, esse.

Scio nonnullis hanc suppositionem immortalitatis animæ humanæ minus necessariam videri ad pręsens institutũ, cum dicant, etiam si nulla post hanc vitam aut felicitas, aut miseria esset expectanda, adhuc tamen colendum esse Deum, tum quia ob summam quam habet bonitatem, meretur amorem nostrum sui, & charitatem, quæ tanto purior, & sincerior esse videtur, quantò ab eo, qui diligitur, minus, aut nihil etiã speratur: tum etiam quia, sicut virtus ipsa sibi sufficere potest, nec eget spe vlla præmij vt ametur; ita vitium impietatis etiam sine vllo pœnæ metu per seipsum videtur esse fugiendum. At quoniam hę voces magnificæ quidem sunt, sed quæ fortè nihil in se rationis firmæ habent; & quamuis haberent, nihil, aut parum apud homines valere ipsa satis experientia docet, placuit hic, quantùm pro instituti nostri ratione opus est agere de animæ humanæ immortalitate, sine cuius persuasione cēsuerunt non solùm Sancti Patres, sed etiam qui apud Gentiles habiti sunt sapientes, Poëtæ, & Philosophi, omnē religionis cogitationem, curamq; inanem esse. Pro omnibus modo sufficiat Diuus Augustinus, qui, quod iam tum acutissimus, & sagacissimus sua in adolescentia, sed nōdum Catholicus Christianus perspiciebat, narrans lib. 6. Cōfess. cap. 16. ait: *Nec me reuocabat à pro-*

profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri iudicij tui, qui per varias quidem opiniones nunquam tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cum amicis meis Alipio, & Nebridio de finibus bonorum, & malorum, Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum quod Epicurus credere noluit. Idem habet lib. de vtilit. cred. cap. 7. *Nemo*, inquit, *dubitat eum, qui veram religionem requirit, aut iam credere immortalem esse animam, cui prosit illa religio, aut etiam idipsum in eadem religione velle inuenire. Anima igitur causa omnis religio, nam corporis natura quoquomodo se habeat, nullam curam, ac sollicitudinem incutit ei præsertim post mortem, cuius anima tenuerit, quo beata sit. Animę igitur causa vel solius vel maximè vera, si qua est religio constituta est*. Et cap. 13. non minus hanc de immortalitate animæ, quàm de existentia Dei suppositionem ad veram religionem quærendam, & amplectendam docet his verbis: *Huic tàm immani difficultati, quoniam de religione quærimus, Deus solus mederi potest: quem nisi & esse, & humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipsam veram religionem debemus. Quid enim tandem tanto molimine inuestigare cupimus? quid optamus attingere? quo peruenire desideramus? eo ne quod esse, aut ad nos pertinere non credimus? nihil est tali mente peruersius. Tu ne cum beneficium à me petere non auderes, aut certè impudenter auderes, inuentionem religionis postulatum venis, cum Deum neque esse, neque si sit, curare nos putes?*

Sed isto tantò adhuc libentius argumento debemus vti, quo illud nobis sacræ suppeditant scripturę. Ecclesiastes enim cap. 2. hominem de altera vita minus certum ita loquentem inducit: *Si vnus & stulti, & meus occasus erit*, vt proculdubio contingeret, si nulla post hanc vitam aut miseria, aut felicitas expectanda esset, *quid mihi prodest, quod maiorem sapientię dedi operam*, veram religionem, verumque Dei cultum amplexando; initium enim Sapientiæ timor Domini, & Diuus Paulus 1. Corinth. cap. 15. de nostra religione tractans ait: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*.

Primum igitur, si Tertulliano credimus inter Philosophos Ethnicos solus Epicurus animæ humanæ negasse immortalitatem, aut verò de illa dubitasse visus est: *Anima*, inquit præfatus author lib. de testim. animæ cap. 1. *mortalis Epicuro soli videtur*. Quod enim Diuus Augustinus *lib. 10. de Trinitate cap. 7.* post adductas plurium animam corpoream dicentium opiniones, ait, eos omnes eam mortalem esse sensisse; id potius contra eos infert, & si cohærenter loqui voluerunt, asserere debuisse, quàm verè ita sensisse affirmet, cum Stoici animam humanam corpoream, & simul immortalem esse opinati fuerint.

Vndè secundò aduertendum est, cõmuni hominum consensui, seu humanę naturæ dictamini circa animæ immortalitatem, nihil prorsus præiudicare, quod nonnulli etiam Philosophi, & Sapientes aliquos circa eius naturam errores habuerint, vel difficultates mouerint pro eius origine, siue pro eius statu ante, & post hanc vitam definiendo, cum certi semper de eius immortalitate fuerint, idque tanquam firmum omnium suarum quæstionum fundamẽtum, ni stolidos eos fuisse dicere velimus, supposuerint; ad quid enim præsertim tam acres inter ipsos disputationes de animæ post hanc vitam statu, & vltimo fine, si eam simul cum corpore more aliorum animalium interire persuasum, aut dubium habuissent; Quarè apparet, quam malitiosè ab aliquibus hæc de immortalitate animæ quæstio confundatur cũ alijs à Philosophis circa eamdem excitatis, quasi indè libeat inferri, eos aliquando in dubium reuocasse animæ immortalitatem, non autem

tem eam vnanimi consensu docuisse. Eo ferè modo, quo solet dici, communi hominum sensui, vel conceptui à natura indito de existentia Dei; & veræ religionis, per quam ritè colatur, nihil prorsus obstare, imo potius illum indicare ipsammet Idololatriam, seu falsam de pluribus Dijs colendis opinionem, quæ videtur impossibilis vero Deo penitus ignoto, aut non supposito; Idololatria enim committitur veram diuinitatem idolis vel hominibus, vel alijs creaturis affingendo: Dumque gentes olim ex idolis, vel Dijs suis vitam, victorias, regna, cæteraque similia sperabant bona; sine dubio credebant esse in mundo aliquid, cuius in arbitrio, ac dispositione talia essent, sicut & oracula, quæ consulebant, esse omniscia, fallique non posse, nec fallere; hæc autem cum sint propria veri Dei prædicata; resolui patet Idololatriam in hæc duo asserta; datur in mundo aliquid, quod vitæ, & mortis, & exercituum est Dominus; cuiusque oracula sunt verissima; hoc autem tale, sunt saxa, vel Iupiter, vel Appollo; in quorum primo, quod concedunt omnes Idololatræ, vt verum fatentur Deum, nemo non videt, in ipsamet Idololatria inuolui necessariò cognitionem veri Dei, cultusque illi debiti naturaliter cunctis impressam, Idololatrasque non errare, nisi quod hunc Deum sic cognitum, in altero asserto multiplicant, alijsque chimeris ineptissimè implicant, quas negant veri eius cultores, luminis naturalis ductum perfectè sequentes.

Primum autem ad hanc veritatem de animæ immortalitate stabiliendam argumentum fundatur in authoritate totius generis humani, siue in illo iam sæpius insinuato, semperque in his, & similibus materijs ob oculos habendo principio, nimirum pro certissimo, ac verissimo habendum esse; quod vniuersalissimus hominum præcipuè doctorũ & prudentum firmat assensus, quia vt superius satis ostendimus, id in quo omnes consentiunt à natura est; quod autem à natura est, à Deo quoque eius authore est, qui nec decipit, nec decipitur; ac proinde licet in illis rebus, quæ humana potissimum industria, seu discursu purè humano comparantur, quæque sub vniuersalissimis principijs tam in speculabilibus, quàm in practicis continentur, vel contineri videntur, possit error plerumque interuenire, secus tamen in illis rebus, de quibus iudicat homo sine arte, sine industria, & ipsius naturæ sensu, & consensu; sed pro primis, & indubitatis habenda sunt principijs, quorum veritas, & certitudo ad certitudinem, & veritatem authoris infallibilis resoluitur, quæque idcircò ab omnibus supponenda, nequaquam autẽ probanda sunt, sed cætera ex illis, adeò vt illis ablatis essent homines sicut bestiæ, vel amentes hoc, & illud apprehendentes, tamen iudicio destituti, quẽadmodum cessante motu primi mobilis cessaret motus reliquorum orbium: Quamobrem nullus, nisi qui aut negat Deum, aut eum fallibilem esse credit, in dubium reuocare potest id, in quo omnes præsertim Sapientes consentiunt.

In hanc autem de immortalitate animæ doctrinam totum semper genus humanum consensisse, & etiamnum consentire, patet *primò* ex eo, quod si antiquæ, & modernæ euoluantur historiæ, nullum reperietur sæculum, nulla terræ regio, nulla ciuitas, in qua ea doctrina palam, & publicè credita non fuerit, & modo non sit à cuiuscumque religionis, aut superstitionis sectatoribus. *Secundò*, in eamdem omnes conspiraisse sapientes Hebræos, Chaldæos, Aegyptios Indos, Gallos, Græcos, Romanos, Arabes, Pythagoricos, Stoicos, Platonicos, Peripateticos, clarè demõstrant, quæ ex eorum scriptis supersunt monimenta. Certè Benedictus Pererius lib. 6. de rerum naturalium principijs cap. 18. decem collegit argumenta ex doctrina Platonis ad probandam animæ immortalitatem; & quamuis nõnulli dubitauerint, quid ea de re sensérit

rit Aristoteles ducti authoritate Auerrois, eum nihilominus veram de rationalis animæ immortalitate sententiam tenuisse constabit accuratè eius opera perlegentibus, ex quibus supracitatus author præclariora in hunc finem testimonia elicuit cap. 19. nec non Augustinus Oregius in egregio opusculo de hac materia Romæ edito. Vt omittam innumeros alios, qui deinceps idem cũ illis semper, & vbique senserunt; paucis duntaxat hominibus flagitiosissimis, & Epicuri discipulis contrarium docentibus clanculum, timidè, nullaque ratione firma, nulloque successu, cum suum errorem nulli vnquam genti, populo aut ciuitati quantumuis moribus corruptissimæ persuadere potuerint; quæ omnia, & illis annexa morum corruptela, manifesta sunt falsitatis argumenta. Quod aliqui Libertini respondent, animæ hominis immortalitatem, esse quidem rem, quæ vniuersalissimè, religiosissimè, & verisimillimè externa quadam, & publica professione admittitur; sed dubitari posse vtrum ea vera interna, & seria persuasione teneatur; omnino ridiculum est, primo enim, si vniuersalissimè, sique verisimillimè admittitur, quomodo de ea internè homines non persuadentur? aut verisimillimum dici potest, quod pauci, aut ferè nemo credit, sed tantum fictè, ita se credere profitetur: secundò quis eos ita externè profiteri cogit, si vix vllus eam credit? Quomodo tandem fictio illa tam vniuersalis, aut non agnoscitur, aut non proditur? sique omnes ferè dubitant de animæ immortalitate, cur saltem nulla de hac dubitantium secta inter homines viguit? certè quia hæc veritas mentibus humanis ita altè impressa est, vt nihil eam auellere, aut delere posit; apage igitur hoc, & similia ineptijs plena responsa.

Tertiò probatur idem vniuersalissimus, & nullo modo fictus hominum consensus, ex rebus nõnullis, quæ apud omnes certissimæ, & sanctissimæ sunt, quorum tamen certitudo omnis ab immortalitate animæ ita pendet, aut ita cum ipsa connexa est, vt hac in dubium reuocata, omnem illam certitudinem ruere necesse sit, quia nullo alio principio, fundamentoque niti potest; huiusmodi sunt hominem differre à brutis, finemque proindè vltimum hominis, & summam, veramque eius felicitatem, bonum bestiale, corporeum, & sensibile non esse, consistens in conseruando indiuiduo, aut propaganda specie per procreationem fætuum, sed aliud longè nobilius, & excellentius quod in hac vita plenè obtineri, sed in altera tantùm potest; & inde omnia alia, quæ pro eius consecutione, ad rationẽ boni honesti, morumue disciplinam spectare, aut necessaria esse statuerunt omnes viri sapientes, & probi, quorum etiam multi vitam hanc, eiusque bona, seu oblectamenta neglexerunt, vt Philosophiæ, sapientiæque studio liberius vacarent, non alia profectò ratione, nisi quia omnes talia bona animæ propria, vt maxima, & post mortem corporis duratura, non autem cuncta cum illo interitura crediderunt.

Igitur, vt concludam hoc argumentum, quam certum est naturæ iudicium esse verum, vtpotè in Deum eius authorem vltimò referibile, qui nec falli, nec fallere potest; quamque rursus certum est, illud esse tale, in quo vniuersi præsertim Sapientes, & probi conueniunt; tam certum est animam hominis propriam esse immortalem, stante circa hoc totius generis humani, vt diximus consensu; paucis tantum vitiosis negãtibus, & adhuc potius quantum ad affectum, quam vlla ratione ductis, vt supra diximus de Atheistis respectu diuinæ existentiæ, quatenus multitudine suorum peccatorum dementati, vt liberius, & absque pœnarum promeritarũ metu, voluptatibus equo, cani, sui, & alijs brutis communibus indulgeant, vnoque verbo belluinam, ac bestialem vitam agant, contra conscientiæ, quibus plerumque punguntur, stimulos, vellent similem prorsus cum illis finẽ, & exitum habere.

Hoc

Hoc eodem argumento refert Tullius lib. 1. de nat. Deorum Epicurum conuictum vidisse, esse Deum, quod nimirum in omnium animis eius notionem impressisset ipsa natura: *Quæ est enim gens*, inquit, *aut quod hominum genus, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum, quam appellat prolipsin Epicurus, id est anteceptã animo rei quamdam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit: cum igitur non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad vnum omnium firma consensio: intelligi necesse est Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus; de quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est*. Eo similiter vtitur Seneca epist. 117. ad probandum sapientiam esse expetendam: *Multum*, inquit, *dare solemus præsumptioni omnium hominũ. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam Deos esse inter alia sic colligimus; quod omnibus de Dijs opinio insita est: nec vlla gens vsquam est adeo extra leges, moresque proiecta, vt non aliquot Deos credat; cum de animarum æternitate disserimus, non leue momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Vtor hac publica persuasione: neminem inuenies, qui non putat, & Sapiẽtiam bonum, & sapere*. Hactenus præfati authores de huius nostri argumenti robore; solùm quod de Dijs in plurali dixerunt, id de vno Deo afferendum, seu, vt statim notauimus, de diuinitate in communi, cuius notitiam à natura, seu Deo authore naturæ insitam habuere ipsimet Idololatræ, tantumque contra illius lumen eam plurificari opinati sunt; nec enim natura, sed mos, & institutum hominum, in aliud extremũ ab Atheistis Deum negantibus, declinantium, Deos plures inuexit, vnde non sunt vbiuis gentium ijdem; quique inter Philosophos Ethnicos fuere sapientiores, & probiores, in quibus potissimũ natura sine labe, & vitio reperitur, vnũ dumtaxat verum Deum agnouere, vt superiori sectione ostendimus.

Vt igitur quæ ordinis sunt supernaturalis resoluuntur in Deum authorem fidei, per eam hominibus illa reuelantem, & ratio ea credendi est ipsemet Deus reuelans, motiuum autem, argumenta, quibus eadem euidenter credibilia, tanquam diuinitus reuelata reddere voluit; ita quæ ad ordinem spectãt naturalem, quasi maximæ, vel positiones diuinæ fidei præambulæ, v. g. Deum existere, vnum esse, nec falli, nec fallere posse, rerum omnium prouidentiam habere, debita ab hominibus religione colendum esse, animam humanam immortalem esse, & si quæ sint similia, referuntur in Deum authorem naturæ per eius lumen hominibus talia dictantem, cuius euidens, ac manifestum est signũ, vnanimis eorumdem in illa consensus. Quare Deus, est hoc modo primum notum, & vniuersale, & transcendens, omnium principiorum principium, probationum probatio, rationum ratio, & cõclusio; nec non veritatum veritas, & cõstantia, in quam tota earum series resoluitur, qua omnes verificantur, & qua sublata, cuncta essent neutra, ambigua, nec vera, nec falsa & iniudicabilia; sicut eo quod series tota causarum ad primã causam reducitur, illa sublata nulla alia maneret causa.

At quia multa sic certò, & euidenter nota publico naturæ testimonio, non semper sunt demonstrabilia ab intrinseco, defectu medij, quia illo carent, vel licet habeant, illud tamen nos latet; hinc est difficultas, an hæc de immortalitate animæ veritas possit insuper naturali ratione demonstrari; aliqui enim, etiam Doctores Catholici, vt Scotus in 4. sent. dist. 43. quęst. 2. & Caietanus in expositione super cap. 3. Ecclesiastici id negant, alij verò affirmant, imò præfatos authores, & eorum sequaces, tanquam parum in hoc prudentes, & de Christiana Religione, totaque Theologia haud benè meritos reprehendunt; quod, dum animæ humanæ immortali-

tatẽ nulla ratione certa probari, ſed ſola fide diuina credi poſſe contendunt, non animaduertunt, ſe ipſam Chriſtianorum de tali veritate fidem labefactare; cum iſta fides vix vlla eſſe poſſit, aut certè hominibus perſuaderi, niſi illa eadem animæ immortalitas tanquam certa per modum præambuli ſupponatur, ſicut nec poſſumus diuinæ authoritati credere, fidemque adhibere, quin prius iam certi ſimus, Deum eſſe, qui nec falli queat, nec fallere, quique rem illam, cuius fidem ſua authoritate à me exigit, reuelauerit, credendamque propoſuerit.

In hac tamen re, ego eodem modo diſcurrendum puto, quo ſect. 3. & 4. de demonſtrabilitate diuinæ exiſtentiæ, & vnitatis; dari ſcilicet ſufficiens medium, per quod hæc de immortalitate animæ veritas demonſtrari poſſit; ratio eſt, quia quod anima humana ſit immortalis, non reponitur inter gratuita gratiæ dona, de quibus per ſolam fidem certi eſſe poſſumus, ſed ſi talis eſt, vt concedunt prefati Doctores Catholici, eſt quid per modum proprietatis ad eius naturam pertinens; ergo de illa, ſi loquamur de poſſibili, naturaliter demonſtrari poteſt, nec ſolùm de poſsibili; verum etiam de facto, probabilius puto rationes in hunc finem à Philoſophis, & Doctoribus adduci ſolitas, ſi non omnes, ſaltem aliquas eſſe perfectas demonſtrationes. Vnde præter ſuperius argumentum ex publico, & vniuerſali naturæ teſtimonio deſumptum, probatur inſuper hæc veritas ſequentibus rationibus.

Pro quarum intelligentia, primò notandum eſt, non eſſe hic controuerſiam an anima humana, aut quælibet alia ſubſtantia ſpiritualis à Deo creata, ab eodem deſtrui, & annihilari poſsit, id enim eſt certum, vltròque aduerſarijs concedendum, cum omnis creatura, quantumuis perfectiſſima iugi, & continuo Dei conſeruantis influxu ita egeat, vt ſi hunc Deus illi ſubtrahere vellet, ea ne ad momentum quidem permaneret, vt præclarè docent Patres, *Creatori nãque*, inquit Diuus Auguſtinus lib. 4. de gen. ad lit. cap. 12. *potentia, & omnipotentia, atque omnitenentis virtus causa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ: quæ virtus ab eis quæ creata ſunt regendis, ſi aliquãdo ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret*. Sed eſt difficultas, an anima humana, vel alia ſubſtantia ſpiritualis ſit talis conditionis, vt ſemel à Deo producta, ab aliquo agente creato corrumpi non poſsit.

Supponendum eſt ſecundo, idem in rei veritate eſſe quærere, an anima humana ſit immortalis, ac quærere, an illa ſit à corpore ſeparabilis, atque adeo ſubſtantia ſpiritualis: ex eo enim quod à corpore ſeparata exiſtere poſſit, manifeſtè colligitur eius immaterialitas, & indè incorruptibilitas; cœteræ ſiquidẽ formæ, quæ deſinunt eſſe, cum à materia ſeiunguntur, vt inſeparabiles dicuntur, ita & materiales, & corruptibiles. Quod enim ſine alio exiſtere non poteſt, inſeparabile ab illo dicitur; quod verò exiſtere poteſt ſine eo, cum quo coniunctum eſt, ſeparabile eſt. Dum ergo petitur, vtrum anima hominis propria ſit immortalis, idem eſt ac petere, an ſine corpore poſsit exiſtere, nec non an ſit immaterialis, & inde immortalis: hęc enim tria inter ſe neceſſariò conneƈtuntur, animæ immaterialitas; eiuſdem ſeparabiliter à corpore exiſtentia, & immortalitas; ita tamen vt immaterialitas ſit aliorum duorum veluti radix Quare certò ſemel probato, quod anima humana ſit ſubſtantia ſpiritualis, aut immaterialis, indè manifeſtè ſequitur eam eſſe immortalem, poſſeve ſine eo, cum quo vnita eſt corpore, exiſtere, & ęterno tempore durare, vel abſque fine ſemper in eſſe permanere.

Tertiò ſuppono nullam tutiorem hominibus eſſe viam, nullum efficacius argumẽtum pro cognoſcendis ſubſtantialibus formis rerum, earumque perfectione, quàm deſumptum ex operationibus earum. Etſi enim proprium intellectus obiectum ſit quidditas, ſeu eſſentia ſubſtantiæ, ideoque Angelicus,

qui

qui nullam habet cum corpore societatem, independenter ab omni accidente, statim intelligat rerum, quas naturaliter cognoscit, substantiam, seu quid ipsæ sint primùm percipiat, & indè quę proprietates, seu accidentia, virtutes & operationes ipsarum naturales; noster tamen intellectus corpori vnitus non ita se habet, sed per sensus externos, & internos, qui toti circa qualitates rerum sensibiles versantur, excitatus, eadem accidentia percipiens, tandem attingit ens, quod eas habet, seu sustentat, hoc est ipsam substantiam, quam illis quasi proprijs notis affectam, & distinctam ab alijs discernit substantijs, quidque ipsa sit tandem definit. Quapropter ad dignoscendũ an anima humana sit forma spiritualis, à corpore separabilis, & per cõsequens immortalis, seu incorruptibilis, an verò materialis, vt reliquæ corporum formæ, diligenter ad eius operationes attendendum est, habendumque pro certo, si vel vnica spirituali sit prædita, aut ad quam exercendã non vtatur instrumento corporeo, eam quoque spiritualem esse, à corpore separabilem, & consequenter immortalẽ; quia principium operationis materialis potest quidem esse spirituale; at operationis spiritualis principium aliud quã spirituale nequit esse. Hic enim per principium intelligitur causa principalis, quomodo natura substantialis est principium suarum operationum naturaliũ: causa autem principalis licet his operationibus aliquibus nobilior, ac perfectior, nunquam tamen ignobilior esse potest, cum vnumquodque agat, in quantum est in actu. Vnde quia ens spirituale est materiali perfectius, rei materialis principium spirituale, non autem rei spiritualis principium materiale esse potest. Porrò vt ex operationũ conditione, substantiæ naturam licet arguere, & credere animam, qua homo est, immaterialem, seu spiritualem esse, si aliquam semel operationem spiritualem habet; ita diligenter examinandum est, qualis sit operatio spiritualis, queque eius conditiones, vt postea an aliqua humana sit talis certò statui possit.

Quarto igitur obseruandum est, immateriale in genere dici, quod supra materiam ita eleuatur, vt ab ea in suo esse nõ dependeat; vnde etiam illa operatio erit spiritualis, quæ talem à materia non habebit dependentiam in suo esse operatiuo. Cum autem operatio, ac potissimũ cognoscitiua pendeat à subiecto cui inhæret, quia accidens est; & ab obiecto circa quod versatur, vt patet in visione, quæ non tantùm exigit oculum, cui insit, sed etiam obiectum visibile, sine quo esse non potest; eamdem tamen non esse, vtramque istam dependentiam subiectiuam, & obiectiuam clarè demonstrat ipsummet visionis exemplum. Nam subiectiuè dependet ab oculo, qui corporeus est, & obiectiuè à visibili, quod est etiam corporeum, sed longè diuersum ab oculo, qui seipsum nisi in speculo non videt. Qua de causa licet omnis cognitio, quæ est subiectiuè materialis, aut affixa alicui organo corporeo, obiectiuè quoque sit materialis simpliciter, quatenus non potest non habere pro suo obiecto adæquato aliquid materiale, eo ipso quod est subiectiuè materialis, corporeoque vtitur instrumento; nihilominus ex eo præcisè, quod aliqua cognitio sit obiectiuè materialis, siue se extendat ad obiectum materiale, non statim sequitur eam quoque subiectiuè materialem esse, vel ab organo corporeo dependere. Quandoquidem potentia purè spiritualis circa obiectum materiale versari, & operationem elicere potest, secus autẽ potentia materialis circa obiectum purè spirituale, & immateriale. Sicut etiam ob eamdem dependentiæ subiectiuæ, & obiectiuæ diuersitatem, etsi cognitio materialis obiectiuè simpliciter, debeat quoque esse materialis subiectiuè simpliciter, non tamen semper inhæret, aut pendet ab organo illius cognitionis, à cuius obiecto omnino obiectiuè dependet. Certè sensus communis cognitio, vel sensatio non recipitur in oculo, nec

in aure, aut in alijs sensuum externorũ organis, nec in eis inhæret tanquam in subiecto, sed in aliqua cerebri parte, quæ sensuum omnium externorum cẽtrum vocatur, & nihilominus ab eis, & eorum obiectis omnino obiectiuè dependet. Nihil enim sensus ille communis percipit, nisi cum istud de facto ab aliquo sensu externo percipitur; ita vt non tantum à visibili externo, sed etiam ab eius visione in oculo recepta sensatio communis eiusdem pendeat.

Vel aliter dici potest duplicem esse cognitionem materialem obiectiuè, vnã simpliciter talem, eo quod extra obiectum materiale sibi proprium nullatenus extendi potest, alteram secundum quid talem, quia dum ob suam vniuersalitatem se extendit ad omne ens, fertur etiam ad ens materiale, aut quia circa ipsum immateriale exerceri, vel elici non potest, nisi simul eam comitetur aliqua operatio omnino materialis obiectiuè, vel saltem nisi prius fuerit eiusmodi operatio materialis, vt ea mediante potentia illa cognoscitiua habeat sibi præsens obiectum suum spirituale; vt patet in nostro intellectu pro præsẽti statu. Quamuis igitur omnis cognitio simpliciter materialis obiectiuè, sit quoque subiectiuè materialis simpliciter, dicanturque ad conuertentiam, prout materiale contradistinguitur ab immateriali, aut spirituali; nullo tamen modo necesse est operationem obiectiuè materialem secundum quid, esse vllo modo subiectiuè materialẽ: tunc enim concipimus potentiam omnino spiritualem versari circa obiecta materialia, aut vt versetur circa immaterialia, præsupponere tantùm, vel comitem habere aliquam operationem omnino materialem, vt contingit in hominibus, ad distinctionem Angelorum, in ordine ad cognoscenda talia obiecta. Ex hac autem diuersitate, qua ob dependentiam, vel independentiam à materia, actiones aliæ sunt materiales, & corporeæ, aliæ verò immateriales, & spirituales modo explicato, oriuntur diuersæ pariter earumdem conditiones quibus ab inuicẽ discernantur, & indè formæ, vel naturę, quibus illæ competunt. Omnis enim operatio corporea cum localis, & temporaria sit, verseturque circa obiectum singulare, nec supra seipsam aut suam potentiam reflectat, eademque potentia destruatur, pręsertim vbi obiectum est nimium; operatio spiritualis è contra non subiacet tempori, nec loco, fertur circa vniuersalia, reflectit tam supra se, quam supra suam potentiã, quæ à quocumque obiecto impassibilis est, vt infra dicetur de intellectione, & de intellectu.

Quintò sciendum est, operationem aliquam, seu potentiam in operando posse obiectiuè pendere ab aliquo, vt primum fiat, non autem vt postea permaneat; vel quod in idem recidit, res aliqua potest ab altero ente creato pendere in fieri, non autem in esse seu conseruari: ita vt naturaliter primum fieri non queat, nisi causa aliqua agente, & concurrente, cum tamen postea eius concursu non egeat res illa, vt semel producta in suo esse perseueret. Exemplum habetur in phantasia, quæ non potest quicquam primum imaginari, nisi simul sensus communis, & consequenter sensus aliquis externus, obiectumque eius proprium adiuuet, at his postea destructis, vel non concurrentibus, prius acquisito phantasmate vti, rémque imaginari potest, vt docent communiter Philosophi in libris de anima; & ipsamet experientia demonstrat in cane venatico, qui nõ potest primum imaginari leporem nisi cum videat, vel odoretur, postquam tamen ita comparauit eius phantasma, etiam dormiens, & quiescentibus omnibus sensibus externis eumdem leporem, aut aliud animal prius etiam eorumdẽ sensuum ministerio perceptum imaginari potest. Vndè talis imaginatio in fieri, seu vt primum fiat dependet quidem obiectiuè ab ipso lepore, non autem vt postea conseruetur.

Sextò, & vltimo notandum est dupli-

plici-

pliciter posse aliquid corrumpi, vel destrui naturaliter, seu ab aliquo agente creato: vno modo per se, id est per corruptionem præcipuè terminatam ad illud, ita vt non corrumpatur ad corruptionem alterius, sed potius si quæ alia corrumpuntur vna cum illo, tunc ista corrumpantur ad corruptionem eius: alio modo per accidens, vt cum aliquid corrumpitur ad corruptionem alterius. Rursus causa vno, vel altero modo corrumpens potest esse, vel omnino externa, vel interna rei ipsi, quæ corrumpitur, ita vt ipsa sibi perniciem moliatur: si interna est, necesse est, vt ipsa res, quæ corrumpitur, componatur ex partibus inter se contrarijs, vt exempli gratia, vna frigida altera calida, quę agentes inter se inuicem dissoluant illam variam partium temperiem, quā exigit forma, vt in illis existat. Hoc modo omne corpus animatum corruptibile esse dicitur; quia omnis anima est forma corporis organici, & diuersas partes, & diuersis accidentibus affectas habentis, vnde si partes se se inuicem destruunt, aut vna aliam omnino superat, & in se transmutet, vt si cor nimis calefacit spiritum, non mirum est, si cerebri temperie amissa, anima totum informare desinit. Similiter, si causa corrumpens externa est, ea etiā contraria est, seu eatenus substantiam corrumpit, quatenus alteram huic incompossibilem generat, quæ incompossibilitas, sine subiecto formę corruptæ, & genitæ communi fieri, aut intelligi non potest, quod subiectū aliud non est, quam ipsa materia, quæ definitur subiectum primum transmutationis substantialis. His animaduersis sic primam pro immortalitate animæ rationem efformo desumptam ex eius immaterialitate, vel spiritualitate.

Quæ substantia spiritualis, eadem incorruptibilis est, sed anima hominis est forma substantialis omnino spiritualis, materiæque expers, ergo & incorruptibilis, seu immortalis. Consequentia est clara supposita pręmissarum veritate, quarum maior probabitur in sequenti ratione; minor autē nunc multipliciter demonstratur.

Primò, Quæ creatura est formalis imago Dei, quantumuis imperfecta, ea est spiritualis, sed anima hominis est formalis imago Dei, licet imperfecta, vndè non tam imago, quam ad imaginem Dei creata dicenda est: igitur ea est spiritualis, materiæque expers, Minor huius argumenti est certa non solùm communi omnium Sanctorum Patrum consensu ad illud Genes. 1. *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra*, &c. Verùm etiam eorum, qui inter gentiles Sapiētiores habiti sunt, quorum testimonia refert Augustinus Eugubinus toto libro nono *de perenni Philosophia*; veritasque eius habetur ex ipsamet probatione maioris, sique diligenter ad eam considerentur, quid ad imaginem Dei in aliqua creatura constituendam requiratur: vbi enim semel constiterit illud necessariò spirituale esse debere, posseque animæ humanæ, siue homini ratione ipsius competere, constabit quoque illam Dei imaginem esse, & per cōsequens spiritualem creaturam. Quod argumentum, quia fusè & eleganter prosequitur Ioannes Bagotius tom. 2. Apologet. Fidei, lib. 1. disput. cap. 7. & seq. ad eum lectorem remitto.

Secundò probatur eadem minor primi argumenti, animam scilicet hominis esse formam substantialem spiritualem; Quæ enim forma substantialis habet aliquam potentiam, & operationem spiritualem, ea quoque spiritualis esse debet, cum non possit res spiritualis subiectari in subiecto corporeo, nec ab illo suam originem ducere, vt supra notando tertio monuimus; Sed anima hominis aliquam spiritualem habet potentiam, & operationem, intellectum nimirum, ac intellectionem: Ea igitur

est

est forma substantialis spiritualis.

Probatur minor in qua est difficultas, quia omnis operatio corporea localis, & temporaria est, saltem quia versatur circa res corporeas existentes alicubi, & aliquando; aliqua autem hominis intellectio, qualis est speculatiua rationum vniuersalium, nec subiacet tempori, nec loco: Insuper quælibet operatio corporea non tantum est singularis, & ab operante singulari procedit, quod cum ipsis quoque spiritualibus commune habet, sed quidquid illa connotat, id, vt aliquod singulare est, connotat, v. g. cognitio corporea non est circa obiectum aliud, quam singulare, nec oculus videt coloratum, nisi hoc, aut illud, nec phantasia concipit, quàm figuram talem numero; Intellectus autem hominis habet intellectionem entis vniuersalis, vt tale est, & nō tantùm singulare; cumque phantasia, & cæteri sensus circa externa dumtaxat versentur accidentia, solus intellectus attingit substantiam, eiusque quidditatem, siue ens, quod habet accidentia; proptereaque ex Diuo Thoma 2.2. qu. 82. dicitur intellectus, quia intus legit, seu penetrat, & percipit intimam rei substantiam: Item nulla potentia corporea cognoscitiua supra se reflectitur; nulla si quidem potentia fertur vltra obiectum suum, nec in rem vllam, nisi sit eius particeps, ita oculus, seu visus non fertur nisi circa visibile, gustus circa sapidum, phantasia circa figuratum: vndè cum visio albi, aut alterius coloris non sit colorata, nec imaginatio cubi sit cubica, aut figurata; nulla visio circa visionem versari, nullaque imaginatio seipsam, aut similem pro obiecto habere potest: deinde cum nulla res quanta, qualis est omnis res corporea, omneque accidens materiale, supra seipsam reflectatur, aut replicetur, vt latè explicat Diuus Thomas *in Commentario lib. de causis propos. 7.* nulla potentia corporea ad seipsam nata est cōuerti, vel supra seipsam redire: At intellectum humanum esse reflexiuum clarè docet Philosophus *lib. 3. de anima cap. 5. textu 15.* vbi ait: *Intellectum quoque esse intelligibilem, vt reliqua intelligibilia: nam in ijs, quæ sunt sine materia, idem est intelligens, & quod intelligitur*: tum ipsamet experientia, qua deprehenditur tot animam de se quærere, quę non quæreret, si se non nosset, neque enim aliundè quærit, quam à seipsa, vt ait Diuus Augustinus lib. 7. de gen. ad litteram cap. 2. eam amare se intelligere; nosse suos actus; suas examinare propositiones, an verę sint, an falsæ, eas cum obiectis comparando; artesque adinuenisse benè intelligendi, & ratiocinandi, ac inter cæteras Logicam, quę est ratiocinatrix de ipsis cognitionibus, earumque ordinatrix; quis enim id quod non cognoscit ordinare posse intelligatur?

Ex hac ergo immunitate, quam a conditionibus corporeæ operationis habent intellectus, & intellectio, manifestè constat ea nec potentiam, nec operationem organicam, sed merè spiritualem esse.

Quod adhuc efficacius, & veluti à priori demonstrari potest, ex eo quod solus intellectus præ omnibus alijs potentijs cognoscitiuis habet pro obiecto quidditatem materialem, si enim in se spiritualis non esset, talem quidditatem haud intelligeret, cum esse materiale sit maximè determinatum, indeque sui cognitionem impediat, secus verò spirituale, quod ex natura est indifferens intelligibiliter; & hoc est quod docet Aristoteles *lib. 3. de anima tex. 4.* oportet quoniam omnia intelligit immixtū esse, intus enim existens prohibebit intraneum; sic lumen quidem quod est in oculo non impedit visionem, quia indifferens est ad colores, sed tantum si color foret in oculo, illam impediret. Nec solùm intellectus pro obiecto omnia habet corporea, aut materialia, sed etiam ipsamet incorporea, & spiritualia, si quidem diuidit substantiam in materialem, & spiritualem, necessariò igitur concipit, seu intelligit genus, quod

quod materiale non est; sub illo cognoscit Angelos, ipsumque Deum, & inter practicas veritates, quod virtus sit sequenda, & vitia fugienda, quę omnia, & similia, quæ intellectus attingit obiecta, sunt incorporea, & spiritualia; nulla autem potentia corporea circa talia ferri naturaliter potest, fatendum est igitur quod intellectus humanus, & intellectio sint potentia, & operatio merè spirituales. Quæ adhuc obiecta incorporea, seu spiritualia non intelliguntur solùm ab homine, vt non corporea, per negationem corporis, sicut aliquo modo oculus dicitur videre tenebras, vt quis posset obijcere, verum etiam positiua, & vera intellectione, cum de illis multa quærat, distinguat, iudicet, & affirmet, quæ necessariò requirunt, vt positiuè vtramque rationem intelligat: licet verum sit, quod in hac vita naturaliter non possit quidquam intelligere independenter ab aliquo obiecto corporeo; sed hanc obiectiuam dependentiam non arguere, intellectũ non intelligere verè rem spiritualem, aut esse potentiam organo affixam, iam notauimus supra. Ad exemplum autem oculi, qui dicitur videre tenebras, respondetur hoc esse falsum, cum nihil videat nisi lucidum, & coloratum, & tenebrarum non sit aliqua positiua visio, sed mera non visio, ex qua, non oculus, sed aliqua potentia superior iudicat esse tenebras. De quo argumento qui præclara legere voluerit consulat Sanctum Iustinum Martyrem qu. 1. quæstionum Græcarum; S. Athanasiũ ad Antiochum, S. Basilium *in orat. attende tibi*, S. Augustinum *lib. de vera religione capit.* 32. & *de immortalitate animæ cap.* 2. S. Cyrillum Alexandrinum *lib.* 11. *thesauri* versus finem, & Ioannem Cyparessiotam decad. 8. cap. 8 ad secundam interim rationem transeo pro eadem veritate probanda, quod anima nimirum hominis sit immortalis, supposita eius spiritualitate; quatenus illa adhuc admissa posset quis hanc veritatem negare.

Si forma substantialis spiritualis, qualem animam humanam esse demonstrauimus, posset corrumpi, vel per se corrumperetur, vel per accidens, sed nulla forma substantialis spiritualis corrumpi potest, vel per se, vel per accidens, ergo nec anima humana, stante eius spiritualitate, ac proindè erit immortalis, quod enim est omnino incorruptibile debet in æternum durare, constat autem esse omnino incorruptibile, id quod non potest corrumpi, vel per accidens, id est, ad corruptionem alterius, vel per se, id est, tãquam id, quod præcipuè corruptionẽ terminat. Vndè etiam manet probata maior huius rationis, in præsenti enim non fit sermo de immortalitate animæ, aut de incorruptibilitate alicuius substantiæ spiritualis in ordine ad potentiam Dei supernaturalem, vt obseruauimus supra, sed in ordine ad illam secundum regulas ordinarias consideratam, seu secundum id quod forma substantialis spiritualis, qualis est anima nostra, naturæ suæ relicta ex se habet, & exigit. Minor ergo, ad quam tota huius rationis difficultas reducitur, probatur quoad primam partem, scilicet formam substantialem spiritualem non posse per se corrumpi; nam omne per se corruptibile, ideo corrumpitur, quia ab aliquo separatur eius esse existentię, vel forma tribuens illud esse, vel vtrũque, sed à forma substantiali spirituali, cuiusmodi est anima humana, nequit separari esse per se, quia tale esse per se ei conuenit; & ita materia, & compositum in tantum habent esse, in quãtum habent illam formam, & in tantum perdunt, in quantum prædictam formam amittunt, alias forma substantialis spiritualis non esset contra suppositionem, si quidem in hoc distinguntur ab alijs formis substantialibus materialibus, quod ista pendent in suo esse à materia, & consequenter ad existentiã compositi coexistunt, secus verò illæ; nec deindè, à prędicta forma substantiali spirituali potest ipsamet forma separari

parari

parari, alioquin idem separari posset à semetipso: nec tandem forma per se existens valet à seipsa per se existenti separari, vt patet ex ipsis terminis.

Quia autem aliquid competere alicui per se, id est, non per accidens, dupliciter intelligi potest; scilicet, vel per se simpliciter, seu logicè, vel per se physicè; quorum prior modus conuenit ex habitudine terminorum, sicut quinario per se conuenit esse imparem, vndè ita necessariò conuenit, vt non supponat aliquid non necessarium, nec possit res, cui conuenit esse, intelligi sub opposito eius, quod illi conuenire dicitur, vt patet in exemplo adducto quinarij: At posterior non ita competit ex habitudine terminorum, sed aliquid non necessarium supponit; & propterea potest res esse sub opposito eius, quod ei sic per se conuenire dicitur: licet facta illa suppositione non necessaria, tunc id quod hoc modo per se conuenit, debeat necessariò, necessitate naturalis cursus conuenire. Re ita se habente, dum in præsenti asserimus, quod esse per se existens per se conuenit formæ substãtiali spirituali, vel subsistenti, qualis est anima humana, non intelligi debet de conuenientia primo modo sumpta, sic enim soli Deo competit esse per se, cuicumque autem creaturæ per accidens, provt à tali esse condistinguitur; sed de conuenientia secundo modo spectata; sic enim animæ hominis cõuenit per se perseitate physica, vt per se existat, nequaquam autem per accidens, vt condistinguitur solùm à tali esse; quæ conuenientia essendi per se sufficit, vt omnis forma substantialis spiritualis dicatur per se incorruptibilis, nam semel supposito aliquo non necessario, scilicet productione eiusdem formę, nequit secundum cõmunem, & naturalem cursum separari ab esse, seu corrumpi, vt ex dictis constat, & ex statim dicendis amplius constabit.

Si prius iterum notauero pro præcedẽti probatione, quod dupliciter potest aliquid cõuenire alicui per se, perseitate physica, vt per se condistinguitur contra per aliud, & idem significat, quod conuenire sine medio, seu immediatè; primò ita vt non mediet alia forma, quamuis mediet alia actio: secundò ita vt naturaliter saltem loquendo, nec forma, nec actio vnquam mediet. Quamuis igitur ex hoc quod aliquid cõueniat immediatè priori ratione, id est sine media forma, non possit efficaciter colligi inseparabilitas, siue id conuenire ei inseparabiliter, vt satis patet in formis substantialibus respectu materiæ: attamen quandocumque aliqua duo sic se habent, quod vniuersaliter vnum cõuenit alteri immediatione posterioris rationis; ita vt semper, saltem naturaliter loquendo, coniungatur sine media forma, & sine media actione; tunc illa duo oportet esse ab inuicem inseparabilia, ex eo quod quęcumque eadem generatione generãtur, eadem quoque corrumpuntur. Quare cum inter formam subsistentem, seu substãtialem spiritualem, cuiusmodi est anima hominis, & eius existentiam nulla vnquam saltem naturaliter mediet actio coniungens illam cum prædicta forma, quoniam vniuersaliter contingit, vt non prius fiat talis forma, & per aliam actionem coniungatur cum sua existentia, sed ipsum fieri formæ ad illam coniunctionem terminatur: idcircò semel coniuncta debent inseparabiliter se habere. Sicut è contrario, quia materia sublunaris non coniungitur vniuersaliter cum sua forma substantiali sine media actione, sed naturaliter loquendo, & ferè semper præsupponitur materia iam producta, & postea coniunguntur per actionem mediam ab agentibus naturalibus tali effectui proportionatis, inde formæ sublunares non coniunguntur inseparabiliter cum materia, nec vnum alteri per se, perseitate physica conuenit.

Alte-

Altera eiusdem minoris probatio, quo ad primam partem, formam nimirum, substantialem spiritualem, qualis est anima, non esse per se corruptibilem, desumitur ex eius simplicitate, vt enim docet Aristoteles *lib. 9. metaph. cap. vlt. Cuncta substantia incomposita actu sunt, non potentia; generarentur enim, & corrumperentur*: vnde sic argui potest: Quicquid substantiale per se corrumpitur naturaliter, in sua natura habet principium corruptionis, at forma substantialis spiritualis istud non habet, imo nec quæcumque forma substantialis materialis simplex, quia istud est potẽtia, cum principium corruptionis, & potentia, seu possibilitas, qua aliquid habet, vt possit corrumpi, idẽ omnino sint Igitur nec forma substantialis spiritualis, nec aliæ etiam formæ materiales per se corrũpi possunt. Quod autem forma substantialis spiritualis, & alia quæcumque materialis non habeat in se, aut in sua natura principium corruptionis, quæ est minor propositio probanda, patet tum quia ea potentia materia quædã est, tum quia ea sola potentia totam rei essentiam constituere non potest, sed tantum vnita cum altera parte, quæ sit actus, seù forma, quam immediatè sequitur id, quod dicitur esse substantiale. Quæ autem res habet in sua essentia partes, ea composita non simplex est, qualis est omnis forma substantialis tam materialis, quàm spiritualis. Vnde si ex tali simplicitate vtrique formæ communi, docent Philosophi, nequidem formas substantiales materiales per se corruptibiles esse, sed tantum per accidens ad corruptionem compositi; inde multò magis sequitur formam substantialem spiritualem, qualis est anima humana, per se corrumpi non posse, de quo modo est difficultas.

Si quis objiciat ipsammet entitatem simplicem, quæ est forma, seu actus essentialis, eandem esse potentiam, seu principium corruptibilitatis, respondetur id dici non posse; siquidẽ nulla res simplex, & indiuisibilis potest exigere per se tale esse, v. g. ligni, & simul esse potentiam ad formam ignis, quoniam illa pars, quæ tale esse exigit, ad ipsum est omnino determinata, potentia autem corruptibilitatis est indeterminata, quia ex se communis, & indifferens est ad quamcumque formam. Hæ autem duæ rationes, scilicet determinatam rem exigens, & ad eam indifferens sunt contradictoria, quia indifferentia est indeterminatio, quæ determinationem negat, & contradicit: nulla igitur entitas simplex, quæ est forma, seu actus essentialis, eadem esse potest principium corruptionis, seu potentia ad non esse per se loquẽdo. Eoque magis quo, vbi res dicitur habere talem potentiam, id non debet intelligi, quasi dicat immediatum ordinem, seu respectum ad non esse, sed quatenus est potentia ad aliquod esse incompossibile cum alio, ita vt necesse sit vno introducto, alterum excludi, & generato vno, alterum corrumpi; vnde quæ res non habet potentiam, & habitudinem ad generationem vnius positi, non habet potentiã, nec habitudinem ad alterius oppositi corruptionem, siue ad illius non esse; sed tam forma substantialis spiritualis, quàm materialis præfatam non habẽt potentiam, vel habitudinem ad generationem vnius positi cum ipsis incõpossibilis, talis enim potentia competit soli materiæ primæ, ergo nec etiam habent potentiam per se ad suum non esse proprium, siue ad suam propriam corruptionem.

Ex dictis probata quoque manet altera pars minoris, scilicet formam substantialem spiritualem, siue subsistentem non posse per accidens corrumpi. Primò quia vnumquodque eo modo quo habet esse, potest generari, & corrumpi; nam generatio dat esse, & corruptio tollit: ergo quod habet esse per se subsistens, vt anima humana, quæ est forma substantialis spiri-

ſpiritualis, dans eſſe materię, totique compoſito humano, vel corrumpi nequibit, vel debebit per ſe, & non per accidens corrumpi. Secundò illud corrumpitur per accidens, vt ſupra notauimus, quod ad deſtructionem alterius corrumpitur, ſed forma ſubſtantialis ſpiritualis, ſiue ſubſiſtens, qualis eſt anima humana, eo ipſo quod eſt talis, non habet ſuum eſſe exiſtentiæ à materia, aut compoſito, ſed ipſa potius illi tribuit, & communicat tale eſſe, ergo per accidens corrumpi non poteſt ad deſtructionem, vel corruptionem compoſiti. Quæ animæ tam per ſe, quam per accidens incorruptibilitas ſequenti poteſt declarari exemplo. Nā ideo anima equi poteſt per accidens corrumpi; quia licet prædicta anima non poſſit ſeparari à ſeipſa, poteſt tamen per corruptionem equi ſeparari ab illa eſſe eiuſdem equi, ad cuius exiſtentiam ipſa coexiſtebat. Et ſimiliter ideo equus per ſe corrumpitur, quia habet eſſe per ſe, & eſt id à quo poteſt ſeparari forma, ac proindè eſt quid reſolubile in aliud ſubiectum prius à quo pendebat, ſcilicet in materiam primam. Sed à forma ſubſtantiali ſpirituali, ſiue ſubſiſtenti, qualis eſt hominis anima, nequit ſeparari aliquod eſſe, ad cuius exiſtentiam ipſa coexiſtat, quia per ſe, & non ad exiſtentiam alterius exiſtit, nec etiam poteſt ab ea ſeparari forma, & ratio eius, vt in equo contingit, aut in alio quocumque compoſito ſubſtantiali ſublunari purè materiali, nec tandem valet reſolui in aliud ſubiectum, à quo prius pendebat in eſſe: alioqui non eſſet forma ſubſtantialis ſpiritualis, ſiue ſubſiſtens per ſe: ergo anima hominis, nec per ſe, nec per accidens erit corruptibilis.

Tertia ratio pro eiuſdem animæ incorruptibilitate, ſeu immortalitate deſumitur ex hoc quod non habet cōtraria deſtructiua. Vbi enim nulla eſt formarum contrarietas, & incompoſſibilitas, ibi non eſt corruptio factibilis per agens creatum: at in forma ſubſtantiali ſpirituali, qualis eſt anima humana non habet locum iſta formarum contrarietas, & incompoſſibilitas, quæ ſcilicet eſt principium generationis, & corruptionis, ergo nec corruptio factibilis per agens naturale. Maior patet in ipſiſmet cælis, quos eſſe incorruptibiles docent Peripatetici, etiam ſi componantur ex duabus partibus vna recipiente, altera recepta, illa vt ſubiecto, iſta vt forma, quia nimirum in eis non datur materia contrarietatis. Minor autem probatur, quia ea contraria, quæ ſunt deſtructiua in ſeipſis conſiderata, ſiue quod idem eſt, ipſa contraria materialia v. g. album & nigrum, calidum & frigidum, humidum & ſiccum, vt ſunt in intellectu non ſolum ſibi inuicem contraria non ſūnt, nec ſe expellunt, ſed potius cōtrariorum intelligibilitas non habet contrarietatem, aut incompoſſibilitatem, ſed per ea potius intellectus ſimul perficitur: quia, vt docent communiter Philoſophi poſt Ariſtotelem, vna eſt contrariorum ſcientia, & ſi calidum intelligimus, eo ipſo poſſumus ſimul intelligere frigidum, & intelligentes hominem poſſumus intelligere non hominem, vel negationem entis per ipſum ens.

Si dicatur in anima etiam locum habere formas aliquas contrarias, & incompoſſibiles, vt intellectiones, quarum vna affirmet id, quod altera negat. Reſpondetur has formas, & ſimiles non eſſe contrarias contrarietate deſtructiua, aut ratione cuius earum ſubiectum verè dicatur pati, ideoque nihil prorſus facere ad corruptionem animæ, de qua hic eſt ſermo, cui fauet experientia ipſa, qua certum eſt intellectum manere illæſum, quantumuis has ſuas mutet opiniones, modoque præbeat aſſenſum, & modo diſſenſum. Propterea ab Ariſtotele *lib. 3. de anima tex. 3.* impaſſibilis dicitur, quia licet ſuſceptiuus ſit prędictarum formarum, nec non intelligibilium ſpecierum,

rum, quas recipiendo necesse est patiatur, recipere namque est quoddam pati, nihilominus quia per talem receptionem perficitur tantum, nec quicquam, aut ratione sui, aut ratione organi corporei, cum illo careat potentia spiritualis, qualis est intellectiua, recipere possit, quod eius interitũ moliatur, vel ad illum disponat, simpliciter impassibilis, contrariorumque expers dicitur: secus autem potentiæ sensitiuæ, quæ licet recipiendo species præcisè perficiantur, quia tamen ratione sui sensorij, siue organi, cui sunt affixæ, passione simul destruente afficiuntur, inde simpliciter passibiles, formarumque contrarietati, & per consequens corruptioni obnoxiæ dicuntur.

Cuius etiam ab hac destructiua cõtrarietate immunitatis satis euidens est argumentum, quod intellectus intelligendo ex se non defatigatur, & quantumuis phantasia debilis, sensus omnes emortui, & omnia corporis organa languida sint, dummodo tamen salua sit imaginatiua, quantum præcisè sufficit ad proponendum aliquod obiectum intellectui, tunc homo perfectissimè adhuc fungi illius munere, & excellentissimas intellectiones elicere potest: ob idque licet in rebus imaginandis senum, minus quam iuuenum ingenia apta sint, quod phantasiæ, imaginationique, vtpotè facultati organicæ deseruiant spiritualium animalium veloces motus, quibus iuuenes præ senibus abundare solent: nihilominus senes, si læsam imaginationem non habent quantumuis debilissimam, melius intelligunt, prudentiusque deliberant tàm in speculatiuis, quàm in practicis. Quod profectò non accideret si intellectus contrarietati destructiuæ, vt cæteri sensus subiaceret, indeque verè passibilis, & per consequens corruptibilis esset, vel quod idem est, si nulla facultate nisi organica homo præditus esset. Quia cum senis totum corpus elãgueat, spiritus animales tabescant, & penè extinguantur, necesse quoque esset si intellectus formarum contrariarum destructiuarum capax esset, ideoque passibilis, ac per se corruptibilis, aut cum emori, aut certè consenescere. Admisso igitur, quod senes in his intellectionibus, quæ plus imaginationis requirunt, deficere, deterioresve fieri possint: de ijs tamen, quæ in ratiocinando, aut dijudicando magis positæ sunt, id falsum est. Sed gratis adhuc concesso, quamplurimas tales mentis operationes in senibus peiores fieri, si tamen vel vnica in illis viget, & integra manet: indè mentis spiritualis, formarumque contrarietati destructiuæ minimè subiacentis, ac per consequens incorruptibilis certissimũ habetur argumentum, nam quæ substantia, aut potentia, vel vnicam talẽ habet operationem, haud dubiè, & spiritualis, & incorruptibilis existimanda est.

Quinta ratio deducitur ex multis rebus, aut signis simul iunctis animæ hominis proprijs, quæ nonnisi formæ spirituali, & incorruptibili conuenire possunt. 1. quod respiciat primum verum, & primum bonum, nec nisi in illo tanquam in obiecto sempiterno conquiescat: nam animus noster non solum cognoscit verum, & bonũ ęternum, sed etiam ea ratione, qua æternũ est illud cognoscit, & amat. 2. quod conetur omnia facere, vt testantur tot præclara, & admiranda eius inuenta, & opera, siue quæ spectant ad scientias speculatiuas, siue quæ ad artes mechanicas, siue quæ ad res ciuiles. 3. quod omnia fieri possit per infinitam veluti potentiam, quam habet ad cognoscendas omnes res, etiam immaterialiter, vniuersaliter, & indiuisibiliter; licet enim mens apprehendat materialiter, id est cum phantasmate, seu per conuersionem ad illud, iudicat tamen immaterialiter, discernens res materiales ab immaterialibus, vt supra diximus, ergo ipsa est spiritua-

lis, & à materia separabilis, consequenterque immortalis. Certè si materiam primam, quia est in potentia ad omnes formas materiales, oportuit esse ingenerabilem, & incorruptibilẽ, multò magis intellectum nostrũ oportuit esse immortalem, qui sublimiori quodam modo, ac diuiniori se habet per modum potentiæ spiritualis ad omnes formas intelligibiles, etiam rerum spiritualium, & immaterialium. 4. quod actiones mentis, quo magis abstrahuntur à corpore, & materia, eo puriores, & præstantiores euadant, ipsamque mentem nobiliorem, atque perfectiorem reddant, hoc enim indicat eam discedere, aut separari à corpore, non esse eam interire, sed potius perfici, debereque esse immortalem. 5. id ipsum arguit, eã velle super omnia esse, in omnibus esse, vbique esse, maximè autem semper esse, naturaliter enim insitus toti speciei humanæ, insatiabilis ille appetitus immortalitatis, cum sit à Deo auctore naturæ, nõ potest esse inanis, aut frustra hominib⁹ datus. 6. Quod se per vltimũ finẽ beatos esse homines velint, qui cum in hac vita obtineri nequeat, vt potè in qua nihil, quod mentem, & voluntatẽ hominum omnino explere, & satiare valeat, non tempus, non locus, non imperium, non honor, non voluptas, non vita, nullum denique bonum, quãtumuis maximum, nam eo ipso quod tanquam mortale, & aliquando desiturum apprehenditur, in eo animus noster sibi satisfacere, aut planè conquiescere non potest: manifestè relinquitur vltimum finem hominis post hanc vitam ei propositum, ac reseruatum esse, proindeque animum eius esse immortalem.

7. Quia animus hominis imperat corpori, illoque tanquam instrumento vtitur, dum contra ipsas sensus appetitiui inclinationes, & affectiones, corpus & omnem appetitum corporeũ cohibet, ne feratur in id quod expetit, & pro suo imperio flectit, & mouet liberè ad honestum bonum, sæpe numero appetitui sensuali contrarium; passiones corporeas, iram, metum, aliasque pro sua voluntate refrænat, laxat, accendit, remittit; seque nonnunquam ita ab omni passione corporis segregat, vt quantumuis voluptatis, aut doloris stimulis excitetur, & vrgeatur, ipse tamen eis non consentiat, sed se liberum ab eis defendat, & in contrarios affectus feratur.

Ita enim animum hominis libero arbitrio agere, & ad quod placet se determinare, non obscurè indicat eum habere actionem, & consequenter facultatem superiorem omni passione, aut affectione corporea, ab eaque separabilem, & consequenter immortalem. 8. Persuasum habere animam hominis esse immortalem, naturaliter inducit nos ad cultum Dei, ad parandas scientias, ad resistendum vitijs, ad obtemperandum legibus, ad conseruandam, & administrandam iustitiam, ad inseruiendum Reipublicæ etiam cum vitæ discrimine, & ad omnia denique honesta: contraria autem opinio, & persuasio totum oppositũ operatur: quare cum illa naturaliter inducat hominem ad suam propriam perfectionem, provt à brutis animantibus distinguitur, hæc autem ab ea remoueat, illa sine dubio vera, hæc autem falsa iudicanda est. Quæ omnia, & his similia clarè, vt opinor, demonstrant animam humanam ita esse veram, & naturalem formam hominis, vt tamen sit incorporea, & spiritualis, independensque à materia, & separabilis, ac per consequens immortalis.

Sexta, & vltima ratio pro animæ immortalitate fundatur in duob⁹ principijs lumine naturæ notis; quorum primum est Deum habere prouidentiã huius vniuersi, esseque supremum illius gubernatorem: alterum autẽ teneri hominem, etiam secundum dictamen luminis naturalis, viuere iuxta leges rectæ rationis, ita vt illis conformare sit laude, & præmio dignum,

eas verò transgredi, vituperio, & pęna, quod præmium aut pæna si in hac vita non recipiantur à Deo iusto rerũ iudice, & prouisore, necessario fatendum est aliam dari vitam, in qua id præstetur, atque adeo animam humanam immortalem esse debere. Vnde sic efformo argumentum; si anima hominis esset mortalis, simulque cum corpore cæterorum instar animalium extingueretur: Deus non haberet rerum humanarum prouidentiam; sed hoc est falsum, quàm igitur certum est lumine naturali Deum esse iustum, & æquum rerum præcipuè humanarum prouisorem, tam certum est animam hominis esse immortalem, ob necessariam, quàm hæc duo inter se habent connexionem: quocirca Clemens ait *lib. 3. recognit. Euangel.* Si Deus iustus est, anima immortalis est. Probatur sequela maioris, quia in hoc potissimum diuinæ prouidentiæ æquitas circa res humanas elucet, vt vnicuique hominum pro meritis, vel delictis pręmia, & supplicia dispenset, id enim si in quauis Republica benè instituta principalis cura Gubernatoris, principaleque munus est, malos nimirum punire; & bonis debita præmia conferre; cum hoc vniuersum sit nobilissima quædam Respublica à Deo instituta, cuius supremus Gubernator est ipse Deus, pertinebit à fortiori ad eius prouidentiam, vt malos pæna, bonos verò præmio afficiat. Ergo cum Deus in hac vita multoties hoc non exequatur; sed potius improbi magis prosperè, & deliciosè vsque ad mortem viuere soleant, quam boni; nam illi plerumque abundant, & affluunt omnibus bonis, superbè imperant, & tyrannicè dominantur viris iustis, & innocentibus; hi autem ærumnosam, calamitosam, ac miseram ducunt vitam oppressi & contriti; Ni Dei prouidentiam erga res humanas de medio tollere velimus, aut admittere præstabiliorem, ac nobiliorem esse malorum hominum, quàm bonorum conditionem, improbisque lucro esse improbitatem, bonis autem detrimento virtutem, & innocentiam: quod animus non omnino ratione captus, non solùm credere, verùm etiam cogitare perhorrescit: necesse est, vt altera detur vita, & ita post corporis vitam alia animæ vita supersit, in qua vnicuique pro meritis, vel delictis præmia etiam vel supplicia Deus retribuat.

Quod aliqui respondent cum Scoto in 4. sent. dist. 43. quæst. 2. rationem hanc efficacem ad intentum non esse. Primò quia certo non constat lumine naturali Deum esse Rectorẽ, aut prouisorem mundi. Secundo, quia hoc admisso, etiamsi post hanc vitam nihil amplius, aut sperandum bonis, aut timendum malis esset, sed vna cum corpore omnes interirent, sufficiens adhuc præmium virtutis esset ipsa virtus & delectatio illius, & sufficiens pæna mali turpitudo culpæ. Verum quàm hoc gratis dicatur, patet ex ipsamet ratione benè ponderata; quodque nedum Sancti Patres, sed & antiqui Philosophi solius luminis naturalis ductu, illa vt firma, & efficaci vsi fuerint, tamque clarè conuincente animam esse immortalem, sicut euidens est, quod iustus est Deus. Ex Philosophis videri potest Plato *dialogo de animæ immortalitate*; & Socrates apud Ciceronem *quæst. Tuscul.* 1. Epiph. Poeta, & alij plures quos refert Augustinus Eugubinus de perenni Philosophia lib. 9. cap. 15.

Quare ad primum, quo dicebatur non certò constare Deum esse rectorem mundi, respondetur hoc esse apertè falsum, vt latè contra Scotũ ostendit Melchior Canus lib. 12. de locis c. 15. & patebit ex dicendis infra suo loco, vbi agemus de diuina prouidentia. Est etiam planè absurdũ, quod sufficiat ad virtutis præmium, ipsa virtus, & ad supplicium vitij, ipsa vitij turpitudo. *primò*, quia præmium, & pęna debent esse data à gubernatore; quod autem

autem intrinsecè sequitur ex ratione virtutis, & vitij, id non habet ratione̅ præmij, neque pænæ propriè loquendo. *Secundò* quia, vt præcipua delectatio, qua virtuosè operans delectatur, est expectatio futuræ præmiationis, vel spes in Deum merita iustorum coronantem, ita præcipua afflictio, qua vitiosè operans torquetur, est timor Dei iusti scelerum vindicis: at si post hanc vitam nihil aut sperandum, aut timendum esset, intereunte anima cum corpore, iam præcipua iusti in benè operando priuarentur consolatione, impij autem præcipua afflictione, respectu cuius cæteræ nihil sunt. *Tertiò*, quia admisso, quod virtus de se, etiam secluso præmio, aut pæna sit magis appetibilis, quam vitium, nihilominus virtus suum habet laborem, & difficultatem non paruam: & ratione illius est digna præmio, & remuneratione: imo sæpe dolor, & pæna virtutis est maior, quam delectatio: neque impij in operibus malis sæpe affliguntur nimium, sed multoties valdè delectantur, paxque eorum turbari non potest nisi metu diuini iudicij: malè igitur à Scoto, & eius in hac parte sequacibus, soluitur quæstio de prosperitate impiorum & afflictione bonorum, per hoc quod sufficiat ad virtutis præmium, ipsa virtus, & ad supplicium vitij, ipsa vitij turpitudo, sed necessario recurrendum est, post hanc corporis, ad alia̅ immortalem animæ vitam, in qua malos puniat, bonis autem promerita conferat præmia. Hactenus de animæ immortalitate quatenus lumine naturali cognoscibilis est, Philosophisque demonstrabilis, nulla adhuc admissa diuinarum Scripturarum authoritate, vt inde ad eam, veræq; religionis cultum ex ea amplectendum disponātur, vt in præsenti sectione intendimus.

Præcipuis satisfit obiectionibus contra animæ immortalitatem.

PRima desumitur ex eo, quod anima humana est materiæ forma, nec solùm homini assistens, vt Auerroistæ finxerunt; sed formæ informanti materiam, quæque multiplicatur ad multiplicationem illius, repugnat quod sit spiritualis, & independens à materia, ergo etiam quod sit ab ea separabilis, & per consequens incorruptibilis.

Respondetur breuiter ad hoc argumentum, repugnare quidem formæ informanti materiam, & ad multiplicationem illius multiplicabili, quod sit spiritualis, quando materia informata, tam est materia ex qua, quam materia in qua talis formæ; secus autem quando solum est materia in qua, vt contingit in anima humana, cum talis informatio, vel dependentia solùm in eo posita sit; quod naturaliter anima humana, cum pars sit quidditatis, & essentiæ hominis, à Deo fieri, seu creari non potest, nisi in materia, & secundum exigentiam ipsius; at vbi semel creata est, non eget amplius materia, vt conseruetur in rerum natura, quia à materia non pendet vt sit, sed tantū vt fiat, aut incipiat, ac proindè ipsa per se subsistere potest, licet non in statu adeo connaturali, & perfecto, ac vbi in ipso homine subsistit, siue hanc materiam perficit, & trahit ad suum esse, vt docet S. Thomas 1. p. qu. 76. art. 1. ad 6. Animam autem humanam aliam non habere à materia pendentiam, quam vt esse incipiat, non autem vt sit, & existat, clarè demonstrant superius dicta, potissimum de eius operationibus, si quidem res quælibet talis est in existendo, qualis est in operando; quare sicut anima, vbi semel per phantasma, quod materiale est, acquisiuit vt possit intelligere, suam postea

stea intellectionem intelligere potest, habereque intellectiones immateriales, & à sensibus independentes: inde quoque consequens est animam eamdem, ita in homine toto; & in materia fieri, vt tamen ipsa postea per se existat, & subsistat.

Obijcitur secundò, omnis operatio hominis est organica; Ergo anima humana spiritualis non est, aut à materia independens, consequentia est vera, si antecedens est verum, quod multipliciter probant aduersarij, primò, quia vi morbi, aut passionis vehementioris commotione, turbato semel cerebro, imaginationeque læsa intellectus prorumpere in operationem suã non potest; secundo in eadem defatigatur; tertiò pro varia corporis constitutione, organorumque cerebri conformatione, varia sunt hominum ingenia; quartò tandem, quia nulla in homine nobilior, quam in quibusdam brutis videtur esse operatio, vnde cum nulla bruti operatio sit spiritualis, nulla quoque talis in homine erit.

Respondetur ad hoc argumentum negando antecedens, cuius oppositũ supra satis ostendimus, vndè ad primã probationem dicitur, ea tantùm conuinci, quod anima humana pro præsenti statu nullam operationẽ habeat, quæ obiectiuè à corpore non pendeat, quia non agit nisi excitante, & comitante phantasia, ac imaginatione; quod autem alia sit dependentia operationis obiectiua, alia subiectiua, quodque ex hac sola, non verò ex illa petenda sit illius immaterialitas, & incorruptibilitas superius demonstratum fuit.

Quamobrem sicut si oculus ob substractionem libri legere in eo non posset, atque ita à sua operatione impediretur, malè inferretur ex hoc præcisè, aut oculi materialitas, aut corruptio, ita quoque ex hoc quod per læsam semel imaginationem offerri amplius nõ possit intellectui quasi liber sensibiliũ, atque ita impediatur in suis quãtumuis intellectualibus operationibus malè arguitur easdem esse organicas, & corruptibiles, aut aliam habere ab organo corporeo pendentiam, quam ratione phantasiæ, qua ad intelligendũ excitari debet; cuius euidens signum est, quod nemo delirat, aut deficit, aut in intelligendo impeditur, nisi cum in ipsa imaginatione vitium, & defectus aliquis inest. Vnde etiam quemadmodum si nunquam læderetur, aut impediretur ipsamet potentia imaginatiua, nisi impeditis sẽsibus externis, non posset inde colligi, quod esset organica, aut corporea per seipsam. At quia sæpe numero integerrimis sẽsibus videmus nonnullos delirare, aut insanire, propterea rectè intelligimus imaginatiuam organa aliqua sibi propria habere, & per se ipsam organicã esse: sic euidenti in contrarium docente experientia, quod nullus homo impediatur in functionibus intellectiuis, nisi cum vitiatur, aut læditur imaginatiua; indè manifestè sequitur intellectum per se non esse organicum, & si per se organicus non est, eum esse spiritualem, & per consequens animã humanam, cuius est potentia.

Ad secundam probationem respõdetur negando mentem in intelligendo defatigari, sed tantùm imaginando & sentiendo, quia spiritus animales exhauriuntur: rem autem ita se habere clarè patet ex dictis supra, docetque Aristoteles lib. 3. de anima tex. 7. cap. 5. quia quo nobilius intelligibile anima intelligit, & contemplatur, eo est aptior ad alia obiecta intelligenda; hæc sunt eius verba; *Porro non esse similem impatibilitatem sensitiui, & intellectiui, perspicuum est in sensorijs, & in sensu; nam sensus non potest sentire post vehemens sensibile: (vt sonum post magnos sonos, nec post vehementes odores, vel colores videre, vel olfacere:) sed intellectus cum intellexerit aliquid valde intelligibile, nihilominus intelligit inferiora, imo etiam magis, quia sensitiuum non est sine corpore: intellectus autem est sepa-*

separabilis; & in lib. 1. cap. 5. tex. 64. & 65. vbi postquam locutus est de operationibus animæ, quæ nonnisi per corpus fiunt, ideoque notauit non tam propriè animam, quam hominem anima illa operari, aliter de intellectu discurrit: ibi v deri potest vna cum Diui Thomæ commentarijs, qui lib. 3. lect. 7. expresse ait: *solùm debilitatur intellectus ex læsione alicuius organi corporalis indirectè, in quantum ad eius operationem requiritur operatio sensus habentis organum, &c.*

Ad tertiam respondent aliqui, humanorum ingeniorum varietatem oriri ex diuersitate, aut inæqualitate humanarum animarum in perfectione, eamq; sequi varias dispositiones corporum, quibus à Deo creatæ infunduntur: cum enim anima humana à Deo non creetur, nisi secundum exigentiam corporis organizationem habentis humanam; pari iure iuxta maiorem, vel minorem talis organizationis perfectionem, exigetur à corpore anima substantialiter melior, aut deterior. Hæc quæstio à Philosophis tractari solet, & vtrauis eius pars asseratur, ad præsentem controuersiam non spectat, cum admissa, vel non, præfata diuersitate, neutra dubitet de animæ humanæ spiritualitate: At quia communior, ac verior sententia talem negat animarum humanarum inæqualitatem, respondetur facilè totum illud ingeniorum, quod in hominibus reperitur discrimen, non in ipsa animę, & facultatum spiritualium ab ea dimanantium, sed imaginationis, dispositionumque indiuidualium diuersitate positum esse. Cuius euidens signum est, ac argumentum, quod attenta solum tali diuersitate videmus vnum, & eumdem hominem modo melius, ac perfectius, modo autem peius, ac imperfectius discurrere.

Tandem ad quartam probationem patet ex dictis supra eius falsitas, eamque fusius ostendit Ioannes Bagotius Apologetici fidei parte posteriore, lib. 1. disp. 3. Vbi primum refellit Pythagoricam animarum transmigrationem, quatenus Pythagoras, & ex eo Plutarchus *in Gryllo, & Porphyrio lib. 3. de abstin.* alijque nonnulli Philosophi in illa fundare potuerunt impiam hãc de animæ bestiarum, & hominũ ęqualitate opinionem. Cum enim illi animos hominum immortales esse faterentur, vndè autem in corpus venirent, aut quò ab eius vinculis soluti abirent, fidei diuinæ luce carentes non intelligerent; & aliquid de diuina iustitia prauis hominibus, post hanc vitam vitiosè transactam pænas inferente, bonosque, & qui sanctè vixerant præmia donante, vel obaudiuissent aliquid, vel certè ipsa natura magistra didicissent, persuaserunt sibi illam in varia corpora transmigrationem animorum, eosdemve nunc in humano, nunc in belluino corpore existere; & consequenter omnes bestiarum animas esse rationales arbitrati sunt, ita vt quod sus, aut asinus non tam ingeniosè, & subtiliter operetur, quam homo, id non ex animorum, sed corporum differentia oriatur; quemadmodum nos fatemur omnium hominum animos esse rationales, cum tamẽ ob defectum organorum nonnulli stupidi, & amentes nascantur.

Secundò aduersariorum rationes, quibus nullum inter hominem, & bruta animantia discrimen esse volunt, aut ea ratione vti, futiles esse demonstrat, & plerasque in eos retorquet; præsertim quod in bestijs nihil reperitur, vndè eas rationis vsum habere probant, quod non reperiatur in infantibus, stultis, alijsque amentibus, quos certum est rationis vsu carere: indè enim, quæ in brutis ratiocinandi argumenta esse, contendunt isti pecudum patroni, nihil probare manifestè constat. Tertiò demum profert principia certissima, quibus vni homini propria ratio vindicatur, quod nimirum non ex instinctu naturali, aut necessario, vt bestiæ, sed ex ratiocinatio-

natione, & liberè operentur.

Quamuis autem accedenti ad Deum, veramque Religionem quærenti, certa prius de immortalitate animæ pesuasio, sit optima dispositio, vt diximus supra, si quem nihilominus rationes adductæ, vel similes non conuincerent, aut ab eo non penetrarentur, non propterea solueretur ab onere illam credẽdi, veramque religionem amplectendi; sed sicut alia plura, etiam non intellecta, & demonstrata, vt Incarnationis, & Trinitatis mysteria, promptè per fidem citra omne examen, ita quoque istam de immortalitate animæ veritatem, quam fides etiam docet, accipere deberet, & ad hoc induci propositis motiuis, & signis, quibus veram fidem, aut à se reuelatam religionem Deus communire, illamque hominibus sua ineffabili prouidentia inuenibilem reddere voluit.

CAPVT VI.

Breuiter explicantur in genere præcipua veræ religionis officia, seu munera.

SVpposita vnius veri Dei, nec non veræ, qua coli debeat religionis existentia, quodque ab ea quærenda, & amplectenda retardari nequeant homines defectu diuinæ prouidentiæ, quasi Deum nostra, vt aiunt Epicurei, nõ curãtem nos etiam curare non teneamur: aut quod vera à nobis inueniri nõ possit religio, attenta quam docent Academici veritatis inueniendæ impossibilitate; aut quod denique anima nostra sit mortalis eumdem cum bestijs exitũ habitura, vt sufficienter huc vsque refellimus; nunc breuiter explicanda sunt veræ religionis officia, seu munera, per ea intelligendo res illas, quas in honorem, & cultum Dei præscribit. Quia autem religio dupliciter sumi potest, primo pro virtute speciali diuersa ab alijs, quæ non Theologica, sed moralis dicitur. Secundò, pro disciplina quadam complectente varias virtutes, quæ eam componunt, & consequenter multa præcepta de virtutibus illis; licet hic sermo potissimum sit de illa secundo modo considerata, quo interdum dicitur aliam esse religionem Iudaicam, aliam Christianam, aliam veram, aliam falsam; nihilominus cum appellari non possit, nisi quatenus habet, virtutem religionis, quæ eo ipso, quod est virtus, falsa esse non potest, nec consequenter illa disciplina viuendi, in qua reperitur, aut quæ complectitur omnia præcepta, & documenta ab illa præscripta, siue eliciтiuè, siue imperatiuè; indè necessariò sequitur notitiam religionis secundo modo sumptæ pendere à notitia eiusdem, si primo consideretur modo, seu vt est virtus specialis, propterea que primum ab ista, veluti à forma deducenda esse omnia officia, vel munera, quibus religiosè colitur Deus; tùm verò illam religionem, seu religiosè viuendi disciplinam esse veram, cæterisque præferendam, in qua præfata reperientur officia, falsam verò, cui ea non conuenient.

Cum ergo in virtute religionis duo potissimum considerari possint, abstrahendo nunc à multis quæstionibus, quæ circa illa solent excitari, vt potè ad præsens institutum parum referentibus, nimirum Deus cui cultus debetur, & exhibetur, vnde dicitur à religione respici, tanquam obiectum cui; tùm cultus ipse, qui se habet ad illam per modum materiæ, & obiecti quod, non quasi actus, quo Deus colitur, ipsum Deum attingat, sicut cum credimus Deo, credendum Deum attingimus, alias virtus religionis à Theologicis nõ distingueretur, sed in quantum actus quidam, quibus Deus colitur in eius reuerentiam, & honorem fiunt; propterea penes ista duo præcipuè pensanda sunt omnia veræ religionis officia; duasque in classes possunt distribui. Prima complectitur omnia illa documenta vel præcepta, quibus benè sentire de Deo, ac diuinis docemur, & tenemur, ita vt illa religio, seu disciplina religio-

sè viuendi censenda sit vera, cæterisq; anteponenda, quæ benè in omnibus de Deo sentire docet, ac iubet; cum enim specialissimus honor, & seruitus, quæ latria vocatur, in tantum soli Deo per virtutem religionis exhiberi debeat, in quantum ipse specialissimam, & singularem habet excellentiam, qua omnia in infinitum transcendit, manifestè patet ibi solùm huiusmodi cultum esse quærendum, vbi par Deo fuerit existimatio, sique talis fuerit illa, quam habet Christiana disciplina ab Ecclesia Catholica Romana tradita, nullum ab ea amplectenda rationabiliter excusare se posse, qui semel admiserit vnum Deũ esse, illumque esse colendum. Nam etsi obiectum formale religionis non sit ipsa digna Deo existimatio, sed potius, vt statim dicemus illa æqualitas, quam ponit cultus Dei inter creaturam colentem, & ipsum Deum, quem colit, dictam tamen existimationem, quæ fit per actum intellectus, præsupponi ad actum religionis debere certum est; siquidem ad hoc vt voluntas debitum Deo cultum exhibeat, necesse est quod præconceptam habeat Deitatis excellentiam.

Ad secundam classem pertinent res omnes, quæ Deo offeruntur, vel subijciuntur per actum cultus honoris; cum enim virtus religionis, sicut & cæteræ, duplex habeat obiectum vnum, formale, alterum materiale; formaleque consistat in illa imperfecta æqualitate, quã ponit cultus Dei inter creaturam colentem, & ipsum Deum, quem colit, quatenus per illam reddit honorem, quem potest in solutionem debiti, quod incurrit per beneficium creationis, & alia quę ad illud consequuntur, subijciendo creaturam ipsi Deo; partes siquidem potentiales iustitiæ, cuiusmodi sunt religio in ordine ad Deum, pietas in ordine ad parentes, obseruantia in ordine ad superiores, & excellentes personas, quamuis in hoc à iustitia deficiãt, quod perfectam non reddant, sed imperfectã æqualitatem; attamen sicut iustitia perfecta habet pro obiecto formali perfectam ęqualitatem ponere, ita imperfecta debet pro eodem obiecto habere imperfectam æqualitatem, quia per hoc essentialiter differt à iustitia perfecta, idemque est formale distinctiuum, & constitutiuum: & sicut pietas respicit eamdem æqualitatem imperfectam respectu parentum tanquam suum obiectum formale, sic religio respectu Dei, cultum ei debitum exhibendo, in protestationem supremæ ipsius excellentię, cui per talem cultum subijcimur, sed non quantum debet: Cum, inquam, talis subiectio, in qua consistit dicta imperfecta æqualitas, illa sit, quam intendit virtus religionis, & actus eius, ab eaque tanquam à ratione formali obiectiua specificentur, indè patet obiectũ eius materiale debere esse res omnes, quę Deo offeruntur, vel subijciuntur mediante eadem virtute, cum in qualibet virtute, illud dicatur obiectum materiale, quod est materia circa quam exercentur cuiuslibet actus, huiusmodi sunt corpus, vel anima, intellectus, vel voluntas secundum diuersos actus, quos habent interiores, & exteriores. Quę ergo disciplina perfectius hæc omnia subijciet Deo, pręclarioraque illi seruiendi pręcepta, & institutiones tradet, illa sine dubio pro vera tenenda erit religione; talem autem esse Christianam, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, satis patet ex dictis supra sect. 2. cap. 16. clariusque adhuc constabit, cui adamussim placuerit discurrere per singula doctrinæ capita, quam tùm de interna, tum de externa Sanctitate præscribit, ex diuinitus per fidem reuelatis, cuius mox necessitatem in religione vera ostendemus, demonstrata prius in sequenti capite luminis naturalis ad illam insufficientia, vnde sit.

CA-

CAPVT VII.

Quod ratio naturalis, vel solum Philosophiæ magisterium sit insufficiens ad fundandam veræ religionis disciplinam.

SCio intellectum, rationem, & ingenium pręclara quidem esse Dei munera hominibus facta, multumque posse deseruire, dummodo superbi non fuerint, vna cum assiduo scientiarum naturalium studio, vt plura, quę ad fidem, tanquam pręambula spectant, facilius capi posint, ea tamen ad fundandam veræ religionis disciplinam haud sufficere constanter affirmo, docentesque oppositum breuiter hic refellendos suscipio. Tales olim fuere Philosophi Ethnici, qui vt ait Paulus 1. Corinth. 11. sapientiam quęrebant, hoc est non aliam, quam quę per naturalem rationem haberi potest de Deo, rebusque sacris notitiam admittendam iudicabant; indeque ridebant Moysem, quod diceret quidem multa, sed probaret nihil; tùm Christianorum ipsorum simplicitatem iu credendo; sic enim eos allocutus inter cęteros Iulianus Apostata apud S. Gregorium Nazianzenum orat. 1. quæ est aduersus illum, ait: *Nostri sunt sermones, & nostrum gręcari, vt potè quorum etiam sit Deos venerari; vestra autem est infantia, & rusticitas, nec aliud quidquam quam crede, Sapientiæ vestræ est*: Quo nunc etiam vtinam plures non irent rationis naturalis amatores, & exaltatores nimis, dũ ad eius normam omnia exigere videntur; cuius tamen nos insufficientiam ad religionis fundandam doctrinam sequentibus ostendemus argumentis, nisi superiori fidei lumini perfectè subiecta reddatur.

Primum sic efformatur. Doctrina verę religionis illa esse non potest, quę circa necessaria, & quasi essentialia illius maximè deficit, & errat: at huiusmodi est omnis doctrina solùm fundata in ratione naturali, aut Philosophorum scholis, illa igitur nequit esse certa, sufficiensque regula verę religionis instituendę. Maior huius argumenti est certa; ad probationem autem minoris, omissa illa, quę desumi posset ex peccato originali, quod nos Catholici per fidem credimus esse causam, & originẽ omnium ferè calamitatum, quibus obnoxij sunt homines, per ignorantiam in mente, per malitiam in voluntate, per concupiscentiam in appetitu concupiscibili, per infirmitatem in irascibili, quæ sunt quatuor pręcipua naturę lapsæ vulnera; proferam primùm in medium nonnulla Philosophorum testimonia, quibus eiusdem miserias ita deflent, vt vel de natura tanquam nouerca querantur, vel per has miserias puniri peccata animarum in alia vita commissa suspicentur; tùm adducam pręcipuos eorumdem errores, quos in materia religionis turpissimè commiserunt. Etsi enim, vt ait D. Augustinus *lib. 4. in Iulian. cap. 12. & seqq.* causam ignorauerint, peccato siquidem originali ex eodem *de moribus Ecclesiæ cap. 22 nihil ad intelligendum secretius*, ideoque *lib. de peccato originali cap. 24.* illud cum Apostolo inter pręcipuos fidei nostrę articulos recenset: *In causa*, inquit, *duorum hominum, quorum per vnum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Christiana consistit*; rem tamen viderunt, cùm pręfato peccato, quo ad eius, quos experimur effectus, *nihil sit ad prædicandum notius*.

Homerus igitur apud Theodoretũ *lib. 5. de Græcar. affect. curat.* imbecillem, ærumnosumque hominem appellat. Teognis Siculus ibidem ita exclamat,

Optima non nasci res est mortalibus ægris,
Nec Solis radios cernere luminibus.
Aut vbi natus homo est, propere vt descendat ad orcum.

Solonem pręterea, qui leges Atheniensibus tulit, testis est Herodotus Crœso Regi dixisse:

O Cræse homo est quædam grauis calamitas.

Tullius in Hortensio, quem refert D. Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 15. cum multa quæ videmus, & gemimus de hominum vanitate, & infelicitate dixisset, inde colligit, verũ esse illud, quod est apud Aristotelem, *sic nostras animas cum corporibus copulatas, vt viuos cum mortuis esse coniunctos.* & lib. 3. de Republica ait: *hominem non vt à matre, sed vt a nouerca natura editum in vitam, corpore, & nudo, & fragili, & infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tanquam obtutus quidam diuinus ignis ingenij, & mentis.*

Seneca, cum prius innata Philosophis superbia *epist.* 94. scripsisset, *nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros, ac liberos genuit*; postea lib. 3. quæst. natural. cap. 3. ait: *Cito nequitia subrepit, virtus difficilis inuenta est.* Principij tandem loco traditum est à cunctis, humanam rationem se habere ad Deum, & diuina, sicut noctuam ad lumen Solis. Vnde re ita se habente circa naturam humanam ex his, & alijs similibus Philosophorum dictis, manifestè patet in eiusduntaxat lumine, vel ductu, nequaquã fundari posse veræ religionis disciplinam; quod adhuc clarius constabit consideranti factum ipsum, hoc est, innumeros propèmodum errores, in quos ipsimet humanæ Sapiẽtiæ proceres impiè prolapsi sunt; naturæ enim deficientis, & ad veram consequenter religionem insufficientis efficacius argumentum videtur haberi non posse.

Quocirca incipiendo à Deo, & diuinis, quæ sunt materia necessaria religionis, ex omnium religionem aliquam profitentium consensu, & ex ipsamet eius natura, quæ primitus in Dei cultum dirigitur, certè si plures Philosophi, solo affulgente lumine naturali, Deum esse cognouerunt, non defuerunt alij, qui illum multiplicarunt, & à quibus, vt ait Diuus Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei cap. 23. *cum felicitate colebantur, & pauor, & pallor, & febris, & cætera non numina colendorum, sed crimina colentium*: vndè ex eodem Diuo Augustino ibid. lib. 18 cap. 41. *etsi ab illis aliqua vera dicebantur, eadem licentia dicebantur, & falsa, prorsus vt non frustra talis ciuitas mysticum vocabulum Babylonis acceperit.*

Qui insuper de vnitate Dei benè senserunt, quanta ab eius natura, & attributis aliena simul docuerint, testis sit omni exceptione maior Tullius lib. 1. de natura Deorum. *Cum multæ res*, inquit, *in Philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sint, tum perdifficilis, Brute (quod minimè ignoras) & perobscura quæstio est de natura Deorum, quæ & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variæ sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiæ, vt magno argumento esse debeat, causam, id est, principium Philosophiæ esse scientiam, prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse*: moxque proditis Philosophorum pugnantibus placitis, Deos negantium, Deos ponentium, prouidentiam affirmantium, & tollentium, de figura, de loco, de sedibus, de actione, vel otio Deorum, subdit, *quorum opiniones cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profectò potest, vt earum nulla, alterum certè non potest, vt plus vna vera sit.* Ecce quid comparatum est, teste Tullio, tot sęculorũ laboribus, & quo peruenerat vsque naturalis summorum virorum de Deo, & diuinis inuestigatio. Adeo verum est Philosophiam haud esse instructam sufficientibus præsidijs ad notitiã Dei, diuinarumque rerum tradendam; siue quod idem est, Deum quidem esse, aliaque nonnulla de illo per ipsam in communi demonstrari posse, nequaquam autem omnia, quæ ad veræ religionis institutionem sunt de illo scitu necessaria, sed in illis ipsum esse audien-

diendum, & accipienda, quæ dicit per modum fidei, tanquam ab eo dicta, quem falli repugnat, vel fallere. Si enim absque vllo fidei diuinę subsidio, ad omnes saltem veritates de Deo naturaliter cognoscibiles, iter tutum, & ab erroris periculo securum Philosophia præberet, cur Philosophi illud ignorarunt, aut dissimularunt? cur cũ populis religiones, aut potius ineptas superstitiones, & plerosque ritus sacrilegos communes habuerunt? cur vt dicebamus supra, tam ingenuè fassi sunt humanam rationem se habere ad Deum, & diuina, sicut noctuam ad lumen *Solis*?

His ita se habentibus in hac parte, quæ magis speculatiua est, seu veritates, & dogmata religionis continet; iam examinemus, vtrum in alia, quæ ad virtutes, morumque probitatem spectat, feliciores fuerint Philosophi? nequaquam; vt enim impiam duxerunt vitam, ita quoque doctrinam sceleribus refertam tradiderunt: nonnulla retulimus tom. 1. lib. 2. sect. 5. cap. 9. & seq. nec non supra sect. 2. cap. 16. & seq. Præcipua sunt contra castitatem, veneri etiam nefandæ habenas laxando; contra humanitatem, existimando licitum esse, aut abortus procurare, aut recens natos infantes occidere, aut exponere, vel fame enecandos, vel aliena misericordia excipiendos; nec non etiam violentas manus, aut quoquo alio modo sibi mortem inferre; contra debitum Deo cultum, iubendo religiones patrias quæcumque tandem essent obseruari, palam etiam negato, quem verum sciremus, & agnosceremus esse Deum, vbi proprij commodi lex ita præscriberet: de quibus, & alijs similibus erroribus inter alios cõsuli possunt Tertullianus in Apologet. cap. 39. & lib. de anima cap. 54. Lactantius lib. 3. cap. 20. & 21. Diuus Augustinus lib. 1. de ciuitate Dei c. 17. & seq. Theodoretus de Græcar. affect. curat. præsertim lib. 5. & alij plures.

Vera igitur religio, totaque eius disciplina, & institutio cum in id spectet, ex dictis superiori capite, vt primo benè sentiatur de Deo; secundò, vt ei præstetur cultus optimus, qualis est latria, ita vt ei soli & non alteri, ille deferatur, alioqui non esset optimus, nec vt excellentissimo, ac proindè singulari tribueretur; 3. vt ille sit castissimus, seu fiat ex mente pura ab omni sordevitiorum, 4. sit sanctissimus, & ex sua natura firmissimus, & inuiolabilis, factus ex mente omnino incorrupta. 5. sit ex mente integra, & plenissimus iustitiæ: 6. adhibeatur etiam vox, seu externus cultus, & reuerentia; adeo vt nulla sit hominis, vitæque eius pars, quam religio non exornet virtutibus veris, siue perfectis, quales sunt illæ solæ, quæ in Deum referuntur, & ex aliquo erga Deũ amoris affectu fiunt. Quis veram eius formam quærat? vbi contraria prorsus docentur; cuiusmodi Philosophorum scholas esse, in quibus sola præsidet ratio naturalis, quæ huc vsque diximus ad probationẽ minoris huius primi argumenti, sufficienter demonstrare videntur.

Vndè quod aliqui dicunt, in natura esse insitam religionem, ac proindè eius officia à ratione sola definiri posse, sique Philosophi in hoc errauerunt prouenisse ex malo eius vsu, hoc tantum probat, neminem esse, quoquo tandem modo id fiat, qui aliqualem Dei notitiam non habeat, nesciatque Deum, seu diuinum aliquod numen colere se debere, vt satis in superioribus ostendimus; at non indè consequitur hanc solam Dei, aut religionis confusam admodum notitiam satis esse ad omnes iustitiæ aduersus Deum partes cognoscendas, & errores omnes qui in religione committi possunt emendandos; cuius nos causam, nec non etiam eiusdem confusæ duntaxat rerum diuinarum notitiæ pro pręsenti statu, refundimus in peccatum originale, ita per fidem instructi, quo licet naturalis hominis ratio extincta prorsus non fuerit, obscurata nihilominus

minus taliter fuit, vt absque fide, qua Dei simus discipuli, non possit non subiacere multis erroribus tum speculatiuis, tum practicis. A posteriori autem id colligimus ex facto ipso, quo vt vidimus constat, quid tot sæculis effectum fuit naturali indagine à summis ingenijs, indè enim liquidò sumitur, quæ pro rationis naturalis sufficientia ad veram religionem obijci possunt, esse suspecta, esse fallacia, nec per eam haberi posse cognitionẽ certissimam, indubitatam, exactam, & constantem, qualem ad religionem requiri statim ostendemus. Non propterea tamen hæc qualiscumque Dei, ac religionis notitia, quam hominibus cum natura ipsa à Deo donatam, & insitam fuisse concedimus, frustranea, aut inutilis censenda est, siquidem vocatio quædam, & significatio dici potest, qua à Deo homo excitatur, & mouetur, vt ipsum quærat. Quis enim Deum existere, seque ei quadam iuris communione sociatum intelligat, & statim non apprehendat se Dei eiusdẽ imperijs, & præceptis parere, nec nõ illa diligenter inquirere debere, sique in hoc negligens fuerit, impietatis, & iniustitiæ reum esse? Quo semel admisso, necessario fatendum est, eum saltem dubitaturum, an non Deus aliqua reuelarit, & dixerit, quæ ad sui cultum ab hominibus sciri, & obseruari velit? Quod sufficit nobis in præsenti, nondum enim de hoc agimus, quæ doctrina admittenda veniat, & quæ reipsa sit diuinitus reuelata, an Christiana, an verò alia? sed tantùm asserimus insufficientiam naturalis rationis, ad omnia veræ religionis officia, vt indè qui religionem aliquã colunt ex animo, facilius disponantur ad fatendam in illa diuinæ fidei necessitatẽ, quam in sequenti capite demonstrabimus, tum illam reperiri solùm in religione Christiana, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, si illa sola, & nulla alia omnes habet diuinæ fidei, doctrinæve è cælo delapsæ notas, & argumenta, qua homines in sui cultu Deus instruere voluit, suamque formari religionem.

Alterum argumentum pro insufficientia naturalis inuestigationis ad veram religionem fundatur in examine aliquarum veritatum illam maximè necessariarum; in quibus tamen deficit, ac impar est; talis potissimum est ea de vltimo fine, & hominis beatitudine, circa quam vt prudenter, & benè voluntas feratur tria cum requirantur certa: *primò* vt distinctè, & in particulari cognoscatur, in quo sit posita: & non tantùm quod in hac, aut illa re indeterminata, sed in qua ea consistat, ita vt in nulla alia re quæri debeat: quomodo enim voluntas determinatè tendet, & tota feretur in bonum indefinitum, & indeterminatum. *Secundò* quod illa de vera beatitudine sententia, seu notitia sit ex natura sua certissima; adeo vt nihil homo in hac vita infallibilius teneat, quam quod sit in particulari bonum illud, quod tanquam vltimum finem, ac beatitudinem velle, & prosequi debet. *Tertiò*, quod certissimè etiã sciat, si qua sint media ad illius consecutionem penitus necessaria, aut ex natura rei, aut ex Dei beneplacito. Cum, inquam, in vera religione circa hominis beatitudinem res ita se habeat; & tamen Philosophi summam de illa habuerint ignorantiam, quantumuis post assiduos labores, & vigilias; ita vt nullibi forsan ineptius, ac stultius delyrarint; nonne possumus dicere hunc in finem, inter alia sapientissimum Deum id permisisse, vt nobis demum constaret imparem esse prorsus inquisitionem naturalem solam ad veram religionem fundandam, nam in tota doctrina religionis post Deum nihil est scitu dignius, aut magis necessariũ ex natura rerum, quam verus hominis finis, quem solùm in Deo viso, vel cũ eo connexis situm esse, ni diuina fides certissimè nos doceret, suoque lumine in hoc & alijs misericors Deus nobis sub-

ſubueniſſet, quod fuit Philoſophis, nobis quoque eſſet, quæſitique, quid demum ſperaremus, aut quæreremus, quove tenderemus noſtris officijs, vel ignari non aliud reſponderemus, quam nos neſcire: vel ineptiremus cum Philoſophis non finem, aut beatitudinem pro beatitudine aſſignando; à quo vtroque abſurdo ſicut per diuinæ fidei doctrinam liberamur, ita quoque fœlicem in alijs rebus ſummis, & ad religionem neceſſarijs exitum inuenimus, vbi ratio naturalis ſibi relicta inextricabiliter implicatur.

Vltimò tandem noſtrum probabunt intentum, omnes quæ ſequenti capite adducentur rationes pro diuinæ fidei in negotio religionis neceſſitate, indè enim manifeſtè ſequitur doctrinam illius eſſe non poſſe merum naturalis rationis, aut diſcurſus inuentum.

CAPVT VIII.

De neceſſitate diuinæ fidei in Religione vera.

STante quam ſuperiori capite oſtendimus rationis naturalis inſufficiẽtia ad veram religionem, quodque ex alio capite, vera detur religio, eaque inuenibilis, qua Deus, vt par eſt, coli debeat, nemo non videt ad illam requiri doctrinam aliquam ſuperiorem diuinitus traditam; quæ quia ſi ſemel datur, vt ſit ſalutaris, & eo quo conuenit modo recipiatur ab hominibus, neceſſario credenda eſt per fidem diuinam, hoc eſt quæ Deum ipſum reuelantem, eiuſque authoritatem, & veracitatem tanquam motiuum, & obiectum formale habeat; inde duplicem veluti neceſsitatem diuinæ fidei in vera religione diſtinguere poſſumus, vnam obiectiuam, quatenus per illam reuelantur nobis obiecta ad veram religionem neceſſaria, alteram ſubiectiuam, quatenus per eamdem talibus obiectis certum præbemus aſſenſum, non autem ex aliquo motiuo humano; & vtroque modo nos Catholici Romani aſſerimus neceſſariam eſſe in vera Religione diuinam fidem, ſeu doctrinam diuinitus reuelatam, per eam creditam, illamque de facto reperiri in Religione Chriſtiana, quam profitemur; quod etſi ita eſſe de facto ratione naturali demonſtrari non poſſit, nec id etiam intendimus; diuinam tamen fidem eſſe poſſibilem nemo negare poteſt: quia Deus homini poteſt aliquid reuelare, & hominem docere; ex eo autem, quod fides diuina ſit poſſibilis, nulluſque ſit adeo inſanus, vt neget Deo habendam eſſe fidem, ſi conſtet eum aliquid reuelaſſe, & confirmaſſe, inde ſequitur eſſe poſſibilem ſuperiorem aliquam doctrinam è cęlo delapſam per fidem credendam, quæ omnem humanam rationem fallacem corrigere, aut vbi ea deficit ipſius defectum ſupplere poſſit; poſtquam igitur ſuperiori capite probauimus humanæ rationis in negotio religionis deficientiam, nunc intellectui benè diſpoſito perſuadere conabimur in illo diuinæ fidei neceſſitatem, nec non exiſtentiam; Deo non deficiente in re tanti momenti; in præſenti enim cum Epicuro Dei prouidentiam negante non contendimus, qui in ſuperioribus expugnatus eſt, ſed cum illis agimus, qui religionem aliquam colunt ex animo, quibuſque proindè in confeſſo ſit, neceſſariam eſſe certam, & exploratam de diuina prouidentia ſententiam, quodque illa ſicut non abundat in ſuperfluis, ita nec deeſt in neceſſarijs, ſed attingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

Cum autem obiecta ad veram religionem ſpectãtia, qualis eſt Chriſtiana, quam Eccleſia Catholica Romana profitetur, quamque Philoſopho, aut cuilibet alteri Dei exiſtentiam, & vnitatem, nec non eum religiosè colendi obligationem iam admittenti ſuadere intendimus, ſint in duplici differentia, alia nimirum ſupernaturalia v. g. myſteria Trinitatis, Dominicæ Incarnationis, & ſimilia omnem prorſus humanæ rationis capacitatem tranſcẽdentia, alia verò natu-

naturalia, quia eam absolutè non excedunt, de istis nunc agimus, respectu quorum probata semel in vera religione diuinæ reuelationis necessitate, illam à fortiori tenebuntur aduersarij fateri respectu primorum, vbi semel illa admiserint ita persuasi, aut solutis eorum in contrarium argumentis, ea enim quę sunt religionis, & fidei, satis est, si defendi queant, licet demonstrari nequeant; vel etiam propositis motiuis,& argumentis, quibus redditur euidenter credibile, illa fuisse à Deo reuelata; vt suo loco supra iam diximus, & iterum in fine huius sectionis dicetur.

Igitur Sanctus Thomas 2. 2. qu.2. art.3. & 4. propositæ quæstioni satisfaciens, vtrum scilicet credere aliquid supra rationem naturalem sit necessarium ad salutem; & iterum vtrum credere ea, ad quæ ratio naturalis peruenire potest, sit necessarium, respondet affirmatiuè quo ad vtramque partem, secundumq; sic probat: *Dicendum quod necessarium est homini accipere per modum fidei non solùm ea, quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per ratione͂ cognosci possunt: & hoc propter tria. Primo quidem, vt citius homo ad veritatis diuinæ cognitionem perueniat; scientia enim ad quam pertinet probare Deum esse,& alia huiusmodi de Deo, vltima hominibus addiscenda proponitur, præsuppositis multis alijs scientijs: & sic non nisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perueniret. Secundo vt cognitio Dei sit communior: multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenij, vel propter alias occupationes, & necessitates temporales vitæ, vel propter torporem addiscendi, qui omnino à Dei cognitione defraudarentur, nisi eis proponerentur diuina per modum fidei. Tertio modo propter certitudinem, ratio enim humana in rebus diuinis est multum deficiens.* Hactenus Angelicus Doctor.

Quod si quis objiciat his eius rationibus, quas tanquam firmamenta nostræ conclusionis adduximus, probari quidem fidem esse necessariam ad religionem, non tamen simpliciter, sed ad melius tantùm esse, nimirum vt citius, communius, & certius illius cognitio proueniat hominibus. Respondetur primò id esse falsum respectu religionis adæquatè sumptæ, cum enim in illa ita considerata plures sint veritates necessariæ, quæ non aliter, quam reuelatæ cognosci possunt, vt potè supernaturales, manifestum est tali suppositione facta, earum reuelationem non tantum ad melius, sed absolutè, simpliciter necessariam esse. Secundo respondetur, id quoque esse falsum respectu illarum veritatum, quæ sub rationem, & intelligentiam nostram naturalem alias cadere possunt; attenta lapsæ, vt vocamus, naturæ conditione, & constitutione, qualem ipsi quoque non Christiani, si non credunt, saltem experiuntur, vt superiori capite sufficienter probauimus; quia licet ad eiusmodi veritates vtcumque attingendas absolutè, & simpliciter doctrina superior, aut reuelata non requiratur, vt ad supernaturales; sed humana sufficiat; nihilominus exigitur, vt religiosè, siue eo quo postulatur modo ad veram religionem, cognoscantur; vndè sic primum pro nostra conclusione argumentum conficio.

Quæ de Deo, & rebus sacris tum speculatiuis, tùm practicis requiritur doctrina, seu persuasio in vera religione, debet esse certissima, omnibus peruia, facilèque inuenibilis, nec non communis quibuslibet hominibus rationis compotibus; sed talis doctrina, seu persuasio simpliciter, & absolutè alia esse non potest, quam fidei diuinæ, illa igitur simpliciter, & absolutè necessaria censenda est in vera religione. Maior probatur quo ad primam partem, quia res maximè necessaria debet maxima cum certitudine cognosci, seu mensura necessitatis rei, debet esse mensura cognitionis certę; adeo vt si quæ res tanquam necessaria cognosci debet, ea cognitionem certam, per quam attingatur exigat: & quo magis res necessaria

est,

est, & vt talis est nosci debet, eo magis certò sit cognoscenda: nihil autem magis necessarium in hac vita esse, aut vt tale concipi potest, quam quæ ad verã pertinent religionem, cum ea sint de Deo primo hominis principio, & vltimo fine, deque medijs ad eius consecutionem necessarijs, & sic de cęteris; quę ergo de illis in vera religione desideratur doctrina, vel persuasio debet esse certissima, siue quod idem est, quæ ad veram religionem spectant cognosci debent cognitione certissima, tamque constanti, quam constantia esse debent, & inuiolabilia obiecta, & officia religionis, quæ per eam cognitionem apprehenduntur, & pręscribuntur, cuiusque vi omnia argumenta fallacia vinci, & contra eorum impetus mens hominis firma, & inconcussa teneri posit: vndè satis probata manet prima pars maioris.

Nunc probatur secunda, quia religio est omnibus necessaria, doctis, indoctis, ingeniosis, stupidioribus, iunioribus, senibus, cum sit disciplina salutis, vt docet Diuus Augustinus lib. de vera religione cap. 1. *Omnis*, inquit, *vitæ bonæ, ac beatæ via in vera religione constituta est, qua vnus Deus colitur, & purgatissima pietate cognoscitur principium naturarum omnium, à quo vniuersitas, & inchoatur, & perficitur, & continetur*: Quę ergo in illa rerum sacrarum cognitio, vel doctrina debet esse certissima, debet quoque esse omnibus peruia, & cõmunis; nullusque id rationabiliter negare potest.

Itaque nunc probanda est minor, soli videlicet fidei, siue doctrinæ per fidem acceptæ competere, quas statim in maiori adduximus conditiones; & primo quod sit certissima, vt potè primæ veritati reuelanti innixa, quæ nec falli, nec fallere potest, nullus nisi insanus negare valet, sicut nec quod sit omnibus rationis compotibus obuia, & communis; At quia hoc libenter concesso, posset quis contendere easdem conditiones alicui alteri cognitioni naturali, etiam in materia religionis, conuenire, ac proindè fidem diuinam in illa absolutè necessariam non esse, nunc pars negatiua nobis est ostendenda, discurrendo per omnia cognitionum naturalium genera, primum experimentalis, secundum scientificæ, & ratiocinationis humanæ, tertium fidei humanæ; semel enim probato nulli ex illis præfatas competere conditiones, probatum quoque manebit eas esse proprias solius fidei diuinæ, quodque consequenter illa sola non solum tuta, verum etiam necessaria sit via ad veritatem in religione recipiendam.

Et primum, quod vbi agitur de religione cognitio experimentalis, non solùm certa esse non posit, sed nec habere locum, patet ex hoc quod res ad illam præcipuè spectantes, v. g. quis sit vltimus hominum finis, quæ vera beatitudo, non cadunt sub eius obiectum; quod sensibus duntaxat percipitur; beatitudo autem hominis non est bonum sensibile, sed est bonum, quo mens ipsa sit beata, per eam igitur haberi non potest certissima in vera religione cognitio; eoque magis quo vera beatitudo non est eiusmodi, vt in hac vita ab homine per experientiam etiam spiritalẽ, quam in alijs mens habet, naturaliter sciri posit: mens enim non experitur bona, aut res nisi sibi realiter pręsentes; dum autem beatitudo quęritur, nec eam esse pręsentem realiter, necdum repertam, manifestum est. Quod insuper iuuenes vix vllam habere posint diuinarum rerum experientiam, satis ostendit cognitionem in ea fundatam communem haud esse quibuslibet.

Fidei etiam humanæ sufficientem non inesse certitudinem probatur, quia vt alicui homini certò credatur debet iste esse testis oculatus, scireque euidenter id quod reuelat, aut proprio experimento, aut certè scientifica noticia; sed cui res ad religionem spectantes docenti crederetur, neutro ex dictis modo illas sciret; non quidem experimento vt statim dixi, nec etiam scientifica

notitia, vt statim dicam; pro illis ergò fidei humanæ certitudo sufficiens inesse non potest.

Cognitionem denique scientificam, siue in scholis fundatam, primum non esse communem omnibus quis non intelligit? *Multi enim*, ex Diuo Thoma superius citato, *in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenij, vel propter alias occupationes, & necessitates temporales vitæ, vel propter torporem addiscendi; qui omnino à Dei cognitione defrauderentur, nisi eis proponerentur diuina per modum fidei*: quæ est omnibus communis, cum in voluntate omnium sit positum reuelata sibi credere, vel non credere; quod egregiè iamdudum docuerat Origenes lib. 1. contra Celsum post initium, vbi inter cætera sic ait: *Quod si fieri non potest, vt omnes mortales cæterarum rerum cura omissa ad philosophandum se conferant, cum ob vitę necessitatem, tum quia & fragiles sunt, & perpauci admodũ Philosophiam attigerunt, quod aliud iter poterit, vel breuius, vel rectius inueniri, vt prodesse multis possimus, quam illud est quod Iesus gentilibus, & tradidit, & demonstrauit?*

Hanc pariter cognitionem carere sufficienti ad veram religionem firmitudine, testes sunt errores, aut dubitationes, quas, vt vidimus superiori capite, Philosophorum Etnicorum etiam doctissimi habuerunt de omnibus ferè rebus, quas in religione certò sciri oportet, non alia certè ratione, nisi quia neglecta diuina fide, vt homines humanis sensibus, & humanis ratiocinationibus illas quæsierunt; vt rectè notauit Diuus Augustinus lib. 19. de ciuitate Dei c. 1. vbi agens in particulari de beatitudine hominis ait, tot tamque diuersa de ea nata fuisse inter Philosophos placita; *Quia videlicet nihil agit, & frustra, aut quà vel quà, vt ad beatitudinem perueniatur humana se porrigit infelicitas, si diuina non ducit authoritas*: Quod idem docet fidelis eius discipulus S. Prosper lib. contra Collat. cap. 26: *Neque*, inquit, *ignotum est, quantum Græciæ Scholæ, quantum Romana eloquentia, & totius mundi inquisitio circa summum bonum acerrimis studijs, excellentissimis ingenijs laborando nihil egerint, nisi vt euanescerent in cogitationibus suis, & obscuraretur cor insipiens eorum, qui ad noscendam veritatem semetipsis ducibus vtebantur*. De quo etiam argumento omnino videndus est Theodoretus lib. 5. de curat. infidelium Grecorum. Quàm igitur omnia prefata cognitionum genera sunt insufficientia ad inuestiganda verę religionis obiecta, & officia, tam fidenter asserenda est in ea necessitas doctrinæ superius reuelatæ, quodque Deus nisi de Deo non cognoscitur; sicut Sol nisi immissa prius ab ipso luce non conspicitur, nam lucem habitat inaccessibilem: ideoque Alcinous Philosophus quondam dixit Deum se habere ad intellectum nostrum, sicuti sol se habet ad oculos corporis.

Altera ratio probans eamdem fidei diuinæ necessitatem in negotio religionis desumitur ex hoc, quod illa sola Deo mentem subijcit: quicumque enim verus Dei cultor est, aut veram habet religionem, is mentem ipsam, seu intellectum virtute religionis instructum, formatumque habere debet: at non aliter, quam per fidem diuinam, mentẽ religione formatam habere potest: quicumque igitur religionem habet, eum fide diuina mentem formatam habere necesse est. Maior huius argumenti patet ex toties dictis, quod religio est iustitia hominis erga Deum, directè ac per se primò respiciens voluntatem, qua vt ipsa primum illi subijcitur perfectissimæ seruitutis affectu, quam latriam vocamus, ita quoque subordinatas sibi reliquas potentias debet eidem subijcere, & hoc pacto religiosas, Deoque consecratas illas efficere; alioqui religio non esset seruitus maxima, nec voluntas religiosa esset serua, seu Deo totaliter mancipata: Quare cum intellectus sit potentia, in quibusdam actibus suis voluntati subordinata, quicũque

que veram habet religionem, is quoque mentem ipsam, seu intellectum virtute religionis formatum, ac per eam Deo subiectum habere debet. Quod autem intellectus non aliter religiosus, seu per voluntatem religiosam Deo subditus, quam per fidem diuinam fieri possit, quæ est minor propositio probanda, colligitur ex eius differentia à cæteris cognitionibus, in hoc quod sit ex sua essentia voluntaria, nec enim opinamur, nec experimur calidum ignem, nec quæcumque intelligentiæ, & rationis vi assequimur euidenter, scire dicimur, quia liberè volumus, sicut credimus liberè, & quia volumus; attento siquidē tali discrimine manifestè sequitur solā fidem esse mentis eius, qui credit subiectionem, siue intellectum respectu fidei diuinæ longè aliter subordinari voluntati religiosæ, quam respectu aliarum cognitionum, quatenus nimirum, vt per voluntatem imperantem Deo seruiat, tenetur Deo reuelanti credere, & fidei diuinæ obsequium, est captiuatio intellectus, seu seruitus, quam ex religionis iustitia homo Deo veraci debet.

Tertia ratio deducitur ex necessitate fidei vt sic, abstrahendo à diuina, & humana; cum enim aduersarij indè potissimum diuinæ fidei necessitatem in negotio religionis negent, quod maximam cordis, & animi leuitatem putent, assentiri alicui obiecto obscurè solum cognito, & quod intellectus noster non potest ratione comprehendere; qua de causa, vt iam notauimus, Christianos ludibrio habent, quod absque vlla ratione, aut euidenti aliquo signo difficillimis, & humanum captum superantibus mysterijs firmiter, & vsque ad vitæ suæ profusionem assentiuntur: ad destruendam huiusmodi falsam persuasionem, fideique diuinæ in rebus ad religionem spectantibus necessitatem ostendendam ex parte saltem obiecti obscurè cogniti, nullum efficacius medium adinuenerunt Sancti Patres, quam probare fidem in vniuersum abstrahendo à Diuina, seu Theologica, esse necessariam; si enim semel infideles ipsi tenentur in multis ad humanam societatem pertinentibus, & alijs assentiri alicui obiecto obscurè cognito, certè non est, cur diuinæ fidei necessitatem improbent, aut Christianos leuitatis arguant, quod huiusmodi veritatibus, quibus ratio humana nullum prorsus experimentum præbet, si sint supernaturales, aut non tale quale ad veram religionem requiritur, etiamsi sint absolutè naturales, indubitatam fidem adhibeant: maximè cum hæc diuinæ Sapientię secreta, ipsa diuina Sapientia, quæ omnia nouit, dignata sit hominibus reuelare, quæ sui præsentiā, & doctrinæ, & inspirationis veritatem conuenientibus argumentis, & signis ostendit, vt supra vidimus.

Præcipui autem SS. Patres, qui huic argumēto feliciter insudarunt, sunt Clemens Alexandr. lib. 2. Stromat. Theodoretus lib. 1. de curat. Gręcan. affect. Augustinus lib. de vtilitate credendi cap. 1. tom. 6. Zeno lib. de fide, Guillelmus Parisiensis tract. de fide aduersus Gentiles, Hugo à S. Victore libro de fide, è quibus subsequentes rationes etiam lumine naturali certissimas desumpsimus.

Primo, quia si fides, vt sic de medio tolleretur, aut necessaria non esset ex parte alicuius obiecti obscurè tantū cogniti, iam omnis ferè aditus scientijs, ac disciplinis obstrueretur: *Si tollis hanc fidem*, inquit Augustinus, *tollis omnem magisterij, disciplinaque rationem*; In scientijs enim subalternis acquirendis, non omnes propositiones demonstrabiles habet demonstratas discipulus, nec eas euidenter nouit. Non igitur habet certitudinem illarum fundatam in euidentia, sed in fide humana, quia videlicet audit Philosophos de cæteris inter se acerrimè contendentes, in ijs tamen suppositionibus vnanimes esse. Insuper pro habendis scientiarum principijs, inductione in rebus sensibilibus, & singularibus facta opus est: pro inductione autem plerumque requiritur fides huma-

humana, quam tradunt historiæ, & testimonia doctorum, eorumve qui id se expertos esse asseuerant. Iam ergo in comparandis scientijs necessaria est aliquando fides ex parte obiecti obscurè cogniti, siue quod præbeatur assensus alicui obiecto, certo quidem certitudine humana, sed tamen obscurè, & ineuidenter cognito. Ita vt si qui sine illa, & magistrorum subsidio vellent per se ipsos sibi scientias humanas acquirere, in stolidissimos certè errores inciderent. Hinc Aristoteles asserit primùm credendum esse vnicuique in propria ipsorum arte, & ante omnia postulat, vt discipulus suo preceptori credat, *Discentem*, inquit, *credere primum oportet*; siquidem vt benè argumentatur Theodoretus loco statim citato: *Nemo vnquam sine fide aliquid potuit addiscere, nam quod talia sint nomina caracterum, & litterarum, A. B. C. demonstrari, aut sciri non potest, sed fide tantùm creditur, & tamen illis velut fundamentis cætera omnia quæ sunt addiscenda nituntur.*

Secundò sublata semel fide, necessitateque illius ex parte obiecti obscurè cogniti, nulla potest esse vera amicitia humana, vt arguit Diuus Augustinus lib. de vtilit. credendi cap. 10. Si quis credere, & credulum esse semper in vitio ponit, nullum ille amicum habere potest; si enim turpe est aliquid credere, aut turpiter facit qui amico credit, aut nihil amico credens, quomodo amicum vel ipsum, vel se appellet. Certè vera & perfecta amicitia humana sita est in mutua beneuolentia, at licet erga eum à quo nondum nos credimus amari, possimus affici aliquo affectu beneuolentiæ, quæ est initium amicitiæ, idque certo, & euidenter per propriam experientiam scire: nequaquam tamen possumus eũ ex amicitia diligere, nisi vt amicum, & nisi redamantem eum existimemus: quod fieri non potest nisi detur locus fidei humanæ, & alicui obiecto obscurè à nobis cognito, siue credito ob authoritatem amici mutuum nobis amorem protestantis.

Tertiò non solum amicitia, sed etiã omnis humana societas rueret nutante semel fide; mercatores enim mutuò nunquam contraherent, cum sibi inuicem prius debeant fidere, & credere; neque tot maris, ac terræ periculis se committerent, nisi lucrum aliquod fide humana ex aliorum videlicet relatione sibi persuaderent: sicut nec agricolæ semen terræ cum tantis laboribus mandarent, nisi maiores prouentus se consecuturos prius crederent; nec etiam infirmus præscriptis medicorum vnquam vteretur, si se per illa valetudinem recuperaturum non arbitraretur: denique, vt ait D. Augustinus libro citato cap. 12 nisi, quod nescitur euidenter, credatur, sitque aliquid fide persuasum, tolleretur pietas, & amor filiorum erga parentes, & vicissim amor parentum erga ipsos. Non enim ratione sciri potest, sed interposita matris authoritate, atque adeo dato loco fidei humanę, de patre creditur: de ipsa verò matre, plerumque nec matri, sed obstetricibus, sed nutricibus, & famulis credendum est. Quod etiam pręclarè docuit Origenes lib. 1. contra Celsum, & Rupertus in 5. Ioannis: *Sine fide*, inquit, *nec infidelis viuit, nam si infidelem percunctari velis, quem patrem, aut quam matrem habuerit, protinus respondet illum, atque illam, si statim requiras, vtrum nouerit quando cõceptus sit, & quando natus, nihil horum se nosse fatebitur, & tamen quod non videt credit: habent etenim infideles fidem, sed vtinam in Deum, nam si haberent, infideles non essent.*

Quam igitur in his, & alijs similibus rebus fidei necessitatem admittere coguntur aduersarij, eam nonnisi insipienter negare possunt in negotio religionis, vbi potissimum debemus esse Dei discipuli, & ideo illi credere cum proprium discipuli officium sit magistro, doctorique credere; vndè rectè pronuntiauit Ireneus lib. 9. cap. 1. *Non aliter discere non poteramus, quæ sunt Dei, nisi Magister noster Verbum existens,*

ftens, homo factus fuisset: vel modo alio consimili reuelationis si Deus isto noluisset vti in tradendis rebus ad veram religionem pertinentibus.

Quarta, & vltima ratio, omissis pluribus alijs, pro necessitate fidei diuinæ in negotio religionis, fundatur in communi persuasione, qua ab omnibus populis, & nationibus talis semper credita fuit necessitas. Primum enim Hebræi gens antiquissima id semper crediderunt, & etiamnum credunt: idem persuasum habent omnes Christiani, qui diuersis temporibus floruerunt in omnibus mundi partibus; in eadem sententia sunt omnes Mahometani. Apud Etnicos, vel Gentiles, in India, in Arabia, in Aegypto, in Gallia, in Gręcia, in Italia, & alibi fuerunt semper aliqui, quibus vt diuinorum mysteriorum cura erat specialiter demandata, ita quoque huiusmodi misterijs diuinam quandam doctrinam contineri existimabatur; cuius innumera possent adduci exempla. Idem clarè confirmat, quod nulla nec gentium sit, vel fuerit tam humanitus instituta religio, quæ oracula & leges Numinum non quæsierit; quarumque Legislatores non asseruerint se etiam suas leges à Dijs accepisse, quod certè non præstitissent, aut dixissent, nisi ipsi, & populi, quibus leges dabant, homines doctrinam aliquam diuinitus accipere arbitrati fuissent. Et quamuis falsum sit, eis leges ab aliquo diuino numine traditas fuisse: tamen earum existimatio nostram sententiam mirum in modum demonstrat, qua in præsenti solùm vniuersè docere volumus aliquam doctrinam diuinitus reuelatam fuisse hominibus necessariam in rebus religionis, quæcumque, qualisve, & vbi illa sit, de quo agetur capite sequenti. Omnes autem illustres legum institutores suas leges in aliquem Deum retulisse sic in historijs legitur, Zoroastrem, qui Bactrianis, Persisque leges dedit, in Horomasim; Trismegistum Aegyptiorum legislatorem in Mercurium: Minoem Cretensium, in Iouem: Charondam Carthaginensium, in Saturnum: Lycurgum Lacedæmoniorũ, in Apollinem: Draconem, & Solonem Atheniensium, in Mineruam: Pompilium Romanorum, in Aegeriam: Zamolxim Scytharum, in Vestam: Mahometum Arabum, in Angelum Gabrielem. Omitto Sybillarum oracula, quibus aliquam doctrinam reuelatam diuinitus fuisse concedunt ipsi Gentiles, indeque magna in veneratione apud ipsos fuisse suo diximus loco tomo 1. lib. 2. sect. 5. cap. 19. vt duplici satisfaciam obiectioni.

Primum enim obijci potest nosmet cum nobis pugnare videri, dum ex vno capite rationis naturalis insufficientiã ad veram religionem asserimus, & ex alio capite tantum illi damus, vt in ista per illam demonstrari possit diuinæ fidei necessitas, quod est aliquid supernaturale, & consequenter superans omnes rationis naturalis vires. Sed respõdemus hæc inter se minimè contraria esse; etsi enim ratio naturalis ad hoc peruenire non valeat, vt demonstrare possit diuinæ fidei in religione necessitatem, quatenus est supernaturalis prę cisè, siue per eam nobis reuelantur plura obiecta supernaturalia; in particulari; id enim non eius infirmitatem, sed summam potius argueret actiuitatem; nihilominus si consideretur eadem fides diuina, quatenus est naturalis saltem obiectiuè, eo quod doctrina per illam tradita potest vtcumque, siue in communi, & confusè cognosci per rationem naturalem, nullum est inconueniens, quod asseratur, imo debet asseri, per eamdem probari posse fidei diuinæ ita consideratæ necessitatem in negotio religionis; cum talis probatio in alio non fundetur, quam in ipsamet rationis naturalis ad diuina exploranda, ac pede inoffenso percurrenda inualetudine, caligine, incertitudine, vt iam probauimus. Vnde etiam nihil videtur esse ipsi rationi naturali repugnantius, quã affirmare, Deum, & diuina esse per ipsã inuestigabilia, expedibilia, & intelligibilia;

bilia; nullusque consequenter non admittet, modo indocilis non sit, par esse, vt de Deo, & diuinis ab ipso Deo instituamur, nunquam alioqui satis profecturi; esseque plenum stultitia, de talibus rebus eas solum admittere, quas naturalis ratio demonstrat; eas autem respuere, quas non demonstrat, nec intelligit.

Secundò obijcitur sufficienter quidem ex huc vsque dictis probatum fuisse, Deum aliquid homini reuelare posse, sed reipsa quicquam reuelasse, non constare: cum multa sint quæ Deus facere potest, quæ tamen nondum fecit, vel facturus est nunquam. Huic obiectioni facilè satisfit; cum enim vera religio, qua Deus colatur, sit necessaria ex dictis, quod etiam admittunt aduersarij, cum quibus modo agimus, sicut & quod Deus circa religionem, & res ad illam necessariò prę sertim spectantes prouidentiam habeat, imo totũ illius, & consequenter disciplinæ salutis nostrę negotium ab illa pendeat maximè, quemadmodum enim ipse noster factor, & author est, finis, & beatitudo nostra, ita ipse nobis ad capessendã religionem, & viam salutis ineundam dux esse debet; Quę huc vsque dicta probauerunt efficaciter diuinæ fidei, seu doctrinę diuinitus reuelatæ necessitatẽ in vera religione, eiusdem in ea conuincunt existentiam.

Quod autem nos Catholici de rebus diuinis, & sacris ita expeditè discurramus, nihil prorsus facit in fauorem sufficientiæ rationis naturalis, contra necessitatem fidei, seu luminis superioris ad illas; cum id solùm à nobis præstetur diuina iam fide illuminatis, eaque magistra, & duce: quamobrem ad completam dictorum intelligentiam recolenda est illa sępius insinuata distinctiò, qua inter obiecta ad religionem pertinentia; alia dicuntur præambula fidei, vt Deum esse, eumque coli debere, iterũm hanc, quã colimus eum, religionem, & hanc, quã credimus religionis doctrinam Deum dedisse, ac tradidisse; alia verò, quæ sunt fidei, cuiusmodi sunt abstrusiora religionis mysteria ad diuinitatem, & eius attributa pertinentia, nec non ad vltimum hominis finem, & media illius assequendi. Insuper diligenter obseruanda est alia, quam docet Diuus Thomas, distinctio rationis antecedentis, & consequentis, 2.2. quæst. 2. art. 10. vbi excitans hanc quæstionem vtrum ratio inductiua ad ea, quæ sunt fidei, minuat meritum fidei? vt illi respondeat, prę mittit rationem esse duplicem, antecedentem vnam, consequentem aliam; vt autem ratio non inde antecedens vocatur, quod tempore antecesserit, sed quod causalitate, quia scilicet ad ea credenda quoquo modo induxit, quæ sunt fidei: consequens hinc illa, quæ ex fide ipsa nata est, estque præstitæ prius fidei aliquo pacto effectus. Ex quo docet Diuus Thomas, rationem antecedentem minuere meritum fidei: consequentem verò signum potius esse meriti maioris: quemadmodum de passione antecedenti, & consequenti decreuerat 1. 2. q. 34. artic. 1. ad 1. Probat primam partem, quia sicut homo actus virtutum moralium exercere debet propter iudicium rationis, & non propter passionem; ita credere ea debet, quæ sunt fidei non propter rationem humanam, sed propter authoritatem diuinam. Probat secundam; quia cum homo promptam habuerit credendi voluntatem, etiamsi ratio deesset, diligit veritatem creditam; ex quo mouetur, vt rationes quoque ad exponendum, & confirmandum excogitet, & eas amplectitur, quas adinuenire valuit: quod est argumentum maioris amoris veritatis creditæ; ac proindè maioris etiam meriti.

Igitur ad præsens institutum, ita nos asseruimus humanam rationem absolutè insufficientem esse ad diuina certè, & distinctè exploranda; tum eorum cognitionem à plerisque addisci non posse, à cæteris nonnisi post multum vitæ tempus, ac post scientias alias comparatas acquiri, indeque humanam

inue-

inuestigationem imparem esse ad religionis disciplinam fundandam, seu veræ religionis quærendæ viam non esse, sed necessariò recurrendum ad doctrinam superiorem diuinitus traditam, & credendam; ita, inquam, hęc & similia asseruimus, vt tamen libenter admittamus, rationem naturalem valere ad præambula fidei, doctrinamque proindè illam, vel cognitionem, vel scientiam, qua illa agnoscenda sunt v.g. Deum esse, ipsum colendum esse, & hanc, quam credimus religionis doctrinam, eum reuelasse, non esse necessario, aut ex se doctrinam religionis nec per religionem, aut fidem primùm accipi necessariò debere, sed qua solum humano modo nota ad fidem inducamur, vel obligemur. Etenim quicumque ad Deo credendum tenetur, aliquam Dei cognitionem præhabeat, necesse est, siue doctus ille sit, siue indoctus; esset namque satis mirabile, si quis ad credendum Deo obligaretur, quem interea, an esset, vel nō esset, prorsus ignoraret: Vt igitur Deū ignorare nequit, qui, sibi ab eo fidem imperari præsentit, ita eiusmodi cognitio, nec non quod illa, quam credimus, religionis doctrina fuerit ab illo tradita, prouenire non potest à secutura fide; sed hoc ratione antecedenti discutiendum est, ratione, inquam, libera, & nondum legibus fidei obstricta: Non enim ad credendum Deo nos tenemur, quia credimus; sed credimus, quia ad credendum obligamur; vnde tam impossibile videtur, obligationem credendi, quæ præstitæ fidei causa, vel conditio præcedens est, ab ipsa fide suam primitus originem habere, quàm applicatio ignis ad comburendum à combustione nascatur: Dicta ergo pręambula fidei, quæ sola necessariò, aut natura sua fidem antecedere videntur, ab ipsa fide vim mouendi non habent, siue quod idem est homo non ab illa, sed quopiam alio ad credendum Deo iam cognito inducitur, & obligatur, quod aliud non est, quam propositio motiuorum, & argumentorum credibilitatis, quibus fit euidenter credibile, absque vlla prorsus specie probabilitatis in contrarium, hanc quam colimus religionem, & hanc, quam credimus, religionis doctrinam à Deo fuisse reuelatam: quæ propositio, vel examen motiuorum, est merum rationis opus.

Quemadmodum autem in dictis fidei pręambulis ratio antecedens locum habet, ita in cæteris eius mysterijs inuiolatè, ac inaudita ratione iam creditis, valere rationem consequentem sufficienter demonstrant, quæ diximus tomo 1. lib. 1. sect. 1. cap. 3. vbi ostendimus, quàm sit necessarium argumentandi munus in sacra doctrina; nec non tomo 4. lib. 3. sect. 8. cap. 1. quod ratio naturalis, disciplinæque Philosophicę in illa fundata sacræ doctrinæ subseruire possint, ac debeant. Quocirca duo inter extrema, quibus Mahometani in negotio religionis omne examen, ac rationem in exilium agunt, alij verò nihil esse credendum asserunt, nisi illius ratio habeatur, media tenenda est via, dicendumque ita Deum voluisse, quod captiuaremus intellectum nostrum in obsequium fidei, credendo nimirum omnibus mysterijs per illam in nostra religione reuelatis propter diuinam authoritatem solam, vt tamen illud esset rationabile, eamdem quippè muniendo præfatis motiuis, vel notis euidentiæ credibilitatis, quibus præuiè ad assensum fidei per rationem iudicaremus illam eo esse dignam, siue doctrinam per illam traditam, esse diuinitus reuelatam. Quod nihil prorsus minuit aut meritū, aut necessitatem fidei, cum talis ratio antecedens non se habeat per modum causæ credendi, aut demonstrandi res per fidem traditas, sed tantum dispositionis, vel inductionis ad illam prudenter, & non temere amplectendam, vt capite sequenti magis explicabitur; Si quis tamen ita affectus esset, vt Deo credere nollet, nisi ob dicta credibili-

tatis motiua, vel ob rationes, quibus veritates fidei semel creditas exponere, & confirmare solemus, non solùm meritum fidei diuinæ perderet, sed nullam talem haberet, fides enim diuina assensum præstat propter diuinã duntaxat authoritatem; vnde illa fides ex parte potentiæ esset ad summum fides humana; licet ex parte obiectorũ cognitorum, vt potè diuinitus reuelatorum, dici posset diuina.

In negotio igitur religionis sciendum est, & credendum ab illius cultoribus: nam doctrina tota veræ religionis, vt diximus supra, necessario reuelari à Deo debuit, ac proindè credenda tota sine examine, sine disputatione, sine controuersia; illud enim Deũ inter, & homines interest, quod vt credamus hominibus, inspiciendum sit nobis, quæ dicant, & qualia, atque ita nonnisi per examen rerum illis creditur, secus autem vbi credendum est Deo, quem constat nec falli, neque fallere posse; sed solum sciendum est prius, quodcumque sit illud sciendi genus, vel modus, Deum esse, tùm aliquam ab eo datam fuisse doctrinã, hinc enim obligatio omnis credendi nascitur, hinc doctrinæ examen remouetur. Et in hoc forma omnis veram religionem quærendi haberi videtur; quam Diuus Paulus docuit 2. ad Timoth. 1. *Scio*, inquit, *cui credidi*; & tenuerunt deinceps magni quique veræ religionis defensores: Clemens lib. 3. recognit. *Ante omnia*, inquit, *fidem Prophetæ omni cum examinatione oportet probari; quem cum cognoueris esse Prophetã, de reliquo cuncta ei credas oportet; nec vltra eum discutere per singula, quæ docet, sed habere firma, & sancta, quę dicit; quę quamuis fide suscipi videantur, ante habita tamen ratione creduntur: cum enim semel ab initio veritas Prophetæ examinata constiterit, reliqua demum fide audienda sunt, & tenenda*.


Idem ad punctum totam de religione controuersiam reducit Clemens Alexandrinus lib. 5. stromat. *Si ergo quærendi causa omnibus modis de medio tollatur, fides firmatur, ac stabilitur. Eis ergo (id est infidelibus) illud proponimus, contra quod dici non potest. Quod Deus est qui dicit, & de vnoquoque eorum, de quibus quæro, traditum adducit in scriptis. Quis est ergo adeo impius, & à Deo alienus, vt Deo non credat, & probationes à Deo postulet tanquam ab hominibus*.

Gregorius quoque Nazianzenus ad eamdem formam alludens orat. 3. sen. 1. aduersus Iulianum, cum eum ita loquentem introduxisset: *Nostri sunt sermones, & nostrum græcari, vtpotè quorum sit etiam Deos colere: vestra autem est infantia, & rusticitas, nec quicquam aliud, quam crede, Sapientiæ vestræ est*. Respondet: *Atqui hoc vt opinor non irriserint, qui apud nos Pythagoræ Philosophiam colunt, quibus illud, ipse dixit, dogmatum omnium primum est, & maximũ, &c. Eodem autem recidit illud, ipse dixit, quo nostrum crede*. Adeo vt in Pythagoræ schola adumbrata fuisse videatur forma veram religionem quærendi, vel suadendi; illud enim in ea tantum erat sciendum, an & quid Pythagoras dixisset; in causa autem religionis hoc vnicum examinandum, an, & quid Deus dixerit; de reliquo responsio concludens est: *ipse dixit*, nec aliud est discutiendum. Quo tamen semel credito, possunt insuper multæ rationes, vel congruentiæ bonæ adinueniri, quibus ipsæmet fidei veritates explicentur & contra impios defendantur, licet enim fides probet nihil, sed credat, plurimum tamen iuuare ad sciendum, factum ipsum reddit manifestissimum, vt aliàs notauimus: videmus enim Christianos doctores nullibi certius definire, subtilius, & altius discurrere, quam in rebus diuinis, iisque ipsis, in quibus haud imparia Philosophorum ingenia nihil efficere valuerunt; vt meritò exclamarit Diuus Augustinus ser. 187. de temp. *O Christiane, qui tibi videris nihil scire, si scias hoc ipsum, quod nescias, nonne plus magis à cæteris videris*

deris scire? Gentilis homo videt lapidem, & Deum putat: Philosophi vident celũ, & putant Deum, &c. Tu verò considera, quantam super istos habeas scientiam: Super illud verò Isaiæ cap. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis*; & illud aliud Psalmi 115. *Credidi propter quod locutus sum*, docuerit epist. 28. intellectum, & intelligentiam rerum fidei solere esse præmium, ac mercedem præstitæ fidei, etiam in hac vita; primoque credendum esse, & mox credendum. Vndè etiam lib. contra Fælicianum Arrianum cap. 2. cum iste hæreticus redargueret Catholicos, quod sic præcepta fidei rudibus tradunt, vt non de intelligẽdarum rerum ratione, sed potius de quadam testimoniorũ ostentatione colloquentibꝰ præscribant, quod rusticum esse aiebat. *Et ideo*, inquit, *melior mihi ad docendum videtur hac via, qua primum fides ratio sine testimonijs redditur, post rationem conuicto idem illud scripturis respondentibus exponitur*; respondet quamuis obiter S. Augustinus; *non præsumam in Sapientia verbi, ne euacuetur Crux Christi, sed Scripturarum sanctarum authoritate cõtentus, simplicitati potius obedire studebo, quam tumori*: moxque subdit partus virginis, suscitatorum mortuorum, & aliorum quæ prædicantur, esse incomprehensibilem rationem, veritatem verò testimoniorum promptam esse.

Deindè per fidem certificamur primo, atque monemur de erroribus: quare qui v.g. ex hoc quod Deus sit vnus, suspicaretur non eum esse Trinum in personis; aut ex immutabilitate Dei fortè duceretur ad asserendam eius in operando necessitatem, errorum à fide præmonitus eos cauet, & alio discursum dirigit. Certi etiam reddimur de veritate, v.g. de diuina in operando ad extra libertate, & qui eius inscius prementibus in contrarium difficultatibus cessisset, haud cedit, sed congruentes solutiones, & explicationes quærit: qui similiter vitæ futuræ ignarus hic, & ibi beatitudinem conquirendo cum Philosophis aberrasset, iam de illa pe fidem certus operam illi explicandæ confert; & sic de alijs innumeris. Credendum est ergo prius & deinceps intelligendum: nec ordo est, quod ratio, & intelligentia antecedant, & subsequatur fides, sed contrarius de antecedentia causalitatis loquendo; id est ratio alliganda est fidei, & non fides rationi: fides dominatum gerere debet; ratio autem seruire, & subsequi, in inuia alioqui itura, & præcipitia. Hinc ratio antecedens ritè vocari potest ratio imperans, ac regulas fidei veluti præscribens: ratio verò consequens, ratio credens, ac fidei seruiens, nec fidem sibi, sed se se fidei accommodans. Quapropter vbi agitur de sufficientia rationis naturalis in ordine ad religionem, haud debent vires eius attendi, vel examinari in Christianis, eorumque Doctoribus, in quibus cum simul concurrat, & coniuncta sit doctrina diuina, confundi facilè possent, & quę Dei sunt in ingeniolũ humanum tam facilè, quam vanè referri; sed consideranda est ratio, ac inuestigatio naturalis, vbi sola ipsa fuit, vel fermè sola, scilicet in Philosophis sæculi, atque mundi sapientibus, quos certè non omnes doctores Christiani vincunt, vel acumine ingenij, vel diligentia in studendo; quàm enim certò superiori capite in illis ostendimus scrutationis naturalis in negotio religionis inualentiam, tàm certò videtur in illo requiri fidei diuinæ necessitas, vt huc vsque sufficienter probauimus.

* * *



CAPVT IX.

Quod in Christiana Religione, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, reperiatur diuina fides, quæ ad veram requiritur Religionem, illaque proindè sit vera Religio ab omnibus amplectenda.

AD præsentis tandem sectionis, vel controuersiæ scopum peruenimus, cum enim parum prosint, quæ huc vsque diximus veluti in genere de veræ religionis existentia, inuenibilitate, nec non ad eam diuinæ fidei necessitate, nisi insuper certò, & euidenter constet, quænam sit, & vbinam illius professio, vel hominum congregatio tenentium doctrinam, quam Deus tradidit: hæc enim est origo tota dissensionum; quoque deciso,& terminato nihil restat aliud discutiendum; vltimo supererat, vt in hoc capite id ostenderemus, manifestum scilicet esse, & ex rebus in mundo moraliter euidentibus, quod in Christiana Religione, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, reperiatur doctrina diuinitus reuelata, quodque consequenter ea inter omnes sit vera, & à Deo data religio, ab omnibus amplexanda.

Quamuis enim aliqualis inter doctores Catholicos sit quæstio de euidentia veritatis religionis nostræ, vt mox dicemus, qualis nimirum esse debeat, omnes tamen conceduut, nec non tenentur concedere etiam illi, qui veram admittunt Religionem, quæcũque demum illa sit, eam tantis, ac talibus fundamentis debere esse communitam, quæ omnem ritè dispositũ conuincant, quæ omnem probabilitatem à cæteris religionibus adimant; quæque nullum illius cultorem deliberatè dubitare sinant; prout ostendimus supra sect. 1. cap. 6. nec non etiam patet ex dictis in hac cap. 4. de inuenibilitate veræ religionis. Eo enim ipso, quod vera religio est in mundo ab hominibus inuenibilis, vt ibi ostendimus, nec à quoquam negatur religionem aliquam tenente, nam cum vnusquisque suam veram putet, vel dicat, necesse est, dicat, vel putet, à se iam inuentam,& agnitam esse veram religionem, nimirum suam: Ex hac, inquam, veræ religionis inuenibilitate, manifestè sequitur eam esse certò, & euidenter agnoscibilem (nec enim in hac materia certitudo separari potest ab euidentia) & discernibilem inter omnes, cum inueuire eam nequeant homines, nisi agnoscendo, & discernendo. Vel enim vera religio æquari à falsa aliqua potest in motiuis suis,& argumentis, vel non potest: si hoc secundum respondeatur, habetur intentum, excessus siquidem in motiuis,& argumentis est signum certum, & euidens veræ religionis. Si autem primum dicatur, æquari videlicet posse, cum vera, & falsa ita sint æqualiter fundata, ac probata, inter vtramque discernere, ac veram agnoscere, erit impossibile, vt patet. Insuper vel præfatus excessus in motiuis, est signum certum, & euidens veræ religionis, quæ quæritur, vel est signum tantùm probabile,& topicum; si primùm dicatur, tunc ex illo excessu certò, & euidenter colligitur esse veram religionem illo gaudentẽ; si verò secundum, nequit ex illo certò, & euidenter agnosci vera religio. Igitur dicendum est, vel veram religionẽ non esse inuenibilem, & consequenter homines ad nihil obligari, quod absurdum reputãt aduersarij quibuscum modo contendimus; vel veram religionem esse certò, ac euidenter cognoscibilem.

Totum ergò præsentis difficultatis punctum in eo consistit, an certò, & euidenter conuinci possit? quod religio Christiana, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana sit vera religio; cuius hic partem affirmatiuam tenemus, & sequentibus rationibus probamus. Certum, ac euidens est veram

ibi religionem esse, vbi certum quoque, & euidens est diuinam reperiri fidem, seu doctrinam diuinitus reuelatam; sed certum, & euidens est in Christiana religione, quam colit Ecclesia Catholica Romana, diuinam reperiri fidem, seu doctrinam diuinitus reuelatam; certum igitur ac euidens est illam esse veram religionem. Maior huius argumenti videtur esse certissima, nec ab vllo negari posse, supposito præsertim, vt superius ostendimus, quod res religionis haud constare per scientiam queant, & demonstrationem, sed per fidem diuinam necessariò debeant innotescere. Minor ergo probatur: Certum, ac euidens est diuinam ibi reperiri fidem, seu doctrinam diuinitus reuelatam, vbi certum, ac euidens est reperiri omnia eius signa, vel notas; at certum, & euidens est, quod in Christiana Religione, quã docet, & seruat Ecclesia Catholica Romana, reperiantur omnia signa, vel notæ diuinæ fidei, seu doctrinæ diuinitus reuelatæ, certum igitur est, ac euidens in illa diuinam reperiri fidem, seu doctrinam diuinitus reuelatam. Maior quoque huius secundi syllogismi videtur esse certissima, ac per se nota; de qua iterum redibit sermo infra sect. 9. cap. 3. Minor autem patet ad sensum discurrenti per singulas notas, vel signa superius adducta sect. 2. nec non tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 7. & seq. quibus Christianam fidem, ac religionem, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, communire Deus voluit, illamque proindè esse ciuitatem supra montem positam, quæ abscondi nequiret, nec non montem illum magnum, qui vniuersam terram repleuit, & in quem, vt dicebat Augustinus, clausis etiam oculis offenditur. *Quid ergò? inquit* Clemens lib. 3. recognit. *Putatis, quod in terram defossam absconderit Deus veritatem, & montes ei superposuerit, vt ab his, qui in profundum fodere valent, tantummodò inueniri possit? non ita est*. Quod ibidem probat ex iusto Dei iudicio. Vel enim fatendum est, certum, ac euidens esse, quod Christiana religio, quam sequitur Ecclesia Catholica Romana, sit vera, cælitusque à Deo tradita hominibus religio; vel eos ab illo deceptos fuisse, qui tantis, ac talibus signis, quibus certum, ac euidens fieret nobis illam esse veram, comprobatum esse voluit, quæ nonnisi ab illo fieri, doctrinæve ab eo reuelatæ competere possunt; quæque dubitandi, ac opinandi locum omnem tollunt.

Altera ratio, qua probari potest, certum, ac euidens esse, quod Christiana religio, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, sit vera religio, desumitur ex ipsamet forma illam quærendi, docendi, qua dicta vtitur Ecclesia, sciens nimirum cui credit, hoc est contra Mahometanam fatuitatem dato rationi loco, fidei autem, contra Gentilium superbiam, ac vanitatem, qui soli scientiæ ac demonstrationi innitentes, etsi cognouerint Deũ, tamen non tanquam Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, vt superiori capite dictum fuit. Tertia ratio probans certitudinem, ac euidentiam veritatis Religionis Christianæ, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, vel Pontificia, deducitur ex ipsamet natura doctrinæ veræ religionis, quæ ad quatuor potissimum capita reuocatur: in primo est Deus ipse, vt est author huius vniuersi, & finis, seu beatitudo. In secundo est sanctitas hominis, qua scilicet fit Deo gratus, & beatitudine dignus. In tertio continentur media Sanctitatis effectiua; quæ considerari possunt, vel ex parte Dei, vel ex parte hominis: ex parte Dei sunt auxilia, quibus Deus hominem ad Sanctitatem obtinendam adiuuat, ex parte hominis sunt officia, quæ præstari debet, vt Deo adiutori cooperetur ad salutem suam: vnde ad istud idem tertium caput reuocari debent Sacramenta, & Sacrificia. In quar-

quarto denique comprehenduntur sacræ obseruantiæ, & ritus externi, sine quibus religio inter homines constare nequit. Horum enim, & similium doctrina, cum in Religione Christiana, & Catholica Romana numeris omnibus absoluta ad oculum videatur haberi, indè quoque certò, & euidenter de eius constat veritate. Verum hę rationes, & similes non sunt efficaces nisi reducantur ad primam, & quatenus in illis exprimitur aliqua nota, aut symbolum, per quod solum, vel cum alijs coniunctum, vt potè solius veræ religionis proprium, certum consequenter, ac euidens fiat, quod illa cui competit, sit vera diuinitusue reuelata religio.

Quia autem datur duplex certitudo, & euidentia, vna quę dicitur credibilitatis, altera veritatis, dubitant doctores, quanam ex illis certum, ac euidens sit Religionem Christianam Catholicam Romanam esse veram religionem? illam enim aliqui reducunt ad primam, alij verò extendunt ad secundam; sed in hac re distinctione vtendum puto, falsumque esse, quod sit certum, & euidens certitudine, & euidentia veritatis intrinsecæ, siue quoad quid est rei, quatenus nimirum vel cognoscitur in se immediatè, vel mediatè per suas veras, & immediatas causas, sic enim Christianam religionem esse veram, aut Ecclesiam Catholicam Romanam illam profitentem, non minus est obiectum fidei, quam cætera mysteria in illa credita, vndè consequenter non potest esse obiectum certæ, & euidentis cognitionis; secus autem si sermo sit de veritate merè extrinseca, siue quoad an est, aut ex consequenti; sic enim admitti potest certum, ac euidens esse tali veritate, quod Religio Christiana Catholica Romana sit vera religio, eo ipso quod admittitur id esse certum, & euidens certitudine, & euidentia credibilitatis, quia licet credibile, vel certò, & euidenter credibile non sit ex genere connexum cum vero, hic tamen, & in hac causa est coniunctissimum; quare semel admisso, quod sit certum, & euidens euidentia credibilitatis religionem Christianam fuisse à Deo reuelatam, ex consequenti fatendum est eam esse veram, cum Deus qui illam reuelauit, nec falli, nec vnquam fallere possit; quod pertinet ad quæstionem de nomine potius, quam de re. Cæterum sufficit, quod omnes concedant religionem, seu fidem nostram, quam veram esse supponimus, esse certò cõuincibilem, & innegabilem, seu euidẽter credibilem tam absolutè, quam comparatiuè, id est tantis communitã fundamentis, vt sine vllo leuitatis, vel imprudentiæ vitio credi ipsa queat; & quæ reliquas omnes mundi religiones reddat incredibiles, vt statim explicabitur, quatenus quis posset obijcere, Deum quidem ob suam maximam infallibilitatem esse dignissimum, cuius dictis, & reuelationi fides certissima habeatur, sed illam sufficienter nobis non applicari, per hoc, quod sit certò, & euidenter credibile, eum aliquid reuelasse.

Et ratio est, quia dum sic arguitur vt credam in Deum, & ipsius veracitate mouear ad credendam hanc propositionem ab ipso reuelatam, Christiana religio, doctrinaque in illa tradita est vera; *Illa religio est vera, quæ habet omnes notas veræ religionis, sed Christiana religio est talis; igitur est vera*; aut, *Quicquid Deus reuelat est verũ, certissimoque credendum, sed Deus reuelauit religionem Christianam, doctrinamque in ea traditam, ergo est vera, certissimoque credenda, & amplectenda*: licet in huiusmodi syllogismis maior plerumque sit certa, non tamen excedit vires luminis naturalis; minor autem maiorem non habet certitudinem, quã moralem fidei humanæ; actus igitur fidei, quo veritatem inde illatam credimus, certior esse non potest, aut scientia, aut fide humana, si quidem conclusio certior esse non potest præmissis

fis ipsis; atque adeò authoritas Dei reuelantis ita sufficienter non applicatur, tantamque non gignit certitudinem, quantam ipsa meretur, aut dare potest.

Sed hæc obiectio facilè diluitur; quæ quidem vim aliquam haberet, si assensus fidei esset discursiuus, siue conclusio eiusmodi syllogismorum, vt autem ex tractatu de fide suppono nullus fidei, aut diuinæ, aut humanæ assensus est discursiuus, seu conclusio syllogismi; sed est secunda mentis operatio, seu assensus non illatus; & iudicium simplex, quod fertur in propositionẽ reuelatam ab homine veraci, vel Deo ipso: ita vt tota ratio motiua in assensu fidei sit Dei veracitas, seu authoritas applicata propositioni creditæ: sicut enim hæc propositio, homo est rationalis, est obiectum materiale iudicij simplicis, quod intelllectus, seu intelligentia principij solet appellari, obiectum autem formale, aliud non est, quã clara eiusdem propositionis terminorum apprehensio; seu prædicatum in subiecto per vim intellectus penetrato repertum, & motiuum illi assentiẽdi est illa terminorum notitia: ita assensus fidei, quo credo Ecclesiam Catholicam esse veram Ecclesiam, obiectum materiale est, ista propositio, Ecclesia Catholica est vera Ecclesia: motiuum verò extrinsecum est, Deus reuelans, seu authoritas Dei illam reuelantis; & obiectum formale ex materiali, & motiuo simul vnitis coalescens, est eadem propositio, vt à Deo reuelata, quam vnicus simplex assensus, & iudicium non illatum fidei diuinæ attingit.

Vndè præfati syllogismi, aut similes qui possunt fieri præuiè ad quemcumque assensum fidei, sunt syllogismi inducentes dumtaxat, & applicatiui, quorum cum munus, & officium sit inducere intellectum nostrum in aliquas veritates interdum etiam per se notas, ac certissimas, indè sequitur non omnem assensum post illos factum semper esse illatum, aut illis incertiorem, quin imo talis assensus potest esse multo certior, quouis tali præuio discursu, & syllogismo, patet in dicta propositione, vel veritate, omnis homo est rationalis, quæ profectò ea est, vt metaphysicè certa sit, imo propositio ex terminis suis euidens, & certa, omnique syllogismo certior. Nam syllogismus omniũ certissimus est demonstratiuus à priori, hæc autem propositio, est in hoc genere demonstrationis indemonstrabilis, certissimæq; demonstrationis principium; & tamen licet adeo certa sit, non intelligitur, nec mente percipitur nisi præuia inductione, seu syllogismo inducente vtamur, quæ inductio est eiusmodi, hic homo ratiocinatur, & iste ratiocinatur, & sic de alijs, igitur omnes homines ratiocinantur; hæc enim videtur esse vera inductio, quæ nititur sensibus & concludit, non vt aliqui existimant, omnis homo rationalis est, nec verò saltem directè, & immediatè omnes homines rationales sunt, sed omnes homines ratiocinantur. Indè autem intellectus ratiocinatus dicit, quicumque ratiocinantur de facto, ij ratiocinari possunt, & ita sunt rationales, cõcluditque omnes homines esse rationales, quæ est propositio collectiua, & cuius veritas fundatur in experimentali cognitione, atque adeo aliam non habet certitudinem quam physicam; & consequenter minorem, quam sit illa metaphysica certitudo propositionis, qua dicitur, omnis homo est rationalis.

Quia igitur, omnes illi præuij syllogismi, quibus modo statim explicato ad applicationem istius propositionis, omnis homo est rationalis, vtimur, sunt solummodo inductiones, indè sequitur, primum ineptè dici, quod hæc propositio vniuersalis distributiua, omnis homo est rationalis, sit discursiua, & conclusio syllogismi, secundò, quod, etsi talis propositio, & similes sint præuijs syllogismis certiores, non pro-

propterea tamen asseri potest, eos non esse sufficientes (dummodo suam, & ipsi certitudinem, ac euidentiam habeant) vt præparent, & inducant intellectum ad assensum propositionis, cui præmittuntur. Non aliter de assensu fidei subsequente ad supradictos syllogismos discurrendum est, eum quippè non propterea dici debere illatum, vel discursiuum; rursus eum esse certiorem, quocumque syllogismo, & propositione, quę solummodò assumitur, vt Dei propositionem credendam reuelātis authoritas intellectui nostro applicetur, seu vt ille in eam fidei veritatem inducatur, cum talis assensus sit supernaturalis, nec eliciatur nisi vi habitus fidei supernaturalis; ad quod etiam sufficit, si ille syllogismus suam habeat certitudinem, & euidentiā qualis est illa, quæ consurgit ex motiuis, & argumentis credibilitatis rei reuelatæ. Adeò vt, quemadmodum propositio, per se euidens, non intelligitur, nisi virtute intellectus agentis, & inductio applicat tantum hunc intellectum, propositioni illi per se euidenti: ita Deus nostro intellectui infundat habitum, seu lumen supernaturale fidei, quo illustratus noster intellectus, propositionem à Deo reuelatam credere potest, nec aliud requiratur, quam vt per discursus illos inductiuos, quibus quis ad fidem amplectendam obiectiuè disponitur, Dei reuelatio, seu eius aliquam propositionem reuelantis authoritas illi applicetur; sic enim fit, vt hæc authoritas, quæ est fidei motiuū, seu obiectum formale, cum intellectu per lumen fidei supernaturale proportionato concurrens, & cooperans eliciat actum fidei certissimum.

Ex hac certitudine, & euidentia credibilitatis, aut alia, quā habere debere veram religionem, supposita eius inuenibilitate ostendimus, quamque de facto competere religioni Christianæ, & Catholicæ Romanæ clarè demonstrant omnia motiua, & argumenta, quibus illam fulgere, cæterisque præstare, & eminere Deus voluit, sequitur vnumquemque ad illam amplectendam teneri, cui ritè fuerint illa proposita. Ratio est, quia vnusquisque obligatur ad eam religionem amplectendam, quam cognoscit esse veram, sed eo ipso quod aliquam agnoscit esse euidenter credibilem, & consequenter omnes alias esse euidenter incredibiles, cognoscit illam esse veram; cui ergo semel nota fuerit euidentia credibilitatis Religionis Christianæ, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, tenebitur illam amplecti. Maior huius argumenti est certa, nec non etiam minor ex dictis; cum namque euidens sit, Deo curam esse veræ religionis promouendæ, eūque nec falli, nec fallere posse; aut dicendum est contrarium, aut necessariò fatendum, hæc duo connecti non posse, quod aliqua religio sit euidenter credibilis, omnes autem aliæ euidenter incredibiles, & tamen fortè nō illa, sed aliqua reliquarum vera sit; imo repugnat quod sit æquè probabilis, aut probabilior, alioquin sequeretur, quod est euidenter falsum, homines prudenter, vel etiam prudentius operando damnari; ex religionibus quippè æquè probabilibus alterā eligere prudens est; probabiliorem eligere sanè prudentius: ergo falsam eligere possunt prudenter, vel etiā prudentius operando, ergo damnari per se, cum per se loquendo sit vera religio ad salutem necessaria. Igitur cum Deus sit in mundo, ac mundum gubernet, dederitque modum, quo vera inter omnes religio ab eo tradita cognosceretur, tum quia frustra alioquin eam dedisset; tum quia, vt est axioma, qui dat formam, dat consequentia ad illam; qui finem præscribit, prouidet de medijs; vt impossibile est, quod certò, ac euidenter credibile sit, Religionem Christianam à Deo fuisse reuelatam, & tamen quod non sit vera, aut etiam aliqua alia sit æquè probabilis, vel illa probabilior; ita qui semel habue-

buerit talem credibilitatis eius euidentiam, tenebitur quoque eam amplecti, sique eam non amplectatur, grauissimè peccabit, & sub pæna damnationis.

Quemadmodum autem, qui veram ex corde religionem inquirunt, vbi primùm illis innotuit per proprias eius notas, propriaque symbola omnibus obuia, captuque facilia, nisi quis sit amens, talem esse religionem Christianam in Ecclesia Catholica Romana seruatam, tenentur illi statim adhærere absque vlteriori doctrinæ examine, quam non ratione percipere, sed fide humiliter suscipere debent veri fideles captiuantes intellectum in obsequium Dei reuelantis; Ita nulli quantalibet sapientia prædito, qui illam semel amplexus fuerit, licebit vnquam eam deserere, & mutare, eo quod aliquod eius mysterium non capiat, vel euidenter illud impossibile esse putet, quia tenetur non id putare, sed intellectum captiuare, nec hoc est mera pietas, sed euidentia, & iustitia; nam ratio humana iam cognoscens doctrinam veræ religionis à Deo esse traditam, quod vt cognoscatur, suppetunt veræ religioni, qualis est Christiana Catholica Romana, abūdantissima fundamenta, & argumenta, indè necessario concludere debet totā illam doctrinam, & quęcumque in illa continentur, quidquid ab ipso non capiantur, esse verissima; & quæstiones omnes reducere ad vnam, scilicet ad examen fundamentorum veræ religionis, & cum illa sint manifesta, semper veritas contra quamcumque apparentem rationem obtinebit causam optimam; multoque magis, si etiam quis persuasum habuerit veram religionem, veramve Ecclesiam illam profitentem ex speciali Dei prouidentia esse infallibilem, vt sect. 9. ostendemus contra hæreticos, debebit admittere illius magisterio, ac iudicio finaliter standum esse, nec alio appellare licere, aut rationi humanæ locum in contrarium dare. Videturque impossibile, si quis amens non est, quod tam euidentem falsitatis rationem habeat, vt eam deponere non possit, nec intellectum captiuare: quia videt hinc affirmantem Deū, qui nec fallit, nec fallitur: illinc rationem suam repugnantem, & negantem, quæ passim fallitur, quamque sæpius expertus est in multis deceptam, etiam illis, quæ euidentissima aliquando iudicabat; igitur, si amens non est, debebit cedere; si autem amens est, ad nil obligatur.

Quare, licet non dubitem, quod euidenter negatiuè, vt explicui sect. 1. huius libri, solui queant omnia argumenta, quę fieri possunt contra omnes fidei nostræ veritates, nihilominus, vbi primum quis ad eam amplectendam adducendus esset, existimo hanc viam non esse idoneam; tum quia cuncta examinare non solum immensum esset, sed etiam impossibile ex dictis, si quidem tale examen, quandoquidem de rebus religionis esset, atque de illis discutiendis, & approbandis, vel improbandis, non esset rationis iam Deo credentis, & examen instituentis, vt credat; atque adeo esset inuestigatio purè naturalis, quam supra demonstrauimus esse imparem, & insufficientem ad res religionis explorandas, & iudicandas, ex ipsa illarum rerum natura; tum quia huiusmodi rerum examen non est omnium, sed ad summum doctiorum, magno adhuc ratiocinationum circuitu, cum tamen facillima, breuissima, omnibusque peruia sit veræ religionis certò inueniendæ ratio; tum denique, quia, vt supponimus agitur de dignoscenda vera religione, non igitur tam assumendum est examen mysteriorum, & rerū, & dictorum, si adhuc possibile esset, quam notarum, quibus Deus sine tot ambagibus illam hominibus manifestare voluit. Vnde si quis veram querens religionem vellet, vt per rationem saltem consequentem, & sine præiudicio religionis de qua edocetur, suis satisfieret obiectis, quo pręstito, ipse etiam promptus esset, edoctam religionem accipere, id necessariò à Doctore pręstandum

ſtandum non eſſet, cum vera religio fundamentis emineat talibus, quæ ſine vllo tali myſteriorum examine cogant,& obligent ad illam acceptandam. Vbi autem ad maiorem dumtaxat abundantiam de hoc requireretur, tunc in primis non de omnibus agendum eſſet, ne prius finiretur vita, quam abſolueretur diſquiſitio, ſed pauca aliqua, & principaliora eligenda eſſent; ea crederem, quorum fides explicita neceſſaria eſt primùm neceſſitate medij, tum neceſſitate præcepti; & quandoquidem ad abundantiam id peteretur, neceſſe eſſet, vt petens paratus eſſet veram religionem amplecti, quantumuis illi plenè in hac re non ſatisfieret; lumine enim naturali pluſquam patet, multa eſſe veriſſima, quorum tāmen certam, & adæquatam rationem reddere non ſemper poſſumus, nec tenemur, dummodo aliunde nobis conſtet de eorum veritate, vt accidit in doctrina veræ religionis, ſuppoſita iam credibilitatis euidentia, quod illa fuerit à Deo tradita, & reuelata.

Porro vt primum venientibus ad veram religionem, alia via illam perſuadendi tutior, breuior, ac facilior non eſt, quam iſta notarum eius, quibus eā fulgere, & in omnium oculos incurrere, veluti tabernaculum in ſole poſitū, aut ciuitatem ſupra montē voluit Deus; ita pro ijs, qui illam ſemel amplexi ſunt, in eaque viuunt, nullum eſt præſentius ſedandis omnibus contra fidem tentationibus remedium; nullum efficacius medium ad componendas omnes, quæ in materia religionis exoriuntur, controuerſias, quàm ſi oſtendatur Eccleſiam ab eodem Deo tali infallibilitatis priuilegio donatam fuiſſe, vt aduerſus eam nulli errores, nullæ hæreſes præualerent, eaque ſalua, in tuto eſſet, & inuicta ſemper doctrina religionis, vt tomo 3. lib. 3. ſect. 3 c. 10. nec non ſect. 5. cap. 8. probatum fuit, & iterum infra oſtendetur ſect. 9. Adeo vt origo, & radix vniuerſalis immediata omnium hæreſum fuerit, nolle Eccleſiæ acquieſcere iudicio, ſed potius ad ſcripturas iuxta cerebrum, aut ſpiritum particularem vniuſcuiuſquiſque hæretici intellectas prouocare, quibus tamen ſupremum controuerſiarum fidei iudicium haud ineſſe, ſed ſoli Eccleſiæ oſtendimus tomo 1. libr. 2. ſect. 6. & ex hoc ſatis patet, quod hoc ipſum reliquorum omnium fundamentum, quænam ſit ſcilicet vera ſcriptura, per ipſam ſcripturam conſtare nequit, vndè ex quo id ſemel conſtabit, eadem opera ſimul conſtent vniuerſa neceſſe eſt; quare Tertullianus de præſcript. cap. 19. rectè infert: *Ergo non ad ſcripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt. Nam etſi ita non euaderet collatio ſcripturarum, vt vtramque partem parem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat, illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt; quibus ſcilicet competat fides ipſa? cuius ſint ſcripturæ? à quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani? Vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas ſcripturarum, & expoſitionum, & traditionum Chriſtianarum.*

Quibus ſanè ad illuſtranda huc vſq; dicta nihil elegantius dici poterat; quæ etiam lumini naturali eiuſque principijs ita ſunt conſentanea, vt omnes prorſus ſint inexcuſabiles, qui admiſſa Dei vnitate, veręque in eo colendo religionis exiſtentia, & inuenibilitate, detrectant nihilominus ſuaui religionis Chriſtianæ iugo colla ſubdere, quam tot ſignis, & argumentis in Eccleſia Catholica Romana Deus monſtrauit, & in dies non deſinit monſtrare ſuam eſſe. Et quamuis huiuſmodi argumenta non ſtrictè demonſtrent, ſed moralem tantum certitudinem, ac euidentiam ingenerent, quod Chriſtiana religio Catholica fuerit à Deo tradita, hoc tamē ſufficit, & indiſciplinati eſt plus velle in negotio religionis, vbi fides præcipuum debet habere locum, & reſpectu cuius dicta euidentia ſe habet ſolum

per

per modum præambuli; quatenus in propositionem obscuram, & ignotam, qualis est ista, Deus reuelauit religionem Christianam, singulaque eius mysteria, ferri primum non potest intellectus per se, & propter se, nisi reddatur aliqualiter nobis clara, & euidens, euidentia nimirum credibilitatis, vt iuxta dictum Apostoli sciamus cui credimus. Vndè, vt alibi notauimus tom. 1. lib. 5. & 6. cap. 10. quemadmodum in ijs, qui iam receperunt fidem, diuinæ fidei assensus, qui datur contra errores, dubitationes, difficultates insurgentes circa obiecta particularia diuinæ fidei, resoluendus est in diuinam authoritatem Ecclesiæ, non quidem per modum rationis formalis obiecti, sed per modum regulæ infallibilis, qua secundum legē Dei ordinariam notificantur, & applicantur credenda: sic causa, seu ratio obiectiua, in quam resoluitur iudicium euidens de credibilitate fidei, ac veræ religionis in communi, vbi primùm suscipitur, sunt motiua, quæ ad fidem concipiendam necessaria sunt.

At quia in decursu huius sectionis sæpius diximus veram religionem, veramque fidem ad illam necessariam, esse Christianam, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, vt illam distingueremus ab alijs sectis, quæ Christianum etiam nomen profitentur, vt Lutherana, & Caluinistica; breuiter hic recolendum est, quod alias aduertimus tom. 3. lib. 3. sect. 3. & 4. multis nimirum modis Ecclesiam Romanam sumi posse, *primo* pro ea quæ antiquitus Occidentalis dicebatur, diuersa ab Alexandrina, Antiochena, quæ Orientalis Patriarchalis dicebatur, & postea Constantinopolitana; qua ratione videtur illam sumpsisse Sanctus Hieronymus epist. 77. vbi ait se communicare cum occidente, id est cum Damaso. *Secundo* pro Italica, & ita distinguitur à Carthaginensi, Lugdunensi, Rhemensi, & aliis Primatum Ecclesiis. *Tertio* pro tota Prouincia Romana, seu quatenus complectitur Episcopos eius Prouinciæ. *Quarto* pro Ecclesia Romanæ Ciuitatis, vel districtus, qui immediatè à Romano Pontifice gubernatur. His, inquam, modis cum veluti strictè Romana sumi possit Ecclesia, secundum quos etiam Romanus Pontifex illius caput communem cum quibusdam alijs Episcopis dignitatem habet, Patriarchæ respectu totius Occidentis, cuius proinde clerus, seu potius Senatus sunt omnes Primates in eo cōprehēsi; Primatis respectu totius Italię, vnde omnes Italicæ Dioecæseos Metropolitas, & Episcopos tanquam suum Senatum habet, & eos admittit in Synodum nationalem; Metropolitani, seu Archiepiscopi respectu totius Prouinciæ Romanæ, in qua suos suffraganteś habet illius Episcopos, qui cum Synodus prouincialis celebratur, in ea locū, & votum habent; Episcopi respectu Ciuitatis Romanæ, & eius districtus; *quinto* insuper modo accipi potest pro Catholica, siue pro vniuersa Ecclesia militante, quatenus Summus Pontifex Romanus nedum Romanæ, sed & vniuersalis, atque Catholicæ Ecclesiæ est Episcopus, ex tali enim vnione sequitur Ecclesiam Romanam ita esse particularem Ecclesiam, vt insuper Catholica per se primo dici debeat.

Vnde notandum est pro maiori huius rei explicatione, & intelligentia Ecclesiam Catholicam tribus modis accipi posse. *Primo* pro ea quæ toto orbe diffusa vna est, & omnes veras cōmunione sibi inuicem colligatas comprehendit: *Secundo* participatiuè, inquantum nimirum est pars illius vniuersalis, totā quidem sed non totaliter eius habens rationem: quemadmodum homo dicitur vniuersaliter, Paulus autem particulariter dicitur homo, quia licet hominis rationem, seu naturam humanam totam in se habeat, non tamen totaliter, quasi solus ille exclusis alijs consortibus naturam humanam sibi vendicet. *Tertio* Ecclesia dicitur Catholica veluti influxu, aut in causando, quia est ita quædam particularis Eccle-

ſia alicui loco addicta, vt inſuper in omnes alias particulares influxum habeat, illaſque ab ea pendere, eique coniungi neceſſe ſit, vt Catholicæ rationem ſortiantur.

Et cum ſecundo ex his modo, dubiũ non ſit, quod Eccleſia Romana ſit Catholica, quatenus eſt pars illius, & quamdiu talis erit, in quo conuenit cũ alijs etiam particularibus Eccleſijs; inſuper, ſi vox Catholica primo, & tertio ſumatur modo, talis adhuc præ cæteris alijs dicenda eſt, in quantum ſine Summo Pontifice, qui ſimul eſt Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ, Eccleſia Catholica ſubſiſtere nequaquam poteſt, vt tomo 3. ſect. 3. fusè oſtendimus; Indè enim Eccleſiam Romanam coincidere cum Catholica toto orbe diffuſa, eſſeque caput, originem, matrem, fontem, radicem totius Chriſtianitatis, & vnitatis Catholicæ, ſatis demonſtrant ea, quæ citato tomo 3. ſect. 2. cap. 11. attulimus. Ita vt Eccleſia, quam Romæ fũdauit Petrus, quam ipſe vt Eccleſiam propriam rexit Epiſcopus, & Paſtor, & quam hactenus rexerunt eius Succeſſores, nec non hodie regit Clemens IX. ſemper fuerit, & etiamnum ſit purè, ac ſimpliciter Catholica; nullaque alia fuerit, & ſit talis, niſi quæ Romanum Pontificem agnoſcit Patrem, & Paſtorem non proprium, & particularem, ſed vniuerſalem: nulluſque alius Epiſcopus ſit Catholicus, nullaque cathedra, aut Eccleſia Epiſcopalis Catholica, niſi qui Epiſcopus, & Eccleſia cum Epiſcopo, & Eccleſia Romana communionem habet. Hinc apparet cur, & quo pacto dixerimus veram religionem, veramque fidem ad illam ſpectantem eſſe Chriſtianam, quam profitetur Eccleſia Catholica Romana, cum ea ſola vera Chriſti ſit Eccleſia modo explicato, quæque proinde ſola veram eius doctrinam, ac fidem docet.



SECTIO

SECTIO SEXTA.

De vnitate veræ religionis contra Politicos in ea libertatem, vel indifferentiam admittentes.

CAPVT PRIMVM.

Aperitur status controuersiæ.



ROBATA iam aduersus Atheistas Dei existentia, aduersus Politheistas eiusdem vnitate, aduersus Philosophos veræ qua colatur religionis necessitate, & inuenibilitate, quodque ad illam humana nō sufficiat ratio, sed diuina requiratur fides, indeque religio Christiana, quam Ecclesia Catholica Romana profitetur, sit vera, nunc aduersus illos disputandum nobis est, qui religionum pluralitatem, atque adeo libertatem, vel indifferentiam ad quamlibet admittunt: Quod prouenit, vel quia credunt omnes religiones esse veras, vel quia credunt de vna vera nihil certum penitus haberi posse, & consequenter religionem in mera probabilitate versari, eamque ad beatitudinem sufficere, quam vnusquisque probabilem existimet, alias malè affirmarent liberum esse, vel indifferentem cuiuscumque religionis ritum, siue obseruantiam. At cum veritas, & quæ ea nititur certitudo vna sit, & vera consequenter religio nonnisi vna esse possit; reducuntur tandem ad hoc vt asserant de ea certi nihil haberi posse, sed probabile tantum, atque ita non vnam, sed multiplicem legitimam esse, quia quod probabile, & verisimile est, id non vnum, nec vnius modi, sed varium, & multiplex esse potest: si autem, inquiunt aduersarij, multæ religiones inter se diuersę probabiles sunt, omnes ad salutem vtiles esse possunt; nec refert quam quisque amplectatur; cum vbi plura ad vnum finem consequendum media suppetunt, electioni liberæ locus detur, nec is a scopo aberret, qui quamlibet viam ad eum tendentem, & conducentem ineat & constanter teneat. En quam in præsenti sectione confutandam habemus opinionem, cuius sequaces vocari solent Politici, quod vnus eorum scopus, & finis esse videatur, Reipublicæ ita curam gerere, vt eam florentem, & in hac vita beatam efficiant, vt eos loquētes inducit Diuus Augustinus lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 20. proindeque religiones nisi quantum ei seruiunt curandas arbitrentur. In quo solum diuisi sunt, quod aliqui putant licitam esse quamcumque religionem, in qua tamē vnus dumtaxat colatur verus Deus; vnde per hos vt excluduntur à salute omnes idolorum cultores, ita ad illam recipiuntur Iudæi, Mahumetani, hæretici, ac denique omnes illi, qui vnum numen diuinum colunt, nihil referendo, quonam ritu illud colant. Alij autem requirunt insuper Christianæ fidei professionem, per quos vt salutis incapaces iudicantur omnes illi, qui Christum Dominum non agnoscunt, ita ad illam peruenire posse concedunt, qui

qui illi per Sacramentum Baptismi nomen dederunt, cuiuscumque fuerint sectæ. Contra primos principaliter agimus in præsenti; nam tom. 3. sect. 3. c. 6. iam sufficienter ostendimus hæreticos nullos saluos esse; siue quod extra veram, eamque vnicam Christi Ecclesiam non sit salus. Quamuis quæ in sequentibus adducemus, argumenta vtrumq; probent.

Itaquè omissis, quæ circa huius vocis religionis etymologiam, an à verbis relinquere, recligere, relegere, religare; item circa huiuscemodi virtutis religionis naturam fusius tractantur 2. 2. quæst. 81. pro intelligentia, & resolutione præsentis controuersiæ primum notandum est, religionem bifariam sumi posse, primò pro actu, vel habitu virtutis, quo Deo debitus exhibetur cultus, secundò pro disciplina religiosa mediorum, quæ vsurpantur ad talē Deo reddendum honorem. Quod aliqui Theologi doceant religionem vtroque modo consideratam esse vnam tantum vnitate generica, vndè sub virtute religionis tres eius distingunt species, quarum prima est fidelitas ad Deum, secunda gratitudo ad Deum, tertia latria ad Deum; disciplinam autem religiosam, seu statum fidelium Deum debito cultu honorantium diuidunt in statum legis naturæ, in statum legis Mosaicæ, & in statum legis Christianæ, seu Euangelicæ tanquam in tres religiones specie distinctas, quia licet fuerit eadem formaliter fides, spes, & charitas in illis, non erat tamen, nec est idem cultus sacrificiorum, & Sacramētorum, nec consequenter eiusdem speciei religio. Hæc opinio nihil prorsus repugnat vnitati veræ religionis, quam hic propugnare intendimus, potestque vnicuique relinqui liberum de tali quæstione iudicium; dummodo concedatur eam esse veram, & vnicam religionem, qua vnus verus Deus colitur; ita vt ea contineat vera dogmata fidei, seu in ea fideles credant in Deum, & accipiāt ea quæ dignatus ipse fuerit credenda reuelare, siue plura, siue pauciora, & siue eadem, siue diuersa diuersis temporibus reuelet. Quo pacto omnes Doctores Catholici credunt eamdem fuisse religionem, aut Ecclesiam qua Christus olim venturus in genere Abrahæ, & tandem venisse in lege noua creditur, ita vt quoque in ea sit vnica spes, nimirum eiusdem beatitudinis, & per eumdem mediatorem, siue confusè aut implicitè, siue distinctè aut explicitè cognitum: & sit vna charitas Dei veri, ac tandem vna virtus religionis, latriæ cultum soli Deo vero tribuens, quęcūque ipse præceperit sacrificia offerens, eaque secundum ritus, & ceremonias quas ipse vel per se, vel per suos ministros instituit.

Quamuis longe probabilius sit religionis nedum pro virtute sumptæ, verum etiam pro statu, vnam semper fuisse essentiam, seu rationem essentialem. Quemadmodum enim vna specie fides est Theologica, qua Christus credebatur venturus, & iam creditur venisse: & vna spes est quæ nititur Deo, & mediatore Christo, aspiratque ad eamdem beatitudinem; & est eadem charitas qua diligitur Deus; ita vna est specie religionis virtus, non solùm quia desumit speciem à rebus quatenus in honorem Dei fiunt, ita vt licet materialiter sint diuersa, cum tamen in eadem relatione quam habent ad cultum conueniant, nonnisi vnius formalis, & specificantis obiecti rationem induunt; verum etiam quia fides diuina, quam superiori sectione necessariam esse ad virtutē religionis, in eaque fundari ostendimus, nonnisi vna specie esse potest. Vndè sequitur eadem quoque vnitate debere vnam esse veram religionem pro statu, vel Ecclesia, & lege sumptam, respectu cuius, & virtus religionis, et ipsa fides se habent per modum formæ, ab iisq; tantùm dicitur vera.

Quare notandum est secundò virtutem religionis non propterea dici veram, quia sit in intellectu, ad quem verum, & falsum propriè referuntur, cum

iuxta opinionem probabiliorem sit virtus moralis in voluntate residens, sed quia dicit habitudinem ad fidem tanquam ad suum fundamentum, quæ veritatem continet in ostendendo Deo, qui colendus est, & in proponendo modo quo colendus est (vtrumque enim ad veram religionem necessarium est) fides siquidem, cum simul eminenter speculatiua sit, & practica; quatenus speculatiua docet Deum esse, eumque omni honore dignum; quatenus autem practica docet modum, & obligationẽ colendi illum, & in vtroque munere veritas requiritur, vt simpliciter vera religio sit, tam pro virtute, quàm pro statu accepta. Vndè è contrario falsa religio ex parte cognitionis duobus modis potest contingere: (nam malum ex quocumque defectu) Primo quando pro Deo habetur, & colitur, quod Deus non est; & hoc modo fuit falsa religio apud Gentiles colentes falsos Deos, & est apud omnes illos, qui diuinum cultum creaturæ, aut dæmonibus aliquo modo communicant, vt sect. 4. fusè prosecuti sumus. Alio modo contingit error in ipso cultu, quia licet colatur verus Deus, honor tamen eius in eis rebus ponitur, quibus re vera non colitur, neque adoratur. Et hoc modo est nunc falsa religio apud Iudæos, & Paganos, & omnes illos infideles, & hæreticos, qui vnum quidem verum Deum agnoscunt, & se colere profitentur; re tamen vera non colunt, quia vel falsis signis ad Deum colendum vtuntur, maximè Iudæi, vel ceremonijs superfluis, & ad salutem animæ nihil conferentibus, vt Pagani, & plures hæretici; vel certè quia in his omnibus nunquam deest aliquis error circa ipsius Dei cognitionem, neque illi mẽtem subijciunt, quod esse debet veræ religionis fundamentum. Propterquod Diuus Thomas ait opusc. 19. cap. 1. *Primum vinculum quo Deo ligatur homo esse fidem*, ibique ostendit ex Augustino religionem à religando dici debere. Illa ergo vera est religio, quæ in fide diuina fundatur, & consequenter circa verum Dei veri cultum versatur; falsa autem omnis illa, quæ in errore fundata est, quæ etiam solet uocari superstitio. Quocirca in prima reperitur uerum esse religionis, quia constat ex illis principijs, quæ uera religio exigit, & ideo dicitur uera in esse rei, seu per conformitatem ad ueras causas religionis, quæ sunt uerus Deus, ueraque cognitio eius. Secunda uerò solùm habet nomen, & apparentiam religionis, & ideo falsa dicitur, uel potius nulla; nam religio simpliciter dicta, solum est illa, quæ uera existit; indeque nonnisi abusiuè quæque secta falsa se nomine religionis indigetat; constatque religionẽ falsam non esse virtutem, imo nihil, quod ad veram virtutem spectet, in ea, quatenus talis est, inueniri, nec consequenter in sectis illam profitentibus.

Tertiò obseruandum est prefatos modos, quibus religio nunc pro virtute, nunc pro statu accipitur, ita inter se distingui, vt tamen necessariam habeãt connexionem; siquidem vt impossibile est, quod ille non sit verus religionis status, qui profitetur illam doctrinam, illumque modum colendi Deum, quẽ vera virtus religionis, quæ in diuina fide fundatur, præscribit: ita etiam, vbi talis non est virtus, non potest esse verus religionis status. Quare hęc duo plerumque inter se confunduntur; imo iam ista religionis vox accipitur, vt omnino æquiuoca, propriè, & simpliciter vtrumque significans, statum scilicet, & virtutem; & ita etiam nos vtimur, nam ex materia subiecta facilè dignoscetur, in qua significatione accipiatur. Quin etiam eadem religionis vox pro vt statum significat æquiuocationem continet, nunc enim significat statum eius in lege Euangelica, nunc in lege Mosaica, nunc in lege naturę, quas diuersas specie religiones, aut Ecclesias non constituisse, sed vnam potius essentialiter consideratam statim notauimus, & fusè tom. 3. sect. 3. explicuimus, quæ sortitur speciem ab honore, & cul-

& cultu Deo debito in illis omnibus reddito, licet multa varia præcepta cõtineant, sicut vna est politia alicuius regni, vel reipublicæ licet varijs temporibus diuersa præcepta habeat. Specialiori modo religionis vox accommodata est ad significandum peculiarem viuendi modum, & statum, in quo aliqui fideles congregantur ad perfectiori modo colendum Deum, vt sunt religiones ordinum religiosorum.

Quartò notandum est religionem ex parte obiecti materialis posse considerari dupliciter; quo ad sua nimirum essentialia, & quo ad aliqua sua accidentia. Essentiale enim est veræ religioni, quod vnus per eã colatur verus Deus: item quod in ea habeatur fides, spes, charitas, atque etiam cultus Dei, qui exterius se prodat per aliquod signum, vt non tantum animus, sed etiam corpus, & hoc pacto totus homo, aliquo religionis munere fungatur; vtque per illud omnes homines vniri, & vinciri queant, ad colendum Deum; ad hoc enim requiritur nota aliqua externa, & quæ in sensus cadat. *Corporalibus religamur Sacramentis*, inquit Bernardus lib. de natura & dignitate diuini amoris cap. 15. ne à Deo recedamus, *vnde etiam à religando religio dicitur*. Inter accidentales autem religionis obseruantias connumerari possunt genera sacrificiorum, vt quod aliqua, non alia sacrificentur, item solemnitates festorum, à carnibus abstinentia in certis diebus, aliaque plura similia; quorum licet aliqua possint dici essentialia respectu statuum reduplicatiuè sumptorum, quos vera religio, & Ecclesias diuersis habuit temporibus, & pro quorum diuersitate Deus quoque diuersa pręcepit, & instituit sacrificia, nec non ceremonias; attamen respectu veræ religionis, & Ecclesiæ, vt sic sunt quid merè accidenrale; quæ non solum vna specie, verum etiam eadem numero fuit ab origine mundi ad hæc vsque tempora indefectibiliter perseuerans, vt loco citato satis ostendimus.

Quintò suppono veram, qua colatur Deus, necessariam esse religionem; eamque certò esse inuenibilem; nec ad illam sufficere rationis naturalis, sed insuper diuinæ fidei, seu reuelationis lumen requiri; quæ omnia cum superiori sectione probauerimus, non sunt hic superfluè repetenda.

His igitur pro intelligentia, ac resolutione controuersiæ breuiter prænotatis; primùm stabiliemus religionem veram vnicam esse; at quia, licet non sit à parte rei religio vera nisi vnica, nonnulli tamen existimant multas esse probabiles, secundo ostendemus non sufficere homini ad cultum Dei, beatitudinemque æternam ab illo promerendam, si probabiliter tantùm arbitretur aliquam religionem esse veram, aut legitimam; sed requiri vt sit certus de veritate illius, quodque in hunc finem omnem adhibeat diligentiam: inde tertiò probabimus religionum indifferentiam nullatenus esse licitam; quartò quicumque veram non habet religionem, eum saluari non posse. Quintò tandem soluemus aliqua argumenta in contrarium ab aduersarijs fieri solita.

CAPVT II.

Statuitur vnitas veræ Religionis.

PRima ratio ad probandum religionem veram vnam esse, sicut vnus est Deus, cuius cultum proprium, siue latriam illa profitetur, desumitur ex hoc, quod nulla vera datur religio sine diuina fide, vt ostendimus sect. superiori, nec non tomo 3. sect. 3. cap. 6. Cum igitur ex ibidem etiam dictis fides diuina sit vnica, si quidem soli Dei reuelantis authoritate, tanquam suæ rationi formali, simplicissimoque motiuo innititur; vera quoque religio, quæ in illa fundatur, erit vnica: illaque consequẽter sola erit vera religio, ex omnibus illis, quæ tale sibi nomen assumunt, vbi diuina reperietur fides, quam modo habe-

haberi in sola religione Christiana, quã Ecclesia Catholica Romana tenet, clarè demonstrant argumenta euidentiæ credibilitatis, quibus sola à Deo fuit ornata, & munita, vt omnibus manifestum redderet, quænam esset vera, & sola, in qua coli deberet, religio, hominumue illam profitentium congregatio.

Secunda ratio pro vnitate veræ religionis petitur ex vnitate Dei, quia sicut vnus est verus Deus, ita quoque necesse est vnam esse veram eum colendi religionem, quam nimirum ipse hominibus reuelauit, & de cuius reuelatione eos esse certos voluit, vt sect. superiori probatum fuit, & iterum capite sequenti dicetur, cum sine illa nulla possit esse vera religio. Vndè ait Apostolus ad Ephes. 4. *vnus Dominus, vna fides*; id est, vnum, & idem est quod creditur à cunctis fidelibus; quare idem Apostolus scribit ad Corinth. 2. *Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*.

Tertia præfatæ vnitatis ratio desumitur ex contradictione, qua in rebus ad religionem spectantibus inter se dissident omnes sectæ, siue leges, quibus hodie mundus diuiditur: cũ enim verum vero contrarium esse non possit, omnes veræ esse non possunt, sed vna tantum illa nimirum, cui conueniunt omnia signa, & notæ veræ, diuinitusq; reuelatæ religionis, quæ in Religione Christiana, quam seruat Ecclesia Catholica Romana, inueniri plusquam satis huc vsque demonstrauimus. Si quis dicat, in ea quoque reperiri eamdem contradictionem ob diuersa scholarum placita v. g. Thomistarum, Scotistarum &c. & tamen nihil obstare eius veritati; Respondetur tale exemplum non esse ad rem; tale siquidem scholarum Catholicarum inter se dissidium est solum in modo explicandi mysteria fidei, non autem circa ipsamet mysteria, vnde nihil obstat illorum veritati, imo illa tanquam vera, firmiterq; credita supponuntur: at quæ in alijs sectis reperiuntur contradictiones sunt circa mysteria fidei, substantialiaque eius, nimirum circa essentiam diuinitatis, circa simplicitatem eius, circa prouidentiam, circa omnipotentiam, circa diuinarum personarum pluralitatem, circa Verbi Diuini Incarnationem, circa beatitudinem, circa Sacramenta, & sic de alijs; Igitur non omnes quotquot sunt religiones veræ esse possunt, sed vna tantum, quæ aut affirmat, aut negat illa mysteria, suis tandem veræ religionis notis, ac symbolis dignoscenda; sicut etiam non omnes modi, quibus salua fide illa explicant Catholici, sunt veri, cum plerumque sint contradictoriè oppositi, sed ad summum probabiles, in his autem licet admitti possit probabilitas, secus tamen in rebus fidei, & ad religionis veritatem substãtialiter pertinentibus, vt dicetur capite sequenti.

Quarta ratio pro nostra assertione depromitur ex eo, quod Religio Christiana Catholica Romana cæteras vt falsas damnat: vnde sic arguo, non omnes sunt religiones veræ, si quæ vera est religio illas vt falsas damnat; sed vera religio, qualis est Christiana Catholica Romana cæteras omnes religiones vt falsas damnat, Iudæorum nempe in præsenti statu, Philosophorũ Gentilium, Mahumetanorum, ac omnium denique hæreticorum, non omnes igitur eorum religiones sunt veræ. Maior huius argumenti patet, tum quia ex dictis in antecedenti argumento, verum vero contrarium esse non potest; tum maximè quia verum dici non potest, quod verum negat; Igitur si quæ à vera religione negantur, & improbantur religiones, essent veræ, non autem falsæ, iam amplius vera dici non posset, contra suppositionem factam: vnde sic probatur minor primo ex concessis ab aduersarijs, qui admittentes omnes religiones, vnum verum Deum, nec non etiam Christum colentes, esse veras, admittere quoque debent talem esse religionem Christianam Catholicam Romanam.

Quod si quis eam esse falsam respõdeat,

deat, minoremque nostram consequẽter neget, facilè probari potest secundo ex notis, ac signis veræ religionis illi, & nulli alteri competentibus, quæ vnica est in hac re probatio, vt vera à falsa discernatur religio. Cum enim euidens, ac notum sit, vt superiori sectione ostendimus, Deo curam esse veræ qua colatur religionis promouendæ, nec non hominibus ad eam, vt salui fiant, vocatis manifestandę, eumque nec falli, nec fallere posse: aut dicendũ est contrarium, aut necessario fatendũ hæc duo connecti non posse, primum quod aliqua religio, vt Christiana, habeat veræ religionis notas, ac symbola, proptereaque sit euidenter credibile eam fuisse diuinitus reuelatam, & tamẽ non sit vera, sed falsa religio: Secundũ, quod, attenta suauitate diuinę prouidẽtiæ, religionem non veram, sed falsam, qualis esset Christiana Catholica Romana, si cæteræ, quas preter seipsam impugnat vt falsas, essent veræ, Deus insignire voluerit, nullamque aliam, omnibus illis signis, quæ nonnisi veræ, diuinitusque reuelatæ religioni competere possunt, quęque nonnisi à vero Deo eius auctore fieri potuerunt.

Quinta ratio eruitur ex hoc quod omnia, quæ essentialiter concurrunt ad veram religionem constituendam, sint quid vnum; vndè sic efformetur argumentum; Vera Religio necessario est vna, si quæ ad illam essentialiter constituendam spectant, sunt quid vnum; sed res ita se habet in vera religione, necessario igitur est vna. Maior videtur esse certa, probatur minor *primo* quia Deus ad cuius cultum vera ordinatur religio, est vnus; secundo fides ad illam necessaria, est vna, vt supra ostendimus; tertiò homines, qui Deum per religionem colunt, sunt eiusdem naturæ; iusque religionis in illa fundatur; vt enim Deus ex eo quod est auctor noster, & institutor, beatitudoque, seu principiũ, & finis naturæ humanæ ius religionis exigit, ita vicissim ex eo quod homo est rationis particeps, religionis eiusdem est debitor, siue ius illius ex intimis naturæ humanæ visceribus peti debet, nõ autem ex hominum instituto: nam si cæteræ virtutes veræ non ex opinione hominum, sed ex natura rei, scilicet hominis, cuius eæ virtutes sunt, diiudicandę sunt, quia vt rectè ait Tullius lib. 1. de legibus, & Origenes libro 5. contra Celsum, non pro hominum arbitrio, aut ex legum humanarum præscripto dicendus est homo bonus, aut vitiosus, cum ipsę leges humanæ possint esse iniustę, & earum ęquitas, sicut & alia omnia honesta, & turpia, sint à natura diiudicanda, an nimirum rectę illius rationi consona, vel non? si, inquam res ita se habet in cæteris veris virtutibus, multo magis in religione inter eas maximè censenda, atque adeo ex se, suaque natura vna, & simplex esse debet. Quod enim ius est ex natura, non ex hominum instituto, ac opinione, illud non est multiplex, & varium, sed vnum, & simplex; vnde ius naturale in eo differt à iure gentium, & à iure ciuili, apud omnes iuris vtriusq; peritos, quod ius gentium ex communi hominum ratione petitum, aliquam ex ea parte diuersitatem fortasse accipit: ciuile verò factitiũ, & ex hominum arbitrio pendens, varium in varijs nationibus esse potest, cum ius naturæ sit vnum in omnibus; si igitur in tali iure fundatur vera religio, nonnisi vna esse potest, accedente præsertim diuinæ vnius Dei reuelatione, per quam eam perfici necesse est. Quartò, quia religio non est quæcumque virtus, sed iustitia hominis aduersus Deum, inde etiam est vna; quapropter vltro dato, quod aliquæ aliæ virtutes, vt fortitudo, & temperantia seu continentia ex arbitrio hominum penderẽt, & opinionibus, quæ variæ esse possunt, non autem natura ipsa essent definita, id tamẽ de religione asseri non potest. Omnis enim iustitia respicit ius, quod à debitore nullo modo pendet, nec in eius arbitrio, & opinione positum est: nam etsi aliquis spontaneo contractu alteri

ius

ius in se, & sibi aduersus alterum creare possit, attamen vbi semel ius constitutum est, debitor obligatur, nec amplius in ea parte liber est, seu sui iuris. Supposito igitur, quod vera religio sit iustitia hominis ad Deum, nullo modo ex eius arbitrio dependens, sed tota ex Deo, qui vnus est, vniusque modi consequenter cultum, & latriam exigit ab omnibus hominibus, necessario debet esse vna. Quinto tandem, & vltimo fides, spes & charitas, quæ religionem essentialiter spectant, sunt etiam quid vnum, patet de fide ex dictis supra, quia ea respicit, quæ sunt à Deo reuelata sub eadem ratione formali; quodque diuersis temporibus, aut in diuersis statibus legis naturæ, Mosaicæ, & Euangelicæ, quas ab origine mundi vera habuit religio, non mutat vnitatem fidei nec consequenter religionis, sicut non est alius puer, & adolescens. Spes quoque eadem & vna est; nam nititur eiusdem veri Dei auxilio, & mediatoris meritis, seu ope. Vndè tam implicat spem, quæ religionem constituit, aut ad eam essentialiter pertinet, esse multiplicem, seu multas spes esse diuersas, quam repugnat multas esse hominis beatitudines, & multa beatitudinis principia, seu multos Deos; siquidem Deus quatenus Deus, & est hominis principiũ, & beatitudo, seu finis simpliciter vltimus. Idem etiam patet de charitate, quæ si ex toto corde, totaque anima proficiscitur vt debet, nõ potest esse nisi vnius summi boni, quale est vnus solus verus Deus. Ea igitur omnia, quæ veram religionem potissimum spectant, & eius essentiam, nec non statum constituunt, cum vnica sint in suo genere, seu multitudinem, & varietatem nullam admittant, necessariò fatendum est illam esse vnam, nec Deum, qui homines maximè in ea consociatos, & vnitos esse vult, singulis eorum, aut etiam nationibus permisisse liberam religionum institutionem.

Sexta ratio eiusdem veritatis fundatur in necessitate Religionis. Quod enim bonum in suo genere est necessarium, in eodem vnicum est; sicut vtilitas nonnisi in multis reperitur, quorum singula ad cõsecutionem finis sufficiunt, nullum verò eorum est necessarium: veram autem religionem esse necessariam superiori sectione ostendimus; multiplex ergo esse non potest vera religio; si enim multæ darentur religiones veræ, & consequenter ad salutem sufficientes, iam nulla earum esset necessaria, sed tantum singulę essent vtiles, ac proinde merè arbitrariæ: quod licet possit concedi in rebus merè accidentalibus, vel adiaphoris, secus tamẽ in substantialibus, qualia sunt illa, quę veram religionem ad salutem necessariam essentialiter constituunt, & vnam necessariò reddunt, vt statim diximus.

Septima, & vltima ratio pro vnitate veræ religionis desumitur ex ipsomet primo religionis, ac pietatis sensu omnibus nationibus à natura, eiusque auctore Deo indito; quo nihil antiquius habent, quam suam religionem conseruare, & qua armis, qua arte, consilijs & adhortationibus longè, latèque propagare; si enim non est vna quædam verissima, & omnino necessaria, sed aliæ adhuc præter ipsam dantur veræ; certè non esset, cur quam sibi proponunt homines, adeò tenaciter obstinatèque tenerent; cur adeò religiosè, & sanctè eã colerent, & obseruarent, vt quæ alioqui charissima habent, eius obseruationi postponerent; cumque strictissima obligatio, & extrema dimicatio significatur pro aris, & focis, seu pro religione suscepta esse diceretur; cuius cum oppositum videamus, certè non aliundè id prouenire potest, quam ex naturali instinctu, quo vnusquisque persuasum habet vnicam veram religionem esse, & eam consequenter arbitrariam non esse, sed omnino necessariam; quamuis multi errent in conclusione, vel in applicando veritatem illi, quam profitentur religioni, cum illam non habeat, sed Christiana sola, quam seruat Ecclesia Catholica Romana. Tantùm sufficiat ad

ad probationem huius veritatis, in qua non vsi sumus authoritate S. Scripturæ, cum multi ex aduersarijs illam non recipiant; iamque ex illa contra eam admittentes sufficienter ostēderimus to. 3. sect. 3. vnam esse veram Christi Ecclesiam extra quam salus non est.

Obijciet aliquis; ante Christi aduentum duæ fuerunt veræ Religiones, vna Iudæorum, altera Gentilium; Ergo etiam modo in statu legis Euangelicæ nedum duæ, sed tot sunt veræ religiones, quot sunt, quæ vnum verum Deum colunt, quantumuis diuersis inter se ritibus.

Respondetur ad hoc argumentum negando antecedens, non enim fuerunt duæ veræ religiones distinctæ Synagoga Iudæorum, & Ecclesia Gentilium, sed vna duntaxat, quæ componebatur ex illis tanquam ex partibus materialiter eam integrantibus, solumque accidentaliter distinctis, cum haberent omnes eamdem prorsus fidem, cæteraque omnia, quæ veram religionem essentialiter vnam faciunt. Vndè neganda est consequentia, nam omnes, quæ modo in statu legis Euangelicæ vnum Deum colunt religiones, veræque aut probabiles ab aduersarijs dicuntur, nedum differunt à Christiana Catholica accidentali aliquo ritu, sed nec eamdem cū illa fidem diuinam habent, imò potius in substātialibus, ac præcipuis eius mysterijs illi contradictoriè opponuntur, non igitur omnes sunt veræ, nec valet paritas in antecedenti adducta; quę tantum potest adaptari diuersis statibus, quos vera, vt sæpius notauimus, religio successiuè habuit, & nunc etiam habet in diuersis ordinibus religiosis; vide dicta tom. 3. sect. 3. cap. 6.

CAPVT III.

An sufficiat homini ad verum Dei cultum, promerendamque ab eo æternam beatitudinem, quod probabiliter tantum arbitretur veram esse, quam sequitur Religionem.

CVm multi non desint, qui admittunt vnicam esse veram Religionem, sed tamen de illa nihil certi penitus haberi posse, ideoque sufficere ad salutem, si quam sequuntur homines probabiliter existiment esse veram, contra hos agimus in præsenti, sequentesque conclusiones pro veritatis explicatione ponimus.

Prima conclusio, de Religione vera potest haberi certitudo; dum enim aduersarij dicunt oppositum, vel est sermo de ipso numine colendo, vel de ritu eiusdem colendi: at nihil certius est, quam vnicum supremum numen diuinum esse, vt supra sectionibus tertia, & quarta ostendimus: iam ergo falsum est ex hac parte de religione certi nihil haberi posse. Si dicant non de diuino numine supremo, quod nemo ignorat, sed de eius colendi ritu sermonem esse; fatemur hunc nonnisi Deo reuelante addisci posse, vt sectione superiori ostēdimus; at etiam ibi ostendimus posse nos certos esse, quod illum Deus reuelauerit, nec alibi quærendum esse voluerit, quam in Ecclesia Catholica Romana, stantibus argumentis euidentiæ credibilitatis, quibus illam insigniuit, & ad quæ penetranda, sufficit solùm humanæ rationis lumen; vndè nonnisi impius est, qui Dei reuelationem ita cognitam vel contemnit, vel ignoratam inuenire, & scire, quam studiosissimè nō curat. Et hoc sufficit ad probationem huius conclusionis, suppositis dictis superiori sectione de inuenibilitate veræ religionis.

Secunda conclusio nullus prudenter probare, & sequi potest religionem, quam veram, ac legitimam esse non est

certus. Ista conclusio sequitur ex dictis; fundaturque maximè in necessitate veræ religionis ad salutem; vnde sic argui potest; in his quæ ad Deum vt oportet colendum, salutemque consequendam sunt absolutè necessaria non sufficit probabilitas, sed requiritur indubitata certitudo; Igitur supposito quod vera religio sit certò inuenibilis, quodque ad illam spectantia sint absolutè ad salutem necessaria, vtque suo quis erga Deum debito, & obligationi satisfaciat; manifestè sequitur non sufficere illam religionem, quam probabiliter veram esse existimat, sed eum debere esse certum de ipsius veritate. Ista consequentia videtur esse certa, si antecedens est verum, quod ita probatur. Quia opinio probabilis prudenter tantum valet in rebus vtilibus, non autem vbi aliquid est absolutè necessariū, necessarioque prosequendum, cuiusmodi est vera religio; Si enim ibi valeret, quemadmodum qui probabile aliquid existimat, facta prudenti reflexione iudicat, id fortè ita se habere, & fortè ita non se habere; ita qui de religione probabilem solùm opinionem haberet, is prudenter iudicare deberet, se fortè sequi veram religionem, & fortè falsam; & ita fortè se habere medium necessarium ad salutem, & forte se illud non habere; quam autem sit absurdum tale iudicium, quodque aliquis suæ salutis, diuiniq; cultus vt oportet studiosus, satis habeat existimare; quod ita operando fortè honorat Deum, fortè non honorat, fortè saluabitur, fortè non saluabitur, videtur per se notum. Nullus igitur prudenter probare, & sequi potest religionem, quam veram, & legitimam esse non est certus; & quamdiu non est certus, quæ sit vera, debet in hunc finem omnem diligentiam, omneque studium impendere,

Nec talis inquisitio, vel disputatio otiosorum est, vt impiè ait Symmachus in sua ad Valentinianum relatione. Nam si pro grauitate negotij adhibenda est maior, aut minor diligentia, vt habeatur certa cognitio; cum negotium de verę religionis officijs sit maximi momenti, & non tantùm grauissimum, ac sanctissimum, sed etiam absolutè necessarium, in ea quærenda, & eligenda adhibenda est omnis sollicitudo, donec omnimoda habeatur de illa certitudo. Vt enim qui certus esset se alicui pecuniam debere, summam autem nesciret, & tamen illam non inquireret, imprudens, & iniustus haberetur; nec non ille, qui summam mille scutorum sodali debitam adulterina pecunia, aut certò sciens, vel saltem dubitans, an falsa esset illa pecunia solueret. Ita multò magis reprehendendi sunt illi, qui certò scientes Deum vnum esse, vera religione colendum esse, eamque vnicam esse, & ad salutem necessariam, & tamen non adhibent omnes diligentias, vt de illa certificentur, aut quid Deus ab illis exigat, quid ab eo reuelatum credere, quid promissum sperare, quem cultum, quæ obsequia præstare debeant, certò cognoscere non student: sed Deo placere, ac satisfacere putant, falsas etiam religiones sectando, quas probabiliter veras esse sibi persuadent. Eoque magis hoc absurdum est, quo vera religio de facto est de numero rerum diuinitus reuelatarum, diuinaque lege præceptarum; quoties enim Princeps, & Legislator lege sua aliquid præcipit, id non amplius liberæ, subditorum electioni, vel probabilitati relinquitur, sed nisi obseruetur Princeps offenditur.

Inter diligentias autem, quas nondum certus quæ sit vera religio, conferre debet, vt eam assequatur, potissima est sincerus ad Deum per orationem recursus, instanter illum rogando vt doceat se iustificationes suas. Cum enim homo de religione, deque Deo vt oportet colendo cogitare non possit, nisi inspiratione, & gratia eiusdem præueniēte vocatus, & misericorditer inuitatus, fidelis autem Deus sit, non permittet eum aberrare in inquisitione, quam sua ipse inspiratione eidem suggerit, & qua ille seriò, sincerèque petit notam fieri

ſibi viam qua ambulet.

At dicet aliquis, in rebus moralibus ſatis eſt opinio probabilis,& quãuis non ſit iudicium ſpeculatiuum certum, ſed tantum probabi e,cum eo tamen poteſt haberi iudicium rectum, ſeu practicè verum, ſecundum quod qui operatur, moraliter benè dicitur agere, & prudenter,quique ſic operatur certus eſt ſe benè operari; maximeque id valet, ſi quæ pro rei grauitate, requiritur diligentia in deliberando, conſilioque ac.ipiendo allata eſt: Ergò à pari qui de religionis,ſectæque alicuius veritate, iudicium aliquod ſpeculatiuum probabile duntaxat habuerit; is iudicio practico certus eſſe poteſt ſe eam ſequutum benè, ac prudenter agere coram Deo, ei placere, religionis obligationi ſatisfacere;præſertim cum multi diuerſarum religionum ſectatores à Chriſtiana,& Catholica alieni, quam ſolam veram eſſe nunc ſupponimus, eas bona fide,bonaque intentione teneant, pro illis mori parati, vel illas relinquere, ſi ſcirent eſſe falſas; ideoque multæ religiones ſi minus in ſeipſis veræ, ſaltem nobis veriſimiles, & probabiles, ſufficienteſque ad ſalutem eſſe poſſunt.

Reſpondetur ad hoc argumentum negando antecedens de rebus moralibus abſolutè, & ſimpliciter ad ſalutem neceſſarijs, vndè cum vera, eaque vnica religio ſit de numero illarum, non ſufficit, aut quod de illa probabilitas ſolùm habeatur, aut quod principaliter intendimus aliqua falſa probabiliter vera teneatur; certè tã ad beatitudinem neceſſaria eſt vera religio, quam vera virtus, quis autem niſi demens aſſeruerit virtutes falſas, ſeu vera vitia exiſtimata ſolùm probabiliter veras virtutes,ad beatitudinem vtilia eſſe, & tuta itinera. Falluntur ergò aduerſarij, dum in rebus moralibus, medium vtile, pluraque ad illas contingenter ſpectantia, confundunt cum neceſſarijs,vt enim quod vtile tantum eſt, multiplex eſt, in eoque, nec non contingentibus probabilitas, prudenſque operatio locum habere poteſt, ita quod neceſſarium in ſuo genere, ſeu ordine vnicum eſt, in eo probabilitas tantùm admitti non debet, ſed indubitata certitudo requiritur,vt quis benè, ac prudenter dicatur operari: conſequenterque quamdiu homo ſupponitur prudenter iudicare, ſe fortè ſequi veram religionem, & fortè falsã, & ita fortè ſe habere media neceſſaria ad ſalutem,& forte ſe ea non habere; ſanè is non debet ab inquirendo deſiſtere, alioqui negligentię ſacrilegę reus erit, nec eum aut bona intentio, aut paratum eſſe mori pro ſua falſa religione exiſtimata probabiliter vera, vnquam excuſabunt. Nam quot cernimus quotidiè flagitioſiſſimos mortem etiam oppetere pro ſuis conſilijs, & facinoribus improbiſſimis, qui non propterea innocentes habẽdi ſunt, ſed potius in ſua improbitate pertinaces, ac deſperati. Bona ſimiliter intentio, qua quis operatur malum, quod putat bonum,licet excuſet à peccato,quando eſt cum ignorantia inuincibili coniuncta, caſu quo detur,non ſufficit ad morum probitatem, aut ſalutem,nec enim rẽm malam, aut falſam reddere poteſt bonam, aut veram in ſe; prout requiritur, quando illa eſt ſimpliciter neceſſaria ad æternam ſalutem conſequendam;vt enim aliquis ea ſit dignus, eãque accipiat, debet non tantum non eſſe malus, vt poteſt eſſe qui laborat ignorantia inuincibili,ſecundum quod illa laborat, ſed præterea eſſe bonus, Deoque gratus, & dilectus per illas virtutes, quæ nedum in hunc finem ſunt vtiles, ſed ſimpliciter, & abſolutè neceſſariæ. De quo vide dicta to 3. ſect.3. cap. 6. nec non ſtatim dicenda cap.5.

CA-

CAPVT IV.

In negotio religionis libertas, seu indifferentia nullatenus admittenda est.

PRobatur primò, quia in tantum huiusmodi libertas admitti potest in quantum religiones, quæ vnum verum Deum colunt, sunt omnes veræ; aut cum vna solum ex illis sit vera, certoque inuenibilis, qualis est ex dictis superiori capite religio Christiana, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, sufficit quod aliæ quantumuis falsæ probabiliter existimentur veræ; sed non omnes, quæ vnum Deum agnoscunt religiones sunt veræ, nec sufficit ad salutem quod falsa probabiliter existimetur vera: Nullatenus igitur in negotio religionis libertas, seu indifferentia admittenda est; itavt quisque possit tuta conscientia, sufficientique ad salutem tenere religionem à maioribus acceptam, siue in qua natus, & educatus est, vel quam leges patriæ iubent, aut propriũ commodum, aliusque similis persuadet prætextus, quantumuis omnes sint falsæ, & ex præfatis capitibus solùm probabiliter existimentur veræ, si tamen illa religionẽ falsam possunt reddere probabiliter veram, cuius nos oppositum statim dicemus. Maior huius argumenti videtur certissima, continet enim præcipua, imo vnica fundamenta quibus aduersarij impiam hanc de indifferentia religionis opinionem fulcire possunt. Minor verò constat ex dictis in duobus superioribus capitibus.

Si autem religio falsa probabiliter existimata vera non sufficit ad verum Dei cultum, & hominum salutem, multò minus affectata, & ficta; quod etsi non asserant illi cũ quibus modo intẽdimus agere, qui vnum verum Deum colunt, quique religionis necessitatem ad eum colendum, & æternam beatitudinem promerendam admittunt, sed aliqui potius Atheistæ cum Machiauello lib. 1. de repub. cap. 12. opinantes nullius regni, vel reipublicæ salutem in tuto esse sine cultu religionis, quàm proindè omnium maximè affectare debent principes; quia tamen ex primo errore docentium indifferentiã religionis facilis est trãsitus ad atheismum, quodque consequenter nulla detur religio, sed hac potius specie, & larua religionis hominibus illudatur, breuiter ostendemus has inter se pugnare, & se se destruere positiones, videlicet quod religio sit hominibus necessaria, & quod tamen illa sit quid fictum, & purè falsum.

Etenim falsum, & errores sunt hominis, qua hominis proprijssima mala, & vitia, cum ipsi repugnent, & noceãt in quantum intellectualis, & homo consequenter est: Igitur hominum, qua hominum salus, & felicitas ciuilisque vita per se non magis in falso, & errore fundari potest, quàm salus corporalis in ægritudine. Quamuis enim interdum contingat per ægritudinem non grauem impediri lethalem, tuncque homo ab ægritudine quodammodo sanitate fruatur, ac viuat, hoc tamen non conuenit ægritudini per se, & secundum naturam; sed prouenit ab ipsamet virtute naturali sanitatis reparatrice,, quæ reperitur in homine, vt mox explicabitur; vnde si quis obijciat multa regna falsis etiam religionibus consistere, & durare, cur non ergo ficta, & purè falsa: respondetur talem consistentiam, vel durationem regnorum falsam quidem religionẽ, sed existimatam ab ipsis veram sequentiũ non oriri ex falsitate, sed ex veritate omnibus innata, qua vt vnum esse Deum agnoscunt, ita & dari veram, qua colatur religionem, licet errent multi in applicatione subiecti, vel sectę vbi illa reperiatur. Quod eodem statim allato ægritudinis exemplo declarari potest: illa enim leuis ægritudo non conseruat hominis sanitatem, & vitam, sed impedit grauiorem aliam, & ad-

& adhuc non ex se, sed quia datur in ipso homine virtus naturalis restauratrix sanitatis, quæ si non esset, ægritudo illa leuis nihil prodesset, sed periret homo: In his similiter, qui falsis religionibus, sed existimatis veris conseruantur, dantur duo, ipsa nimirum determinata falsa religio, quæ leui comparari potest ægritudini impedienti maiorem, vel lethalem morbũ, quia impedit grauiorem errorem, quod nulla prorsus nisi ficta detur religio, & consequenter quod non sit Deus: secundò simul datur aliud verissimũ naturale dictamen, quod vera detur religio, qua verus coli debeat Deus, à quo ipsa falsa religio robur totum accipit, atque respublica, vel regnum sanitatem, conseruationemque, videlicet esse viuendum cum religione, & non sine illa; quod certè dictamen si abesset, nec ipsæ falsæ religiones, neque regna vbi vigent consistere possent: vndè quantum ad hoc patet discrimen inter falsam religionem existimatam veram, & inter purè fictam, siue affectatam, quod ipsamet docet experientia, cum enim plura regna huiusmodi falsis religionibus consistant, nullum tamen vnquam legimus fuisse, aut esse, quod ficta constiterit. Implicat ergo quod religio sit hominibus necessaria, & tamen quod illa sit quid fictum, aut eius necessitas fundetur in aliquo falso, secundum quod est falsum, vt explicuimus.

Insuper eadem veritas probatur, quia repugnat aliquam Rempublicam, vel Regnum per hoc esse fœlix, vel fœlicius, quod erret; per hoc autem infœlix, ac miserum quod sapiat; vt satis per se patet, & à nullo nisi stulto negari potest: sed ex positione aduersariorum hoc sequitur: nam quæuis respublica hoc habito errore, vt aiunt aduersarij, quod cum religione est viuendum, habet conseruationis fælicitatisque suæ præcipuum fundamentũ: perit autem, nec durat, si sapiat, verumque deprehendat, religionem nimirum esse meram fictionem, & fabulam: Patet ergo quomodo hi impij Politici pugnent secum, & cum ratione, dum ad regni, vel reipublicæ salutem religionis necessitatem astruunt, & eam nihilominus esse quid fictum contendunt.

Secunda ratio contra religionis indifferentiam desumitur ad hominem contra aduersarios ex eo quod sit reipublicæ perniciosissima; cum enim vt illi fatentur religionis sensus ad pacẽ inter populos, & à subditis debitam principibus obedientiam seruandam plurimum valeat: adeo vt Tullius lib. 2 de legibus eam fundamentum legum omnium appellarit; nec vllus legislator suas vnquam leges, nisi religione aliqua sancitas, & authoritate diuina confirmatas valere posse crediderit: indeque factum fuerit, vt plerique eam commendationem falsis, fictisque prodigijs quæsierint; quod in loco aliquo sacro Senatus Romanus haberi solitus fuerit, vt numinis diuini præsentia, & metu in officio suo retineretur; sique inaugurandus princeps, aut magistratus aliquis, si iudex constituendus, si testis in iudicijs audiendus, si qua de re quæstio mouenda est, iusiurandi religio semper interposita fuerit, nec quidquam nisi iuratus aut patronus, aut iudex, aut testis legitimum faceret: Cum, inquam, talis status politici cũ religione connexionis persuasio nationibus omnibus excultis communis sit, ac fuerit: si semel ostendatur religionis vim irritam fieri, ac reddi per eius indifferentiam, efficax certè contra illam, eiusque assertores, habebitur argumentum.

Id autem probatur primò, quia, quemadmodum si quod bonum qualecumque illud sit, dubium aut incertum habetur, tanquam finis vltimus, aut beatitudo verè amari, & appeti nõ potest; eo quod finis, seu beatitudinis amor, & intentio absoluta, & efficax omnino esse debet, & si quo pacto circa bonum aliquod indifferens est, nec

circa illud toto impetu, vel saltem inclinatione plenissima ferri, nec illud tanquam finem vltimum, bonumque omnino necessarium amare, & velle potest: Ita quoque si semel illa religionis indifferentia politica admittatur; nec religio in numero bonorũ necessariorum, sed vtilium tantùm, nec in certa scientia notorum, sed in sola opinione ponatur, quæ nihil nisi probabile, & aliquatenus incertum habet; profectò quæcumque in reipublicæ administrationem à religione commoda, & bona proueniunt, ea languebunt, nullaque tandem prorsus erunt, quia nullus verus, aut diuini numinis, aut pietatis & iustitiæ aduersus illud sensus esse potest cum illa indifferentia, quãdoquidem voluntatis propensio totalis, & amor boni absolutissimus esse non potest, nisi ei illud intellectus bonum esse eiusmodi vnicum, necessariũ, & beatificum certissima, & indubitata cognitione proponat.

Secundò idem probatur, supponendo quod rerum ad religionem spectantium indifferentia nonnisi triplex esse potest scilicet circa Deum, circa essentiam religionis, & circa ritus eius accidentarios, & ostendendo vnamquamque Reipublicæ perniciosissimã esse. Atque in primis quod talis sit indifferentia circa Deum qui colitur, ita vt is qui colitur, credatur quidem probabiliter verus Deus esse, non ita tamen vt omnis dubitatio absit, patet, quia si Deum, v. g. Iouem, quem colendum quis existimat, eo quod à principe, aut populo agnoscitur Deum esse non est omnino certus, sed prudenter dubitare potest, eadem probabilitate credere poterit non fore, sibi aut illicitum, aut saltem noxium periuriũ, quo fidem eo inuocato datam fallat. Quàm autem in republica sancta esse debet fides non solùm in fœderibus cũ externis nationibus initis, verum etiã inter eiusdem ciuitatis, & reipublicæ ciues tum erga principem, tum etiam inter ipsosmet siue in priuatis cõmercijs, siue in publicis reip. muneribus; tam abominanda est illa doctrina, quę illi violandæ, periurijsque consequenter viam aperit, cuiusmodi est illa de religionis circa Deum indifferentia. Quæ etiam vbi semel animum principis imbueret, cum nullo fortiori freno à nimia dominandi auiditate, potestateque abutendi licentia cohiberi possit, quàm si certissimè credat esse Deũ præpotentem, quem cum suis subditis communem habiturus est iudicem, is facilè in tyrannidem declinaret; quam autem effrænis, ac tyrannica principis dominatio reipublicæ sit perniciosa, nemo non videt. Nec minor etiam indè oriretur in subditis morum corruptela; nam vt sæpe notaui, cum tota voluntatis constantia ex persuasionis eam dirigentis firmitate, ac certitudine pendeat, quæ in illis diuini numinis reuerentia, quis æternorum suppliciorum metus, quę perpetuæ iustitiæ voluntas religionis sanctitate confirmata esse posset, qui an veri sint illi quos colunt Dij prudenter addubitare possent; vt sequitur ex religionis circa Deum indifferentia, proindèque patet quantum sit reipublicæ pestifera.

Quia autem supposita etiam certa Dei veri notitia, ita vt nonnisi is qui certò agnoscitur Deus colatur, secundò indifferentia esse potest de cultu illi deferendo, ita vt quidem nonnisi Deus vnus verus colatur, sed pro arbitrio hominis, & cum multæ sectæ Deum vnum colentium sint, parum referat, quamnam illarũ quisquam amplectatur, quantumuis eę non solùm in quibusdam cæremonijs externis, vel accidentalibus discrepent, sed etiam in ijs rebus quæ religionis formam, & essentiam efficiunt, qualis est de Deo, diuinisque rebus fides, sacrificiorum, Sacramentorumque ratio; istam quoque indifferentiam reipublicæ damnosissimam esse asserimus; Illa enim semel admissa facilius nihil est, quam vt in ea, quæ suscepta est religione ob homi-

hominum leuitatem, & in istis rebus nouandi studium mutatio aliqua fiat, aut tentetur, quam dum nonnulli sustinent, alij verò damnant, non possunt non oriri grauissimæ inter ciues discordiæ, indeque labefactari reipublicæ pax & status. Cumque insuper erga ea, quæ vt dubia, aut tantum probabilia bona apprehendimus, non multum affici soleamus, & si qua in eis difficultas se offert, hæc ab ijs nos facilè deterreat: ex hac quoque indifferentia circa Religionis essentiam nascetur eius negligentia, & contemptus, nec non dubitatio de ipsiusmet Dei prouidentia, quasi religionis, vt potè rei omnino indifferentis negligentia non sit grauis eius offensa, aut etiam Deus hisce rebus, nec placetur, nec offendatur; quibus vt ad morum deprauationem, ita nec ad rerũpublicarum euersionem potentius esse posse fateri debent ipsimet Politici, qui vel religionem ipsam, vel saltem aliquã eius imaginem, seu vmbram ad continendum populos, & ad regimen politicum valere plurimum existimant.

Tertia tandem indifferentia circa ritus religionis externos, ac veluti accidentales, licet salua, & eadem manẽte religionis essentia specie mutari, & noui ab antistibus Ecclesiæ pro regionum, ac temporum diuersitate institui possint, noxia nihilominus est, nec quos semel Ecclesiæ authoritas instituit, illi à populo, aut etiam magistratu politico mutari possunt sine reipublicę præiudicio; non solum quia vbi id ab ipsis attentaretur spreta sacrorum Antistitũ authoritate, non solùm fieret iurisdictionis, & Superiorum confusio, indeque facilè rixæ oriri possent, & contentiones; verùm etiam quia ex tali mutatione populorum animi facilè offendi possent, dum istos accidentarios ritus ab essentialibus religionis partibus non discernentes, aut eam pessumdari crederent, aut verò assueti ea quę religionem spectant tanquam indifferentia habere, pietatis ac religionis sensum imminuerent; paulatimque aliquas superstitionis labes inducerent. Ex quibus omnibus, vt puto satis probatum manet Religionis, indifferentiam quomodocumque consideratam rebuspublicis esse perniciosissimam, atque adeò quod Politici incommodum illa declinare se posse putant, in illud idem sine dubio grauissimum eos incurrere.

Probatur tertiò nostra assertio ex voluntate Dei; in negotio enim religionis admittenda non est indifferentia, si Deus vnam solùm instituit Religionem, qua ab omnibus coli voluit; sed ita se habet; nequaquam igitur admitti debet religionis, quam Politici intendunt libertatem, vel indifferentiam. Maior huius argumenti est certissima, si enim vbi Princeps, ac Legislator lege sua aliquid pręcipit, id non amplius liberæ subditorum voluntati subiacet, sed nisi obseruetur Princeps ostenditur; id à fortiori de Deo supremo omnium Domino, ac Legislatore asseri debet, si nimirum aliquam solam ad eum vt oportet colendum religionem instituit, non amplius in ea dari locum indifferentiæ, ita vt vnusquisque aliam præter illam sequi possit religionem. Deum autem Optimum Maximum talem de facto instituisse religionem, illamque esse Christianam Romanam Catholicam sufficienter patet ex dictis superiori sectione, nec non tom.3. sect.3. cap.6. sibique indè persuadere deberent Politici de reipublicæ fęlicitate tantoperè solliciti, quod nihil ad prosperum eius statum, vtque saluus, & incolumis perseueret, efficacius, & potentius sit, quam dictam Religionem integram, atque illibatam tenere. Nam cùm ad præfatum statum potissimum requiratur, quod omnes reipublicæ partes debitam inter se ordinis æqualitatem, ac iustitiam seruent; eaque triplex sit, prima principum aduersus subditos, secunda subditorum erga principes, tertia denique subditorum, seu æqualium inter se concordia; si semel ostendatur religionem Christianam leges habere sanctissimas, quæ triplicem illam iustitiam, muneraque

que eius numeris omnibus absolutaे præscribant, indè euidenter apparebit religionem Christianam Romanam Catholicam ad reipublicæ salutem, ac pacem esse vtilissimam.

In primis autem rem ita se habere circa rectam principum institutionem, probant innumera, quæ de illa habentur Sacræ Scripturæ loca præsertim Sapient. cap. 6. Cumque nihil sit quo magis principes iustitiæ aduersus subditos ordinem peruertant, quam vbi potentia sua ad tyrannidem abutuntur; huic potissimum malo efficacissimum affert remedium Christiana religio, dum eos admonet, vt meminerint, ita se populũ Dei regere, vt cum eo aliquando supremo omnium Regi Deo in vniuersali iudicio sisti debeant, rationem de toto suo regimine seuerissimam reddituri, durissimamque si errauerint sententiam subituri: *Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur*, vt habetur loco citato Sapientiæ.

Christiana similiter religione, sub comminatione etiam supplicij æterni præcipiente subditis, quod dominis etiam discolis, & principibus iniquioribus non solùm externam obedientiã, sed adhuc internam animi reuerentiã, honoremque reddere debeant 1. Petri 2. & Rom. cap. 13. quid pro principum, & rectorum authoritate tuenda validius iuberi potest. Vnde rectè Diuus Augustinus in psal. 124. O quantum debent diuites, & reges Christo, qui illis componit domum, & regnum, & si ibi fuit seruus, & subditus infidelis, conuertat illum Christus, & non ei dicat: dimitte Dominum tuum, sperne Principem, iam cognouisti eum, qui verus est Dominus. Ille fortè impius est, & iniquus, tu autem fidelis, & iustus. Indignum est vt iustus, & fidelis, seruiat iniquo, & infideli. Non ei hoc dixit, sed vt magis seruiat, & parcat. Et vt corroboraret seruum hoc dixit: exemplo meo serui, quia prior ego seruiui iniquis. Si Dominus cæli, & terræ seruiuit indignis; quantò magis non debet dedignari homo, non ad oculum, non perfunctoriè, non vt solent Politici externa tantum specie, sed ex toto animo, & ex tota voluntate bona, cum tota videlicet Dei, & propter Deum proximi dilectione seruire Domino etiam malo.

Legem denique christianam concordiam inter ciues seruare, quæ est tertia iustitiæ politicæ, & ordinis pars qua salua manet respublica, constat ex eo quod concordiam duo potissimum faciant, scilicet æquitas, & amicitia. Quicumque enim erga alterum benè afficitur, vel iustus est, vel amicus; iustus quidem si quod ei debet reddit; amicus verò si bonum eius ex beneuolentia vult. Quanta autem hominibus insit iustitiæ obligatio vi legis Christianæ, testantur innumera, quæ in illa continentur præcepta, quibus nedum iniqua rei alienæ vsurpatio damnatur, verum etiam nisi restituatur, nec non si quæ proximo fuit iniustè illata iniuria reparetur, grauissimæ imponuntur pænę. Et cum apud alios amicitia, quàm angustis coarctetur finibus, solùm apud Christianos latissimè se diffundit ad quemlibet hominem etiam inimicum, quem propter Deum tenentur diligere. Verum de his statis ad præsens institutum de quibus alias prolixi scribi possent libri.

Quarto, & vltimo impugnatur religionis indifferentia ex ipsamet vanitate motiuorum, quibus illam aduersarij persuadere nituntur; maximè quia licitum est religionem à maioribus acceptã tenere, vel quam patriæ leges iubent, quę diuersę inter se, & ab alijs esse possunt: sed huiusmodi motiua non sunt sufficientia ad stabiliendam religionis indifferentiam; illa igitur admittenda non est, sed pro mero Politicorum figmento habenda. Probatur minor quo ad primum, quia religio quæ aliàs non est vera, non redditur vera per simile motiuum; igitur cum ex dictis supra ad debitum Dei cultum, æternamque ho-

minum salutem requiratur vera religio, quæ nonnisi vna esse potest, & non sufficiat falsa; ex eo præcisè quod aliqua religio sit à maioribus accepta indifferenter, tutaque conscientia teneri non potest: Si dicatur satis quidem non esse ad diuinum cultum religionem falsam pro tali habitam, secus autem si probabiliter vera existimetur, qualis haberi potest aliqua religio, ex eo quod sit à maioribus accepta; Respondetur ex dictis primò talem non sufficere probabilitatem, sed necesse esse quod nos de religionis nostræ veritate certissimi simus, quæ certitudo nõnisi veræ competere potest religioni. Secundo vltrò dato quod præfata sufficeret probabilitas, negamus illam prouenire posse ex eo præcisè, quod aliqua religio fuerit à maioribus accepta: sic enim Idololatræ omnes in idololatria semper manere potuissent, quam à maioribus acceperãt, quamque antiquitas maximè commendabat: vt enim de illis ait Alcimus Auitus in epist. 41. ad Clodouęũ: *Solent plerique in hac eadem causa, si pro expetenda sanitate credendi, aut Sacerdotum hortatu, aut quorumcumque sodalium suggestione moueantur, consuetudinem generis, & ritum paternæ obseruationis opponere. Ita saluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis custodia inutilem reuerentiam seruant, confitentur se quodammodo nescire quod eligant*. Et Symmachus apud S. Ambrosium in relatione ad Valentinianum nihil pro superstitionis suę & idololatrię defensione grauius, quam ipsam eius antiquitatem, & maiorum de ea iudicium, authoritatemque profert. Quemadmodum ergo talis ratio nihil suffragari potuit Idololatriæ, vt innumerabiles populi in illa enutriti perseuerarent, ita nec alteri falsæ religioni licitè sequendæ, etiamsi antiquæ, & à maioribus acceptę; atque adeò ratio inde pręcisè petita, illam probabiliter veram, ac legitimam reddere non potest, maioremque illi conciliare authoritatẽ, quam Deorum fabulis, quæ apud Sapientes nunquam ob antiquitatem eorum fidem obtinebunt.

Si respondeant aduersarij non quaslibet antiquas religiones, sed quæ vnum verum Deum colunt, licet diuersis ritibus, indifferenter esse amplectendas, dummodo adhuc huiusmodi ritus sacri sint, & honesti; iam ipsi quod nos intendimus concedunt, aliquam nimirum religionem nec esse veram, nec effici probabilem ex eo præcisè quod sit à maioribus accepta, nisi aliundè sit talis ratione obiecti, quod colitur, qui vnus solus verus Deus est, & sacrorum rituum, quibus colitur, aut alia ex causa; ac proindè licitum non esse illam sequi, quin imo non obstante antiquitatis prætextu, vnumquemque teneri, quam religionem veram esse deprehenderit, licet tunc primum sibi notam, & verò peregrinam amplecti, quamque semel amplexus fuerit constanter retinere: *Non erubesco*, inquit S. Ambrosius respondens Symmacho, *cum toto orbe longæuo conuerti. Verum certè est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morum. Nullus pudor est ad meliora transire*.

In tantùm ergo antiquitas potest esse veræ religionis nota, in quantum vbi primum incepit, nouaque consequenter fuit, suam tunc à Deo originem habuit, totaque ac talibus signis confirmata est, quæ nonnisi ab illo solo verę religionis authore fieri potuerunt, indeque semper eadem perseuerauit, absque vlla prorsus mutatione essentiali, sique fuit aliqua accidentalis, secundum diuersos quos habuit status, ea adhuc fuit Deo ipso ita instituente; qua antiquitate cum sola gaudeat religio Christiana, quam profitetur Ecclesia Catholica Romana, vt ostẽdimus supra sect. 2. cap. 27. & 28. nec non tom. 3. sect. 3. c. 3. vbi Iudaicam quando vera erat, & quã nonnulli gentiles ante Christum natum fideles, & pij obseruabant cum Christiana religione easdem fuisse probaui;

non

non video cur cæteris sectis ex hoc titulo præferri ab aduersarijs nõ debeat, qui vbi de religione disceptatur, antiquitatis præiudicium tantum apud eos valere ostendunt.

Licitè quoque teneri non posse religionem, quam leges Patriæ iubent, quod est alterum motiuum, tantoperè à Politicis commendatum, clarè demonstrant in primis, quæ statim diximus de Idololatria, siquidem apud eius sequaces nullum pro sua defensione solemnius effectum, præceptumque sanctius fuit, quam religiones patrias obseruandas esse: Quod si ipsis non profuit, nec etiam prodesse potest alijs falsis religionibus, eas nimirum indifferenter sequendas esse, & colendas, quas aut mores patriæ, & instituta, aut principes, & rerumpublicarum rectores imperant. Secundo falsitas huius impij dogmatis colligitur ex ruinoso cui innititur fundamento, scilicet quod Principes sint religionis authores, quęque circa illam aut ipsi, aut qui rempublicam regunt, decernunt, ea sancta ab omnibus subditis haberi, & obseruari debeant. Dicta enim superiori sectione de diuinæ fidei ad veram religionem necessitudine satis ostendunt, non humanam, sed diuinam esse eius institutionem, nec arbitrariam, sed tum in ipsa rerum natura, tùm in ipsa Dei voluntate positam. Nec enim aliter quam ipse vult, à nobis colendus est, nec alijs ritibus, aut ceremonijs, quam quas ipse nobis per Prophetas suos, & Apostolos præcepit, tanquã per suos nuncios, ac voluntatis interpretes, eamque ob causam se à Deo missos, legationemque suam probare debuerunt signis illis diuinis, quibus sect. 2. ostendimus esse euidenter credibile, quod sola religio Christiana ab illis edocta sit diuinitus reuelata.

Insuper cùm religio omnibus hominibus communis esse debeat, non alium quam totius generis humani cõditorem, ac Dominum legitimum habere potest authorem: nec in eam quidquam iuris habere possunt reges, aut principes, quos eiusdem religionis debitores ipsa, quam cum suis subditis, & alijs nationibus communem habent, naturę humanæ ratio constituit. Sicut igitur repugnat iuris gentium, quod omnes gentes comprehendit, multoque minus iuris ipsius naturalis authores esse principes, quia non potest quisquam esse legislator legis, & conditor iuris, cui ipse obnoxius est: ita quoque hominem vllum iuris diuini, seu religionis authorem esse omnino implicat. Adde quod si Principes quidquam in religionis forma, & essentia constituere possunt, alia esset vnius, & alia alterius regni religio; imo posteriori principe eadem authoritate, ac priori pollente, nõ solùm singulæ nationes suas religiones diuersas haberent, sed etiam eas pro varijs principum placitis subindè mutare possent; quę omnia quam sint absurda, & aliena à verę pietatis sensu, patet, sic enim solueretur vinculum illud religionis sanctissimum, quod omnes homines vincire, & arctè colligatos inter se tenere debet.

Totius denique religionis normam, & regulam esse non posse principum voluntatem, sed solius Dei egregiè colligitur ex incertitudine humani iudicij, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 91 art. 4. pręcipuè de rebus contingentibus; inde enim fit de actibus humanis diuersorum esse diuersa iudicia: quocirca vt homo absque omni dubitatione sciret, quid in negotio religionis ei agendum esset, & quid vitandum, necessarium fuit, vt dirigeretur per legem diuinitus datam, de qua constat, quod non potest errare.

Rursus cum de ijs solùm homo possit legem dare, de quibus potest iudicare: homo autem iudicare non possit de interioribus actibus, qui latent, sed solùm de exterioribus, qui apparent; manifestè patet humanas principum leges esse prorsus insufficientes ad veram religionem; ad cuius perfectionem, & hominis requiritur, quod homo in vtrisque actibus probus, ac rectus existat, nec exterior rectitudo esse potest dura-

bilis, & diuturna constansque sine interna rectitudine, & etiam quia humanę leges ad ea etiam externa nō sufficiunt, quæ clam, & sine testibus fiunt. Quam igitur ex Tullio ipso lib. de leg. *stultissimum est existimare omnia iusta esse, quæ scita sint in populorum institutis, aut legibus*: quin imo, quam probrosa sunt flagitia, quam immania, quæ non solum apud nationes barbaras, sed etiam politas, vt Athenienses, & Romanos in ritibus sacris admissa esse scimus; tam ridiculum, & impium est, quod politicus nisi sit atheista, ausit dicere eas religiones vnicuique sequendas esse, quas aut leges patriæ, aut principes, & rerumpublicarum authores imperant.

Tantùm sufficiat de pręsenti controuersia, solùm in fine huius capitis monuerim illam valdè differre ab alia, quæ solet fieri, an nimirum in aliquo regni vnius, aut ditionis loco permitti possint, ac tolerari Iudęi, & heretici; qui enim Principes Catholici permittunt, seu tolerant Iudaismum, vel hæresim in sua ditione, id nō faciunt, quia arbitrentur vnumquemque in sua saluari posse religione, vt asserunt Politici cum quibus hic egimus, sed quia interdum id non possunt impedire, vel ex tali permissione sperant maius bonum, aut euitare maius malum, quod aliter euitari non potest; quibus in casibus, aut etiam eorum aliquo communiter docent Theologi posse Catholicum principem permittere, seu tolerare hęreticos in sua ditione; sicut etiam permittendi ritus, & exercitia Iudęorum duplicem causam assignant. Prima est, vt per ritus Iudaicos adumbretur, & cōfirmetur fides Christiana ex D. Augustino lib. 18. de ciuitate Dei cap. 46. & D. Thoma 2.2. quęst. 10. art. 11. Altera, vt Iudęi, qui exercent suos ritus, & intelligunt à Christianis inter quos habitant, ritus illos fuisse tantum vmbras, & figuras Christianę religionis, facilius ad eam conuertantur, vt docet D. Tho. loco cit.

CAPVT V.

An aliquis saluari queat extra veram Religionem.

RESolutio huius controuersię in partem negatiuam satis quidem patet ex dictis. Cum enim in tantum aliquis extra veram religionem saluus fieri queat, in quantum ad salutem sufficere posset falsa religio probabiliter tamen existimata vera, ideoque licitum esset vnicuique illam amplecti, & colere religionem, quam talem arbitraretur: iam semel probata huius pronuntiati falsitate, manifestè sequitur neminem extra veram quam profiteatur religionem saluari posse. Nihilominus vt rem ex proprijs, & quoad omnes suas circumstantias definiamus, placuit sigillatim hanc quęstionem excitare pro cuius intelligentia.

Primò notandum est religionis verę expertem triplici modo reperiri posse, primò ita vt nullam certam sibi necessariam existimet, sed tantùm aliqua in genere; secundò ita vt aliquam certā sequendam esse arbitretur, sed sibi satis esse si eam diligat, quam probabilem opinatur; tertio si ignorans quæ sit vera, falsam sequatur; quia autem datur duplex ignorantia vincibilis vna, inuincibilis altera, difficultas procedere potest de laborante tam vna, quam altera circa veram religionem, vtrum extra illam salutem ęternam consequi possit.

Secundo recolenda sunt iam dicta tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 7. & 8. vbi ostendimus veram religionem, siue Ecclesiā esse omnibus visibilem, posseque etiam indoctos illam agnoscere: nec solùm possunt, verum insuper tenentur omnes homines docti pariter, ac indocti eiusdem veræ religionis conscij esse: cum enim ea sit eius proprietas, vt sit, ac ab omnibus iudicetur res obligatoria, & vitę etiam ipsi pręhabenda, clarè patet hanc obligationem subsistere non posse, nisi ipsius veritas citra omnem opinio-

nem

nem constet. Hinc iam, cum indocti quoque religionem sub eamdem obligationem colant, fit, indoctos etiam veritatis illius debere esse conscios, certosque. Est tamen differentia inter obligationem habēdi reipsa veram religionem, & obligationem habendi illius veritatem satis notam; quod prima est necessaria ad salutem necessitate, vt dicunt, medij, id est, qua reipsa non habita saluari quis omnino nequeat; at alia scilicet agnoscendi, veritatem religionis non est in se necessaria necessitate medij, sed solum præcepti, & tãtùm in eo gradu est primo modo quasi mediatè necessaria, sine quo vera religio prorsus haberi non possit: nam aliquam cognitionem siue practicam, siue aliam, siue veritatis, siue credibilitatis, iuxta diuersam doctorũ opinionem, in aliquo demum gradu requiri, nec sine illo, quidquid adsit externa confessio, internam dari fatentur omnes. Ex quo fit, vt in vera religione, qualem nos supponimus solùm esse Christianam Romano - Catholicam, saluari quis non possit, etsi externè talis sit, sine vlla prorsus cognitione veritatis, quia is corde non credit. Fit verò, eum saluari, si sufficientiam meram illius cognitionis assecutus sit, qua scilicet iam valeat verè credere, licet interea negligens fuerit, & hæretico etiam, ac pagano negligentior: si quid namque in eo deliquit, inter reliquas ignorantiæ culpas, vel pœnitentia, vel contritione veniam consequitur. At contra hæreticus, vel paganus, aut alius quicumque extra veram religionem existens, quanquam in ea cognoscẽda, & quærenda diligentior, damnatur tamen: quia caret re præcisè requisita, & necessitate medij necessaria, vera quippè religione, & fide; sine qua statim ostendemus saluari prorsus neminem.

His prænotatis in hac controuersia pro parte affirmatiua citari possit Pelagius, quatenus Christiana religione docente neminem beatum esse posse, nec Christi regni hæredem, nisi qui eiusdem Christi gratia, & fidei, spei, & charitatis, virtutibus supernaturalibus præditus sit, dictus hæresiarcha, vt vim rationum, & authoritatum id probantium, quibus premebatur, eneruaret, præter beatitudinis supernaturalis, & damnationis statum excogitauit tertiũ aliquem alium medium, quem vitam æternam appellauit, in eoque collocauit infantes, qui sine baptismo Christi, atque adeo extra veram religionem moriuntur. Et quamuis posteriores Pelagiani non ausi sint vitam hanc æternam, & secundam felicitatem concedere infidelibus adultis, quantumuis bonis, & virtute ciuili seu Philosophica excellentibus; non desunt tamen doctores, qui Pelagium id primum sensisse arbitrentur. Verùm quidquid sit de hoc, Politici, quos huc vsque impugnauimus, consequenter ad suam de religionis indifferentia sententiam, tenentur asserere, quemcumque extra veram religionem saluari posse. Id ipsũ docuere nonnulli quoque hæretici, inter quos Hu dricus Zuinglius in expositione fidei Christ. tom. 2. art. 12. scripsit etiam Gentiles vt Herculem, Theseum, Numam Pompilium salutem æternam consecutos esse, ac in Cælis cum Christo degere. Quod paradoxum denuò defendere ausus est in Batauia Adolphus Venator minister Alcmarianus in sua declaratione, adducto in probationem suæ sententiæ præfata Zuinglij, nec non Erasmi Roterodami testimonio; item quidam Franciscus Pucius Filidinus in lib. de Christi saluat. efficacitate. Quod tamen alij acriter reprehendunt, fateturque Casaubonus exercit. 1. n. 1. ad apparatum Annalium Baronij p. 1. id repugnare Sanctis Patribus: *Verissimum est*, inquit, *quod initio Apparatus sui scribit Illustrissimus Cardinalis Cæsar Baronius, ex omnibus mortalibus, qui indè ab exordio mundi fuerunt, neminem æternam salutem esse consecutum, nisi à Christo, & per Christum*: & ad hoc confirmandum addu-

adducit testimonia S. Augustini p. 3. *Credendum sanè*, inquit, *etiam ante natum à B. Virgine Dominum, alios quoque salutis factos esse participes, paucos qui vel apparent in scripturis, vel in genere humano latent, vt ait B. Augustinus in epist. 99. ad Euodium Episcopum, sed illud quoque simul credendum, neminem vlla vnquam ætate ad spiritualem Ierusalem pertinuisse, nisi cui diuinitus reuelatus fuerit vnus Mediator Dei, & hominum, homo Iesus Christus, qui venturus in carne, sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum venisse nuntiatus est, ait idem August. de Ciuit. Dei lib. 8. cap. 47. & in epist. 28. ad Hieronymum verba illius sunt: Certus sum non esse animam vllam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem Mediator Dei, & hominum homo Iesus Christus.* Sed relicta hac inter se Nouatorum pugna pro resolutione controuersiæ sit.

Prima Conclusio. Nullus scienter veram non habens religionem saluari potest. Hanc conclusionem iam probauimus aduersus hæreticos tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrũ authoritate tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 6. sed quia nunc agimus cum nonnullis, qui illam fortè non admittunt, superest vt in eiusdem veritatis confirmationem aliquas rationes adducamus, quas etiam ratio naturalis dictat.

Primo, si quis scienter veram non habens religionem saluari potest, maximè quia licet vnica sit vera, certoque etiam inuenibilis religio, illam vt par est quærenti; sufficit tamen ad salutem falsa probabiliter existimata vera; sed falsa religio quantumuis probabiliter existimata vera non est ad salutem sufficiens: Igitur nullus scienter veram non habens religionem saluari potest. Maior huius argumenti est certa, continet enim vnicum rationabile fundamentum oppositæ sententiæ. Minor autem patet ex dictis supra cap. 3. & iterum illã probo ex principio ab ipsis philosophis lumine naturali noto, quod virtus quatenus virtus est, ad beatitudinem via est; tantamque esse inter virtutem veram, & beatitudinem connexionem, vt qui illa præditus non est, is ad istam ius habere non possit. Fatentur enim omnes Philosophi, hanc esse illius præmium, & consequenter, vt qui illa donari vult, virtutem colat, probusque sit, ac bonus; vndè sic arguo ad beatitudinem promerendam, siue supernaturalem, siue naturalem de cuius possibilitate modo non disputo, non sufficit fucata, non falsa, aut adulterina virtus, sed requiritur vera, seu quod idem est, vt quis in quocumque statu beatitudine dignus habeatur, necesse est, quod sit vir bonus, & probus, seu vera morum probitate præditus, vt enim præmium, ac merces est vera, ita quoque meritum debet esse in vera virtute fundatum, præsertim si quæ virtus est necessaria ad illam obtinendam necessitate medij: Igitur nec etiam sufficiet religio falsa, & adulterina quantumuis probabiliter existimata vera, vt quis cum illa, sine vera, aut extra veram religionem salutem consequatur æternam, cum inter virtutes morales præcipua sit, simpliciterque necessaria necessitate medij ad salutem virtus religionis.

Secundò, nullus à Deo promereri potest beatitudinem, vel præmium colendo illum ritibus vanis, quique ei non placent, imo ab eo prohibiti sunt, sed qui falsam profitetur religionem, quantumuis probabiliter teneat illam esse veram, colit Deum ritibus vanis, quique consequenter ei non placent, imo displicent, & ab eo prohibiti sunt: Ergo nullus scienter veram non habẽs religionem saluari potest; sed illius potius neglectæ reus erit, donec illam certò inuenerit, adhibita omni exquisitiori diligentia.

Vndè probatur tertiò nostra conclusio: Negligens quoquo modo verã religionem nedum saluari nequit, sed Deo potius inuisus, & damnatione æterna dignus est; sed qui scienter veram

ram non habet religionem, contentus falsa, & adulterina, quam solùm probabiliter sibi persuadet esse veram, veram negligit religionem, extra illam igitur saluari nullatenus potest. Maior huius argumenti videtur esse certissima: in primis enim si supremus Princeps grauiter offenditur, quando se à subdito neglectum existimat; multo magis id asserendum est de Deo Rege Regum, ac Domino Dominantium, vbi à vilissima negligitur creatura; deinde ratio id persuadet, quia talis est Deus, & homini iam certo de eius existentia, & vnitate tantoperè occurrit amandus & colendus, vt, cum supremum bonum summèque diligendum sit, statim etiam non possit non occurrere eius animo summum in Deo ius esse religionis, grauissimaq; in homine obligatio Dei, vt par ẽst cognoscendi, & colendi; illã ergo negligens, non potest non esse Deo exosus, siue reus apud eum violatæ religionis, & dignus eius offensa, & vindicta. Vndè probanda est minor, in qua est tota difficultas, quod nimirum quis scienter veram non habens religionem, contentus falsa, & adulterina, quam solùm probabiliter putat esse veram, negligat veram religionẽ: Is enim rem aliquam dicitur negligere, qui minori in pretio habet, quam aliquid aliud, quod cum prosequitur, & in illud studium, animumque confert, rem illam non quærit, nec ei amãdæ, prosequendæque attendit, vnde fit vt ea careat: sed qui scienter veram nõ habet religionem, cum tamen sciat illam dari, esseque certò inuenibilem, contentus falsa, quam solùm probabiliter existimat esse veram, nec vlteriorem adhibet diligentiam in vera religione quærenda, suis præpeditus passionibus luxuriæ præsertim, ac superbiæ, quæ à vera religione quærenda, illique colla subdendo magis animum auertunt, quod aduersa potissimum sit carni, captiuetque intellectum in obsequium fidei, is certè illam, aut nihili facere, aut certè minoris quam debet, mereturque rei grauitas, dicendus est ergo & illam negligere; nec non imprudenter se gerere in negotio religionis, vt diximus supra cap. 3. In quo licet possit admitti probabilitas circa singularia, & contingentia, secus autem circa necessaria eius officia, & munera, sed requiritur omnimoda certido: vndè vt homo prudenter in hoc se gerat, debet tam certus esse Deum cui debetur religio, quam se, qui eius debitor est, existere. Deindè eam ad beatitudinem comparandam sibi penitus esse necessariam. Præterea quid sit religio vera, seu quis verè pius, & aduersus Deum iustus, ac religiosus sit, sicut in disciplina morali beatitudinis, ac virtutum notiones, & definitiones certissimæ sunt, cumque eadem sit iuris diuini, seu quod Deus habet, vt ab hominibus agnoscatur, ametur, & colatur, & veræ religionis ratio, istaque omnino ad salutem consequendam sit necessaria, pari certitudine res omnes illæ à quouis in negotio de religione prudenter se habente cognoscendæ sunt, omnesque in hunc finem adhibendæ diligentiæ.

Secunda Conclusio. Nullus extra veram religionem saluus fieri potest, quantumuis inuincibilem de illa ignorantiam habeat. Istam quoque conclusionem probauimus tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 6. quã tenent omnes Theologi, paucis exceptis, qui multorum populorum ignorantiæ succurrere conantes, putant eos saltem per accidẽs, & per ignorantiam inuincibilem veræ religionis, saluari posse in quacumque alia, si probè in ea se gesserint, nihilq; graue saltem contra rationem naturalem admiserint. Imo vlterius procedentes, si quis inter eos crimen admittat aliquod graue, asserunt, quod sicut Deus, ita exigente infinita eius misericordia, vult peccatores fideles conuerti, & saluos fieri, vt fatentur omnes Catholici, & Sacra toties Scriptura testatur; vndè sicut innocenti Deus præstat media ad seruandam innocentiam

tiam necessaria, ita peccatori nulli illa ad pœnitentiam denegat; sic etiam rem se habere cum peccatoribus verã religionem inuincibiliter ignorãtibus; quatenus aiunt illos diuino mediante auxiliò posse Deum super omnia diligere: quo præstito omnia prorsus sunt in tuto; cum ex diligentibus Deum super omnia pereat nemo; in hoc tamen miserandos esse, quod cum ea dilectio tam sit difficilis, ac ardua, rarum sit apud ipsos, ac perdifficile peccatoribus remedium; sed verò Catholicis vbique obuiam, & facilè per Sacramentum pœnitentię. Indè autem distinctionem faciunt necessitatis fidei, vel in re, vel in voto, vt de alijs quoque rebus distingui solet, & quæcumque de necessitate fidei ad saluté proferuntur, intelligenda dicunt de fide, vel in re, vel in voto; dilectionemque illam Dei super omnia à Gentili, vel Mahometano elicitam, esse fidem, atque adeo veram religionem in voto. Vel etiam de habitũ fidei explicant, quem dilectio Dei super omnia secum necessariò affert.

Nostra tamen conclusio est omnino tenenda, scilicet extra veram religionem, seu extra veram fidem, quæ sola veram religionem fundat, saluari prorsus neminem posse; quam adeo certam existimant Theologi, vt contraria sententia sit erronea, imo hæretica; vbi per veram religionem, seu fidem intelligi, debet Christiana, qua vnusquisque credit vel implicitè, vel explicitè in Iesum Christũ filium Dei; qua aliquid Deo dicenti credimus, & super omnia credimus; supra rationem naturalem, supra eius dictamen, supra Philosophiam, & cuncta similia; qua olim populus Dei tam in lege naturæ, quam in lege Mosaica fidelis erat, nunc autem populus Christianus fidelis est, quæ fides vna, sicut baptisma dicitur, & intra Romano Catholicam Ecclesiã duntaxat reperitur: Ideoq; excluduntur omnes actus naturales, nec non qui ab aliquibus ponuntur supernaturales non ab obiecto; sed à solo principio: non enim solum principium, vel causa actum facit fidei, vel non fidei; nec scientia fides est, nec fides humana in diuinam transit, ac vice versa, quicquid principia cuncta commutentur.

Conclusio sic explicata de fide diuina, cuius essentia sit Deo credere, imo quæ aliqua etiam obiecta supernaturalia, maximè verò Christum Deo reuelanti credat; probatur primò, quia licet ignorantia inuincibilis de vera religione, aut fide vtpotè inuoluntaria possit excusare aliquos à peccato infidelitatis, vt scilicet nõ dicãtur infideles positiui, æternaque idcircò damnatione digni, sed negatiui tantum; non facit tamen illos verè, ac formaliter religiosos, seu fideles, imò semper manent, dicique possunt irreligiosi, & infideles materialiter: sed vt quis saluus fiat debet esse verè, ac formaliter religiosus, seu fidelis, cum vera religio seu vera fides, quę sola veram religionem fundat, necessaria sit necessitate medij: Igitur nullus extra veram religionem, aut fidem saluari potest, quãtumuis inuincibilem de illa ignorantiam habeat.

Si quis dicat ad minorem ex doctrina superius allata veram religionem esse necessariam ad salutem vel in re, vel in voto, non autem semper in re, vt dicitur de baptismo fluminis. Respondetur primo iam haberi ex hac solutione neminem absolutè extra veram religionem saluari posse, quam, vt quis saluetur saltem debet habere in uoto, licet non habeat in re; quare difficultas solùm erit, vtrum hæc in præsenti casu distinctio locum habere possit, ad quod respondetur secundò negatiuè ex disparitate inter illum, & baptismum. In tantum enim baptismus in uoto sufficit non potenti illum habere in re, in quantum iam habita fide illius, inde aut elicit actum amoris Dei supernaturaliter cogniti, & dilecti, aut uerò in confessionem illius per marty-

rium

rium sanguinem vsque ad mortem profundit; atque adeo, licet solus baptismus fluminis sit Sacramentum, & vbi recipi potest simpliciter in re necessarium, nec sufficit votum illius, illud tamen satis est, vbi in re suscipi non potest, sufficienterq; habetur per baptismum flaminis & sanguinis, quæ propterea dicuntur metaphoricè baptismata, quia in necessitate supplent defectum Sacramēti baptismi; eo quod ad positionem illorum Deus confert gratiam nō baptizatis; baptismus enim flaminis definitur esse non baptizati cōtriti desiderium Sacramenti baptismi, conceptum ex inspiratione flaminis Sacri, siue Spiritus Sancti; baptismus autem sanguinis, quod fit martyrium non baptizati, siue martyrium præcedens baptismi Sacramentum.

At in eo qui falsam colit religionem, veram inuincibiliter ignorans, illaque proindè carens, nihil prorsus reperitur, ratione cuius possit dici illam habere in voto, & consequenter per illam saluari, si enim quid daretur deberet esse vera fides, vel dilectio Dei authoris supernatnralis, vel vt authoris præcisè naturæ, sed vt supponitur vera fides in eo non est, si enim illa præditus esset, iam etiam veram religionem haberet, quæ per fidem constituitur; dari etiam in eo non potest dilectio Dei authoris supernaturalis, talis siquidem dilectio sine vera fide haberi non potest; si autem in eo admittatur solum dilectio Dei, vt authoris naturæ, non sufficit vt per eam dicatur habere veram religionem, veramque fidem in voto, aut implicitè, cum sint quid supernaturale, aut superiu, quod nec in voto, nec implicitè contineri potest in inferiori; nec etiam talis dilectio sufficit ad merēdam beatitudinem supernaturalem, siquidem principium, & finis, meritum, & præmium, in eodem ordine esse debent, ita vt vtrumque sit aut naturalis, aut supernaturalis ordinis; Nullus igitur extra veram religionem in re habitam saluari potest, quātumuis circa illam laboret ignorantia inuincibili, sed oportet eum saltem credere, quia Deus est, & quia remunerator est, si quidem omnes quotquot sunt fidei articuli, & veritates in illis primis credibilibus; virtualiter, & implicitè continentur, in esse quidē diuino omnia, quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus vltima nostra beatitudo consistit; in fide autem diuinæ prouidentiæ omnia quæ temporaliter à Deo dispensantur ad hominum salutem, quæque sunt media ad æternæ beatitudinis consecutionē necessaria; vt explicuimus tom. 1. lib. 2. sect. 3. cap. 2.

Negari tamen non potest, quin si quis veram religionem in specie inuincibiliter ignorans faceret tamen, quod in se est ex viribus naturæ cum auxilio diuinæ gratiæ nemini à Deo denegatæ, indèque Deū qui inuincibiliter ignorari non potest, eumque esse colendū, quantum, aut quomodo cognosceret, super omnia amaret, & coleret, negari, inquam, non potest, quin optima esset dispositio ad vlteriorem veræ fidei, ac religionis cognitionem tandem habendam, nulli enim vnquam veritatis cognitio negata, qui dignus fuit: & cui ea defuit, dignus non fuit. Vndè etiam non sequitur, eos homines, vel Indos, vel Persas, vel quoscumque alios, ad quos nulla vnquam veræ religionis, & Euangelij notitia peruenit, etiamsi probè se gerant, nihilque graue saltem contra rationem naturalem admittant, sine vera religione ob suam ignorantiam saluari posse; sed tantum eos, si ritè se gerant, ad veritatis cognitionem adducendos, vt explicabitur capite sequenti in solutionibus obiectionum, nec non in fine præsentis.

Quia autem nostra secunda conclusio processit ex suppositione inuincibilis ignorantiæ circa veram religionem, nullum videlicet extra illam saluari posse, etiam si inuinciliter, ac sine culpa illam ignoret, nunc breuiter, & quantum patitur instituti nostri ratio, exa-

examinanda est præfatæ suppositionis veritas ad multarum difficultatum solutionem haud inutilis.

Pro cuius intelligentia primò notandum est, dum inquiritur an aliquis inuincibiliter, & sine culpa veram religionem ignoret? quæsitum non procedere de culpa, seu peccato originali, ex quo vt cætera omnia mala, ita quoque emanauit vulnus ignorantiæ altissimũ; & propter quod Deus potuit nos omnes vti regno, ita etiam verâ religione priuare; sed de culpa personali, & actuali, an scilicet aliquis citra omnem suam actualem culpam veræ religionis notitia destituatur? supposítione facta iuxta tutiorem, & communiorem Theologorum doctrinam, quod Deus nemini adultorum propter solum peccatum originale sufficientiam ad salutem denegarit; venit enim Dei filius, vt ab illo maximè nos omnes redimeret; igitur sufficientiam saltem illam, & meruit, & obtinuit, cum exauditus legatur.

Secundò obseruandum est dubiũ non esse, quin aliqua interdum detur ignorantia inuincibilis, quinque excuset à peccato; quare difficultas est verũ illa detur in hac determinata materia veræ religionis, aut fidei, ita vt infidelibus non apostatis, siue qui veram fidem nunquam susceperunt, carentia illius à peccato infidelitatis possit excusari. Licet enim infidelitas ex suo genere peccatum sit, nihilominus in re ipsa videtur aliquando posse à peccato excusari, si voluntas desit, quia vt sit peccatum, voluntaria esse debet.

Cum autem tria sint, quæ in adultis, de quibus est quæstio, non autem de paruulis, nec de adultis perpetuò amentibus, quæ voluntarium impediant, scilicet, metus, concupiscentia, & ignorantia; de duobus primis nulla est in præsenti controuersia, quia illa duo si vsum rationis non impediant, nõ causant inuoluntarium simpliciter; sed tantùm secundum quid, & ideo non possunt excusare infidelitatem, si cætera necessaria ad credẽdum adsint: nam voluntas credendi Deo reuelanti, ac docenti, omni humano amori, & timori præponenda est; tota igitur difficultas est circa ignorantiam. Et ratio illius est, quia ignorantia, vt cuncti admittunt, omnino tollere potest voluntatem, si ipsa quoque sit inuoluntaria; vndè cum in pluribus adultis sæpe contingat, vt neque auditus, neque cogitatio fidei ad eos perueniat; videtur affirmandum carentiam fidei nullo modo cadere in voluntatem eorum, ac proindè à culpa excusari.

Tertiò recolendum est, quod superiori sectione iam notauimus, communiterque docent Theologi, duas nimirum esse partes materiæ fidei, & religionis illam profitentis, vnam supernaturalem omnino, quæ nisi per reuelationem cognosci non potest, vt mysteria Trinitatis, Incarnationis, cæteraque similia; alia autem dicitur naturalis, quia per rationem naturalem cognosci potest, vt Deum esse, unum esse, cultu dignum esse, & amore. Inter quas est discrimen in hoc, quod circa priorem materiam solum cadit obligatio præcepti supernaturalis, quia lumen naturale illam attingere non potest, circa posteriorem autem cadit duplex obligatio, una præcepti supernaturalis fidei, quatenus etiam illa pars à Deo reuelata est; altera autem præcepti naturalis, quo obligatur homo ad illas ueritates cognoscendas etiam in pura natura. Vndè fit circa hanc secundam materiam, posse quidem, si primo spectetur modo, seu ut substat præcepto supernaturalis fidei, dari ignorantiam inuincibilem à culpa excusantem, qui illa laborat; secus autẽ si secundo modo consideretur. Quocirca hæ duæ ignorantiæ necessariam inter se non habent connexionẽ, possuntque multi habere auxilium immediatè sufficiens ad satisfaciendum secundæ obligationi; ratione cuius infidelitas in illis excusari non potest à culpa ob ignorantiam, secus autem

respe-

respectu primæ; defectu præsertim sufficientis notitię, vel propositionis reuelationis diuinæ simpliciter necessariæ, vt talis obligatio, vel præceptum adimpleri possit, eiusque non adimpletio tribuatur culpæ, indeque aliquis positiuè infidelis dicatur, vt magis explicabitur inter soluendum argumenta.

Quartò supponendũ est tres esse infidelium ordines, primus est illorum, quibus diuina fides, in eaque fundata religio sufficienter annuntiata, & proposita est, & tamen credere noluerunt, de quibus nulla est quæstio, eos enim nullam habere excusationem fatentur omnes; secundus eorum, qui in alio extremo nihil prorsus de fide audierunt, nec sufficienter, nec insufficienter, nec per prædicationem, neque per rumorem, aut famam; Etsi enim de hoc facto videatur olim fuisse aliqua controuersia inter veteres Patres, quibusdam vt Chrisostomo, Theophilacto, Eutymio, & alijs affirmantibus tempore Pauli annuntiatum fuisse Euangeliũ in vniuerso orbe; quibusdam autem vt Augustino, Anselmo, multisque alijs negantibus: vltro nihilominus admisso primam sententiam esse veram, quo ad omnes prouincias, & regna orbis; non debet, nec potest intelligi quo ad singulas personas vt rectè aduertit Diuus Thomas lect. 4. cap. 10. epist. ad Romanos, quia sine dubio etiam in illis regnis, vbi prædicatur fides, reperiri possunt multæ personæ singulares, quæ nihil de fide audierunt, quod sufficit nobis. In tertio denique, & medio ordine possunt esse infideles, qui de vera fide, qualis apud nos est sola Christiana Romano-Catholica, aliquid audierunt vel per famam, & rumorem, vel per aliqualem prædicationem non tamen sufficientem, vt inter Turcas, & Indos, quando in eis cæpit prædicari fides, facilè inueniri potuerunt.

His prænotatis, circa præsentem controuersiam plura sunt Theologorũ placita; aliqui enim negant absolutè in adultis infidelitatem negatiuam, siue quod idem est dari ignorantiam inuincibilem eos excusantem à propria culpa infidelitatis contra præceptum fidei, tàm vt cadit in materiam supernaturalem, quam naturalem eiusdem; quod etiam à fortiori tenentur asserere de eadem materia naturali, vt cadit sub præceptum legis naturæ; authores huius sententiæ sequaces non cito, qui facilè consuli possunt apud commẽtatores D. Tho. tã 1. 2. q. 70. quã 2. 2. q. 10. Alij per oppositum vbique vltro, citroque ignorãtias inuincibiles admittunt, ab omnibus excusant, cunctos absoluunt, saluantque; Dei etiã, quod plus est, inculpatam ignorantiam nonnulli concedunt; à fortiori vero de vera religione idem dicent, quæ Dei notitiam necessariò supponit. Quo autem id persuadeant, vix aliud habent, quam extremam multorum ineptitudinem ad huiusmodi veritates, etiam naturaliter cognoscibiles. Nos quid in hac re certius, aut saltem probabilius teneri potest sequentibus explicabimus conclusionibus vnde fit in ordine.

Tertia conclusio; in illis infidelibus, qui nullum omnino auditum sensibilẽ fidei, aut veræ religionis in ea fundatæ habuerunt, datur ignorantia inuincibilis excusans illos à peccato infidelitatis; vt est contra præceptum fidei in materia supernaturali, regulariter, & ordinariè loquendo, seu quantum ex lege communi nobis constare potest. Hæc conclusio magis communis inter Theologos solet probari primò authoritate Christi Domini Ioannis 15. dicentis; *Si non venissem, & locutus fuissem, peccatum non haberent*: huiusmodi enim verba Diuus Augustinus ibi tractatu 89. & doctores communiter post illum de peccato infidelitatis interpretantur, nullumque alium sensum posse admittere videntur. Christus siquidẽ Dominus dicere non potuit Iudæos nullum prorsus habituros fuisse peccatum si non venisset, & ipse eis non

prædicasset, veramque fidei doctrinam tradidisset, locutus est ergo de aliquo speciali peccato, quod non potest esse aliud nisi infidelitatis. Quamobrem idem Augustinus ibid. nec non epist. 115. ad Sixtum statuit illam regulam esse generalem omnibus hominibus, quibus Christus nō prædicauit vel per se, vel per Ecclesiam, quod illi excusationem habent de peccato infidelitatis, saltem vt est contra præceptum fidei in materia supernaturali.

Idem secundò probatur ex verbis Apostoli Roman. 10 *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* quibus certè significat ordinariū modum prædicandi fidem esse per auditū, & per externam doctrinam; ideoque dari ignorantiam inuincibilem, seu à peccato infidelitatis excusantem eos, qui nullam fidei veræque religionis doctrinam sibi prædicatam audierunt.

Tertio probatur ratione fundata in communibus principijs de ignorantia inuincibili, seu inculpabili per se euidentibus; quorum primum est, non posse esse ignorantiam culpabilem, nisi præcedat aliqua cogitatio vel saltem dubitatio obligationis sciendi, quia præceptum non ligat hominem, nisi mediante cognitione, quæ esse non potest, quamdiu cogitatio obligationis in mentem hominis non ascendit. Alterum est, non posse peccari omittendo aliquid, quod in reipsa conduceret, seu esset medium ad consequendam cognitionem, quando ratio vel vtilitas talis medij prorsus ignoratur: cum enim tunc non possit homo ordinare tale medium in talem finem; clarè patet omissionem talis medij, vt mediū est, non posse illi esse voluntariam, ac proindè neque ignorantiam fieri culpabilem ob talem omissionem: sed illi infideles, qui nullum omnino auditum sensibilem fidei, aut veræ religionis in ea fundatæ habuerunt, nullam cogitationem habuerunt vnquam de obligatione credēdi supernaturalia eius mysteria, multoque minus cogitare potuerunt de obligatione adhibendi media ad consequendam talem fidem; Ergo in illis datur ignorantia inuincibilis excusans illos à peccato infidelitatis, saltem vt est contra preceptum fidei in materia supernaturali; vel quod idem est, non possunt peccare, non quærēdo talem fidem, vel faciendo, aut omittendo aliquid, quamuis illud fortasse in reipsa illis esset impedimentum ad talem fidem obtinendam. Maior huius argumenti videtur omnino certa; minor etiam constat ex facto quod supposuimus, scilicet inueniri posse plures personas singulares, quæ nihil de fide audierunt; nam cum isti tales non possint cogitare de hac fide, & eius mysterijs, nisi supposita aliqua apprehensione illorum, quæ apprehensio per sensus ingredi debet, secluso miraculo, quod sine fundamento affirmari non debet; multò minus cogitare, vel dubitare possunt de obligatione illa credendi.

Huic rationi nihil aliud habent, quod opponant aduersarij, nisi aut suppositionem in ea factam non esse verā, dari nimirum aliquos, quibus Euangelium non fuit prædicatum, contrarium docente Diuo Paulo Rom. 10. vbi cum dixisset: *Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt*: statimque excusationem adduxisset; *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autē audient sine prædicante?* mox illam reijcere videtur dicens, *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: Vel quod iuxta receptum axioma, facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam: vndè sic arguunt; vel homo infidelis, siue non baptizatus perueniens ad vsū rationis facit, quod in se est, vel non facit, si facit, illuminabitur iuxta illud Ioann. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, &c. vtique si non ponat impedimentum, igitur vel non manebit infidelis, vel non sine culpa infi-

infidelitatis, si non faciat quod in se est, ponatque consequenter obicẽ diuinæ illuminationi; qui enim tenetur, & potest facere, nec tamen facit, excusari non potest.

Verùm ad primam obiectionem respondetur præfata Diui Pauli verba duplicem habere posse sensum; aliqui enim credunt debere necessariò intelligi de cælis, prout intelliguntur in psalmo 18. ex quo illa desumpsit Apostolus, in cuius principio habetur, *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.* iuxta quam interpretationem sententia Diui Pauli reducitur ad dictum axioma, facienti quod in se est, &c. asserit enim Paulus infideles etiam Gentiles excusari non posse, eo quod veram non habuerint fidem, quia nedum cælis, sed cunctis etiam creaturis enarrantibus, ac prædicantibus gloriam Dei, vt habetur Sap. 6. receperunt in illis à Deo media sufficientia ad illũ naturaliter cognoscendum, & indè cum auxilio diuinæ gratiæ nulli adulto quantum sufficit denegatæ super omnia diligendum, & colendum; quibus sanè subsidijs si benè vsi fuissent, Deus illis maiora dedisset, vt mox dicetur ad secundam obiectionem; quocirca Diuus Paulus non asserit, vel non concludit, nullum hominem posse ab infidelitatis peccato excusari, ob ignorantiam inuincibilem, sed solùm infert hoc non debere Deo imputari, aut defectui supremæ eius prouidentiæ circa hominum salutem, sed defectibus, & peccatis eorum, quod potest optimè fieri, etiamsi talis imputatio speciale peccatum infidelitatis non inducat.

Alter præfatorum verborum sensus, isque inter doctores magis communis, est quod intelligi debeant de prædicatione Euangelij per Apostolos facta; solumque est controuersia an ab illis annuntiatum fuerit in vniuerso orbe, & in omnibus prouincijs eius; verum quidquid sit de illa, gratisque admissa parte eius affirmatiua, si quidem hodie experimento cognitum est multas fuisse, & nunc esse prouincias, & regna orbis, ad quæ nec prædicatio, nec fama Euangelij peruenerat, nihil sequitur contra nostram conclusionem, affirmari enim non potest illud fuisse singulis hominibus, & personis sufficienter propositum, vt rectè notauit Diuus Thomas loco superius citato: quod non solum est verum de tempore Apostolorum, sed etiam de toto posteriori tempore vsque ad præsens, vt experimento etiam constat; & hoc satis nobis est, vt in multis hominibus potuerit, & possit esse infidelitas negatiua, seu inculpabilis, non obstante vniuersali prædicatione Apostolorum, & successorum eorum.

Ad secundam obiectionem respondetur adductum in ea axioma multiplicem quoque habere intelligentiam vt explicatur in tractatu de gratia, sed nulla illarum necessariò infert Deum de facto omnibus hominibus contulisse, & conferre auxilia immediatè necessaria, & sufficientia ad fidem diuinam, quibus non correspondentes dicantur consequenter inexcusabiles à peccato infidelitatis; verum vt saluetur, quod Deus ex se nulli homini adulto negat auxilium sufficiens ad credendũ, cum omnium velit salutem, tantùm sequitur eum dicta offerre auxilia sub aliqua conditione pendente ab homine, cum alio tamen diuino auxilio præuio, quæ non potest esse alia, nisi vt quod in se est, faciat, saltem vt obicem diuinæ illuminationi non ponat, nihil graue saltem, contra rationem naturalem operando. Quare ad argumentum in forma respondetur negando illationem, quod licet ille homo infidelis non faciat, quod in se est, nihilominus in hoc non peccat contra præceptum fidei, sed tantùm contra aliquod naturale præceptum non adorandi, & colendi Deum, vt par est. Et ratio est superius adducta, quia ille tunc habet ignorantiam inuincibilem præcepti fidei, defectu sufficientis prædicationis, vel propositionis illius, & à

fortio-

fortiori etiam ignorat illud peccatum, quod committit,non faciendo quod in se est, esse impedimentum diuinæ illuminationis; talis igitur actus nullam indè specialem malitiam infidelitatis assumere potest; sicut enim qui facit aliquid, ex quo graue nocumentum, vel proprium, vel alienum consequitur, si nullo modo illud præuidet, non dicitur perpetrare ex illo capite specialem malitiam ob defectum voluntarii; ita in nostro casu licet infidelis peccando, vel non faciendo quod in se est incurrat nocumentum carentiæ fidei, vel potius auxilij ad illam immediatè necessarij, quia tamen non præuidet, nec præuidere potest talis nocumenti consecutionem, ab speciali malitia infidelitatis excusatur.

Si quis instet hanc distinctionem auxilij mediati,& immediati ad credẽdum gratis à nobis, & sine fundamento adduci; Respondetur illam certissimum habere fundamentum in scripturis,colligique ab effectu euidentissimè; nam de facto plures sunt,& fuerunt homines, quibus vera fides sufficienter proposita non fuit, quia nullum prorsus auditum eius sensibilem quo ad mysteria saltem supernaturalia vnquã habuerunt; ex cuius defectu ipsemet Christus Dominus clarè docuit Ioanni 15. illos esse excusabiles à peccato infidelitatis, dum ait de Iudæis, *quod si non venisset, & locutus fuisset peccatum non haberent*, vtique infidelitatis vt explicuimus supra; Et ex alio capite omnes homines adulti, qui non saluantur, ad quod requiritur fides,dicuntur inexcusabiles: Manifestè ergo sequitur,necessarioque fatendum est, omnes quidẽ habere auxilium mediatum vt credant, siue quo bene vtentes, & faciẽtes quod in se est vlterius vera fidei luce illuminarentur, secus autem immediatum; ac proindè dari aliquos infideles negatiuos, siue carentiam fidei in aliquibus à peccato infidelitatis excusari.

Quarta conclusio,veritates fidei alias naturaliter cognoscibiles, si considerẽtur secundum quod substant diuinæ reuelationi, seu cadit in illas præceptum fidei,possunt quoq; inuincibiliter ignorari ab illis infidelibus, ad quos nulla vnquam diuinæ reuelationis notitia peruenit, proindeque sunt excusabiles à propria culpa infidelitatis contra preceptum fidei, vt cadit in dictas veritates, seu materiam naturalem. Hæc cõclusio sequitur euidenter ex precedenti. Quoniam reuelatio diuinæ fidei,non fit nisi modo supernaturali, ac proinde per prędicationem, & propositionem rei credendæ sub authoritate diuina; ergo illi infideles ad quos non peruenit hæc reuelatio, non minus habent ignorantiam inuincibilem illius vt est de veritatibus naturalibus, quam vt est de supernaturalibus,nec non consequẽter præcepti supernaturalis fidei vt cadit in materiam naturalem; quia illud ipsum præceptum cum sit quoddam supernaturale obiectum non cognoscitur nisi per reuelationem etiam supernaturalem sufficienter propositam; Ergo etiam tam sunt excusabiles à culpa propriæ infidelitatis circa materiam naturalem, quam supernaturalem; siquidem peccari non potest contra obligationem supernaturalem,quamdiu supernaturale præceptum,à quo illa obligatio nascitur, inuincibiliter nescitur. Deinde vt hi infideles errarent circa dictam materiam, vel committerent peccatum infidelitatis, deberent recedere à testimonio primæ veritatis reuelantis; sicut enim assensus fidei etiã vt cadit in materiam naturalem inniti debet testimonio primæ veritatis, ita quoque infidelitas positiua circa eamdem materiam committi non potest nisi per dissensum ab eadem prima veritate reuelante; sed infideles, de quibus loquimur, eo ipso quod illis non est propositum testimonium primæ veritatis circa talem materiam, non errant circa illam recedendo à dicto testimonio, ergo nec peccant propria infidelitatis culpa.

Quinta conclusio. Illi infideles, qui ali-

aliquid de fide, & religione vera audierunt sine sufficienti tamen propositione, & in sua infidelitate perseuerāt, interdum excusari possunt à culpa infidelitatis, aliquando verò, & sæpius nō possunt. Ista conclusio est communis inter Theologos, quam fusè tractat Victoria in relectione de Indis. Probatur breuiter quo ad primam partem; quia diuina præcepta sunt rationabilia, prudentique obligant modo; at credere sine sufficienti rerum credendarum propositione non est opus prudentię dicēte Scriptura Eccles. 19. *Qui cito credit leuis est corde*. Illi igitur infideles, qui aliquid de vera fide, & religione, qualis est sola Christiana Romano Catholica, audierunt sine sufficienti tamen illius propositione, vt supponitur, non peccant non credendo, seu excusari possunt à culpa infidelitatis. Probatur altera pars, quia licet infideles, qui audierunt, vel audiunt in dies res fidei nostrę cum sufficienti tamen illarum propositione non teneantur statim credere, possunt nihilominus inde obligari ad diligentiam adhibendam circa illius doctrinam, vt sufficientem illius notitiam, seu propositionem habeant, examinentque, an digna sit fide nec ne: Aliquando igitur imo sæpius in tali casu non poterunt excusari à culpa infidelitatis, qui illam non amplectuntur. Probatur consequentia, nam illa propositio insufficiens ad credendum potest esse sufficiens ad dubitandum, tam de antiqua secta, quam tales infideles profitentur, an falsa sit, quam de doctrina fidei propositæ, an vera, & necessaria sit ad salutem; ergo etiam est sufficiens illa propositio, seu auditio fidei, vt ex illa oriatur obligatio inquirendi, vel addiscendi veritatem, ex dictis sectione superiori, vtque consequenter, si huiusmodi infideles debitā negligent adhibere diligentiam in re tanti momenti, iam eorum infidelitas nō sit amplius negatiua solùm, sed culpabilis, vt pote iam voluntaria per culpabilem negligentiam. At vero si tali diligentia adhibita, & quod in se est præstito, nihilominus sufficientem fidei propositionem habere non possint in sua infidelitate negatiua permanebunt; vt dictum, & explicatum fuit conclusione tertia.

Vt autem inter actiones internas, quibus diligentia fieri potest ad veram fidem consequendam primum habet locum oratio, tùm ex dictis superiori capite, tum quia illa est medium per se ordinatum ad obtinenda à Deo auxilia, quæ & ad credendum, & ad vitandos errores illi contrarios obicemque ponentes necessaria sunt; ita etiam eadem diligētia adhiberi debet per actiones exteriores, quales sunt quærere pium, & eruditum Doctorem, nec non audire, expendere, & examinare diligenter quæ dicuntur, & similes, quas etsi Durandus in 3. distinct. 25. Conradus de contract. quæst. 100. & alij iudicant esse tantùm necessarias, melius tamen sentiunt alij Doctores vtrūque genus actionum requiri ad dictam sufficientem diligentiam pro vera fide adipiscenda. Sique obiiciat aliquis veram orationem supponere fidem, atque adeo non requiri ad obtinendam eius cognitionem; Respondetur, etsi perfecta quidem oratio sine fide haberi non possit, cum inspiratione tamen eius, & aliqua diuina motione, quæ aliquando antecedit fidem, nihil obstare, quin possit etiam esse aliqualis petitio, & inuocatio Dei; ad quam teneri potest ille, qui iam habuit aliqualem fidei notitiam, licet nondum sufficienter propositam; & ob eamdem causam obligabitur talis persona, vt quod in se est faciat, ne ponat impedimentum diuinæ gratiæ, saltem non multiplicando peccata; nam de præteritis iustificari non potest; antequam fidem habeat, & propterea repugnat, quod perfecta pœnitentia, seu dispositio ad iustificationē sit preparatio necessaria ad illuminationem fidei obtinendam; sed satis erit habere intentionem, & desiderium salutis, quod tunc etiam ex præfata

inspira-

inſpiratione diuina concipere valet.

Sexta concluſio, nullus adultus rationis compos poteſt habere toto vitæ ſuæ tempore ignorantiam inuincibilē veræ religionis in genere, ſiue quod detur ſupremum aliquod numen, cui etiā ſupremus ab hominibus debeatur honor, & cultus. Iſta concluſio patet ex huc vſque dictis tam in tribus ſuperioribus ſectionibus, quàm in præſenti capite, videturque eſſe certiſſima cum aliquibus limitationibus; quia licet poſſit quis vſum rationis habens forſan id inuincibiliter ignorare pro aliquo vitæ tempore, nec non etiam plures alias veritates ad religionem pertinentes, quātumuis naturaliter cognoſcibiles, ſecus tamen hanc de vno vero Deo religioſè colendo: Et ratio eſt, quia iuxta nos ſimul, atque alios qui oppoſitum ſentiunt, omnibus adultis ſalutis obtinēdæ poteſtas conceditur, atque adeò veræ religionis habendæ, ſine qua nullus ſaluari poteſt; Ergo vt nemo non culpa ſua ſalute caret, ita nullus quoq; non culpa ſua caret vera religione; ſed vt diximus ſupra, non omnes adulti ſua culpa carentes vera religione, & fide in ſpecie ea carent, ex hoc quod omnes prorſus habeant auxilium ſufficiens ad credendum, nulluſque proinde circa illam laboret ignorantia inuincibili; igitur ſaltem dicendum eſt aliquos ea carere, quia non faciunt quod in ſe eſt ex viribus naturæ, cum auxilio tamen diuino, vel ordinis naturalis, vt volunt aliqui, vel ſupernaturalis, vt probabilius aſſerunt alij, religioſe colendo vnū verum Deum, ſecundum quod dictat lumen rectæ rationis naturalis, vt inſuper vltra eam illuſtrentur; eoſque proinde habere non poſſe toto vitę ſuę tēpore ignorantiam inuincibilem religionis in genere, per quam reddantur excuſabiles ab eius erga Deum obligatione, quodque inde vlterius non illuminentur veræ fidei luce, ſuamque cū illa ſalutem non operentur. Profectò dum dicitur Deum velle omnes homines ſaluos fieri, ſimulque conſequenter eoſdem in agnitionem veritatis, ſeu veræ fidei venire; Deus huic ſuæ voluntati non defuit, nec deeſt; nos ergo homines deſumus, atque adeo qui ignorat veritatem, ille deeſt ſaltem modo explicato, non autem Deus.

Quod in contrarium obijciunt aduerſarij de multorum ineptitudine, vt probent infidelitatem talium poſſe à culpa excuſari ignorantia etiam contra legem naturæ non colendi vnum, verū Deum per aliquam religionem, nullius eſt momenti, ruitque ex ſe, ſi hominū in hac vita curę, & ſtudia diligenter cōſiderentur, quodque nullus quantumuis ineptiſſimus reperiatur, qui pallij, & domus, & fundi quem poſſidet, cauſas, & iura non norit; quique ſi illi pallium ſuum non eſſe, oppoſueris, non ſciat rationem reddere, & ſi lis moueatur, aduocatos quærere, & iura ſua eorumque defenſionem percipere, & ſic de alijs. Inde enim clarè apparebit ad diuina etiam valere humanum genus ſi vellet, quod autem nolit, non ineptitudini, non neceſſitati, non inſufficiētiæ tribuendum eſſe, ſed voluntati, ſed negligentiæ, extremæque oſcitantiæ, quâ plures ſuis paſſionibus obcæcati, & non facientes quod in ſe eſt cum diuino, quo ſuo loco, & tempore præuenti ſūt auxilio, culpabiliter ad veram non perueniunt fidem, ac religionem cognoſcendam; Quocirca licet admitti poſſit, pro aliquo vitæ tempore legem naturæ quo ad hoc præceptum religioſè colendi aliquod ſupremum numen, non ſufficiēter ſingulis hominibus promulgari, id tamen ex dictis videtur impoſſibile loquendo de toto vitæ eorum tempore: quodq; conſequenter aliqui de tali præcepto ignorantiam habeant inuincibilem à tranſgreſſione illius eos excuſantem. Certè ex omni ætate, ex omni gente, & hominū conditione huic pręcepto aliquos ſatisfeciſſe, veramque inde religionē vlteriori gratia adiuuante inueniſſe, demonſtrat cæteros quoq; inuenire potuiſſe, & poſſe, ſi velint, ſi quod in ipſis eſt efficiant.

C A-

CAPVT VI.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam superioribus capitibus traditam pro vnitate, & necessitate veræ Religionis.

PRima, & principalis obiectio, quæ solet fieri pro indifferentia religionis, quodq; consequenter extra veram, quæ vnica est, vnusquisque in sua saluari potest, dummodo conformiter ad rectam rationem naturalem viuat, desumitur ex paucitate eorum, qui alias saluarentur, si ad hoc necessario requiratur professio veræ religionis, qualem nos asserimus nunc esse Christianam Romano Catholicam, si enim cultorū eius numerus, cum ingenti infidelium, seu eorum hominum qui extra illam viuunt multitudine conferatur, propè nullus ob suam paucitatem apparebit; hoc autem videtur repugnare cum prouidentia Dei, & misericordiæ eius visceribus, qua vult omnes homines saluos fieri; Non igitur alligauit eorum salutem vni soli religioni, sed potius dicendum est eum voluisse homines saluos fieri in vnaquaque religione, in qua iuxta suum captum ipsi placere studerent.

Etsi hæc obiectio, sententiaque in illa fundata, sola ratione naturali consulta, aliquam speciem æqui, & veri habere videatur: nihilominus consideratis ijs, quæ tùm diuinæ scripturæ, tùm ipsimet Philosophi Gentiles docent de paucitate saluandorum, est omnino paradoxa. Igitur si fiat ab hominibus solam rationem humanam audientibus: Respondetur iuxta Philosophiæ principia maiorem quoque esse damnandorum, quàm beandorum numerum: Etenim soli veræ virtutis studiosi, seu illi qui viuunt ex Philosophiæ præceptis, & eam, quam illa docet moralem virtutem amplectuntur, æterna sunt beatitudine digni, nequaquam autem vitiosi, si quidem illa est virtutis merces, ac præmium non autem iniquitatis, vt satis per se patet: Sed maiorem esse vitiosorum, quàm studiosorum, & proborum hominum multitudinem, ni ipsa doceret experientia, sufficeret ad hoc probandum, factum illud Diogenis in medio fori quærentis vel vnum, qui vt hominem decet, viueret; nec non discursus Aristotelis in lib. 1 Eth. cap. 5. vbi de varijs hominis finibus, seu quos ipsi sibi proponunt agens, ait plerosque, eosque importunissimos, seu minimè ferendos, felicitate in corporeis voluptatibus posita, vt mancipia vilissima solent, pecudum vitam eligere, vnde concludit paucos ad modum, eosque contemplationi, seu studio Philosophiæ deditos veram virtutem sectari, cum reliqui omnes hanc, vt pote ad eum quem sibi propositum habent finem ineptam, inutilemque negligāt; consequens est igitur, vt etiam secundum Philosophos maior sit miserorum, quàm beandorum numerus.

Quamobrem non est cur ab illis eorumque sequacibus nostræ de vnitate, & necessitate veræ religionis ad salutē doctrinæ opponatur hæc de paucitate saluandorum inuidiosa querela, cui ipsi non solum tenentur satisfacere, sed aliam adhuc maiorem subire, cum religio Christiana plures ad felicitatem admittat, facilioremque ad illam aditum cuilibet hominum conditioni aperiat, quam admiserint antiqui Philosophi: quia apud nos sola fides peritis, ac imperitis communis ad beatitudinem, quo ad hoc sufficit, nec vlla scientia necessaria est: illi autem solos sapientes suos beatos prædicarunt, & à scientia, seu Philosophia saltem morali virtutem, & consequenter beatitudinem separari non posse docuerunt; adeo vt plerique eorum virtutes ipsas scientias appellarint: qua de causa quotquot aut ingenij defectu, aut studij, scientiarum erant expertes, ij tanquam miseri, aut saltem infelices apud illos existimabantur. Insuper religio Christiana non solum idiotas, sed infantes ipsos

ſos Chriſti gratiæ, virtutumque infuſarum, & iuſtitiæ, ac conſequenter beatitatis per Sacramentum Baptiſmi participes poſſe eſſe affirmat; à qua reijciendi ſunt ex aduerſarijs, ſed in ſola ratione humana diſciplinã ſalutis collocant; nec ſatisfacit, ſi ſuam ipſi ducẽ Philoſophiam ſecuti neglecta noſtræ fidei de peccato originali doctrina, reſpondeant, eos eſſe innocentes, & minimè malos; vt enim aliquis beatitudinem accipiat, non eſt ſatis, quod minimè malus ſit, aut innocens, ſed præterea requiritur, vt ſit verè bonus, & virtutum compos, vt infantes baptizati apud nos ſunt.

Si verò præallata obiectio fiat ab admittentibus diuinarum ſcripturarum authoritatem tam ab illis, quàm à nobis ſolui debet, nec non explicari quomodo diuinæ bonitati, & prouidentiæ non repugnet paucitas ſaluandorum, aſſerente in illis expreſsè iudice ipſo, & largitore beatitudinis Chriſto Domino beandos pauciores eſſe miſeris dum Lucæ 12. electorum gregem puſillum vocat; Mathæi 22. multos ait vocatos, paucos verò electos: adeo vt paucitatem ſaluandorum præ turba damnandorum mirari ſe ſignificet eiuſdẽ Math. cap. 7. *Intrate*, inquit, *per anguſtã portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quę ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inueniunt eam!* quem locum cum alijs quibus multus ſaluãdorum numerus eſſe dicitur, ita conciliat S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcen. cap. 66. *Iidem ipſi boni, verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, in comparatione malorum, falſorumque itidem pauci ſunt, ſic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum: ſic etiam vt de ipſo Dei teſtamento dicam, quod factum eſt Abraham, de ſemine eius quod eſt Chriſtus, multa ſũnt ſtellæ quas numerare non poſſumus, quibus tam grande cælum vndique circumfulget, paucas dicimus in comparatione arenæ maris: forte ſtellæ ſignauerunt ſpiritales Chriſtianos: maris autem arena carnales, per quos & ex quibus etiam hæreſes, & ſchiſmata ſunt, vtroque tamen genere plenus eſt mundus.*

Supereſt igitur, vt hanc, quam aſſerunt ſcripturæ, ſaluandorum paucitatem reſpectu damnandorum cum prouidentia Dei, miſericordiæque eius viſceribus breuiter conciliemus. Qua in re fuit error Caluini lib. 1. inſtit. c. 21. §. 7. eiuſque ſequacium id refundentium in ſolum ęternum Dei decretum, quo ante pręuiſa merita paucos homines ad vitam prædeſtinauit, cæteros autem omnes ad interitum ante præuiſa peccata: *Dicimus*, inquit, *æterno, & immutabili conſilio Deum ſemel conſtituiſſe, quos olim aſſumere vellet in ſalutem, quos rurſum exitio deuenire. Hoc conſilium quo ad electos, in gratuita eius miſericordia fundatum eſſe aſſerimus, nullo humanæ dignitatis reſpectu. Quos verò damnationi addicit, his iuſto quidem & irreprehenſibili, ſed incomprehenſibili ipſius iudicio, vitæ aditum præcludi.* Et cap. 22. §. 11. *Si non poſſumus rationem aſſignare cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam illi ita placet: neque etiam in alijs reprobandis, aliud habebimus, quam eius voluntatem*: denique cap. 23. §. 1. *Minimè conſentaneum eſt, prępárationẽ ad interitum aliò transferre, quàm ad arcanum conſilium Dei.* Quæ doctrina Caluini cum poſſit habere duplicem ſenſum: Vnus eſt, Deum ab æterno ante præuiſum originale peccatum, ex toto humano genere adhuc integro, & nondum corrupto, quoſdam, eoſque in minori numero, vt habetur in Euangelio, elegiſſe ad vitam, cæteros autem omnes ad mortem, ac interitum deſtinaſſe, ſine vlla ipſorum, vel primi parentis culpa. Alter eſt, Deum poſt præuiſionem peccati originalis, cum iam contaminatum eſſet genus humanum, ac veluti maſſa quædam perdita, quoſdam numero pauciores ex ſola ſua miſericordia elegiſſe ad gloriam, & feciſſe

vaſa

vasa in honorem; alios verò in massa perditionis reliquisse, vt essent vasa in contumeliam, sine vlla propria ipsorũ culpa, non tamen sine culpa originali: In priori sensu asseritur à Caluino; qui licet quo ad electionem prædestinatorum ad vitam non sit hæreticus, secus tamẽ quo ad reprobationem, siue quod asserit Deum æterno, & immutabili decreto quosdam ad mortem destinasse sine respectu aut præuisione peccati originalis, vel actualis: Huic enim ex diuinis scripturis plura alia opponuntur contraria decreta, quæ manifestè ostendunt impium, ac hæreticum esse Caluini assertum: vt infra suo loco demonstrabitur.

Loquendo autem de prędestinatione, & reprobatione in posteriori sensu, hoc est post præuisionem peccati originalis, non desunt plures Doctores Catholici, qui paucitatem saluandorũ ex hoc desumendam affirment; quod plures Deus in massa corruptionis, seu gratiæ amissæ perditionisque statu relinquere, quam indè ad gloriam destinare voluerit. Vnde ista sententia, vt supponit quod Deus ante peccatum Adæ, & in eo posterorum perditionem præuisam, inter prædestinatos reprobosque differentiam, seu discretionem nullam fecerit, neminemque nisi per misericordiam ex miseria illa extractum prædestinauerit, & neminem nisi supposita illa totius humani generis iactura reprobauerit; quod expresè pluribus in locis docet Diuus Augustinus præsertim in Enchirid. cap. 95. vbi sic ait: *Sola gratia redemptos discernit a perditis, quos in vnam perditionis concreuerat massam ab origine ducta causa communis*: deinde ostendens neminem posse de Deo conqueri iuxta illud Sãcti Pauli Rom. 9. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo*, nonnullosque stultos redarguens, qui putabant Apostolum in responsione defecisse, & inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam, hæc præclara habet verba; *O homo tu quis es? & in talibus quęstionibus ad suę capacitatis considerationem reuocat hominem verbo quidem breui, sed reipsa magna est redditio rationis; si enim non capit hæc, quis est qui respondeat Deo? si autem capit, magis non inueniat quid respondeat? videt enim, si capit, vniuersum genus humanum tam iustc iudicio diuino in apostatica radice damnatum, vt etiamsi nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare iustitiam, & qui liberantur sic oportuisse liberari, vt ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis, ostenderetur quid meruisset vniuersa cõspersio, & quo etiam istos debitum iudicium Dei duceret, nisi eius indebita misericordia subueniret; vt volentium de suis meritis gloriari omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.* Idem docet ibidem cap. 100. & expresius adhuc lib. 2. de Ciuitate Dei. cap. 12. vbi omnibus istiusmodi querelis de æternitate pœnæ, & damnationis, nec non damnatorum multitudine iam tũc fieri solitis satisfaciens ait: *Pœna æterna ideo dura, & iniusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimæ, purissimæque sapientiæ, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima præuaricatione commissum sit. Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deum, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum. Hinc est vniuersa generis humani massa damnata, quoniam qui hoc primitus admisit, cũ ea quę in illo fuerat radicata, sua stirpe punitus est, vt nullus ab hoc iusto debitoque supplicio nisi misericordia, & indebita gratia liberetur, atque ita dispertiatur genus humanum, vt in quibusdam demõstretur, quid valeat misericors gratia, in cæteris quid iusta vindicta. Neque enim vtraq; demonstraretur in omnibus, quia si omnes remanerẽt in pœnis iustæ damnationis, in nullo apparet gratia redimentis. Rursum si omnes à tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret seueritas vltionis: in qua propterea multo plures*

plures, quam in illa sunt, vt sic ostendatur, quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, iustitiam indicantis iustè nemo reprehenderet. Quia verò tam multi exindè liberantur, est vndè agantur magna gratia gratuito muneri liberantis.

Vt aliqui, inquam, Doctores ex hac Diui Augustini doctrina asserunt Deũ antequam præuideret peccatum Adæ illud, quo tota natura humana ex eo naturaliter propaganda facta est massa perditionis neminem prædestinasse, aut reprobasse, sed ita se gessisse in hoc negotio, vt primò voluerit omnino condere homines, quos posset beatitudine sua donare, nec eos voluisse creare, nisi vt quantum in ipso erat, beati fierent; ita ex eadem deducunt peccatum originale causam esse cur tot pereant non solùm ex paruulis, qui cum eo ex hac vita ante vsum rationis excedunt, verum etiam ex adultis; cum enim natura hominis, vt modo se habet post peccatum originale, læsa fuerit ac vitiata, patiaturque defectum alicuius principij moralis, seu ad virtutem necessarij; nimirum quod pars sensitiua, seu appetitus sensitiuus, qui rationi obedire debet, is suos motus excitet, & non tantum, præter, sed etiam contra rationem agat; mirum non est, quod indè tam pauci secundum virtutem viuant, & postea beatitudinem consequantur. Quem etiam defectum agnoscentes Philosophi, verá eius causa, & origine ignorata, quia fide diuina caruerunt, vel in naturam ipsam quasi erga reliqua animantia matrem benignam, erga homines autem nouercam duram referebant, vel asserebant per transmigrationem animas in ista corpora tanquam in pistrina dètrudi, vt ante actorum peccatorum pænas luerent. Verùm fides Christiana docet hominem à Deo factũ rectum, sed cum Deo inobedientem perdidisse illum ordinẽ quo ratio Deo, & rationi sensus pareret, & qui rebellis Deo factus est animus, corpus sibi repugnans sentire meruit; quod vitium à primo parente in cæteros propagatũ, factum est deinceps quasi naturale, dictumve vitium naturæ; vt egregiè explicat S. Augustinus sequentibus verbis lib. 13. de ciuit. Dei cap. 13. & 14. *Iam quippè anima libertate in peruersum propria delectata, & Deo dedignata seruire, pristino corporis seruitio destituebatur. Et quia superiorem Dominum suo arbitrio deseruerat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat, nec omnino habebat subditam carnem, sicut semper habere potuisset, si Deo subdita ipsa mansisset. Tunc ergo caro cæpit concupiscere aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: cum qua controuersia nati sumus, trahentes originem mortis in membris nostris, vitiataque natura, contentionem eius sine victoria de prima præuaricatione gestantes. Deus enim creauit hominem rectũ, naturarum author, non vtique vitiorum, sed sponte deprauatus, iustèque damnatus primus homo, deprauatos, damnatosque generauit: omnes enim fuimus in illo vno quando omnes ille vnus corrupit, qui per fæminam lapsus est in peccatum, quæ de illo facta est ante peccatum. Nondũ erat nobis sigillatim creata, & distributa forma, in qua singuli viueremus, sed iam natura erat seminalis, ex qua propagaremur, qua scilicet propter peccatum vitiata, & vinculo mortis obstricta, iustèque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur: ac per hoc à liberi arbitrij malo vsu series huius calamitatis exorta est, quæ humanum genus origine deprauata velut radice corrupta vsque ad secunda mortis exitium, quæ non habet finem, solis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur, miseriarum connexione perducit.*

At quia præfata sententia duplicẽ quoque sensum habere potest, primum quod Deus ita aliquos sua misericordia liberat à massa perditionis secum in perpetuum regnaturos, vt tamen cæteros, qui illuc non peruenient, nolit saluos fieri nec illis sufficientia ad hunc finem præbeat gratię auxilia, secundum autem huic contrarium, sicut in primo est manifestè hæretica, diuinæque prouidentiæ, & erga homines misericordię con-

contraria, ita per eam sic intellectam cum illis conciliari nequaquam potest paucitas saluandorum, sed tantum in secundo sensu, quo stante etiam saluandorum paucitate, asseritur tamen Deum velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, necessariaque ad hoc gratię auxilia subministrare; atque adeo præfatam paucitatē nequaquam dictis etiam attributis, aut alijs repugnare.

Igitur quidquid sit de possibili, an nimirum loquendo de adultis, potuerint deseri à Deo, & relinqui in massa perditionis propter solùm originale peccatum, vel indè paucis, & ad gloriã destinatis, cæteris denegari auxilia gratiæ ad illam consequendam necessaria; nunc, inquam, quid egerit Deus, non autem quid agere potuerit tractando affirmamus habere Deum erga omnes, & singulos prouidentiam in negotio salutis eorum, atque adeo voluntatem, velle scilicet, & iubere ab omnibus veram religionem quæri, non planè frustra nec tyrannicè, sed eam, si ritè quęrant, volendo concedere, vt & beatitudinē; adeò vt si quis pereat, non Dei voluntate, sed sua culpa perire dicendus sit; præclariora huius veritatis loca habentur Ezechiel. 18. v. 32. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite.* Oseæ 13. v. 9. *Perditio tua ex te Israel: tantummodo in me auxiliũ tuum*: 1. Timoth. 2. v. 4. *Deus omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: 2. Petri 9. *Patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pænitentiam reuerti.* Ioann. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Idem quoque probant omnia eiusdem diuinę scripturæ loca, quibus nobis significatur Deum de facto decreuisse magis suam bonitatem, & misericordiam circa nos ostendere, quam iustitiam & seueritatē; psal. 24. v. 10. *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas*: & psal. 144. v. 9. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*, qui enim hæc verè, ac sincerè dici possunt, si pauculis prædestinatis exceptis, cæteros omnes nolit Deus saluos fieri, illisque sua in hunc finem necessaria auxilia prębere. Quibus etiam accedit sempiternus, ac vnanimis Ecclesiæ Patrum sensus, vt suo loco fusius ostendetur, vnicumque duntaxat Diui Augustini testimonium hic proferam; qui respondens ad aliquos de prædestinatione articulos sibi à Semipelagianis impositos, quorũ tertius erat; quod Deus maiorem partē generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum, ait: *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, vt pereat; quia alia causa est nascendi, alia pereundi. Vt enim nascantur homines, est beneficium; vt autem pereant prauaricatoris est vitium*: nec nõ aliud Diui Prosperi fidelis Augustini discipuli in epist. ad Gallos: *Qui dicit, quod non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus, non ad Sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cum sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius mundi sit, à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt seruitutem reuersi.*

Per quam doctrinam verè orthodoxam facilè soluitur obiectio superius allata; diuinæ scilicet prouidentiæ, ac misericordiæ rationem in eo sitam non esse, quod vnumquemque in sua quantumuis falsa religione saluum fieri Deus voluerit, aut alio simili modo; sed ipsemet per diuinas Scripturas, quo pacto in hac re prouideat, ac misereatur, nobis enarrauit; instituendo nimirum vnã veram religionem, qua ab hominibus ritè coleretur, deinde illam visibilem reddendo, tum vnicuique ad illam quęrendam, & inueniendam si velit mediata, vel immediata auxilia prębendo; adeo vt dicere possit, si voluero, & quod in me est, cum auxilio diuino misericorditer mihi, & omnibus concesso gessero, saluabor; si ritè, & vt debeo veritatem quęsiero, inueniam; si quæsiui inueni; per Deum nec abfuit vnquam, nec

nec aberit: ita salus religionis huius, per quam solam veram salus vera, veraciterq; à Deo promittitur in scripturis, nulli vnquam defuit qui dignus fuit; & cui defuit, dignus non fuit. In quo conueniunt omnes doctores Catholici licet laborent, dissentiantque in modo illud explicandi; nec mirum, *Quis enim hominum*, inquit, *sapientissimus Salomon sap.9. poterit scire consilium Dei, cogitationes enim mortalium timida, & incerta prouidentia nostra. Et difficile æstimamus, qua in terra sunt & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Qua autem in cælis sunt quis inuestigabit?* Et quia solus Deus nouit quæ sua sunt, eaque potissimum quæ à libera eius voluntate pendent; propterea statim subdit Sapiens: *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuū de altissimis?* Idem habet Apostolus 1. Corinth.2.11. *Qua Dei sunt nemo cognouit, nisi Spiritus Dei*; & post pauca: *Quis enim cognouit sensum Domini, qui instruat eum*. Habito igitur semel pro maxima, & indubitato principio, quod doctrina veræ religionis, qualis est sola Christiana Romano-Catholica sit diuina, vt abundè probauimus, sine murmure, sine questu credenda est; acceptandaque sunt etiam si nihil intelligantur, quæcumque illa docet, siue de Deo, siue de eius operibus, vt de amore erga homines, de prouidentia perfectissima cum omnibus, & singulis. In quam sententiam cum infinita planè aurea Sancti Patres nos docuerint, in reliquorum specimen primum Gregorij Nazianzeni, deindè Augustini testimoniū proferam: Nazianzenus igitur orat. 16. de paup. amore: *Nec res huius vitæ propterea temere, atque inconditè gubernantur: quia exploratas earum rationes non habeamus. Quin potius, vt animi nostri affectum imagine quadam exprimam, non multum ijs, qui nausea, & vertigine laborant, dissimiles sumus, qui omnia sursū, deorsumque verti, putant, cum ipsi vertantur*. Diuus autem Augustinus enarrat. in psal. 148. ait: *Cum enim cæperimus disputare de operibus Dei, quare hoc, quare illud, & non debuit sic facere, malè fecit hoc, vbi est laus Dei?* moxque subiungit: *Quasi si intrares in officinam forte fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem nescientem, quid quare sit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causa hoc loco folles positi sunt; artifex nouit quare: etsi ego non noui. In officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deū:* Quibus sanè verbis nihil opportunius ad omnia soluendum afferri potest: quare tam pauci saluentur, cum tamen omnes diligantur; cur puerum recens natum, ac baptizatum, qui nihil boni gesserit, donat regno, alium, qui plures annos in eremo ieiunauit magis, quam vixit, propter vnam turpem admissam cogitationem tradit ad inferos, & sic de similibus, ipse nouit quare, quomodo, cur, vbi, & quando.

Altera obiectio contra necessitatem vnius veræ religionis in vera fide fundatæ, qualem supponimus esse Christianam Romano-Catholicam desumi solet ex casu iampridem à Diuo Thoma proposito quæst. 14. de veritat. artic. 11. an. si quis nutritus in syluis, qui nec fidem, nec Christum vnquam audijt, ductum tamen rationis naturalis secutus fuisset in appetitu boni, & fuga mali periret? cum enim id asserere planè durum videatur, dicendum est aliquem sine vera fide saltem per accidēs posse saluari; verum ex doctrina iam data facile satisfit obiectioni, talem videlicet, aut quemcumque similem nunquam sine vera fide fore saluandum, quæ digno, qualis esset ille nunquam denegatur, vbi per dignum non intelligitur ille cui retribuat Deus, sed cuius misereatur: miseretur autem certissimè, vt ex ipsius tot promissionibus liquet, cuiuscumque facientis, quod in se est, saltem ex gratia, qualis esset iste enutri-

tritus in syluis, vndè S. Thomas loco citato ait: *Certissimè tenendum est, quod ei Deus vel per internam inspirationem reuelaret ea, quæ sunt credenda, vel aliquem fidei predicatorem ad eum dirigeret*; quam solutionem desumpsit ex D. Augustino epist. 49. ad Deo gratias; vbi arguens à notis ad ignota, quodque inueniantur in lege naturæ, & scripta populus Dei, & iusti quique Sacramenti Incarnationis participes, nec non in media Gentilitate Iob, ac alij Redemptoris, Christique sub hac, vel æquiualenti voce conscij, moxque subdubitās quid si in cæteris hac, & illac gentibus aliqui recta omnia secuti sint, infert eos quoque eiusdem mysterij factos participes, licet scripti non inueniantur, cum non cuncta conscripta fuerint. Verba Sancti Doctoris hæc sunt loco citato: *Tamen ab initio generis humani, alias occultius, aliàs euidentius, sicut congruere temporibus diuinitus visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum* (id est Christum) *crederent defuerunt ab Adàm vsque ad Moysem: & in ipso populo Israel; qui speciali quodam mysterio gens Prophetica dicta est, & in alijs gentibus antequā venisset in carne. Cum enim nonnulli commemorantur in Sanctis Hebraicis libris iam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec ex aduentitia societate in populo Israel, qui tamen huius Sacramenti participes fuerūt, cur non credamus etiam in cæteris hac, atque illac gentibus, aliàs; alios fuisse, quāuis eos commemoratos in ijsdem authoritatibus non legamus?* Vndè per modum conclusionis, hanc ad nostrum intentum maximam deducit: *Ita salus religionis huius, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.*

Ex quo etiam colligendum est barbaras inter gentes Euangelij ignaras valdè paucos esse, qui digni sint, quive faciant quod est in se, viuendo conformiter ad legem naturæ, quæ inuincibiliter ignorari non potest in his, quæ ad diuinum cultum spectant, & amorem, quem inchoatam iustitiam Augustinus lib. de nat. & grat. vocat, cum pauci, & rari sint illi, quos indè ad fidem nostrā conuerti videamus: nec mirum, si enim ex Christianis ipsis, permultis singularibus auxilijs, fide, doctrina, Sacramentis ad probitatem adiutis perpauci inueniuntur, stante naturæ per peccatum originale corruptione, qui contra legem etiam ipsam naturalem nunquam deliquerint. Quid de Gentilibus, barbarisque dicendum, qui diuinæ fidei lumine nunquam illustrati sunt.

Tertia tandem, & vltima obiectio, quæ fit ab asserentibus saltem per accidens necessariam non esse fidem ad salutem, deducitur ex his qui ad vsum rationis peruenientes mox intereunt, nulla fidei notitia habita, nam hos vel sine fide saluari, vel sine culpa perire, quod est absurdum, dicendum est.

Respondetur neutrum ex his sequi, cum enim ex verissima Diui Thomæ doctrina quilibet homo vbi primum ad vsum rationis, ac perfectæ deliberationis peruenit, pro conditione, ac mensura cognitionis, qua eo temporis gaudet, teneatur efficaciter, & vero corde ad bonum, ac Deum conuertere, dirigereque se, & vitam suam, cuius tota rectitudo ex hoc pendet: sin minus peccat grauissimè; dicimus eos, qui tali præcepto non satisfaciunt, & per eius adimpletionem se non disponunt ad vlteriorem gratiam non sine culpa perire; nec eos, qui illud adimplent, sine fide saluari, nulli siquidem ex dictis deest Deus, qui dignus fuit; etsi vias ignoremus, quibus ille in talibus casibus sua ineffabili prouidentia vtitur, vt suā salutis humanæ curam demonstret. Sed de his satis, de quibus alias fusius; firma interim maneat, & inconcussa veritas Catholica de vnitate, & necessitate veræ religionis ad salutem, contra admittentes in illa indifferentiam.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

De aduentu Meſsiæ, Legiſque Moſaicæ poſt illum ceſſatione aduerſus Iudæos.

CAPVT PRIMVM.

Aperitur ſtatus controuerſiæ, nonnullaque prænotantur ad illius intelligentiam, ac reſolutionem.



RIMO notandum eſt, quod fuſius to.3. lib.3. ſect.3. cap.3. iam probauimus, veram ſcilicet Dei Eccleſiam incepiſſe ab Adam, & Abel, continuatamque per Seth, & filios illius vſque ad Noe, deindè poſt diluuium per filios illius Sem & Iaphet, quos pater Noe, Cham in Chanaam filio maledicto, benedixiſſe legitur Geneſ.9. propagatam per vniuerſum mundum fuiſſe. Quia tamen ex Sem Abraham naſci debebat, & tandem ex iſto Meſſias ideo Scriptura ſpecialirer proſequitur Generationem Sem.

Secundò notandum eſt, quod etiam ſuperiori ſectione cap. 2. nec non loco iam citato to.3.ſect. 3.c.6. animaduertimus, Populum Iſraeliticum ſeu Iudaicum ex Abraham, Iſaac, & Iacob deinceps progenitum non fuiſſe vniuerſalem Dei Eccleſiam, ſed particularem; nam præter hos per carnalem generationem dictos Iſraelitas, etiam plures alij fuerunt Deum religiosè colentes, & ad ciuitatem Dei pertinentes, qui Iſraelitæ ſecundum ſpiritum vocantur, vt egregiè docet Diuus Augoſtinus lib.18 de ciuitate Dei cap. 47. cuius hæc ſunt verba: *Nec ipſos Iudæos exiſtimo audere contendere neminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraelitas; ex quo propagatio Iſrael capit eſſe, &c. homines autem quoſdam nõ terrena, ſed cæleſti ſocietate ad veros Iſraelitas ſuperna ciues patriæ pertinentes etiam in alijs gentibus fuiſſe negare non poſſunt: quia ſi negant, facillimè conuincuntur de Sancto, & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proſelytus, id eſt aduena populi Iſrael fuit; ſed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibi mortuus eſt: qui diuino ſic laudatur eloquio, vt quoad iuſtitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo ſuorum temporum coæquaretur: quæ tempora ſic colligimus ex libro eius, quem pro ſui merito Iſraelitæ in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione poſteriorem fuiſſe, quam Iſrael, ſeu Iacob: Diuinitus autem prouiſum fuiſſe non dubito, vt ex hoc vno ſciremus etiã per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad ſpiritualem Hieruſalem.* Hactenus Diuus Auguſtinus,

Sed tertio animaduertendum eſt, quod licet populus Iſraeliticus non fuerit vniuerſalis Dei Eccleſia, verùm particularis tantùm, eum tamen præcipuã tunc illius partem fuiſſe, multiſque priuilegijs à Deo inſignitam negari non poteſt; quæ Diuus Paulus enarrans in epiſt ad Roman. cap. 3. ait: *Quid ergò amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas circumci-*

cumci-

cumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia concredita sunt illis eloquia Dei; & cap.9. *quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio & obsequium, & promissa, quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.* Inter quæ priuilegia, quæ hic explicare non vacat, dubio procul reponi debet tanquam primatum habens istud vltimum, quod scilicet ad hunc finem delecta fuerit gens Hebræorum, & in ea stirps Abrahæ, cui aliorum filiorum parenti ex sterili Sara datus est Isaac, vt ex eius filio iuniore Iacob, Messias, seu Christus nasceretur in tribu Iuda, familiaque Dauid, quod vt certò constaret, Deus prouidit, ne vsque ad ortum Christi vlla tribuum, familiarumque cofusio fieret, & vt nominatim Dauidica discerneretur, eam regio sceptro populi Iudaici illustrem reddidit, voluitque, vt, cum Christus natus est, tunc singuli suam familiã iuridicis authenticisq; actis profiterentur, & in pago Bethlemitico, vti prophetatum fuerat, tanquam Dauidis filius, & ex eius sanguine procreatus tàm à Iudæis per pastores, quam à Gentilibus per magos primum agnosceretur, coleretur que. Et quamuis Iudæi modo negent hanc singularem personam, Iesum scilicet filium Mariæ, verum Messiam fuisse, quem nos Christiani, pro tali firmiter credimus, attamen non negant, imo gloriantur, quod verus Messias in lege promissus sit speciali prærogatiua ex ipsorum genere oriundus.

Quarto sciendum est, quod etiam Iudæi concedunt, humano genere per Adę peccatum perdito Deum decreuisse illud ipsum per mediatorem Christũ, Messiamque saluare; ideoque vt aliquã gratiæ suæ, salutisq; recuperandæ spem primis parentibus nostris Deus faceret, statim ac eos sceleris reos manifestè cõuicit, alterum se illis Adamum, seu caput, & salutis authorem missurum promisit, eosque imposterum in eum sperare iussit; Genes. cap.3. vbi alloquens serpentem seu diabolum ait. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius;* communiter enim docent Patres his verbis Deum, qua ratione, & arte Dæmon ad perdendum Adamum eiusque posteros vsus fuerat, eadem ad illos saluandos se vsurum significare voluisse, Adamoque alterum Adamum scilicet Christum, Euæ alteram viuentium matrem Virginem Mariam oppositurum: proindèque affirmat Diuus Augustinus lib.18. de ciuitate Dei cap.47. iam citato, nullum non solùm ex Israelitis, sed etiam ex alijs gentibus ad veram Dei Ecclesiam spectasse, suamque salutem operatum fuisse sine fide saltem implicita in Christum venturum, verba eius hęc sunt: *Nemini concessum esse credendum est* (scilicet vt esset de Ecclesia Dei quam vocat ciuitatem Dei in terris peregrinantem) *nisi cui diuinitus reuelatus est vnus Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est: vt vna eademque fides per ipsum omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deũ.*

Quintò obseruandum est, post declaratam generis humani per peccatum Adæ perditionem, ita Messiam Saluatorem promissum fuisse, vt tamen non esset nisi post multa secula mittendus, in quo facilè conueniunt Iudæi, quandoquidem credunt illum nedum venisse; & quamuis aduentus eius non statim post mundi ruinam secuti, sed ad illud tempus dilati, quo nos Christiani iam illum contigisse credimus, & infra ostẽdemus, nulla alia afferri possit causa nisi mera Dei voluntas, ita pro sua prouida, & erga homines paterna bonitate, ac beneuolentia decernentis, non desunt tamen plures ex parte obiecti rationes, seu congruentiæ, quibus Theologi 3. p. qu.1. art.5. cum Diuo Thoma probant conuenientissimam fuisse huiusmodi dilatio-

lationem: Qua supposita necesse fuit, vt prius quam veniret Messias, de signis quibus certò, & facilè cognosceretur, pręmoneretur mundus per Prophetas Dei nuntios. Et quia tanti hominum intererat, vt ea in re non deciperentur, aut dubij hęrerent, propterea genus ipsius, familia, tempus, natiuitas, cæteræque circumstantiæ multis fuerunt prophetijs prænuntiandæ; vt eleganter ait Sanctus Leo serm. 3. in Natiu. Domini: *Sapientia, & benignitas Dei, hac salutiferi operis mora capaciores nos suę vocationis effecit, vt quod multis signis, multis vocibus, multisque mysterijs per tot fuerat sæcula pręnuntiatum, in his diebus Euangelij non esset ambiguum: & natiuitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio eius & antiquior præcessisset, & crebrior.*

Sexto igitur sciendum est gentem Iudaicam præfato consilio à Deo fuisse delectam, ex qua verus nasceretur Messias, eique datam legem, quæ multas ceremonias, ritusque religionis Messiæ venturi, eiusque operum prænuntios, figurasque sacras complecteretur. Vndè cum alijs nationibus, non aliam legem, quam naturalem Deus dedisset, satisque habuisset eis indicare ius suum religionis, & pietatis officium quo omnes homines tenentur Deum vnũ creatorem agnoscere, colere, diligere, & ab eo sperare beatitudinem consequendam per eum quem mediatorem inter se, & illos futurum illis prædixerat, relictis de cætero earum libertati ritibus sacris, ceremonijsque, quibus suam in eum fidẽ, spem, amorem, pietatem, ac religionẽ profiterentur; hæc omnia adamussim populo Israelitico præscribere voluit per legem ipsi à Moyse datam, vt figura, & rerum quas Messias repręsentaturus erat vmbra esset. Nec tantum legem, quoad Sacrificia, Sacramenta, ceremonias, & ritus sibi proprios, sed & ipsam gentem Hebraicam huius veritatis prænuntiam esse voluit; docente passim Diuo Augustino illam Deo ita prouidente ob varias occasiones per mundum penè vniuersum dispersam fuisse, & tanquam sal terræ, nationumque reliquarum seminatam, non solum vt Deum vnum damnata omni idololatria colendum prædicaret, sed etiam Messiam, & Christum; adeo vt non solæ prophetię, scripturæque eius, verum facta ipsa Christum annuntiarent; *Quę*, inquit præfatus Doctor lib. 19. contra Faustum cap. vlt. explicans illa verba Christi Matth. 5. nõ veni soluere legem, aut Prophetas, sed adimplere, *Regem ad regendos, & Sacerdotem ad sanctificandos fideles suos vniuersus ille apparatus veteris testamenti in generationibus, factis, dictis, sacrificijs, obseruationibus, festiuitatibus, omnibusque eloquiorum præconijs, & rebus gestis, & rerum figuris parturiebat esse venturum; qui plenus gratia, & veritate, & ad præcepta facienda adiuuando per gratiam, & ad promissa implenda curando per veritatem, venit legem non soluere.* & in lib. 22. cap. 24. ait, *Illorum hominum non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse propheticam; totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quendam, quia & magni cuiusdam fuisse Prophetam.*

Imo etiam post publicatam legem Euangelicam, ad eius probationem, scripturarum authoritatem, & prophetiarum de Iudæis ipsis factarum veritatem plurimum valere miserabilem in quo nunc iacent statum communiter docent Patres, eamque ob causam circumcisionis signum illis fuisse datum: Iustinus in dialogo, Tertullianus lib. adu. Iud. cap. 3. alijque passim interpretantes illud Psal. 58. *Ne occidas eos: nequando obliuiscantur populi mei, disperge illos in virtute tua*; Diuus Augustinus epist. 58. & 59. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 46. lib. 12. contra Faustum cap. 10. vbi eos in Cain figuratos ostendit, & cap. 14. mirabile esse ait, quod Iudęi soli ex tot nationibus deuicti, dispersique, & olim in captiuitate Babylonica, & modo cum sua lege, & ritu externo maneant. *Ex-*

posuit

posuit Dominus Deus, inquit ille, *in Cain signum, ne eum occidat omnis qui inuenerit. Hæc re vera multum mirabile est, quemadmodum omnes gentes, quæ à Romanis subiugatæ sunt in ritum Romanorum Sacrorum transierint, eaque sacrilegia obseruanda, & celebranda susceperint, gens autem Iudæa, siue sub Paganis Regibus, siue sub Christianis non amiserint signum legis suæ, quo à cæteris gentibus, populisque distinguitur: & omnis Imperator, vel rex, qui eos in regno suo inuenit, cum ipso signo inuenit, nec occidit, id est non efficit, vt non sint Iudæi certo quodam & proprio suæ obseruationis signo à cæterarum gentium communione discreti: nisi quicumque eorum ad Christum transierit, vt iam non inueniatur Cain*. Tandem cap.23. gentem Iudæorum appellat *Scriniariam Christianorum*, baiulantem legem, & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ in statu Euangelico.

Quare septimò notandum est; quod si tota lex Mosaica, quo ad ea quæ sunt eius propria, siue Ecclesia sub illo statu reduplicatiuè considerata vmbra, & figura fuit sui ipsius in statu legis Euangelicæ per verum Messiam instituendæ prænuntia, & prophetica, tamdiu ea durare, seu legitima quoad suos ritus proprios esse debuit donec veniret Messias, qui omnes eius prophetias adimpleret: Imo sicut vsque ad Christi veri Messiæ aduentum semper aliquos habuit Prophetas, ita post illum omnes in ea desijsse communiter docent Patres Tertullianus lib. adu. Iud. cap. 8. ex illo Matth. 11. & Lucæ 16. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*: & Danielis 9. vbi dicitur implenda *visio, & prophetia, cum vngetur Sanctus Sanctorum*: Chrisostomus in orat. 2. adu. Iud. Augustinus tract. 9. in Ioannem, & alij plures; nota à nobis Christianis dici legem Mosaicam aliquando cessare debuisse, seu illam à Deo ita fuisse conditam, vt nõnisi ad aliquod tempus duratura esset, & futura Sancta, legitimaque eius religio, tempusque illud Christo adueniente contigisse, ad quem tanquam vmbra, & figura ordinabatur ad suum figuratum; nota, inquam, id asseri de illa, quoad suos ritus proprios veluti accidentales considerata, nam si spectetur quoad substantialia eiusdem fidei in vnum Deum, & Mediatorem hominum Christum Iesum, eadem, quæ nunc est, substantialiter fuit ab origine mundi, & futura est vsque ad eius consummationem vera Ecclesia, veraque religio, vt ostendimus to.3.lib.3.sect.3. nec tam legẽ ipsam Mosaicã per Christum cessasse, quam in melius mutatam, ac perfectam fuisse; sicut puer in virum crescendo mutatus perficitur. Vnde etiam Christus magister veritatis, quo ad figurata, & ceremonialia, quæ ipso figurato adueniente impleri debebant, docere vel iubere non poterat, vt illa post adimpletionem seruarentur, quasi adhuc essent implenda, alioqui falsum docuisset; provt Iudæi nunc falso credunt illa nondum esse impleta, sed adhuc implenda...

Quod autem lex Mosaica in aduentu Messię cessare, seu impleri deberet, nouaque à Messia fundari, & institui quo ad ceremonialia, testantur Sacræ Scripturæ, quas Iudei ipsi admittunt, & in suo canone sacro habent. Pręcipua eorum loca sunt, Deuteronomij cap. 18. v.18. *Gentes istæ, quarum possidetis terrã augures, & diuinos audient: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*, &c. ibi enim apertè significari videtur; quod Messias mittendus erat ex semine Hebręorum verus homo similis Moysi, Dei Propheta excellentissimus, qui populo verba Dei locuturus esset, sicut Moyses, adeoque legem nouam. Vide ibi interpretes.

Isaiæ 2. v.3. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eũ omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini; & ad domum*

Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Hanc autem esse legem Christi probat Augustinus orat. contra Iudęos cap.7. quæ in Sion primum promulgata & in Ierusalem per Apostolos diuulgata est; at verò lex Moysis exijt ex monte Sinai in deserto; igitur lex Messiæ erit noua, & à Mosaica distincta: nec solùm hac nota, quod à Ierusalem incipiens reliquum mundum occupatura esset, designatur noua lex Euangelica, seu Christiana, verùm alijs tribus, quæ illi insūt, & non Iudaicæ. Prima est qua Propheta dicit eam futuram in nouissimis diebus, tunc enim erat Synagoga, nec in ea quidquam ab eo tempore contigit, quod eam illustriorem, quam tunc erat effecerit, & vt loquitur Isaias eam *super colles in vertice montium* constituerit, nisi intelligatur de ea in melius per legem Euangelicam mutata, & perfecta; cui hęc secunda nota pręclarè competit, si quidem vt tom.3. lib.3. sect.3. diximus, in nouissimis diebus ita à Deo cunctis gentibus conspicua effecta est, vt mundum vniuersum occupet, nullamque gentem, aut nationem lateat. Tertia nota significatur concursu illo omnium gentium, quæ profectò non ad ritum Iudaicum vnquam transierunt, benè autem ad Christianum.

Ieremiæ 31. v.31. *Ecce dies venient, dicit Dominus; & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti*; huiusmodi enim verbis habetur mentio duplicis fęderis, & testamenti, alterius veteris initi cum populo in monte Oreb, seu Sinai, quando de terra Aegypti eductus est, & alterius noui, quod erat initurus cum eodem populo Israel, vel secundum spiritum, vt significatur Osee cap.1. vel etiam secundum carnem, quatenus, vt diximus supra inter omnia Iudęis à Deo concessa beneficia, ac priuilegia hoc eximium & singulare fuit, quod ex eorum gente, Christus natus sit, ijsque primū apparuit, & suam doctrinā Euangeliumque pręedicauit, eosq; Ecclesiæ suæ primitias habuit. Nec tantùm in Iudęa primum nata, à Christo fundata religio, & indè in reliquum orbem diffusa est, sed primos Christianos, primosque pręcones suos, & Apostolos Iudęos etiam secundum carnem habuit, eosque solos diuinorum Christi eloquiorum, & doctrinæ custodes, & Scriptores sicut ante Christum sola illa gens Prophetas authenticos, & quorum scripta religiosè conseruata sunt habuerat, adeo vt in vniuersum dici possit tam vetus, quam nouum testamentum initum fuisse cum Iudęis etiam carnalibus, & non solùm de veteris, sed etiam noui testamenti Scripturis sacris verificari, quod ait. D. Paulus Rom. 3. *concredita fuisse illis eloquia Dei*. Quod autem aliqui Iudęi respondent citato Ieremiæ loco non intelligi nouum fœdus quod succedere deberet antiquo, eique aliquando, & per noui institutionem irritando; sed tantùm, quod post solutam captiuitatem Babylonicam, & reditum in Ierusalem vetus renouatum fuerit, stare non potest cum textu, vbi primùm affirmatiuè exprimitur, vel pędicitur initio noui fœderis, & pacti, siue nouæ legis, quia vt optimè obseruauit Paulus Burgensis sic dictus, quia relicta Iudaica secta, in qua natus erat, Episcopus Burgensis creatus est, verbum Hebręum Berith, quod latinè transfertur pactum sępissimè significat legem, pręsertim Exodi 34. v.28 deindè negatiuè dicitur illud non fore *secundum pactum quod pepigit Deus cum patribus eorum*; sed post reditum è captiuitate in Ierusalem Iudæi, nec alios ritus legitimos, alia sacrificia, Sacramēta promissa, legemque aliam quam antea, seu Mosaicam habuerunt: Igitur dū per Prophetam asseritur nouum esse fœdus ineundum, non secundum pactū cum patribus eorum initum; manifestè constat ab eo prædici fœdus, testamentum, legemque nouam ab illa per Moysem data diuersam, per Messiam Christum

stum tradendam. Quod etiam patet ex conditionibus noui huius pacti, quas ibi explicat Ieremias; *Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*; quæ legi Mosaicæ nequaquam conueniunt scriptæ in tabulis lapideis, vt ibi explicant Sacri Interpretes.

Tandem Malachiæ cap. 1. v. 10. habetur; *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus.* Nihil enim clarius dici potuit ad significandum abiectionem sacrificiorum, & totius ritus Iudaici, & in eius locum gentium conuersionem ad Deum, & per eas celebrandum sacrificium, adeo certo, vt more consueto Prophetarum, de futuro, ac si pręsens esset, enuncietur ob certitudinem diuinæ prouidentiæ; adeò clarè, vt etiam hic Malachiæ locus ipsos Iudęorum Rabbinos conuicerit. Etsi enim Rabbi Salomon alijs posterior videns profectum Ecclesię Christi, & huius prophetiæ impletionem, vt statim dicemus, ex malitia dictam prophetiam de futuro Messię sacrificio Eucharistico negauerit esse intelligendam, nihilominus plures antiquiores Rabbini, quorum testimonia refert Nicolaus de Lyra ex Iudaismo conuersus ad fidem Christianam, & Ordinem Minorũ assumptus in locum Malachiæ allegatũ, hanc veritatem agnouerunt, inter quos Rabbi Pinnas filius Iair sic ait comment. in cap. 28. Numer. *Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt, & sacrificium panis, & vini nunquam cessabit, sicut dictũ est: Melchisedech obtulit panem, & vinũ id est, Messias rex totius mundi iustissimus accepit panem, & vinum, hoc est, separabit à cessatione sacrificiorum sacrificium panis, & vini, vt dictum est Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et Rabbi Haccados ex R. Simeone lib. reuelat. secretorum sic habet: *Hoc est sacrificium, quod postquam venerit Messias, facient Sacerdotes coram Deo Sãcto, & benedicto. Tunc enim cessabunt omnia Sacra, quæ prius fiebant: facient autem sacrificium illud ex pane, & vino. Tunc Deus misericordia implebitur, & virtute ingenti Sanctorum verborum, quæ ab ore Sacerdotum manabunt, illud & omne sacrificium, quod in vnaquaq; ara celebrabitur in corpus Messiæ conuertetur.*

Per gentes autem à Malachia pręedictas intelligi gentes ad Christum, & religionem Christianam iam conuersas, quæ inter omnes religiosas sectas, sola Catholica, & vniuersalis haberi potest, cõstat ex dictis sec. 2. c. 25. per oblationẽ autem mundam significari Sacrosanctũ Eucharistię sacrificium, quod Christus verus Messias in vltima cœna instituit, & ab illo tempore in omni loco per totũ orbem offertur, scilicet corpus eius, & sanguis sub speciebus panis, & vini, in quo Christus ipsemet primarius est Sacerdos, nec non oblatio, ideo que mundissima, vt prędixerat Dauid psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; adeò clarum est, re ipsa modo per se loquente, & personante, vt pertinacem, ac mente cœcum esse oporteat, qui id non fateatur. Vndè ex nostris Sanctus Augustinus lib. 16 de ciuit. Dei c. 22. de Melchisedech agens sic ait: *Ibi primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impletumque illud, quod longè post hoc factum per Prophetam, dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carne: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo foret auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis vmbris prænotabantur.* Et lib. 17. c. 17. tractans eumdem Psalmũ 109. hæc iterum habet: *Deindè paulò post dicit; Iurauit*

uit Dominus, & non pœnitebit eum; *quibus verbis immutabile futurum esse significat, quod impletur. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech: ex eo quod iam nusquam est Sacerdotium, & Sacrificium secundum ordinem Aaron, & vbique offertur sub Sacerdote Christo, quod protulit Melchisedech; quis ambigere permittatur, de quo & ista dicantur?* Quamobrem lib. 18. cap. 35. huic argumento inhærens sic Iudæos arguit: *Malachias prophetans Ecclesiam, quã per Christum iam cernimus propagatam, Iudæis apertissimè dicit ex persona Dei; Non est voluntas mea, &c. hoc sacrificium per Sacerdotium Christi secundũ ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à Solis ortu ad occasum iam videamus offerri: sacrificium autem Iudæorum cessasse negare non possunt; quid adhuc expectant alium Christum.*

Quod aliqui cum Rabbi Salomone respondent Prophetam ibi de Mesŝia, ac gentibus ad illum conuertendis non loqui, sed de gentibus idololatris, quæ sacrificia idolis offerebant, & tamen verum Deum credebant, tam est absurdũ, quam à sacro Prophetę textu alienum; quis enim prudens dicat talia sacrificia Deo vero fuisse grata, & munda? Idem dicendum est de alia responsione, quam apud Iustinum in dial. adhibent Iudæi dictam nimirum Malachiæ prophetiam interpretandam esse de seipsis per totũ orbem dispersis, quorum preces oblationem illam mundam esse dicunt. Primò quia Propheta sacrificijs de manu eorum non amplius à Deo suscipiendis opponit aliud sacrificiũ, & oblationem, quam consequenter nonnisi propriè sumi oportet, & non impropriè pro spirituali orationis sacrificio; eoque magis, quo tunc, aut ante illa tempora non defuerunt preces illæ piorum Iudæorũ; dicendum est ibi significari sacrificium, quod successurum erat, & substituendũ in locum sacrificiorum Iudaicorum. Sed esto quod adhuc ille locus posset intelligi de sacrificio spirituali, pro vt illum explicat Tertullianus in lib. adu. Iud. cap. 5. à cæteris tamen Doctoribus reprehensus, si quidem orationes, & vota Deo nuncupata, quarum munditiès dependet à munditie, & puritate orantis infallibiliter munda semper dici non possunt oblatio, qualem Deus ipse in hoc loco dicit semper fore mundam, & ipsi gratam, cuiusmodi sola est oblatio Eucharistica, vt dictum supra; vltrò, inquam admissa talis intelligentia de sacrificio spirituali, nequaquam Iudæis aptari potest, si quidem tunc, & modo falsũ est eos in omni loco adorasse, & adorare Deum, multæ enim gentes fuerũt, & sunt, apud quas nec habitant, nec habitarunt: Deindè Propheta dicit expressè oblationem illam mundam, & sacrificium in omni loco faciendũ à gentibus non à Iudæis; de quocumque igitur sacrificio intelligatur prophetia Malachiæ, certè vt ineptior cogitari non potest consequentia, quàm nunc in omni loco Iudæorum preces esse mundam, & Deo gratam oblationem, *quia magnum est nomen Dei in gentibus*; ita legitima est illa, qua infertur abiectio sacrificiorum, & totius ritus Iudaici, & in eius locum gentium conuersio ad Deũ; & per eas celebrandum sacrificium.

Præfatis Scripturarum authoritatibus pro cessatione veteris legis quo ad ceremonialia, nouæque in eius locum institutione, accedunt quoque plures rationes desumptæ tam ex natura religionis in communi, quam ex propria conditione Iudaicæ; quæ primò eo ipso, quod instituta fuit à Deo vt vmbra, & figura alterius melioris religionis, quædamque præparatio ad illa, vt notauimus supra, patetque ex Sacramentis, sacrificijs, obseruantijs, alijsque ritus illius ceremonijs, quæ omnes fuerunt aliquæ professiones fidei illius, qua credebant in Mesŝiam venturum, vt modo Iudæi fatentur se illum in gente sua futurum expectare; cessare quo ad illa debebat, adueniente eo, cuius venturi prænuntia erat, quia tunc falsæ erant futuræ illæ omnes figurę. Fallitur enim qui eum, qui iam aduenit, aut præsens est,

aut

aut præterijt venturum expectat, ac vice versa. Quare si Christus Dominus verus fuit Messias, vt infra ostendetur, omnes Iudaicas ceremonias falsas esse, ac vanas necesse est, quoniam dum alter futurus Messias speratur; qui iam aduenit, nec agnoscitur, nec colitur; & ita huic vero, legitimoque Principi debitus cultus, religiosaque denegatur obseruantia, quæ falsò alteri exhibenda reseruatur.

Secundò lex terrena promittens, ac temporalia, Sanctitatem significans, & non præstans est imperfecta, si quidem perfecta religio cum sit res quædam animæ debet potissimum ordinari ad eius salutem, beatitudinemque consequendam, nec non consequenter ad sanctificandos cultores suos, aliàs nec beatitudinis comparandæ necessaria suppeditaret media, nec esset Sanctitatis, & virtutum disciplina: Sed lex Mosaica ex proprijs meritis considerata promittebat solùm temporalia, præcipua enim merces in illa proposita erat terra illa Palæstinæ breuis, & angusta, nullamq; vim Sanctitatis conferendæ habuit, sed tantummodò significandæ, quatenus imperauit munditias quasdam carnis, seu corporales ad significandam, & quod signi proprium est, veræ & spiritualis Sanctitatis notitiam suggerendam ijs, qui legē illam spiritualiter sumptam intelligebant; fuit igitur imperfecta, & eatenus bona, & sancta, quatenus per eius promissa, qui veri tunc erat pietatis, ac religionis cultores, beatitudinem æternam sibi figuratam, adumbratamque intelligentes, & desiderantes illam, tandem per Christum consequebantur: per Sacramenta autem, v. g. circumcisionem, quod præcipuum inter illa fuit, significabatur Sanctitas non per eam conferenda, sed per fidem circumcisi, aut circumcidentis in Messiam, vel Christum, quem in stirpe Abrahæ venturum aspiciebat, atque ita eo adueniente cessare debuit, nullaque amplius potest esse eius, nec aliorum rituum vtilitas, quia nonnisi falsa signa esse possunt; manente semper tamen vna, & eadem substantialiter Ecclesia per eamdem, quam fideles, ex quibus coalescit, in vtraque lege, nec non etiam naturæ ab origine mundi Christi fidem habuerunt, & habent: vide Tertullianum lib. adu. Iud. cap. 9.

Octauò notandum est legem Mosaicam quo ad ceremonialia nedum per Christi aduentum cessasse, verum etiam falsam, ac superstitiosam, atque adeò impiam, & sacrilegam redditam fuisse, si semel ostendatur illum verū Messiam in lege promissum fuisse, re enim ita se habente, necesse est falsam esse illam religionem, quæ adhuc expectat eum, quem colere, & venerari deberet, est & impia, quæ Christum verum Messiam non agnoscit, nec debito cultu veneratur; eum autem quem nos Iesum Christum filium Beatissimæ Virginis Mariæ appellamus, esse verū Messiam, quem lex & Prophetæ Iudeorum prædixerunt, infra demonstrabitur.

Vndè nonò aduertendum non esse in præsenti controuersiam de diuinitate Messiæ, vel Christi, seu an secunda Sanctissimæ Trinitatis persona assumpserit naturam humanam, adeo vt inde resultarit vnum perfectum compositū quod simul sit verus Deus, & verus homo, quale nos firmiter credimus, & supponimus esse Christum; sed disputatio directè procedit cum Iudæis, an ille fuerit verus in lege promissus, ac prænuntiatus Messias, siue quod idem est an Christus, vel Messias in lege promissus iam venerit, & sit illa singularis persona, quæ dicitur Iesus Christus filius Mariæ: in hoc enim Diuus Paulus conuincebat Iudæos *affirmans quia est Christus* Act. 9. Etsi enim tam Ethnici, quàm Iudæi negent aduentum Messiæ, iamque consequenter fuisse peractum Incarnationis mysterium; quia tamen isti præ illis sacras veteris testamenti Scripturas admittunt, in quib⁹ clarissima futuri aliquando Messiæ

ssiæ repromissio habetur, ideo etiam ex illarum authoritate suppetit nobis specialis modus probandi contra Iudæos non solum possibilitatem aduentus Messiæ, quod ipsi non negant, & in quo iterum à puris infidelibus distinguuntur, sed insuper iam à longo tempore peractum fuisse, si semel ostendatur in illa singulari persona, quæ vocatur Iesus filius Mariæ, fuisse ad amussim impleta omnia, quæ Scripturæ Propheticæ veteris testamenti characteristicè de vero Messiæ prædixerunt; tùm stabilito, ac supposito hoc fundamento, persuadendi illis omnia à Christo reuelata, & edocta fidei nostræ mysteria esse vera, firmiterque credenda: V.g. illùm non esse tantũ purum hominem, sed etiam verum Deum siue secundam Sacræ Triadis personã, quæ pro nobis humanam carnem assumpsit, cum ipsemet Christus, ita de se docuerit, & in huius veritatis, aliarumque ad illam consequentium confirmationem innumera ediderit miracula.

Sic igitur cum vnicum disputationis aduersus Iudæos fundamentum sit authoritas Sacrarum veteris testamenti Scripturarum, quas multi ex ipsis vel deprauant, vel non omnes admittunt, primum quod disputaturus cum illis præstare debet, est firmiter statuere, quasnam Scripturas recipiant, & cur non omnes: ita Diuum Iacobum fratrem Domini cum Iudæis acturum legimus apud Beatum Clementem lib. 1. recognitionum circa finem hoc primũ proposuisse: *Requiramus*, inquit, *primo ex quibus potissimum Scripturis disputationem habere oporteat*: Si enim non constet, nec aliquid certi ab ipsis concedatur de Scripturis, vix vlla cum eis potest institui disputatio, nisi vel ostendendo talem, ac talem Scripturã pro canonica apud antiquos haberi, maximèque apud authores ipsis probatos; aut saltem quod rationem reddant, cur istam potius Scripturam, quam alias reijciant; cum nobiscum libenter fateantur veram fidei doctrinã in veteri testamento, siue in statu legis Mosaicæ fuisse à Deo traditam in Scriptura; certè si pro libito quis posset illam negare, vel respuere, siue in parte, siue in totum, aut varias corruptelas, & mutilationes in illam adducere; nec esset de aliqua certa, & firma regula à Deo prouisum, per quam ista possent corrigi, & ad verum sensum reduci, omnia confusione essent plena, perindèque esset ac nullam habere fidem. Ista autem regula non est alia, quam Ecclesia, quæ in veteri testamento gubernabatur per Sacerdotes, quorum iudicio standum erat Deuteron. 17. & ad ipsos spectabat iudicare de lege, & mandato, vt habetur 2. Paralip. c. 19. In nouo autem per Summos Pontifices Petri successores, ac Christi Vicarios, vt tom. 1. lib. 2. sect. 6. cap. 9. ostẽdimus, nec non tom. 3. lib. 3. sect. 4. cap. 16. Quare ad hoc potissimum reduci debent Iudæorum disputatores, vt admittant Scripturas, quas ab antiquo recipit eorum Synagoga, petendumque ab illis, an saltem eas velint recipere eo in statu & modo, quo tempore primitiuæ Ecclesię habebantur, vbi Apostoli, & alij antiqui doctores, vt Iustinus, Tertullianus, Cyprianus Athanasius, & alij cum Iudæis disputabant, & tamen in diuinarum Scripturarum receptione conueniebant; nec eas Iudæi negabant, sed conuincebantur ex illis; vt multis Actuum Apostolorum locis refertur. Si enim Iudæi semel in hoc concordare nolint, euidentissimum est argumentũ, quod ipsi non autem Christiani sacras corruperint Scripturas, quia cùm primitiuæ Ecclesiæ temporibus, tàm eorum patres, quam antiqui Doctores Christiani in ijsdem conuenirent Scripturis; nolentibus modo eorum filijs in illismet conuenire, aliundè prouenire non potest, quam ex earum corruptione ab ipsis facta; vndè enim quæso nouas alias Scripturas; nouamque legem habuere?

Quod si adhuc Scripturas omnes ab

ab Ecclesia receptas nolint admittere Iudæi, diligenter examinandum est an illæ, quas ipsi habent, & approbant tanquam regulam fidei, concordent in aliquo cum nostris, & aliquem saltem fidei articulum contineant, ex quo legitimum deduci possit argumentum cōtra illos in eo quem negant articulo; re enim ita se habente remanebit semper disputationi locus; habemusque in hoc Christi Domini exemplum, qui rogatus à Sadduceis non alios quam Moysis libros agnoscentibus, circa articulum resurrectionis mortuorum illos redarguit loco ex ijsdem libris desumpto Exod. 3. *Ego sum Deus Abraam, & Deus Isaac, & Deus Iacob*; deinde subiungit, non est Deus mortuorum, sed viuentium. Et audientes turbæ mirabantur de doctrina eius. Matth. 22. v. 33. At si nec tales etiam habeant Scripturas, sed suo duntaxat priuato spiritu, priuataque authoritate ducti illas omnino reijciant, à disputatione cum ipsis abstinendum est, vel tractandum cum illis sicut cum gentilibus omnem diuinarum Scripturarū authoritatem negantibus.

Supposito ergo quod præsens disputatio ineunda sit cum Hebræis diuinas veteris testamenti scripturas suscipientibus; Messiaque nomine nos cum illis quemdam hominem intelligamus ex gente Iudæorum trahentem originem, à Deo per Prophetas prædictum, & promissum in Regem, & Saluatorem hominum; iam probandum est nobis ex dictis Scripturis illum Messiam iampridem venisse, fuisseque Christum Iesum à Iudæis crucifixum, quem nos hodie Christiani summa per vniuersum mundum veneratione colimus, & adoramus; quod accuratius præstare conabimur, quo talis veritas, non qualiscumque assertio fidei nostræ est, sed eiusmodi, qua veluti vnico fundamento nititur Christiana religio; *In causa enim duorum hominum*, inquit Diuus Augustinus, *quorum per vnum sub peccato venumdati sumus, per alterum à peccatis redimimur tota fides Christiana consistit*.

Vt autem in hoc opere Deo gratissimo, quemadmodum sex rationibus efficaciter probat noster Thomas à Iesu in præfatione libri 9. de conuersione omnium gentium procuranda, maiori quo potest ordine procedatur: ad tres veluti classes reducemus omnia veteris testamenti testimonia; & in prima comprehendemus illa, quæ absolute promittunt Christum venturum, non designato tempore, aut aliquibus alijs circumstantijs, & notis huiusmodi aduentus. In secunda ponentur illa, quibus designatur tempus circa quod venturus erat, quamuis nec dies, nec hora precisè determinetur. In tertia tandem ea collocabuntur testimonia tales circumstantias exprimentia, quæ nonnisi illi singulari personæ filio Mariæ competere possunt; inseruientque omnia ad probationem singularum propositionum minorum sequentium discursuum, qui si semel sunt veri, fateantur necesse est Iudæi. I. Messiam esse possibilem. II. illum iam venisse. III. Esse illam singularem personam, quæ dicitur Iesus Christus Mariæ Virginis filius.

Primum autem argumentum, vel discursus hunc in modum efformari potest.

Quod Scripturæ Propheticæ significarunt esse aliquando futurum, id omni ex parte dicendum est possibile.

Sed futurum esse aliquando Messiam prænuntiarunt Scripturæ propheticæ:

Ergo Messias omni ex parte dicendus est possibilis.

Secundum argumentum est.

Quod Scripturę Propheticę præsignarunt esse aliquando futurum de aduentu Messiæ, iam peractum est, executionique mandatum; si illa singularis persona, quæ dicitur Iesus filius Mariæ, quamq; omnes Christiani per vniuersū orbem diffusi summa veneratione colunt, est de facto verus in lege promissus ac prænuntiatus Messias.

At hoc certissimum est:

Promissus ergo in lege Messias iamdudum venit.

Tertium argumentum sic habet.

Certissimum esse debet Iesum Mariæ filium esse verum Messiam in lege promissum, si in illum concurrunt omnes notæ, omniaque prorsus signa, quibus in veteris testamenti vaticinijs, & prophetijs conditio veri Messiæ descripta reperitur; cum enim talia signa Prophetarum oraculis eò præmissa fuerint à Deo, vt his Messias aliquando in mundum venturus, sine vllo errore, ac sine magna difficultate cognosci, deprehendique posset; sanè fatendum est eum, in quo illa omnia conuenerint, esse verum Messiam in lege prædictum, ac promissum:

Sed in Christum Iesum ad amussim conspirant omnes notæ, omniaque prorsus signa, quibus antiqui Prophetæ veri Messiæ conditionem, & statum depinxerunt:

Igitur pro vero Messia in lege, ac Prophetis promisso habendus est Dominus noster Iesus Christus.

Vt certissimis trium horum discursuum, siue argumentorum præsuppositis maioribus propositionibus; tres eorumdem minores propositiones tot sequentibus capitibus ex sacris veteris testamenti scripturis demonstrabuntur: Si prius monuero, quod si, qui muneri cõuersionis infidelium incumbunt, maximè studere debent, vt alieni à christiana religione ad eam blandimentis, summaque charitatis exhibitione, non autẽ austeritate adducantur, hoc esse præcipuè obseruandum cum Iudæis, teste Diuo Gregorio, qui potius authoritatibus, & rationibus summa cum animi lenitate propositis, quam cum rigore ad religionem christianam amplectendam prouocari debent; nunc magnificando veteris testamenti authoritatem, nũc laudando eos, quod olim à clementissimo Deo in delicijs habiti, & vniuersi terrarum orbis nationibus prælati fuerint, maximè misso in terram vnigenito, & coeterno filio suo, qui ex eorum stirpe priuilegio planè mirabili carnem assumeret: nunc tandem dolendo gentis olim Deo ita charę vicem aduersam: illisque aduenisse ob atrocissimum scelus in Christi morte commissum, vt inferius probabitur.

CAPVT II.

Adducuntur testimonia Veteris Testamenti, quæ absolutè promittunt Christum venturum.

PRima Dei promissio data homini de aduentu Messiæ expressa est ijs verbis iam superiori capite relatis, quæ Deus Serpenti dixit Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Secunda promissio facta est Aabrahæ. Genes. 12. & 22. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Quod intelligi non potest, quia omnes gentes benedicant ipsum Abraham, vt ineptè explicant aliqui Iudæi, cum non promittatur benedictio in ipsomet Abraham, sed in semine eius, quod est Messias, seu Christus, nec modo vniuersæ gentes benedicunt Abraham, sed Christum, quem non solùm Christiani, sed etiam Mahumetani, tanquam magnum Prophetam venerantur. Tertia promissio, & quidem prioribus multo expressior, per Iacob his verbis pronuntiata, & mundo promulgata est. Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Quod testimonium, quia designat tempus circa quod venturus erat Messias, commodius de illo agetur capite subsequenti. Solùm occurrit dubium, cum hęc prophetia Iacob tam euidens, ac firmum cõtra Iudæos de aduentu Messiæ præbeat argumentum, qui factum sit, vt hoc vaticinio aduersus illos, nec Christus Dominus, nec Apostoli, nec Euangelistę vsi aliquando sint, saltem quod legatur in nouo Testamento expressè. Respondetur causam esse, quia ex hac prophetia illud potissimum inferri

ferri potest; quo tempore natus est Christus Dominus, eodem venturum esse Messiam; tunc enim primùm defecerat principatus ex gente Iudaica trãslatus ad Herodem alienigenam: sed hoc Iudæi non negabant; quin etiam pro certo habebant tàm docti, quam ipsum vulgus in proximo esse Messiæ aduentum. Vndè Samaritana dixit Ioann. 4. *Scio quia Messias venit*: At verò hominem illum, qui dicebatur Iesus, filium Mariæ, & vt putabatur Ioseph, illum, inquam, hominem, seu singularem personam, verum esse Messiam, qui expectabatur, quod Iudæi negabant, & aduersus eos potissimum vrgebant Apostoli, absolutè ex prophetia Iacob concludi non potest, quare mirum non est, quod ea vsi non fuerint nec Christus Dominus, nec Apostoli.

Item Deuteron. 18. dicitur *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus*: quo testimonio vsi sunt Diuus Petrus Act. 3. & Stephanus 7. In plurimis quoque Psalmorum locis habetur promissio de Messia: Psal. 2. *Dominus dixit ad me filius meus es tu ego hodie genui te*; quo vtitur Apostolus ad Hebræos 5. In Psalmo autem 44. per totum fit sermo de Messia, vbi etiam vocatur Deus, *quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum*. Quod sanè non potest intelligi de Salomone, vt Iudæi volunt, sed de Messia, cuius typus, & figura Salomon fuit. Vndè ad illa verba eiusdem Psalmi, *Sedes tua Deus in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*; paraphrasis Chaldaica Messiæ nomen expressum habet dicens: *Et tu rex Messia dilexisti iustitiam* &c. Rursus ps. 109 fit aperta Messiæ mentio, dum dicitur, quod sit futurus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & quod sedebit ad dexteram Dei; quin imo quatuor ibi veri Messiæ notæ assignantur, prima subiectio inimicorum ipsius; secunda regnum eius ex Sion in totam postea terram propagandum; tertia ipsum fore in ęternum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech; quarta, quod de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Psalmo tandem 131. Dauid sibi à Deo factam Messię repromissionem ait: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*.

In Prophetis etiam manifestæ de Messia habentur prædictiones: Isaiæ cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*: de quo vide interpretes ibi, præsertim Cornelium à Lapide, qui rectè probat aduersus Iudæos, & hæreticos præfata verba intelligenda esse de B. Virgine Deipara, integra & intacta virginitate Christum Dominum concipiente, & pariente. Iterum eiusdem Isaiæ cap. 9. prædicitur, quod sicut Assyrij prædati sunt Samariam, & Galilæam, ita & Christus, vel Messias easdem prędabitur spiritualiter; vndè mira eis, totique mundo lux affulgebit, & gaudium: *Paruulus enim*, inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, &c.* Quæ verba de nullo alio rege, vel regno temporali possunt intelligi, vt satis per se patet, quomodo enim dici potest aliquis illorum regum Deus, & pater futuri sæculi; sed de solo Rege Messia, eiusque regno non tam terreno, quã spirituali, quo Christus in Ecclesia toto orbe diffusa regnat, fideliumque mentibus: vndè Rom. 14. Regnum Dei dicitur esse iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Quare dum citato Isaiæ loco regnum Christi dicitur sedes, vel solium Dauid; *Multiplicabitur*, inquit, *eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit*: hoc est, vel quia regnum Messiæ spirituale adumbratum fuit regno temporali, siue terreno Dauidis; vel quia Dauidi sub typo regni sui promissum fuit hoc regnum Messiæ tanquam filij sui. Sicut etiam dicitur Christus regna-

turus in domo Iacob Luc. 1. non temporali, sed spirituali, id est, in Ecclesia, seu populo fideli, qui olim erat populus Israel seu filij Iacob; simile est Roman. 9. 6. quando autem cœperit hoc solium, & regnum Iesu Christi veri Messiæ, quoque titulo illud obtinuerit: Respondent ad primum Theologi, illud quidem dedisse Deum Patrem Christo quasi in actu primo in sua Incarnatione; sed in actu sedundo cœpisse eo prędicante, & cunuertente homines; promotum, & propagatum fuisse per Apostolos, perfectum fuisse post Christi resurrectiouem, & ascensionem in cælum, consummatum verò, & gloriosum fore post iudicium vniuersale. Ad secundum pariter dicitur ex communi Theologorum sententia in tractatu de Incarnat. triplici titulo hoc regnum obtinuisse Christum Dominum: Primò titulo vnionis hypostaticę, & hæreditatis. Secundo titulo redemptionis; ex quo enim ipse nos suo sanguine emit, magis est Dominus absolutus noster, quam herus sit dominus serui emptitij. Tertio titulo meriti Philipp. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. *vt in nomine Iesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*.

In Propheta Habachuc cap. 3. prædicitur quoque aduētus Messiæ, vbi post illa verba: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum*; statim subiungitur; *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*: Item Aggæi 2. *Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridā. Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria. Dicit Dominus exercituum, meum est aurum, meum est argentum, dicit Dominus exercituum, magna erit gloria domus istius nouissimę, plusquam primæ; dicit Dominus exercituum, & in loco isto dabo pacem*. Verùm cum hæc prophetia Aggæi præter absolutam venturi Messię promissionem, designet quoque circumstantiam temporis aduētus eius, *adhuc vnum modicum est*, nec non alias notas Messiæ ipsius proprias; fusiorem illius explicationem sequentibus capitibus reseruabimus, solumque modo statuemus in hoc Prophetæ testimonio haberi sermonem, ac promissionem de aduentu Messiæ; qui meritò vocatur desideratus cunctis gentibus, vt potè cunctis ipse salus, & redemptio liberalissimè futurus. Quod si dicat aliquis potius dicendum fuisse desideratum cunctis Iudæis; Gentes enim quibus nō affulserat fidei lumen, quomodo poterant illum desiderare. S. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 35. propter hanc instantiam existimat hanc particulam huius prophetiæ non esse implendam vsque ad secundum Christi aduentum. Verùm cum hæc expositio non quadret cum tota prophetia, nisi de primo intelligatur aduentu, vt capite sequenti ponderabimus; Respondetur facilè, Christum Dominum meritò potuisse a Propheta vocari desideratum cunctis gentibus, etiam ante primum aduentum, vel quia per cunctas gentes intelligi possunt cuncti populi, quibus annumerari etiam potest populus hebræus; vel quia si gentes sumantur, vt ab Hebræis distinguntur, semper inter illas plures fuerunt, ex dictis superiori capite, qui Christi fidem, spem ac desiderium habuerunt: vel etiam, quia licet gentes, quæ Christum penitus ignorabant, non desiderarent illum appetitu elicito, maximè tamen indigebant aduentu eius, & ideo summoperè illis erat desiderabilis, & quod huiusmodi est, solet etiam desideratum appellari, veluti ipso pondere rei indigentis. Quemadmodum frequens est tam in sacris, quàm in prophanis litteris dicere, terram desiderare, vel expectare imbres, solem, ventos; significando terrā istiusmodi rebus vehementer indigere, quo fructus optatos, & expectatos hominibus ferre queat. Hac eius vocis significatione vsus Moyses Deuter. cap. 11. dixit terram promissionis expectare de cœlo pluuias, id est indigere pluuijs, &

eas in tempore accipere. Vel tandem quia Prophetæ ad indicandam prophetiæ certitudinem, solent futura dicere præterita, vel præsentia; & sic quia Christus erat summè amandus, & desiderandus à gentibus, ideo illum vocat Aggæus desideratum cunctis gentibus, alludens ad illud Genes.49. *Et ipse erit expectatio gentium*. Præterquam dici potest, tam illam Aggæi, quam istam Iacob sententiam posse intelligi de gẽtibus iam ad Christi fidem vocatis, & conuersis; mos enim Scripturæ est, conuersos ex gentibus ad Christum, etiam post conuersionem appellare gentes, ad differentiam videlicet Iudæorum. Audiamus Paulum loquentem cum gentibus iam Christi fidem amplexis. Rom. 11. *Vobis dico Gentibus, quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*, &c. sensus igitur est non tantùm Iudæi, sed multò magis Gentes Mesśiam recipient, atque in eo suam spem, omnemque fiduciam collocabunt.

Verùm cum Septuaginta interpretes loco illius particulæ huc vsque à nobis explicatę, *venit desideratus cunctis gentibus*, verterint, *veniet electa omnium gentium*; aliqui Iudæi ex illa translatione sumpserunt occasionem dicendi, nõ promitti ibi aduentum Mesśię, sed tantum prædici multos Gentilium venturos fore ad videndum templum illud, & offerendum Deo optima, & pretiosa dona. At quam aliena sit à veritate hæc interpretatio, in primis rei euentus probauit: nullas enim Gentes legimus templum illud adijsse causa pietatis, vt illud admirarentur, aut venerarentur, sed potius ad spoliandum, & depeculãdum illud. Quod enim de Alexandro Magno refertur in eo hostias immolasse, rectè notat Diuus Augustinus lib. 18 de ciuitate Dei cap. 45. non vera pietate, sed impia vanitate id fecisse, Deum Israel cum suis alijs falsis colendum putando. Neque in eum locum venit honoris causa, sed vt ciuitatem subiugaret, quia verò non sunt ausi Hebræi illi resistere, ideo placatum facillimè subditi receperunt. Deindè Hebraicus textus à Iudæis admissus habet vt nostra Vulgata: *Venit desiderium cunctarum Gentium*; vndè etiam antiquos Rabbinos locum hunc de aduentu Mesśię intellexisse testis est Galatinus lib.4. c.9. Tandem ex versione Septuaginta Interpretum malè sumpta est occasio præfatę interpretationis, cum facilè eumdem ac Vulgata, & Hebraica veritas sensum reddere posśit, siue ipsemet Christus dicatur electa, seu desiderabilia omnium Gentium, quia omnia bona illis attulit siue Gentes ipsæ venturæ dicantur ad Christum, ita vt aduentus Mesśiæ in suo effectu, scilicet conuersione Gentium prænuntiatus sit.

Plura alia præter supradicta possent afferri loca, in quibus manifesta Mesśiæ promisśio continetur; verùm cum hanc veritatem Hebræi non negent, qui se illum ardentisśimè expectare profitentur; tantùm superest pro huius capitis coronide, vt vni dubio breuiter satisfaciamus, quod contra superius dicta excitari posset; verùm quidem esse quod Mesśias fuit in lege promissus, sed sub conditione si non obstarent peccata populi, vt colligi videtur ex citato loco Psalmi 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam; si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia hæc, quæ docebo eos*. Quo loco ad litteram loqui de Mesśia statim diximus; & patet ex interpretatione Diui Petri Act.2. vndè cum ista conditio non fuerit impleta ex parte populi Iudaici, sed sua potius multiplicauerint, & aggrauauerint peccata, non est cur asseramus fore aliquando implendam factam de Mesśia in veteri Testamento promisśionem.

Respondetur ad hanc obiectionem satis constare, tàm ex alijs authoritatibus adductis, quam ex istomet Psalmi 131. promisśionem de aduentu Mesśiæ non fuisse factam sub conditione, sed omnino absolutè, & secundum immobili-

bilitatem consilij diuini: & certè si fuit promissus Messias, vt occidendus, & sacrificandus in redemptionem peccatorum, vt habetur manifestè, Isaiæ 53. & Danielis 9. propter nulla peccata ista promissio frustranda erat. Insuper nullum peccatum grauius fuit, quam ipsa occisio Messiæ tam crudeliter facienda; quare si propter illud non erat ista promissio frustrãda, sed potius promittebatur, & prænuniabatur ipsa occisio, sine qua non erat futura peccatorũ remissio, propter nullum aliud eius adimpletio omittenda, vel impedienda erat. Tandem Iudæi fuerunt in captiuitatem ducti propter peccatum Idololatriæ, & non custoditum testamentum Dei; atque adeo iam tunc posuerant obicem, siue non adimpleuerant conditionem, sub qua dicitur facta promissio de aduentu Messiæ; & tamen adhuc post captiuitatem facta est promissio, & reuelatio de Messia absolutè, & sine vlla penitus conditione, vt patet Danielis 9. in prophetia 70. hebdomadum, quam sequenti capite examinabimus, & Aggęi 2: *Veniet desideratus cũctis Gentibus.* Igitur pro certo tenendum est promissionem de aduentu Messiæ non fuisse factam à Deo sub illa conditione, si nõ obstarent peccata populi, sed omnino absolutè. Vndè ad illum locum Psalmi 131. *Si custodierint filij tui testamentum meum*, &c. dicitur illam conditionalem referri ad clausulam subsequentem, *sedebunt super sedem tuam*; non autem ad antecedentem in qua fit mentio & promissio de Messia omninò absoluta: vt apertè constat ex ipsomet tenore illorum verborum: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Vide ibi interpretes, & inter alios Lorinum.



CAPVT III.

Proferuntur testimonia veteris testamenti, quibus designatur tempus Aduentus Messiæ:

INter loca veteris Testamenti designantia circumstantiam temporis quo venturus erat Messias, & ex quibus efficacius aduersus Iudęos colligitur illum iam aduenisse, tria sunt potissima, quæ in præsenti capite examinabimus, prius tamen animaduertendo, duo tanquam certa constare ex Scriptura de aduentu Messiæ; primum illum non venisse immediatè post captiuitatem Babylonicam, cum Prophetæ, qui post talem captiuitatem vixerunt, ipsum adhuc vt venturum prędixerint; vt patet Aggęi 2. toties citato: *Veniet desideratus cunctis Gentibus*; & Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator*, &c. & Malachiæ 3. *Ecce ego mitto Angelum meum*, &c. *& statim veniet ad templum suum Dominator, quẽ vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis*: vbi loquitur de præcursore Christi, & huius aduentu. Secundò constat Christum non venturum post totalem Reipublicæ Iudęorum, eorumque templi destructionem. Nam Christus promissus est venturus ex illa gente Iudęorum vt Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iudæ, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.* Et in duobus statim citatis Aggæi, & Zachariæ locis dicitur venturus templo adhuc stante: Cum ergo iam totaliter destructum videamus Iudæorum Rempublicam, eiusque templũ, non est quod amplius expectetur ab illis primus Messiæ aduentus. Nec dici potest, quod Messias venturus sit ad restituendum illud regnum, & templum; nam si nasciturus est ex illa gente, & adhuc eorum republica temploque extante, manifestum est ante eius aduentum debere extare templum illud, & rempublicam, vt in illa nascatur.

Iam

Iam ergò primus locus, in quo magis in particulari determinatur circumstantia temporis, quo veniret Christus habetur in capite 49. Genefcos, vbi Patriarcha Iacob à versu 8. vsque ad 12. commendans tribum Iuda primò, à nomine, secundò, à fortitudine bellica; tertiò, à dignitate & reuerentia, quod scilicet Iudam adorabunt fratres; quartò, à victorijs; quintò, à regno, & sceptro; sextò, ab opibus, & frugum copia; septimò tandem, à Christo ex ea nasciturо, profert hæc verba; *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*; quasi diceret non deerunt reges, duces, legislatores de tribu Iuda, donec veniat Christus; atqui iampridem videmus nullos amplius reges, nullos duces, nullos legislatores de tribu Iuda, imo nec de vlla alia tribu inter Iudęos, sed omnes penitus defecisse, idque ab annis mille sexcentis & amplius quibus Iudęi per orbem vagãtur, & aliarum gentium quasi perpetuæ seruituti mancipati sunt; ergò dicendũ est iampridem venisse Mesiam in lege promissum. Nam licet Iacob non expresſè dicat principatum in Iuda tunc defecturum cum veniet Mesias, perspicuè tamen significat, si quando contingat deficere principatum in Iuda, tunc certissimè aduentum Mesiæ expectari oportere. Nam si non deficiet donec veniat Mesias, ergò cum iam defecerit, necesse est iam venisse Mesiam.

Quantò efficacius hic locus aduersus Iudęos probat, certum tempus aduentus Mesiæ, & ex eo cõcluditur euidenter iampridem illum venisse: tantò pertinacius Iudęi, qui fuerunt post aduentum Christi, multiplici tergiuersatione vim illius eludere conati sunt, varias huius prophetiæ interpretationes confingendo, quibus apertam rectamque eius sententiam quoquomodo infuscarent atque peruerterent. Maior igitur recentiorum Hebręorum pars cum negare non posit prophetiam hanc esse completam, negat tamen in ea esse sermonem de Mesia. Sed adhuc propter obscuritatem illius vocis *Siloh*, quæ habetur in textu Hebraico, *donec veniat silo*, diuisi sunt inter se, quid per illam intelligatur. Aliqui enim dicunt non personam aliquam, sed locum significare, in quo multo tempore mansit arca Dei, vt constat ex libro Regum 1. Alij intelligunt de Saule hunc locum, quia in *Siloh* vnctus est in Regem; alij de Hieroboam, qui separauit decem tribus ab imperio regum Iuda, adeo vt hic sit prophetiæ sensus: non recedet principatus à Iuda, donec veniat *Siloh*, id est donec in *Siloh* vngatur in regem Saul, qui erat ex tribu Beniamin, in quem translatus est principatus ex tribu Iuda. Similiter donec veniat *Siloh*, id est, Hieroboam, qui in ea vrbe assumptus est in regnum decem tribuum. Alij denique referunt hoc vaticinium ad Nabuchodonosor regem Chaldæorum; voluntq; hunc esse verum, germanumque illius sensum: Habebit tribus Iuda regale imperium, donec veniat rex Nabuchodonosor: is enim regale imperium ademit tribui Iuda, capto, effossisque oculis ducto Babylonem rege Sedechia, post quem nullus deindè posterorum Dauidis, aut ex tribu Iuda regnauit apud Iudæos. Atque hac etiam ratione vaticinium hoc Iulianum Apostatam, & hostem Christianorum intellexisse, ex verbis quæ commemorat S. Cyrillus Alexandrinus libro octauo eorum decem, quos aduersus illum conscripsit, licet colligere, quæ sic habent. Quod non deficiat princeps de Iuda, neque dux de femoribus eius, non de Mesia, vel de Iesu dictum est, sed de regno Dauidis, quod cessasse constat in Sedechia, nouissimo posterorum Dauidis rege Iudęorum.

Altera Iudæorum interpretatio pręcedenti veluti extremè opposita, est, hanc quidem prophetiam esse de vero Mesia intelligendam, sed nondum esse adimpletam. Primò enim aiunt aliqui, vocem Hebręam (Sheueth) quam Latinus interpres vertit sceptrum, siue virgam

gam, significare hoc loco non virgam dominationis ac principatus, sed virgã tribulationis, & tyrannicę oppresionis. Vt sit sensus: Non recedet à tribu Iuda vexatio & oppresio, quoad veniat Mesias. Secundò alij docent non eum esse huius prophetiæ sensum, quem iactant Christiani, sed planè contrarium: neque enim significatur principatum in tribu Iuda nunquam defecturum vsque ad Mesiæ aduentum; sed illud potius significatum, post aduentũ Mesiæ, nullo tempore deinceps sceptrum Iudæ defecturum: adueniens enim Messias restituet tribu Iuda regnum, idque in posterum ita firmabit, vt nunquam deficiat. Tertiò denique Rabbi Salomon concedit significari hoc vaticinio, mansurum in tribu Iuda sceptrum, donec veniat Mesias; negat tamen venisse adhuc, quia manet adhuc in tribu Iuda sceptrũ & imperium. Sed vbi terrarum aut gentium sceptrum, & imperium habet tribus Iuda: Respondet, in his regionibus quæ sunt circa Mediam, Asyriam, Babylonem, & circa montem Caucasum. Hanc opinionem, vt suo tempore à Iudeis vulgò iactatam memorat Origenes initio libri 4. de principijs.

Contra has igitur duas impias, & insulsas Iudęorum interpretationes stabiliendum est nobis primò vaticinium hoc debere intelligi de solo vero Mesia, & nullo modo de aliquo alio Rege, vel duce ex antecedentibus. Secundò iam fuisse adimpletum. Verùm ante omnia prænotanda sunt aliqua, eòque diligentius, quò sepius in presenti disputatione vsui esse solent.

Primum est in illis verbis *non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. vnum explicari, scilicet non esse auferendum sceptrum de Iuda; aliud verò implicari, futurum scilicet aliquando sceptrum in Iuda. Non poterat enim auferri sceptrũ à Iuda, nisi prius illud habuisset. Cum igitur illo tempore nullum regnum esset in domo Iuda, tacitè siue implicitè significatur, ac predicitur illis verbis fore aliquando vt domus Iuda regnaret.

Aduertendum est secundò ab eo tempore, quo Iacob edidit hoc vaticinium, id est ab eius morte vsque ad Christi aduentum, seu Natiuitatem, quem verũ Mesiam esse cõtendimus ex hoc, quod tunc Principatus Iudaicus ad Alienigenas erat translatus, nimirum ad Herodem Ascalonitam Antipatris filium, fluxisse annos 1695. id siquidem prophetauit Iacob anno ętatis 147. quo & mortuus est, qui fuit annus mundi 2255. Christus autem Dominus natus est anno mundi 3950. igitur à morte Iacobi vsque ad ortum Christi fluxerunt anni 1695. quorum ratio iuxta probabiliorẽ Sacræque Scripturæ magis consentaneã Chronologiam, quã secuti sumus to. 2. lib. 3. sect. 1. cap. 63. sic se habet: A morte Iacobi vsque ad Exodum computantur anni 198. Ab Exodo ad annũ quartum Salomonis Regis, cum datum est templo fabricando initium, anni 480. A iactis Templi Salomonei fundamentis vsque ad eius excidium, & extremã Sedeciæ calamitatem anni 426. A casu vrbis, & templi Hierosolymitani, siue à captiuitate Babylonica vsq; ad Christum anni 591. qui omnes simul iuncti conficiunt summam annorum 1695. à morte Iacobi, quorum vltimo natus est Christus Dominus, dum regnaret in Iudæa Herodes Ascalonita iam à 35. annis secundum aliquos, vel quod probabilius secundum alios à 29. vt loco citato diximus cap. 76. Quare etiam iam ab illo tempore ante Christi natiuitatẽ defecerat sceptrum de Iuda, absque vllo prorsus præiudicio veritatis huius prophetię, tam paruum enim interuallum 29. annorum, in tanta serie temporum, pro nihilo reputari debet: sufficitque ad dictam veritatem, sub eodẽ Rege Herode, in quo defecit sceptrum de Iuda, natum esse Christum. Nam particula *donec* non significat præcisè annũ, mensem, vel diem determinatum aduentus Christi; sed tantum confusè, quod sub illud idem tempus, puta sub eodem Rege, in quo deficiet sceptrũ de Iuda, nasciturus est Mesias, siue Christus.

Ter-

Tertiò notandum est regimen Populi Hebræi non vnius semper modi fuisse, sed multiplicem distingui posse illius formam. Primum enim dum Abraham, Isaac, & Iacob peregrinati sunt in terra Chanaan, certum est Hebręos familiam tantùm fuisse, non populum, adeò enim pauci erant, vt constituere non possent politiam, quæ maiorem capitum numerum requirit, nec enim, vt docet Aristoteles 7. Pol. quilibet numerus nomen illud tueri potest. Itaque familiæ modum non excedebant, & regimen quo gubernabantur erat œconomicum, domesticaque inter ipsos communicatio intercedebat. Postea verò quam duodecim filij Iacob vxores duxerunt, licet suas quique constituerint familias, ita tamen, vt necdum populus appellari posset, non enim plusquam septuaginta capita numerabant, cum descenderunt in Aegyptũ, vt habetur Genes. cap. 46. patet autem ex tam paucis nullam constare posse politiam, quæ sibi ipsi sufficiens esse debet ex Philosopho lib. 1. Polit. cap. 2. Vndè inter hos ea erat communicatio, quam omogalacton, id est, *collactaneorum* appellat idẽ Philosophus eodem lib. cap. 1. quæ inter eos versatur, qui eiusdem quidem stirpis sunt, sed adhuc numerum, qui rempublicam constituit, non attingunt. Etsi autem postea in Aegypto magnopere multiplicati fuerint Hebræi, temporeque prosperitatis in terra Gessen sub præfecto Aegypti Iosepho, & deinceps verisimile sit illos habuisse Iudices & Magistratus ex gente sua, qui lites disceptarent, aut componerent, qui ius dicerent, & publica negotia administrarẽt, quia tamen hoc eodem tempore adhuc Pharaoni, cuius summum in tota Aegypto erat imperium, subijciebantur; postea verò tempore calamitatis, cum de illis opprimendis cogitarunt Aegyptij, præfectis pariter Aegyptijs subiecti sunt & pro mancipijs duriter habiti, & ex luto formandis lateribus addicti, donec Dei beneficio Duce Moyse in libertatem educti, legibus à Deo datis viuere cæperunt; dicendum est primùm supremam potestatem, & dominatum populi Hebræi penes Duces fuisse, Moysem dico, & Iosue per annos 58. nam Moysem quadraginta annis præfuisse populo Hebræo habemus Deuteronom. 29. Iosue autem 18. deinde post eius mortẽ immediatè cæpit esse principatus Iudaicus penes Iudices quatuordecim, id est, ab Othoniele vsque ad Samuelem inclusiuè per annos 378. adhæc penes reges, qui post mortem Salomonis diuisi sunt in Reges Iuda, & Israel, à Saule exclusiuè, quia illi communes fuerunt cum Samuele 40. anni regni sui, vsque ad Sedechiam, per annos 510. Post solutam captiuitatem Babylonicam annorum septuaginta, hoc est post reditum Hebræorum ex captiuitate Babylonica vsque ad Herodem penes Pontifices fuit qui etiam ab alijs Iudices, Reges, & Duces appellantur per annos circiter quingentos. Cum antem se se mutuo propter regni cupiditatem colliderent, à Romanis oppressi, regia dominatione exciderunt, retento tamen pontificatu, quem etiam tandem venalem Romani proposuerunt; & Iudeæ rex ab Augusto constitutus fuit Herodes Ascalonita Antipatri filius, vt patet ex Iosepho. Cuius stemma, tam vt appareat quis fuerit Reipublicæ Iudaicæ status Christi tempore, quam vt etiam facilius intelligantur ea, quæ in Euangelica historia, & Actis Apostolorum habentur, placuit hic breuiter adnotare; Magis enim distinctum, & vberem Herodum genealogiam, qui volet, poterit legere opusculum Serrarij, quod *Herodem* inscripsit. Sic igitur se habet Stemma.

Antipater.

Herodes | primus Afcalonita magnus appellatus.

Ariftobulus: Alexander: Antipater: Archelaus: Herodes Secundus: Philippus.

Herodes Tertius

Agrippa.

Herodes ergo primus, qui etiam Afcalonita, & magnus dictus eft, ex pluribus vxoribus fex enumeratos filios habuit. Tres primi, fcilicet Ariftobulus, Alexander, & Antipater ipfo patre iubente occifi funt. *Archelaus*, ille eft, cuius mentionem facit S. Matth. cap. 2. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre fuo, timuit illo ire*, &c. *Herodes fecundus* dictus *Antipas*, ille eft qui Ioannem occidit, & Chrifto illufit vefte alba induto, qui Lucæ c.3. Tetrarcha appellatur. Mortuo enim Herode Magno huius parente, qui totius ferè terræ promifsionis regnum à Romanis obtinuerat, tribus filijs relictis fuperftitibus, Auguftus Cæfar non vni foli totum regnum tribuit, fed inter eos ita diuifit, vt dimidiam regni partem daret Archelao natu maiori, in qua Iudęa continebatur, reliquam verò dimidiam partem inter alios duos fratres *Herodem* fcilicet *Secundum*, & *Philippum* diuideret. Vide Iofephum lib. 17. Antiquit. cap. 17. Porrò Archelaus certis quibufdam de caufis poft aliquot annos regno pulfus, & in exilium miffus eft ab Augufto, nec vllus alius in eius locum fuffectus, fed quidquid ditionis illius fuerat, in Prouinciæ formam redactum eft, præfidefque fubindè Roma miffi cum poteftate, qui rempublicam adminiftrarent, & ius populo dicerent: Horum vnus fuit Pontius Pilatus, qui Chriftum Dominum cruci adiudicauit iniuftè. Herodes ergò Secundus de quo hic eft fermo Tetrarcha duntaxat erat Galileæ, Philippus autem Ituræ, & Trachonitidis regionis: Porrò hic Philippus, qui Herodis Antipæ frater fuit, non tamen germanus; Herodes enim matre Samaritide, Philippus verò Hierofolymitana natus eft ex Iofepho lib. 17. Antiq. cap. 1. maritus fuit Herodiadis, qua Herodes inceftè abutebatur; ipfa autem Herodias filia erat Ariftobuli eiufdem Herodis fratris: Legitima verò Herodis Antipę vxor, filia fuit Aretæ regis Arabiæ, ex eodem Iofepho lib. 18. Antiq. cap. 7. Qui præter illos memoratur eodem cap. 3. S. Lucæ, Abilinæ Tetrarcha Lyfanias nomine, ad Herodũ genus non pertinuit, fed nefcio quis alius fuit ex genere Dynaftarum Chalcidis, cuius meminit Iofephus lib. 15. antiq. cap. 13. Abilina verò regio cui præfuit, fic appellata eft ab vrbe Abila fita inter Libanum, & Antilibanum. *Herodes Tertius* Agrippa appellatus filius fuit Ariftobuli primogeniti filij Herodis Afcalonitæ; hic ille eft, qui Iacobũ occidit, & Petrum vinxit, & diuino iudicio vermibus perijt, relicto filio fuæ ditionis hærede, qui appellatus eft Agrippa, cum quo locutus eft D. Paulus vt habemus in Actis Apoftolorum.

His ita neceffariò pro inftituti noftri ratione præmifsis probandum eft iam in illa prophetia Iacob. Genef. 49. fieri mentionem de futuro aliquando Mefsiæ aduentu, primumque ad illud faciũt variæ huius loci verfiones. In vulgata enim editione fic dicitur, *Non auferetur fceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eft, & ipfe erit expectatio gentium*. Chaldaica paraphrafis, quæ apud Iudæos, magnę authoritatis eft, clarè vertit: *Donec veniat Mefsias, cuius eft regnũ*; huius enim nomen tunc erat, *qui mittendus, aut venturus eft*. In Hebræo autem fententia hæc ad verbum fic transfertur ab

Olea-

Oleastro: *Non recedet virga de Iuda, & scribere faciens de subter pedes eius, vsque quo veniet Siloh, & illi obedientia populorum*. Quam vocem *Siloh* licet variè deducant, & explicent interpretes, omnes tamen aptè de Christo possunt eorum explicationes intelligi; vt videre est apud Cornelium à Lapide in commentarijs in Genesim: Secundò maximè probat hunc locum de Messia intelligendum particula illa, *& ipse erit expectatio gentium*, seu, *erit illi obedientia populorum*, quod vtique non competit nisi Messiæ, de quo dicitur Isaiæ 11. *Erit radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur*. Tertiò denique, quia nullus est, aut ex superius allatis regibus, & ducibus, aut aliquis alius, cui ista prophetia attribui possit; Non Sauli primò quia hic non fuit de Tribu Iuda, sed Beniamin: secundò, quia per id tempus sceptrum regium à domo Iuda minimè defuit, quippè vsque ad Dauid illud nunquam obtinuit. Quod si non de regno, sed de alia potestate iudicandi, vel regendi populum loquamur, multo ante Saulem, toto videlicet tempore Iudicum, caruit hac dignitate tribus Iuda; si autem tantùm sermo sit de singulari quadam dignitate, & nobilitate tribus Iuda inter omnes alias Iudaici populi, ab hac nō cecidit illa tribus tempore Saulis, magis, quam antea cecidisset. Denique quia sine fundamento dicitur Saulem vnctum esse in Siloh, quia eo tempore arca Domini iam non erat in Siloh, sed in Cariathiarim 1. Reg. cap. 7. vnde cap. 9. Vnctus dicitur in terra Suph, seu in Masphat.

Similiter non fuit impleta ista prophetia in Dauide, aut Salomone, quia cum ipsi venerunt, non defecit, sed potius incepit sceptrum in Iuda: Nec in Ieroboam, primò quia explicari non potest, cur tempore illius dicatur venisse Siloh, cum nec ille fuerit coronatus, aut vnctus in Siloh, sed in Sichem 3. Regum 12. secundò, quia licet eo tempore fuerit aliquantulum imminutum sceptrum, vel regnum Iuda per separationem aliarum tribuum, non defecit tamen, sed in Roboam, Abia, Asa, & alijs regibus continuatum est vsque ad captiuitatem Babylonicam. Tertiò quia ille non fuit expectatio gentium, quia vltra terminos regni Israelitici nihil habuit. Hanc tandem prophetiam non posse competere in Nabuchodonosor regem, quando tempore Sedechiæ Regis, captiuum duxit populum in Babylonem lib. 4. Reg. cap. 25. primum eo maximè patet argumento, quod nullo modo in illum, sicut nec in Ieroboam, nec in Saulem cadere potest, id quod proximè Iacob subiecit; *& ipse erit expectatio gentium*, vel, *erit illi obedientia Populorum*: tantū enim abest vt eum Gentes desiderauerint, & expectauerint, vt tanquam infensissimum hostem, & tyrannum crudelissimum vehementer oderint, eiusque calamitatibus, infortunijs, & exitio incredibiliter lætatæ sint, quemadmodum significat Isaias cap. 14. Secundò quia nulla ratio reddi potest cur Nabuchodonosor dicatur Siloh, aut cur tempus regni eius hac voce significetur; etsi enim Deus illum miserit ad castigandos Iudæos, solus tamen Messias simpliciter, & præcisè nominatur in Scriptura Missus vel mittendus; neque id nomen in alium quempiam dicitur, nedum in istum regem impiū, quem scilicet Azarias apud Daniel. c. 3 appellat iniustissimum, & pessimum vltra omnem terram. Tertiò quia eo tempore sceptrum omnino ablatum non fuit de Iuda, sed post Zedechiam adhuc soluta captiuitate Babylonica Zorobabel, & alij principatum tenuerunt; Zorobabelem autem non solùm è regia tribu Iuda fuisse, sed etiam è regali stemmate patet ex Christi Domini Genealogia, quam habemus apud Sanctum Matheum cap. 1. Tandem post Zedechiam, & captiuitatem prophetatus fuit Messias vt venturus, vt patet Danielis 9. in prophetia 70. Hebdoma-

dum, Aggæi 2. *veniet desideratus cunctis gentibus*; & Zachariæ 9. non fuit ergò impleta ista prophetia in Zedechia; siue quod idem est Messias, quicumque ille sit, non fuit Nabuchodonosor, aut alius ex præcedentibus regibus, vt nimis insulsè asseruerunt aliqui Iudæorum.

Supposito semel quod ista prophetia Iacob sit necessario intelligenda de vero Messia, prout sufficienter declaratum fuisse puto; manifestè sequitur illam fuisse impletam, iamque in vi illius verum aduenisse Messiam; cum signum certum à Iacob prædictum, totalem scilicet regni, vel principatus Iudaici destructionem, ad Messiæ tempus dignoscendum, iampridem impletum atque exhibitum esse videamus. Quod enim aiunt primo aliqui Iudæi, vt diximus supra, vocem Hebræam, Sheueth, quam Latinus interpres vertit, sceptrum, siue virgam, significare hoc loco nõ virgã dominationis, ac principatus, sed virgam tribulationis, & tyrannicæ oppressionis, falsum esse liquet dupliciter; tum quod post illa verba, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, statim subditur: *Et dux de femore eius*. Ergò loquitur Iacob de virga principatus, & dominationis, non autem oppressionis, & vexationis: tum etiam quia perspicuè falsum est nunquam recessisse à tribu Iuda vexationem, & tyrannicam oppressionem vsque ad Messiæ aduentum: si quidem ex libris Regum palam est, fuisse penes tribum Iuda à Dauide vsque ad Sedechiam, per annos decem, & quingentos, regalem principatum & imperium, & aliquandiu potentissimum etiam, atque florẽtissimum. Secunda interpretatio aliorum dicentium in hoc vaticinio non significari, principatum in tribu Iuda nunquam defecturum vsque ad Messiæ aduentum, sed potius post aduentum Messiæ, nullo tempore deinceps defecturum sceptrum Iuda; hæc, inquam, interpretatio non minus est falsa, quã præcedens, illa enim planè corrumpitur, ac peruertitur sententia Iacob. Nam ipse ait, *Nõ deficiet sceptrum donec veniat Messias*. Isti exponunt, Non deficiet, postquam venerit: donec autem venerit, & postquam venerit, valdè diuersa sunt; illud enim respicit futurum Messiæ aduentum, hoc autẽ iam præteritum. Tertia interpretatio Rabbi Salomonis dicentis non venisse adhuc Messiam, quia manet adhuc in tribu Iuda sceptrum & imperium, in his regionibus quę sunt circa Mediam, Assyriam, Babylonem, & circa montẽ Caucasum, ridenda potius, quam cõfutanda videtur, certè enim impudentissimum est, minimèque ferendũ istius Rabbini mẽdacium de imperio tribus Iuda in illis regionibus. Ex omnibus enim historijs liquido constat, ex eo tempore quo Iudæi in captiuitatem ducti sunt, siue decem tribus primò, siue deinceps tribus Iuda, semper illas regiones sub alienigenarum regũ fuisse imperio. Sed esto, habeat sceptrum, & imperium in illis regionibus tribus Iuda, multisque sæculis habuerit; non propterea tamen non esset impleta prophetia Iacob, quippè qui loquitur non de quocumque principatu & imperio, sed de illo quod tribus Iuda habitura erat in terra promissionis, vt satis cõstat ex his quæ subiungit Iacob de fertilitate terræ, quæ sorte obuenit tribui Iuda in diuisione terræ promissionis.

Superesset iam ostendere quomodo veritas huius prophetiæ cum ipso euentu, rerumque successu, congruat atque consentiat, siue quod idem est, quomodo signum illud certum defectionis sceptri Iuda à Iacob prædictũ, ad Messiæ tempus dignoscendum, in tempore aduentus Christi Domini impletum, atque exhibitum fuerit: sed quoniam ex vi præsentium probationum, intendimus tantùm demonstrare aduersus Iudæos, verum Messiam iam aduenisse, quicumque ille sit, ideo hãc difficultatem sequenti capiti examinãdam reseruamus; & ad aliud testimonium,

nium, quo in veteri testamento denotatur tempus aduentus Messiæ, transimus.

Secundum testimonium, sicut clarissimum, ita & vulgarissimum ad conuincendos Iudæos, quod verus Messias in lege promissus iam aduenerit, petitur ex Danielis cap. 9. vbi Angelus Gabriel prædicit Christũ post septuaginta hebdomadas esse venturum, & à Iudæis occidendum, & exindè ciuitatem Hierusalem euertendam, & populum Iudæorum dissipandum, & vastitatem eius, ac desolationem duraturam vsque in sæculi finem. Hæc sunt verba. *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergò animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt, super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum; Scito ergò, & animaduerte; ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt; & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna; & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis; & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio*. Hactenus Gabriel ad Danielem.

Cum huic testimonio tam claro non possint aliud Hebræi respondere, quàm aut non intelligi de vero Messia; aut si intelligatur, nondum tempus pro illo præfixum esse adimpletum; duo etiam opposita sunt nobis probanda. Dicendum est igitur primò in hoc loco fieri sermonem de vero Messia; videturque demonstratiuè colligi tam ex antecedentibus, quã ex consequentibus; quatuor enim hic numerantur bona, quæ neque ad promissiones merè temporales, & externas, nec ad alium præter verum Messiam accommodari possunt. Primum est, *finem imponere peccato, & delere iniquitatem*: alterum est, *adducere iustitiam sempiternam*: tertium est, *implere Dei promissa, & vaticinia prophetarum*: quartum est, *vngi Sanctum Sanctorum*: quorum singulorum verborum accurata ponderatio, & explicatio, quoniam pertinet ad interpretes Sacræ Scripturę possunt inter illos videri Pererius lib. 10. comment. in Danielem, Cornelius à Lapide, & alij plures, qui in hunc prophetam commentaria ediderunt.

Vndè etiam Angelus, vt apertius declararet se hoc loco de vero Messia vaticinari, ipsun.met Christi Ducis, nomen Messiæ propriũ exprimere voluit, *ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem; hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt*. Quod enim quidam Iudæi interpretati sunt per Christum ducem, intelligi regem Cyrum, à quo donata est Iudæis libertas, eum namque Deus per Isaiam 44. & 45. seruum pastorem, & Christum suum appellat. Alij dixerunt, intelligendũ esse, vel Iesum Pontificem, vel principem populi Zorobabel, ambos duces populi ex Babylonica captiuitate in Iudæam reuertentis. Nonnulli, Christum ducem vocari putarunt hoc loco, Nehemiam, qui vrbem Hierusalem refecit. Hæc omnia, & alia similia subterfugia facilè refelluntur, primò, quia Christus dux quasi per antonomasiam de Messia dicitur, iuxta illud Isaiæ 55. *Dedi te in ducem gentium, ducem, ac præceptorem populis*; & Micheæ 5. prout citatur à D. Mattheo loquens de Bethleem natali vrbe ipsius Messiæ; *Ex te*, inquit, *exiet dux, qui regat populum meũ Israel*:

Iſrael: & in Hebræo, vbi nos habemus vſque ad Chriſtum Ducem; eſt vox ſignificans vſque *ad Chriſtum principalem*, quæ eſt ſingularis appellatio veri Meſſiæ. Deindè pręcedentia verba nō alium ſenſum patiuntur; nam neque tot tantaque bona quæ in illis numerantur, alius niſi Meſſias præſtare poterat, cumque talia præſtiturum, omnes prophetæ prædixerant; Tertiò denique quia omnium ſupradictarum interpretationum manifeſtus eſt in Chronologia error; faciliſque ad confutandum. Etenim, Angelus Gabriel ait præteritura ſexaginta nouem hebdomadas, vſque ad Chriſtum Ducem; at Cyrus, Ieſus Pontifex, & Zorobabel, multis annis fuere ante initium hebdomadū; ipſe autem Nehemias, circa principiū hebdomadum floruit, quin ædificando Hieruſalem, dedit ipſe initium ſeptuaginta hebdomadibus, vt volunt multi, de quo infra.

Sed iterum Iudæi obijciunt in præſenti teſtimonio non prædici aduentū Meſſię poſt illas ſeptuaginta hebdomadas, quia, inquiunt, Daniel tunc non poſtulabat à Domino Meſſiæ aduentū, ſed ſolum liberationem populi ſui ab illa captiuitate; Quorſum igitur docet hoc loco Danielem Angelus, certum tempus aduentus Meſſiæ? Quid enim ad vota, & poſtulata Danielis de liberatione populi, & refectione vrbis, & templi, hoc de aduentu Meſſiæ pertinebat? Ad hanc obiectionem, quæ ſanè coniectura leuiſſima eſt, quia vtcūque explicent prophetiam hanc Iudęi, vitare non poſſunt, quin multa contineat ad libertatem illius populi nihil pertinentia; Ad hanc, inquam, obiectionem reſpondetur primò veriſimilius eſſe, quod Daniel non tantum temporalem populi libertatē, ſed multò magis ſpiritualem futurā per Meſſiam deſiderauerit: cùm enim tum ex viſione illius ſtatuæ, quæ Regi Nabuchodonoſori in quiete viſa fuerat, tùm ex ea viſione quam ipſe primo anno regni Balthaſaris habuerat, apertiſſimè cognouiſſet myſterium Incarnationis, ſiue filium Dei humana indutum carne, deſcenſurum in terras, & conditurum quoddam regnum ampliſſimum, & æternum, cui omnia regna mundi ſubijcienda eſſent: & in eo regno populum Dei florentiſsimè, ac feliciſſimè regnaturū; valdè credibile eſt Danielem ſummo exarſiſſe deſiderio noſcēdi certum tempus, quo filius Dei venturus eſſet in mundum, & tot tantaq; bona mortalibus allaturus. Itaq; Deus in hac viſione, voluit vtrique deſiderio ſimul ſatisfacere: quod ſatis indicauit Angelus dicens: *Ego veni vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es*. Secundò reſpondetur: tantam eſſe Dei erga homines, præſertim verò ſeruos ſuos benignitatem, & bonitatis redundantiam, vt non modo quæ optant, petuntque ab ipſo, ſed etiam plura & maiora eorum votis ac poſtulatis concedat. Sic habemus, Achas regi Iuda metuenti euerſionem regni Dauidis, contra quod duo potentes reges, Iſrael & Syrię coniurauerant, Deum per Iſaiam cap. 7. prædixiſſe, non modo ſe regnum illud terrenū Dauidis defenſurum, ac ſeruaturum; ſed etiam miſſo in terras filio ſuo, & ex puriſſima Virgine nato, omne genus hominum ex dœmonis poteſtatę, ac ſeruitute peccati erepturum, & ſpirituale Dauidis regnum, hoc eſt Eccleſiam ſuam per vniuerſum terrarum orbem propagaturum. Similiter hoc loco, non tantū promittere voluit Danieli relaxationē captiuitatis Babylonicæ, & reſtaurationem Hieruſalem ac templi: ſed prętерea, hinc ſumpta occaſione, patefecit certum tempus venturi Meſſiæ, qui teterrimam animorum ſeruitutem depelleret, & aditum nobis ad cælum, atque ad immortalem, & beatam vitam aperiret.

Tertiò tandem reſponderi poteſt, conſuetudinem eſſe diuinarum Scripturarum, cum de re quapiam agunt, quæ alterius rei figura, aut ſymbolum eſt, in eius rei tractatione, multa quæ

ad rem

ad rem illam figuratam spectant, immiscere. Dauid & Salomon, quia multifariam præfigurarunt Christum, propterea in Psalmis, & apud Prophetas, cum de illis agitur, plura interseruntur, quæ illis, aut vix, aut nullo modo: Christo autem Domino propriè, perfectè, manifestèque conueniunt. Idem patet de terrena illa Hierusalem, & ciuitate Sion, quæ similitudinem gesserunt Ecclesiæ Euangelicæ, & triumphantis. Similiter igitur, cum Babylonica illa Iudæorum captiuitas, eiusq; solutio imaginem quamdam præferret captiuitatis omnium hominum sub Diabolo, & peccato, & eius liberationis, quam perfecturus erat Christus; nec non & illi septuaginta anni captiuitatis, similitudinem quandam, & conuenientiam haberent cum septuaginta annorum hebdomadibus, quibus decursis, Christus in mundum veniens, auctor effectorque salutis, ac felicitatis humani generis futurus erat; sapientissimè Deus in hac visione, simul cum liberatione populi, & terrenæ Hierusalem refectione, præfinitum aduentus Messiæ tempus coniungere voluit. Ad quod totum magis illustrandum placet hic Ruperti Abbatis sententiam referre ex eo libro quem scripsit in Danielem cap. 16. *Si solam*, inquit, *litteram spectes, nunquid ea responsa, quæ dedit Angelus, Danielis oratio flagitauerat? Ille enim pro solutione captiuitatis, & vrbis, ac templi reparatione, Deo supplicauerat. Itaque si solam litteram spectes, nihil inuenies præter illam septuaginta annorum Babylonicam captiuitatem: nihil præter ciuitatis, & templi manufacti cineres, quod deploret, aut quod recuperari desideret. Verùm si ita erat, si hoc tantum in votis habebat, numquid pro ea re opportunam consolationem accepit? Nonne potius contraria votis audiuit? Non enim dictum est illi ædificabitur Hierusalem & templum, atque omnis ceremoniarum cultus renouabitur, sed quod his valdè contrarium est. Occidetur Christus, non erit eius populus, qui eum negaturus est, ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio: & deficiet hostia, & sacrificium, & in templo erit abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Igitur cum dicit, Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum quem prædixit Hieremias, vt complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni; vigilanti lectori illud se spiritu prophetico intellexisse insinuat, quod hodie reuelata facie videt Christi Ecclesia? scilicet, captiuitatem illam vnius populi Iudaici, fuisse imaginem alterius magnæ captiuitatis, quę vno peccante Adam, vniuerso generi humano accidit: & illos septuaginta captiuitatis annos, tempus omne significasse, quo populus Dei peregrinatur in hoc sæculo. Quid enim magnum erat intellexisse, quod palam omnibus verba sonabant Hieremiæ prophetæ? Ergo cũ orat hoc loco Daniel pro captiuitate populi & pro refectione Hierusalem ac templi, sub istis vocibus res maiores intendit; & sic illam captiuitatem solui optat, vt pro maiori sollicitus sit; leuiter laturus illud maius templi & ciuitatis excidium, defectum quoque hostiæ, & sacrificij, perpetuamque desolationem templi abominabilis; dummodo fiat quod erat necessarium: scilicet vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Hactenus Rupertus, quo sanè ad præsens institutum, siue præsentis loci explicationem nihil insignius adduci potest.

Verùm si prima huius prophetiæ pars à nobis huc vsque explicata de alio quam de vero Messia intelligi non potest; certè quod deinceps addit Angelus: *Et post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus*, multo magis de eodem vero Messia interpretandum est. Quod enim Iudęi cõfinguht hunc Christum, quem Angelus prædicit post sexaginta duas hebdomadas occisum iri, fuisse Herodem Agrippam, qui temporibus Titi, & Vespasiani in secũdi templi

pli destructione occisus est; & falsum est, quia hic Herodes non fuit tunc à Romanis occisus, vt constat ex ipsomet Iosepho lib. 2. de bello Iudaico cap. 16: Cornelio Tacito lib. 5. histor. & licet esset verum, tamen Christi appellatio non posset illi accommodari, qui nec gratia, nec oleo vnctus fuit, nec alia quę continentur in illa prophetia, eidem conuenire vllo modo possunt. Quinò etiam Theodoretus in cōmentario huius loci grauiter lapsus est, qui hunc Christum occisum, Hircanum fuisse interpretatur, cùm tamen Christum ducē fateatur esse Messiam, nam in primis vt omittam Theodoreti lapsum in Chronologia, de quo videri possunt interpretes, hæc varietas & multiplex eiusdē vocis significatio, in eodem contextu voluntariè, & sine fundamento confingi videtur. Deindè gratis planè dicitur mortem Hircani hoc loco ab Angelo prędictam esse, quod nec postulant antecedentia verba, neque subsequentia; imo cum nec illius mors aliquam vtilitatem hominibus attulerit, nec etiam ob illam tot tantaque mala, quæ proximè subijciuntur, genti Iudæorum contigerint, non ita multo ante prædicenda videbatur. Dicendum est igitur Christū, cuius necem post sexaginta duas hebdomadas futuram prędixit Angelus, nō fuisse alium, nisi Messiam, & Saluatorem nostrum, à suis occidendum, ad quos potissimum seruandos, & viuificandos venturus erat: *Et non erit eius populus, qui eum negaturus est*; quod tunc maximè contigit quando dixerunt, *nolumus hunc regnare super nos*: & Pilato dicenti, *regem vestrum crucifigam?* responderunt, *non habemus regem nisi Cæsarem: tolle, tolle, crucifige eum*. Messiam porrò à suis acerbissima, & indignissima morte necatum iri, tam propriè, apertè, distinctèque vaticinati sunt, Dauid psal. 27. & 68. & Isaias cap. 53. vt non tanquam vates, quod futurum erat prædixisse, sed tanquam historici, quod gestum fuerat, narrasse videantur. Extat etiam in libro Sapientiæ cap. 2. Iudæorum in Christi necem conspirantium, præscripta oratio. Quod autem Iudæi, vt est in cap. 12. Euangelij S. Ioannis, Domino nostro pręsignificanti mortem suam obiecerunt: *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum*; ex psalmo scilicet 109. vbi dicitur de Christo: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; quasi his verbis significaretur, Messiam fore omninò immortalem; hoc inquam, facilè diluitur; namq; illis verbis significatur, non quidem Messiam non moriturum, sed potius Sacerdotium Mesśiæ futurū æternum; nimirum, hoc etiam nomine præstantius futurum Sacerdotio Aaronico, quod erat ad certum dumtaxat tempus permansurum.

Supposito quod præallegatum Danielis testimonium de Mesśiæ aduentu necessariò intelligendum sit, pro vt à nobis huc vsque demonstratum fuit: Superest secundò, vt septuaginta hebdomadas transactas iam esse probemus; hinc enim euidenter constabit tempus aduentus Messiæ ab Angelo definitum, iam præterijsse, atque adeo, vel prophetiam falsam esse, quod supponimus à Iudæis illius Scripturæ anthoritatem recipientibus asseri non posse, vel certè, quod vnum intendimus, Mesśiam aduenisse. Sed vt hoc constet indagandū est prius hebdomadę significatum; pluribus tamen relictis, quæ eruditè notat Venerabilis Beda in libro de ratione temporum cap. 6. 7. & 8. sufficit in præsenti scire hanc vocem Græcam *Ebdomas*, Latinè significare septenarium præcisè: cum adiunctione autem, vel dierum, vel annorum, vel aliarum quarumlibet rerum, significare earum ipsarum rerum septenarium: etsi iam vsu receptum sit, vt etiam cum absolutè dicitur hebdomada, intelligatur dierum; Quia igitur Gabriel Angelus præcisè dixit septuaginta hebdomades, propterea locum dedit varias earum hebdomadum interpretationes excogitandi; & cùm sit certum apud omnes in hoc Danielis loco non posse intelligi hebdomades

mades

mades dierum ; etenim septuaginta hebdomades non includerent nisi quadringentos nonaginta dies; quo temporis spatio, nihil cōtigit eorum quæ prædixit Angelus, intra septuaginta illas hebdomades euentura : Cum hoc, inquam, sit omnino certum, totum præsentis difficultatis pondus, interpretationumque varietas reducitur ad diuersitatem hebdomadum annorum. Nicolaus enim de Lyra super hunc Danielis locum, & Petrus Galatinus in lib. 4. de arcanis Catholicæ veritatis memorant opinionem quorumdam Rabinorum; quorum aliqui faciebant has hebdomades Iubilæorum; alij verò centenariorū. Iubilæus erat tempus quinquaginta annorum : quare vnaquæque hebdomada Iubilęorum, constat trecentis quinquaginta annis : & omnes septuaginta hebdomades, continent viginti quatuor millia, & quingentos annos. At verò vna hebdomada, centenariorum continet septingentos annos; septuaginta verò hebdomades, annos quadraginta nouem millia. Omnes autem doctores Christiani, & Catholici asserunt has hebdomadas esse quidem annorum, sed simplicium, vt septem duntaxat annos duodecim mensium vnaquæque complectatur;quamuis salua fide magna inter illos contentione disputetur, an illi fuerint anni lunares, an solares ? Quare septuaginta hebdomadæ annorum efficiunt quadringentos nonaginta annos solares, vel lunares secundum diuersitatem opinionum.

Hanc igitur esse veram, ac legitimā huius loci, siue Danielis hebhomadarū explicationem,probatur demonstratiuè sequentibus argumentis. Primum desumitur ex authoritate Scripturæ veteris Testamenti, in quo præter dierum, & simplicium annorum hebdomadas, nullarum aliarum fit mentio : priorum exemplum habemus in Leuitico cap.23 vbi à festo Phase, vsque ad festum Pentecostes, numerantur septem hebdomades dierum : & cap. 10. Danielis scribitur, ieiunasse Danielem tres dierum hebdomades; posteriorum verò exemplum reperitur in Leuitico cap.25. quo loco præcipit Deus numerari septem hebdomadas annorum;& sequenti anno qui erat quinquagesimus, celebrari Iubilæum. Et Genes. 29. Iacob dicitur impleuisse hebdomadam pro Rachel,& hebdomada transacta, id est, septem annis, illam suscepisse. Vndè sic argumentum efformari potest; certum esse debet Angelum huius prophetiæ nuntium, cùm ad hebræum hominem, de rebus ad Hebræos ipsos pertinentibus loqueretur, sic annos accepisse, vti ab illismet communiter accipiebantur; sed ex diuinis scripturis in republica Iudæorum, non fuit alius hebdomadum vsus, quam dierum, & annorum simplicium; Ergo sic ab Angelo fuerunt accepti; Cumque hoc loco non possint intelligi hebdomadæ dierum, quæ spatio breuissimo defluerent,vt supra notauimus; superest quod intelligantur hebdomadæ annorum simplicium. Et certè si semel licentia sumitur extendendi contra Sacræ Scripturæ vsum, eiusmodi hebdomadas vltra simplices annos, vt videlicet vna hebdomada septem denarios,vel septem quinquagenarios, vel centenarios annorum comprehendat, vt voluntariè ab aliquibus hebræis consuetum fuit, nihil certi continere potest hæc prophetia; poterit enim vnusquisque arbitrio suo facere hebdomadas,septingentorum, vel septem millium annorū, vt conuinci non possit eas esse completas.

Secundum argumentum ad probandum non posse Danielis Hebdomades vltra simplices annos extendi, atque adeo iam nunc esse transactas, & consequenter non posse iam sperari illum Messiam, qui intra illas prædicitur venturus, petitur ex hoc quod videamus oculis nostris iam impletum à tempore Titi,& Vespasiani,quod transactis hebdomadis per septem annos computatis, vel earum in fine fore prænunciarat Angelus, vt potè cum hostia defecerit, & sacrificium Iudęorum, eorum deni-

que ciuitas, & Sanctuarium vastata sint, illis per vniuersum orbem dissipatis. Tertiò denique probatur veritas Catholica ex ipsismet verbis Angeli, prophetiæq; ipsius fine, quo, vt satis patet, Danielem seruum Dei consolaturus adueniens promittit illi diuturnam, & longissimam Messiæ expectationem, tandē ad breue illud tempus septuaginta hebdomadum fuisse reductam, *septuaginta Hebdomades abbreuiatæ sunt*; sicut in familiari sermone quando tempus ad aliquam actionem præscriptum finitur, iam iam dicere solemus dies abbreuiari, non quod minores fiant, vt perperam aliqui interpretantur, sed quod pauci supersint; quomodo Marci 13. dicitur: *Nisi abbreuiasset Dominus dies illos*, &c. & Matth. 24. *nisi breuiati fuisset dies illi*; non enim hisce verbis significatur, futuros illos dies breuiores, quam sint dies naturales, sed paucos futuros dies illos, quasi diceretur, nisi breue futurum esset tempus persecutionis Antichristi, de qua ibi est sermo, etiam electi defecturi, & casuri fuissent.

Nec refert, quod vox hebrea *Nechtach* ibi respondens, tantùm significet septuaginta hebdomadas fuisse præcisas, seu definitas, & determinatas; cui etiā congruit lectio Græca, quæ habet verbum sunetmitisan, id est concisæ, vel decisæ; quod interprete Theodoreto, eamdem vim, & sententiam habet, atque vocabulum constitutæ, seu definitæ; hoc inquam, non refert, eiusmodi enim lectiones nō solùm non repugnant vulgatæ, sed potius cum illa mirificè consentiunt. Cogitandum enim est, Deum ex omni æternitate constituisse, vt ab exordio mundi, vsque ad Messiæ aduentum, certum quoddam, ac definitum tempus intercederet; V. g. circiter quatuor annorum millia; eumdem præterea decreuisse, vt pars huius temporis, quæ post refectionem vrbis Hierusalem futura erat vsque ad Messiam, breuis esset, nec septuaginta annorum hebdomadas excederet. Vndè dicuntur hebdomadæ abbreuiatæ à Deo, quia post vrbis Hierusalem reparationem, vsque ad Messiam, paucæ hebdomadæ futuræ erant; vt idem sit abbreuiare hebdomadas, quod paucas constituere. Paucæ autem dicuntur septuaginta hebdomadæ constitutæ, vel definitæ, in comparatione prioris temporis, quod effluxerat, ex quo datū fuerat hominibus promissum de aduentu Messiæ; hoc est, vel in ipso mundi exordio, cum dictum est se penti, fore vt semen mulieris contereret caput eius: vel potius cum Deus promisit Abrahæ, daturum se illi semen, in quo semine benedicendę essent omnes gentes. Sit ergò certum has hebdomadas septennales esse.

Iam hoc posito, sequi manifestè illas esse transactas, & consequenter non posse amplius expectari Messiam, qui intra illas promittitur venturus, patet tùm ex dictis, tùm etiam maximè ex hoc quod illa periodus annorum 490. quos efficiunt septuaginta hebdomadæ septennales, habet ibi determinatum principium, & terminum, dum dicitur: *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem vsque ad Christū ducem*, &c. sic igitur argui potest; sermo, vel decretum de reędificanda Hierusalem, necessario debet supponere Hierusalem esse desolatam, & indigentē reędificatione; hęc ergo desolatio reparanda, vel est illa quam tunc patiebatur tempore captiuitatis Babylonicę, & pro qua abbreuianda tunc orabat Daniel; vel est illa quæ tempore Machabęorum contigit iussu Antiochi Epiphanis, post quam legimus lib. 1. Machab. cap. 4. fuisse restauratum, seu purgatum templum; vel denique est illa, quam tempore Vespasiani & Titi, & postea Hadriani passa est, à quo tempore vsque nunc non est iterum ædificata ab ipsis Iudæis, sed destructa, & calcata à gentibus; vt interim omittam expugnationem factam à Pōpeio, & expilationem templi à Crasso, quia tunc non tam fuit destructa, quàm simpliciter capta Hierusalem; vndè etiā non indiguit reędificatione, neque ad id exijt aliquod decretum. Si primo, vel

vel secundo modo intelligatur, & desolatio, & decretum reędificationis faciendæ, iam transactæ sunt non solùm septuaginta, sed plusquã trecentæ hebdomadę septennales; si autem de vltima desolatione sermonem fieri velint Iudæi, ita vt sit iterum ab illis reædificanda Hierusalem, & ex illa reędificatione computari debeant septuaginta Hebdomades, vt veniat Messias: hoc est manifestè contra genuinum huius prophetię sensum.

Primò enim, cum iam ab illa vltima desolatione Titi, & Vespasiani transacti sint anni ferè 1600. nec dum Hierusalẽ reædificatam videamus, quam etiam plures Iudæi versus finem mundi dumtaxat reædificari debere putant; certè dici non potuissent hebdomadę illę abbreuiatæ, sed nimis prolongatæ super populum illum, & vrbem sanctam; si in tam longum tempus, quod iam per annos ferè mille sexcentos durauit, & vsque ad finem mundi duraturum existimatur à Iudæis, expectandum erat decretum de reędificanda Hierusalem, & postea ab illo vsque ad aduentum Messiæ, computandæ erant septuaginta hebdomades. Secundo in hoc Iudæorum dicto videtur esse manifesta repugnantia; cùm enim, *ab exitu sermonis vt iterum ędificetur Hierusalem vsque ad Christum ducem*, id est, vsque ad Messiam, vt supponimus, computandæ sint septuaginta hebdomadæ, & deindè post mortem illius dicatur dissipandum esse populum, vastandam vrbem, & quod deficiet hostia, & iuge sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis; quomodo talis sermo, vel decretum de reędificanda Hierusalem expectandum dicitur vsque ad finem mundi, si adhuc post illud tam multa sæcula euoluenda sunt, ad aduentum vsque Messiæ; & vt dissipetur populus, & veniat statuta desolatio. Tertiò cùm iam à tempore Titi, & Vespasiani videamus circa destructionem ciuitatis, ac templi Hierusalem, populique Iudaici dissipationem, adimpletum totũm, quod in ista Danielis prophetia prędicitur in pænã Christi à suis occidendi; dicendum est iam esse impletas illas septuaginta hebdomadas, iamque Christum venisse, nec amplius expectari posse.

Cum hæc duo huc vsque à nobis dicta & probata, sint omnino certa, videlicet prophetiam hanc Danielis de Messiæ aduentu necessariò intelligendam esse; iamque transactas esse septuaginta illas hebdomadas, intra quarum tempus promittebatur; duo sunt inter doctores Catholicos valdè dubia & controuersa, vnum est in asignando præciso temporis articulo, quo incipere debent numerari istæ hebdomadę; de quo agemus capite sequenti, ostendendo quomodo earum tempus in aduentu Christi Domini completum sit. Alterum est, quales debeant intelligi illi anni simplices, ex quibus hebdomadas constare diximus, & quamquam diuersis in nationibus, pro diuersitate etiam temporum multiplex, & varius fuerit anni vsus, hic tamen solùm est difficultas, & opinionum dissensio, an illi fuerint anni lunares, an solares, quia certum est in Scriptura Sacra, atque hebręorum vsu, non fuisse nisi annum solarem, vel lunarem. Differt autem hoc inter hos annos, quod solaris constat trecentis sexagintaquinque diebus cum quadrante: Lunaris verò solùm trecentis quinquaginta quatuor. Multis ergò visum est hunc annum lunarem communem fuisse apud hebræos, atque adeò Gabrielem de illo fuisse locutum; quæ sententia licet sit aliquo modo probabilis, quia multi grauissimi viri illam secuti sunt, nec desunt illi probabiles coniecturæ, & aliquot in Scriptura fundamẽta, sufficienterque per illam saluatur verus prophetiæ sensus; nihilominus tamen longè probabilior est opposita sententia docens, Gabrielem Angelum de annis solaribus, & de hebdomadis ex eis compositis fuisse locutum; quod non potest, nec debet à nobis in præsenti latius expendi, pertinet enim magis ad expositores; nec de hoc est

est quæstio inter nos, & Iudæos.

Tertium tandem, & vltimum testimonium, in quo magis in particulari determinatur, ac definitur tempus aduentus Messiæ, vndeque colligitur illud iam præterijsse, habetur Aggęi c.2 *Adhuc vnum modicum est*, &c.cum enim ibi sermonem esse, & promissionem de aduentu Messiæ statuerimus supra capite secundo; iam illam esse completā colligunt multi ex verbis illis, *Adhuc vnum modicum est*: cùm enim iam sint transacta duo millia annorum postquā Aggæus ista prædixit, nisi impleta essent, modicum tempus dici non posset. Nec refert quod aliquando more prophetico etiam longissimum tempus dici solet in Sacra Scriptura modicum, scilicet ad æternitatem comparatum; Sic enim D.Paulus ad Heb. 10. totum tempus vsque ad diem iudicij futurū, modicum vocauit. Et Petrus 2.canonica c.3.mille annos dicit apud Deum esse sicut diem vnum. Hoc, inquam, aliaque similia non obsunt, & vim nostri argumenti non eneruant, quia non fundatur in illa particula modicum, quomodocumque, hoc est, vel comparatiuè ad æternitatem, vel ad Deum, sed in illa, considerata circumstantia temporis, & occasione, qua dicta fuit ab Aggæo hæc prophetia, sic autē certum est ibi particulam illam modicum sumi non posse, pro tempore in se longissimo, respectiuèque tantùm modico, sed significare absolutè Messiæ aduentum, vt iam proximè instantem. Agebat enim ibi propheta de consolādis, ac erigendis Iudæis, qui in secundo templo exædificando laborabant, erant enim ibi tristes, deiectique animis, eo quod templum illud humilius videretur esse quàm primùm, vt igitur eos alacres, & promptos ad opus redderet, bonum nuntium adfert propheta de aduentu Messiæ, quod non multum distaret, qui præsentia sua templum illud nobilitaturus esset, & gloria repleturus; ad hoc enim propositū sermonem ibi interposuit de Messiæ aduentu. Et hoc est, quod maximè vrget in hac prophetia: prænuntiatur enim in illa Messiam ingressurum templum illud, idque præsentia sua, maiori gloria nobilitaturum, quàm primū templum vnquam nobilitatum est: cōstat ergo, & Messiam venisse, & templum illud ingressum esse, aliàs prophetia hæc non posset impleri, cum à tam longo tempore illud templū funditus euersum sit, nullumque illius maneat vestigium. Verùm est aliquos ex Patribus interdum hunc locum exponere de templo spirituali Ecclesiæ, vt videre est apud interpretes, ita vt sensus sit, hoc templum Ecclesiæ nostræ futurum gloriosius templo Synagogæ, qui sensus est optimus, minimèque fauens Iudæis, sed spiritualis; negari tamen non potest, quin etiam ad litterā Propheta loquatur de templo illo materiali, ad quod ædificandum Iudæos prouocabat, quodque oculis videbat suis, & verbis designabat. *Quis*, inquiens, *in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc.* Et de eadem domo postea concludit: *Venit desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istā gloria*. Quo in sensu à Iudæis necessariò admittendo, cum negent spiritualē Patrum, maximè conducit hic locus ad probandum contra illos tempus aduētus Messiæ iam præterijsse; nec aliud ab illis consequenter templum expectandum esse, in quo prophetia hæc impleatur, vt quidam eorum somniarunt; quia etiam si illud sperari posset, non esset verè vnum, & idem cum illo, quod à Romanis penitus euersum est, sed omnino diuersum, de quo proinde Aggæus loqui non potuit. Nihil enim illud referre poterat, ad animandos Iudęos, qui in instauratione secundi tēpli laborabant. Quod si dicat aliquis etiam templum illud tempore Aggæi ædificatum non durasse vsque ad tempus, in quo Christus Dominus, & Saluator noster aduenit. Herodes enim decimo octauo anno regni sui, illud destru-

destruxit, & aliud loco illius ædificauit. Non igitur in illud templum ingressus est Christus: atque adeo non fuit in illo adimpleta hæc prophetia; Respōdebitur capite subsequēti, ostendendo non ita fuisse templum illud solo æquatum, & aliud ab Herode constructum, quin eo modo, quo homines loquuntur, dici potuerit absolutè, & simpliciter idem templum. Quod sanè de alio templo, si iam de nouo reædificaretur dici non posset, post tantum temporis interuallum, quo illud prius funditus euersum fuit: & sic non valet instantia.

CAPVT IV.

Adducuntur loca veteris Instrumenti, de notis, ac signis veri Messiæ à Prophetis in illo prædictis; vbi etiam ostenditur illa omnia fuisse in Christo Domino perfectissimè adimpleta.

TErtium, & vltimum genus testimoniorum, quæ non solùm probant Messiam iam venisse, sed etiam Dominum Iesum, verū Messiū esse, constat ex eo quod in illa singulari persona videamus perfectissimè adimpleta, omnia illa Prophetarum oracula, quibus tanquam certis notis, ac signis veri Messiæ aliquando futuri conditionē descripserunt; vt prædixerat Daniel illis verbis, *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt*, &c. *vt adimpleatur visio, & prophetia*; Græca lectio pro *impleatur*, habet *signetur*; quam lectionem cū vulgata omnino consentientem, eamdem enim vim, & sententiam habet, signari prophetias, atque impleri eas, secutus est Tertullianus in lib. aduersus Iudęos, cuius verba vtpotè præsenti nostro instituto valdè consentanea placuit hic referre. *Quid est*, inquit, *quod dicit Angelus, signari visum & prophetiam? Quoniam omnes Prophetæ nunciabant de illo quod esset venturus, & pati haberet: igitur quoniam adimpleta est prophetia per aduentum eius, propterea signari visionem & prophetiam dicebat: ipse enim signaculum fuit omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo prophetæ nunciauerant. Post aduentum enim Christi & passionem ipsius, iam non visio neque propheta est, qui Christū nunciet venturum. Denique hæc si non ita est, exhibeant Iudæi Prophetarum post Christum aliqua volumina, vel Angelorum aliquorum visibilia miracula, quæ retro Patriarchæ viderunt vsque ad aduentum Christi, qui iam venit, ex quo signata est visio & prophetia, id est statuta. Et meritò dixit Euangelista; lex & prophetæ vsque ad Ioannem baptizatorē. Baptizato enim Christo, id est sanctificāte aquas in suo baptismate, omnis plenitudo spiritualium retro charismatum cesserunt, signante visionem, & prophetias omnes quas aduentu suo adimpleuit. Vnde firmissimè dicit, aduentū eius firmare visum & prophetas*: Hæc Tertullianus, cui mirificè concordat Chrisostomus in orat. 2. aduersus Iudęos. Ideo etiam dixit ipse Dominus Math. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere*. Et ipsi Euangelistæ cum narrant dicta, facta, & passiones Christi, sæpe notare solent, *vt adimpleretur quod dictum fuerat per Prophetam*.

Quare nullum habemus efficacius argumentum ad cōuincendos Iudęos, quod singularis illa persona, qui dicitur Iesus filius Mariæ, sit verus Messias in lege promissus, quam si ostenderimus omnia prophetarū oracula in illo, & per illum esse completa, afferentes signa & notas, quibus Deus per prophetas nobis voluit Messiam venturum reuelare, vt sine vllo errore, ac sine magna difficultate cognosci, ac deprehendi posset.



Prima nota, est circumstantia temporis aduentus Messiæ, & Christi Iesu.

GEnesеos enim cap. 49. vbi dicitur *non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est*; & Danielis 9. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt*, &c. significatur tunc temporis verum Messiam in lege promissum esse in mundũ venturum, quando defecerit sceptrum de Iuda, completumque fuerit septuaginta hebdomadum spatium; sed Christus Dominus natus est circa illud tempus quo regia potestas à Iudæis ablata est, complebanturque septuaginta Danielis hebdomadæ; ergo iam in illum concurrit prima nota siue circumstantia temporis aduentus Messiæ. Maior huius argumenti est certa ex superius dictis; minor ergò in qua est difficultas probatur, præsupponendo breuiter nomine sceptri, & ducis significari hic quamcumque primariam, & principalem potestatem iudicandi, vel regendi populum, iam ergò, vel per Iudam, cui promissa est possessio talis potestatis vsque ad Christum, non est intelligenda specialis tribus ab alijs vndecim distincta, sed totus Iudaicus populus, qui in illa tribu maximè conseruandus erat, & ab ea nominandus, & nobilitatus, vt post Eusebium verisimiliter docet Pererius in commentarijs huius loci; ita vt sensus illius sit, Iudaicum populum semper fuisse habiturum proprios duces, & principes, per quos gubernaretur, & iudicaretur, donec veniret Messias; vel, quod verisimilius est, nomine Iudæ intelligenda est specialis tribus, ex qua Iacob prædixit nõ defuturos principes, aut duces populi Iudaici, donec veniret Messias; quocumque modo sumatur, aut intelligatur hæc particula, circa illud dumtaxat tempus natus est Christus Iesus, quo defecit sceptrum de Iuda, siue quod idem est, defecit sceptrum de Iuda, eo tempore quo natus est Iesus, non ante, nec post, Herode videlicet regnante, qui erat alienigena, & à quo semper Iudaicus populus caruit proprio duce & gubernatore, & externis principibus subiectus est. *Cum ergo natus esset Iesus in Bethleem Iuda in diebus Herodis.*

Quod ante illud tempus, non defecerit sceptrum de tribu Iuda in particulari, atque adeò nec de omnibus tribubus Iudæorum, vt satis per se patet, cum maximè inter illas annumeretur tribus Iuda; facilè ostenditur, quia licet in Iechonia, seu sedechia defecerit filius proprius, qui sederit super solium Dauid titulo, & maiestate regis, vt dicitur Hieremiæ 22. *Scribe virum hunc sterilem, neque enim de semine eius erit vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda*: non defecit tamen simpliciter, & absolutè ex eadem tribu, qui sederit vt princeps, seu dux, constat enim quod Zorobabel, & deinceps eius successores descendebant ex Iechonia, & dicitur Matthæi 1. & 1. paralipom. cap. 3. fuit autem Zorobabel dux in Iuda, vt dicitur Aggæi 2. Prophetia autem Iacob non restringitur ad titulum regis, sed etiam ducis, dum dicitur: *non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius*; vel cõmuniori vocabulo in Hebræo, non deficiet virga, id est principatus, cuiuscumque formæ sit ille, vt supposuimus supra. Similiter non defecit sceptrum, & potestas in tribu Iuda tempore Machabæorum, vt objiciunt aliqui, ex eo quod Mathatias, cuius filij postea regnauerunt, erat Sacerdos de filijs Ioanib; Sacerdotes autem erant de tribu Leui; quia licet essent ex tribus Sacerdotali, tamen etiam de tribu Iuda descendebant saltem per maternum genus, & sic in scriptura vocantur viri Iuda, quod solùm dici solet de descendentibus ex tali tribu, dicitur enim 1. Machab. 5. de quibusdam: *Ipsi non erãt de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel, & viri Iuda magnificati*

cati sunt valdè in conspectu omnis Israel. Qui vtique non sunt alij quam Machabæi, quia per ipsos facta erat illa salus. Constat autem, quod tribus Sacerdotalis cum tribu Iuda copulabatur, nam Exodi 6. v. 23. dicitur, quod *accepit Aaron vxorem Elisabeth filiam Aminadab sororem Nahason*; qui Nahason in egressu ex Aegypto fuit princeps tribus Iuda, vt patet numer. 1. v. 7. In nouo etiam testamento Lucæ 1. Elisabeth dicitur cognata Mariæ, & tamē Elisabeth erat de filiab⁹ Aaron, vt ibidem dicitur, Maria verò ex tribu Iuda, sicut Ioseph vir eius.

Verùm contra hanc explicationem grauis se se offert difficultas; quia si sufficit maternum genus, vt dicatur nō cessasse sceptrum in Iuda, quibus de iure competebat regnum, & eorum filijs, non verificatur defecisse sceptrum tempore Iesu, sed multo post; si quidē tempore Herodis, & adhuc multo tēpore post, fuerunt plures, qui ex materno genere descendebant de Iuda, & habebant ius ad regnum. Nam inprimis Herodes ipse erat ex matre Iudæa, vt docet Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, licet pater eius esset alienigena, deindè duxit in vxorem Mariamnem neptem Hircani Pontificis, quæ erat legitima hæres regni, & ex illa natus est Aristobulus, ex quo Herodes Agrippa, qui vt vidimus superiori capite regnauit apud Iudæos tanquam legitimus Rex post mortē Iesu, Act. 12. & 26. Nec obstat, quod Iudæi tunc erant sub Romanis, qui erant principes totius regni, nam etiam tempore Persarum, Persæ erant Domini totius Iudeæ, & Palestinæ, vt constat ex libris Esdræ, & adhuc tamen remanebat sceptrum in Iuda, licet subiectum Imperio Persarum, vt patet in Zorobabel, & alijs successoribus, aliàs tunc defecisset sceptrum de Iuda, & debuisset venire Messias.

Respondetur ad hanc difficultatem tempore Herodis totaliter defecisse sceptrum de tribu Iuda, tam ex genere paterno, quàm materno, quia Herodes fuit Idumæus, & gentilis licet postea proselitus. Quod verò ex Cyrillo dicitur, fuisse ex matre Iudæa, id videtur errore librariorum contigisse, legendumque esse ex matre Idumæa; nam vt refert Iosephus Hebręus lib. 14 Antiquitatum cap. 12. Antipater Herodis pater duxit vxorem Arabem, Cipron nomine ex qua sustulit quatuor filios, quorū vnus Herodes fuit. Quod verò ipse Herodes duxerit vxorē Mariamnem ex sanguine regio tribus Iuda, nihil interest, quia non vxori, sed ipsimet personæ Herodis collatum est regnum; primò quidem ex Senatus consulto, & beneficio Cæsaris Augusti; tunc enim extincto Antigono, qui ex familia Assamonæorum, seu Machabęorum ad regnum aspirare poterat, tota illa familia deleta est, vt inquit Iosephus lib. 14. cap. vlt. saltem in linea masculina, remansit enim Mariamne quæ Herodi nupsit: Deindè ipsiusmet Populi Iudaici consensu, qui vt refert idem Iosephus lib. 17. cap. 3. acceptauit illum in regem obedientiam, & iuramentum ei præstando, non autem vxori; vndè vt ibidem testatur idē Iosephus, animaduertit Herodes in quosdam Pharisæos, quia noluerunt ei obedire; Et illo potissimum tempore dicendum existimo, defecisse proprijssimè sceptrum, vel principatū de tribu Iuda; quia licet ad verificandam prophetiam Iacob posset sufficere quæcumque defectio talis principatus, vel per defectum legitimi illius hęredis de Tribu Iuda, vel per violentam & tyrannicam alterius occupationem; tamen cum vsque ad illud tempus, quo populus consensit, saltem ab illo Herodes pro illegitimo rege haberetur, negari non potest, quin accedente semel tali consensu, proprijssimè translatum sit sceptrum de tribu Iuda. Contigit autem hoc iuramentum & acceptatio populi illo ipso anno, quo natus est Dominus noster Iesus Christus ex Maria semper Virgine. Nam Eusebius in Chro-

Chronico ponit illud in eadem Olimpiade, qua natus est Christus, & Philo Iudæus in libro de temporibus (si eius est, in anno trigesimo principatus Herodis, numerando hunc principatum ab illo anno, quo Cæsaris Augusti beneficio illum obtinuit post deuictum Antonium, ab illo enim anno regnauit Herodes 37. annos, & septimo anno Christi mortuus est, si quidem septem annorum erat Puer Iesus, cum relatus est ex Aegypto, Herode mortuo, vt videri potest apud Cardinalē Baronium tomo 1. Annalium, anno Christi 7. Quare trigesimus annus principatus Herodis à tempore quo Augusti Cæsaris liberalitate illum habuit, concurrit cum primo anno Christi, & sic præcisus natiuitatis, vel aduentus illius articulus fuit, illomet anno, quo proprijssimè defecit sceptrum de Iuda. Vndè quando Iudæi Pilato dicenti, *Regem vestrum crucifigam?* responderunt, *non habemus Regē nisi Cæsarem*, non debet intelligi, quod tunc primo receperunt illum pro rege, sed potius ista verba supponunt iam antea ipsos habuisse illum in regem, & recepisse, quando nimirum Herodi Regi ab illo constituto obedientiam, & iuramentum præstiterunt. Quod nunquam fecerant Iudæi, quando erant subditi Persis, sed tunc habebant suos peculiares duces de tribu Iuda, vt Zorobabel & alios, non verò alienigenā aliquem illis præfectum à Persis, neque acceptatum ab ipsis vsquam legimus. Quamuis etiam ad saluandam prophetiæ Iacob veritatem in Christo Domino sufficiat, quod sceptrū de Iuda defecisse dicatur, quando Senatus Romanus, ipseque Cæsar illud ademit Hircano & Antigono Aristobuli filio, qui eius legitimi erant hæredes: vtpotè prognati ex Machabæis, siue Asamonæis, illudque contra populi voluntatem, per vim transtulit in Herodem Ascalonitam alienigenam, puta annos 30. vel secundum alios 35. antequam nasceretur Christus. Tam paruū enim interuallum 35. annorum, in tanta serie temporum à morte Iacobi vsque ad ortum Christi, pro nihilo reputari debet; & illa particula *donec* non significat præcisè annum, mensem, vel diē determinatum aduentus Messiæ, sed tantum confusè significat, quod sub illud idem tempus, puta sub eodem rege, vel vt volunt alij paulò ante eumdem regem, in quo deficiet sceptrū Iuda, nasciturus sit Messias; dixi, vel vt alij volunt paulò ante eumdem regem, quia existimant tantùm post aduentum Christi, imo etiam & mortem defecisse sceptrum de Iuda in Herode Agrippa, qui descendebat de tribu Iuda per lineam maternam, scilicet ex Mariamne, vt notauimus supra. Hoc parum refert ad præsens institutum, quod adhuc post natiuitatem, imo, & mortem Christi Domini regnauerit Herodes Agrippa, qui per lineam maternam erat de tribu Iuda: nam semel ablato sceptro vel principatu à Tribu Iuda, vt factum est in primo Herode Ascalonita, sub quo natus est Christus iam adimpleta erat prophetia, quod debebat venire Messias, quia solùm dicit non auferendum esse sceptrum de Iuda, & ducem de femore eius, donec siue quo vsque veniat Messias, quod verò semel ablatum iterum rediret ad tribum Iudam, hoc iam non pertinebat ad prophetiam. Licet in reipsa nunquam redierit, Herodes enim Agrippa non fuit præcisè rex eo titulo, quod per maternam Mariamnes lineam de tribu Iuda descenderet, si quidem nec eius auus Herodes Ascalonita fuit rex eo titulo, vt vidimus supra, quod eamdem Mariamnem vxorem haberet.

Superest iam pro altera minoris parte, vt quomodo etiam septuaginta hebdomadū tempus in aduentu Christi cōpletum sit, vndeve ipsarum initium sit accipiendum breuiter aperiamus: qua in re licet sint diuisi inter se doctores Catholici, totque ferè sint eorum sententiæ quot capita, propter humanæ historię incertitudinē, parum inter-

intereſt; nam quod ad noſtram fidem attinet, ſufficit aduerſus Iudæos demõſtraſſe, has Danielis hebdomadas iam pridem eſſe tranſactas, illiſque tempus Meſsiæ aduentus eſſe præfinitum, ſiue quod idẽ eſt, pertinuiſſe ad ſignandum & definiendum tempus aduentus Meſſiæ, indè enim manifeſtè ſequitur Meſſiam in lege promiſſum iam veniſſe, nec poſſe amplius à Iudæis expectari. Cum hæc inquam ſint certa, pro vt ſatis ſuperque fuerunt à nobis probata, & in illis conueniant omnes doctores Chriſtiani, poſſunt inter ſe diſſidere in explicando, quo modo eiuſmodi hebdomadarum tempus in aduentu Chriſti præcisè completum ſit; ſecundum quod inter ſe diſſentiunt in conſtituendo tàm principio, quam fine illarum; & in ratione computandi, atque colligendi quadringentos nonaginta annos, qui continentur in ſeptuaginta hebdomadis ſeptennalibus.

Igitur pro intelligentia, & explicatione præſentis difficultatis, quantum patitur eius obſcuritas, *Nam*, vt ait Origenes tract. 29. in Matth. *ſermonem Danielis de ſeptuaginta hebdomadis, prout conuenit, manifeſtare, nullius eſt niſi Spiritus Sancti; qui Danielem hoc myſterium docuit, & per eum litteris conſignatum, Eccleſiæ tradidit*; Statuendum eſt primo, illas hebdomadas ſeptuaginta debere intelligi omnes æquales, & eiuſdem rationis, & continua quadam ſucceſſione decurrentes. Hoc enim omnino neceſſarium eſt, vt tempus illud ſit certum, & præfixum, vt ſignificatum eſt illo verbo, *abbreuiatæ* ſeu *definitæ ſunt*: ſic excluduntur opiniones aliquorum dicentium, ſeptuageſimam hebdomadam non eſſe continuam præcedentibus, ſed ſexaginta, vel ſeptuaginta annis illis poſteriorem; nec non aliorum, qui cum alias hebdomadas ſeptennes faciant, hanc faciant ſeptuagenariam. Statuendum eſt ſecundo, ad aſſignandum principium, & finem harũ hebdomadum duo eſſe obſeruanda. Primum enim oportet, vt tale initium, vel finis habeat fundamentum in verbis Angeli: deindè vt Chronologiæ ratio, ac temporum habeatur. De initio igitur hebdomadum, dixit Angelus petendum eſſe ab exitu ſermonis, vt ædificetur Hieruſalem. Vndè facilè refellitur error Iudęorum, qui à deſtructione templi initiũ ſumpſere. Angelus enim non à deſtructione, ſed à reædificatione dixit: ipſi verò textum corrumpunt, legentes non *ab exitu*, ſed *de exitu ſermonis*, vt illo verbo non ſignificetur initium hebdomadarum, ſed materia dumtaxat, ſeu obiectum illius reuelationis. Sed hoc in primis eſt contra vim verbi, & contra contextum: ſic enim legitur, *ab exitu ſermonis vſque ad Chriſtum*, &c. particula enim illa *vſque ad Chriſtum*, &c. apertè ſignificat terminum & finẽ: ergo per aliam particulam *ab exitu* ſignificatum eſt initium. Deindè quando Angelus nullam mentionem feciſſet initij hebdomadarum, omnino voluntariè deſumeretur potius à deſtructione templi, quàm aliundè, & ne incerta fieret prophetia, ſumendum eſſet ab eo tempore, quo Angelus loquebatur. Sit ergo certum harum hebdomadarum initium ſumendum eſſe tempore deſignato ab Angelo per illud verbum, *ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem*: quod verbum ſicut varias patitur explicationes, ita etiam locum dedit varijs de initio hebdomadarum ſententijs.

Vndè notandum eſt tertiò ex diuinarum Scripturarum authoritate, poſt captiuitatem Iudæorum quatuor vicibus decretum ſeu ſermonem exijſſe de ædificanda Hieruſalem & templo. Duę pertinent ad deductionẽ coloniæ, quæ etiam propriiſsimè dicitur ædificatio: duæ aliæ ad materialem ędificationem templi, & murorum illius ex lapidibus. Primum decretum ad deducendã coloniam fuit tempore Ciri Perſarum Monarchæ, vt conſtat lib. 1. Eſdræ c. 1. & 2. Secundum decretum ad deducendam coloniam fuit ſeptimo anno Artaxer-

taxercis, vt constat ex eodem lib. 1. Esdræ cap. 7. Et iste Artaxerces distinguitur ab illo, qui lib. 1. Esdræ cap. 4 vocatur etiam Artaxerces, & ab alijs Xerxes, vel etiam Assuerus, si quidem iste Assuerus iussit intermitti opus tẽpli, & intermissum est vsque ad tempora Darij: tempore autem Darij, iterum prosecutum est 1. Esdræ cap. 6. & deindè cap. 7. dicitur, *Post hæc verba in regno Artaxerces*, &c. si igitur fuit post hæc verba, vtique ille Artaxerces fuit post Darium, atque adeo post illum primum Artaxercem, qui regnauit ante Darium. Primum decretum ad prosequendum opus templi factum est anno secundo Darij, vt habetur lib. 1. Esdræ cap. 6. Secundum decretum pro eodem templo reparando exiuit anno 20. Artaxercis in quo missus est Nehemias, vt patet lib. 2. Esdræ cap. 2.

Ex hac ergò varietate orta est etiam varietas sententiarum in assignando hebdomadarum initio, vel à primo anno Cyri, vel à secundo Darij, vel à septimo Artaxercis, vel à vigesimo eiusdem anno: mihi tamen probabilior, cæterisque certior videtur illa, quæ docet harum hebdomadarum initium esse desumendum, ab illo secundo decreto deducendi coloniam Iudæorum, facto in septimo anno Artaxercis. Ratio est, quia sic numerando istas hebdomadas sine vlla penitus violentia intelliguntur completi anni 490. quos efficiunt septuaginta hebdomadæ septennales, in ipsa morte Christi; & conuenienter ad litteram textus, vocatur illud decretum primi Artaxercis, decretum exitus sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, si quidem ex communi vsu, modoque loquendi propriè etiam dicitur ædificatio, quando deducitur colonia ad aliquem locum inhabitandum, cum non tam muri, aut lapides, quàm homines efficiant ciuitates, quod autem ab isto anno 7. Artaxercis numerentur septuaginta hebdomadæ septennales vsque ad mortem Iesu filij Mariæ, quem nos dicimus Christum; & in quem supra demonstrauimus concurrere omnes illas conditiones, quas Daniel de vero Messia prædicit; constat ex duobus sequentibus principijs apud historicos notissimis.

Primum est, quod mors Christi Domini contigit Olympiade 202. currente anno eius quarto, & quod iste annus concurrit cum anno 18. completo Tiberij, currente anno 19. fuit autem Christus baptizatus anno 15. imperij Tiberij Cæsaris, vt patet Lucæ 3. & ab eius baptismo vsque ad mortem intercesserunt tres anni cõpleti, & aliquot menses. Alterum principium est, quod annus septimus Artaxercis incidit Olympiade 80. in anno eius secundo. Quod principium negari non potest, etiam ab illis qui initium hebdomadarum sumunt ab anno 20. Artaxercis, cùm enim assignent 20. illum annũ in Olympiade 83. anno eius tertio, si subducantur 13. anni, qui interueniunt ab anno 7. vsque ad 20. remanet annus secundus Olympiadis 80. vt constat ex ipsamet numeratione, in qualibet enim olympiade datur spatium quatuor annorum. Et fundamentum huius est, quia apud omnes Historicos constat, quod initium Monarchiæ Ciri in Perside fuit olympiade 55. ipso primo anno eius, vt habetur ex Eusebio citato à D. Hieronymo in cap. 9. Danielis, quod tamen intelligi debet de principio regni Ciri in Persia, non in Babylonia, hoc enim cæpit olimpiade 58. vel circiter, vt constat ex Herodoto, & Solino, & exindè numeratur primus annus Ciri in lib. 1. Esdræ, scilicet primus in Babylonia, & tunc fuit soluta captiuitas Iudaica. Primus igitur annus Regni Ciri in Persia fuit olimpiade 55. Regnauit autem Cirus 30. annis, Cambises eius filius 8. Darius Histaspis, qui illi successit 36. Xerces eius filius 21. Huic autem successit Artaxerces, de quo loquimur, qui dictus est Longimanus. Et sic ab initio Regni Ciri in Persia vsque ad initium

regni Artaxercis currunt 95. anni, quibus si addantur 7. quia septimo anno eius exijt sermo, vel decretum de secunda ædificatione Hierusalem per Esdram, vt habetur lib. 1. cap.7. fit manifestum, quod ab olimpiade 55. in qua omnes historię ponunt initium regni Ciri, vsque ad 7. annum Regni Artaxercis currunt 102. anni, qui efficiunt olimpiades 25. & duos annos, quas addendo super dictas 55. olympiades, manifestum relinquitur, quod annus 7. Artaxercis incidit olimpiade 80. anno eius secundo.

Ex his duobus principijs sic probatis manifestè colligitur, quod ab anno septimo Artaxercis, quo dictum secundum decretum exijt de ædificanda Hierusalem vsque ad mortem Christi, intercesserũt 490. anni qui faciunt 70. hebdomadas. Patet hoc quia ab ann. 2. olimpiadis 80. vsque ad 4. olimpiadis 202. intercedunt 122. olimpiades, & duo anni, quæ efficiunt 490. annos solares, numerando in qualibet olimpiade 4. annos. Et sic optimè dictum est, fuisse abbreuiatas septuaginta hebdomadas vsque ad consummationem passionis Christi, in qua deleta est iniquitas terræ, & finem accepit peccatum, vt ibidem asseritur; numerando illas ab exitu sermonis, seu decreto de secunda ædificatione Hierusalem vsque ad occisionem Christi. Ex quo etiam apparet, iuxta planum sensum litteræ, finem, seu terminum septuaginta hebdomadarum fuisse ab Angelo non in natiuitate, sed in ipsa morte Christi designatum. Nam prius dicit, *vsque ad Christum ducem*, futuras sexaginta nouem hebdomadas, quamuis non simpliciter, sed diuidendo eas per duos numeros, dicens, hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta duæ erunt; tamen sensus idem est; deindè verò subiungit: *Et post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus*; intelligendo post sexaginta duas, septem suppositis, quas prius numerauerat; vndè sensus est post sexaginta nouem hebdomadas in septuagesima esse Christum occidendum.

Hac principali difficultate de initio, & termino 70. hebdomadarum sic breuiter explicata, quomodoque earum tempus in Christo Domino fuerit cõpletum, supersunt adhuc aliæ plures, licet minoris momenti; prima, quomodo possint esse sexaginta nouem hebdomadæ vsque ad Christum ducem, maximè si per hoc significetur eius natiuitas, & tamen quod mors eius in septuagesima hebdomada contingat, vel in dimidio illius: nullo enim modo hoc stare posse videtur, nisi illa vltima hebdomada constet annis septuaginta quod supra absurdum esse notauimus. Secunda difficultas est, cur Angelus non simpliciter & apertè dixerit, sexaginta nouem hebdomades, sed per partes, ac præposterè, summam eius numeri enunciauerit dicens, *hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta duæ erunt. Et post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus*. Tertia tandem est, quem sensum faciant illa verba, *confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadæ deficiet hostia, & sacrificium; & erit in templo abominatio desolationis*, &c.

Respondetur ad primam difficultatem, verbum illud Angeli, vsque ad Christum ducem, non significare diem incarnationis, vel natiuitatis Christi, sed tempus illud, quo cæpit hominibus manifestari, prædicare, & docere; quod tempus vel à Christi baptismate inchoatum est, in quo testimonium accepit à Patre, *hic est filius meus dilectus*, vel quando cæpit publica miracula edere in Cana Galileæ; à quo tẽpore vsque ad eius mortem intercesserunt anni tres, & aliquot menses. Hoc ergò modo vtraque illa particula, *vsque ad Christum ducem*, & illa *post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus*, intelligi potest terminari, & compleri in septuagesima hebdomada, sed altera in principio eius, altera in medio, vel vna in medio, & altera in fine.

fine. Dupliciter enim poteſt intelligi verbum illud, quod poſtea ſubiungit Angelus; confirmabit autem pactum multis hebdomada vna; quod in tertia difficultate explicabimus.

Ad ſecundam difficultatem dicitur ideo Angelum numeraſſe per partes illas hebdomadas, dicendo, *Vſque ad Chriſtum ducem hebdomades 7. & hebdomades 62. erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades 62. occidetur Chriſtus*; Primò, vt more prophetico eſſet aliquantulum obſcura & ænigmatica locutio. Secundò, quia talis loquendi modus eſt phraſis Hebreæ linguæ in ſacris litteris non infrequens. Cum enim Hebræi volunt exprimere ſummam alicuius numeri, eam per partes enuntiant, præponendo minores numeros maioribus; ſicut ex ſententia Hebræorum refert hoc loco D. Hieronymus, & vtitur hoc exemplo. Nos diceremus, vixiſſe Abraham centum ſeptuaginta quinque annis: at Hebræi dicerent, vixiſſe eum quinque & ſeptuaginta, & centum annis. Inſigne aliud huius rei exemplum habetur Eſech. c. 45. Cum enim vellet propheta docere, quot ſicli faciant vnam mnam, & potuiſſet breuiter ac dilucidè dicere, ſexaginta ſicli faciunt mnam: Seruans tamen proprietatem linguæ ſuæ ita dixit. Porro viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli mnam faciunt; Nec Hebræi tantum, ſed etiam elegantiores latini ſcriptores, itidem loqui ſolent in putandis numeris, minorem maiori præponendo. Tertiò putant aliqui: propterea Gabrielem ita diſtinxiſſe hebdomadas, vt inſinuaret in huiuſmodi partitione aliquod ſubeſſe myſterium; ſiue melius, vt deſignaret Danieli tempus in quo reædificanda erat Hieroſolyma iuxta paupertatem, & anguſtiam illorum temporum, quia enim Daniel poſtulauerat à Deo liberationem captiuitatis, & reædificationem Hieroſolymę, voluit etiam in hoc Deus eius deſiderio ſatisfacere, illi reuelando non quidem finem captiuitatis, quia iam erat expreſſum apud Hieremiam, quod futurus erat poſt ſeptuaginta annos, ſed reædificationem Ciuitatis poſt captiuitatem. Et ad hoc manifeſtauit ipſi, à quo tempore erant numerandæ ſeptuaginta hebdomades, ſeu decem Iubilæa vſque ad liberationem captiuitatis per redemptionem Chriſti; ſcilicet, quod inciperent numerari, *ab exitu ſermonis vt iterum ædificetur Hieruſalem*, ſeu à ſecundo decreto reædificationis eius, quod datum eſt 7. anno Artaxercis, vt probatum fuit: Sed cum hac diſtinctione, quod intra primas ſeptem hebdomadas, ſeu intra primum Iubilæum ab illo ſecũdo decreto computandum, ædificabitur murus, & platea Hieruſalem; in hoc enim plures anni conſumpti ſunt, cum à 20. anno Artaxercis, & deinceps ædificatum eſſe murum à Nehemia legamus lib. 2. Eſdræ capite 1. & 2. Exindè verò poſt illas ſeptem primas hebdomadas, quibus ædificabitur murus, & platea Hieruſalem, ſupererunt vſque ad occiſionem Chriſti 62. hebdomades, ita quod immediatè poſt illas id eſt hebdomada ſeptuageſima occidatur. Vndè applicando ſingula ſingulis, ædificatio plateæ, & muri Hieruſalem correſpondet primis 7. hebdomadibus poſt annum 7. Artaxercis, quaſi hæc ædificatio facienda erat intra primum Iubilęum, occiſio verò Chriſti non intra, ſed poſt 62. hebdomadas vltra illas ſeptem priores, id eſt in ipſa ſeptuageſima hebdomada. Vndè quod prius dixerat Angelus, *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſũt &c. vt vngatur Sanctus Sanctorum*: non debet intelligi de vnctione vt pręcisè ſanctificante humanitatem Chriſti in conceptione eius, ſed vt conſummante redemptionem noſtram, & ſanctificante nos, quod potiſſimum fuit, quando in cruce non tantùm in redemptorem, ſed etiam in Sacerdotem, & regem ſanguinis ſui vnctione cõſecratus, & inauguratus fuit; Dominus enim regnauit à ligno; & *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum*

turorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, aterna redemptione inuenta Hebr. *cap.9.*

Circa tertiam difficultatem consistētem in explicatione illorum verborum; *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia &c.* Dico breuiter Angelū his verbis separatim explicare voluisse septuagesimam & vltimam hebdomadam, quam ab alijs sexaginta nouem supra seiunxerat: Quemadmodū enim prius dicto simpliciter & absolutè, *septuaginta hebdomadas esse abbreuiatas super populum, & super Ciuitatem Sanctam Hierusalem*; postea numerauit illas per partes, dicendo, *vsque ad Christum ducem hebdomades 7. & 62. erunt, & rursum ędificabitur platea, & muri in angustia temporum, & post hebdomadas 62. occidetur Christus*; vt sic facilius constaret, quid vnicuiq; parti, vel spatio illarum septuaginta hebdomadum futurū corresponderet; sic etiam in his posterioribus verbis, dum primum dicitur de Christo, *quod confirmabit pactum multis hebdomada vna*: postea verò subiungitur, *& in dimidio hebdomadis deficiet hostia*; non debet intelligi, quasi illi vltimę hebdomadę septuagesimæ, quā vocat vnam Angelus, quia separatim ab alijs illius euentum explicat, sit addenda alia dimidia, sed solùm aperitur quid sit in singulis huius septuagesimę hebdomadæ partibus olim euenturum; Scilicet Christum in dimidio hebdomadæ, id est in tempore trium, vel quatuor annorum confirmaturum pactum suum, id est nouum testamentum, seu legem Euangelicam, confirmaturum, inquam, miraculis, & tandem morte ipsa, per quam sacrificia, & hostiæ legis veteris erant excludenda. Quia autem dimidium hebdomadæ dupliciter sumi potest, scilicet vel vt sit prima dimidia pars septuagesimæ hebdomadæ, vel vt intelligatur esse posterior dimidia pars; ita vt vltima hebdomada, in duas dimidias partes diuidatur, & in posterioribus tribus annis, intelligatur futura confirmatio Euangelij, per Christi prædicationem, vsque ad mortem eius; conformiter ad supputationem à nobis superius factam, quod Christus Dominus sit mortuus olimpiade 202. currente anno eius quarto, qui fuit vltimus quadringentorum nonaginta, quos efficiunt septuaginta hebdomades septennales, dicēdum est dimidiū hebdomadę sumi debere iuxta posteriorem sensum; & sic Christum Dominū fuisse tantum baptizatū non in exordio prioris dimidij vltimæ hebdomadæ, sed in fine, id est completis iam tribus annis, & dimidio illius, mortuum verò non in principio posterioris dimidij, sed in fine cum inter baptismum, & mortem Christi iuxta probabiliorē Chronologorum sentētiam intercesserint tres anni, & aliquot menses; finem autem, seu terminum alicuius dimidij, rectè vocari posse dimidium modo explicato, patet pluribus exemplis. Hanc interpretationem habet auctor historiæ Scolasticæ in historia Danielis cap. 10. explicat enim ille, *dimidium hebdomadæ*, non quartum annum, qui medius est inter septem, quos vltima hebdomada continet; sed posterius dimidium, seu medietatem hebdomadæ. Diuidit enim vltimam hebdomadam in duo dimidia, seu medietates, vtrique assignans tres annos, & dimidium. In dimidio igitur hebdomadæ, id est posteriori medietate hæc sunt acta. In exordio illius dimidij, quod nos vocauimus terminū, seu finem prioris dimidij, baptizatus est Christus: deinde per tres annos, & dimidium circiter, dimidium enim non mathematicè, sed moraliter hic sumi debet, prædicauit Euangelium confirmando illud infinita miraculorū multitudine: denique in fine illius medietatis, qui fuit etiam terminus vltimæ hebdomadis mortuus est Christus, post cuius mortem omnis virtus legalium sacrifi-

ſacrificiorũ penitus euanuit. Sic igitur 70. Danielis hebdomadæ, quæ, ſecundum quod aliqui docent eas præcisè finiri in ipſo anno Paſſionis Chriſti, alij autem tribus poſt illam annis, paulò plus, vel minus cõſequenter inceperunt anno mundi circiter 3497. à diluuio anno 1840. à templo Salomonis 564. à Roma condita 298. à libertate ſub Cyro anno 78. & eodem pariter ab hac viſione, & prophetia Danielis, illam enim habuit anno 70. & vltimo captiuitatis, qui fuit annus libertatis Hebræorum ſub Cyro; tandem completa ſunt anno mundi 3984. quo mortuus eſt Chriſtus; vel 3987. tribus ſcilicet poſt annis iuxta diuerſum computum.

Secunda nota, regia propagatio ex ſemine Dauid Meſſiæ, & Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Hieremiæ 23. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum: & regnabit rex*, &c. Quẽ locum de vero Meſſia intelligunt omnes Hebræi; & hanc notam regiæ propagationis ex ſemine Dauid fuiſſe in Chriſto impletam docet S. Matthæus in ipſo ſtatim Euangelij exordio, *Liber*, inquit, *Generationis Ieſu Chriſti filij Dauid*; & Lucæ 3. *qui fuit Dauid*.

Tertia nota, modus conceptionis Meſſiæ, & Chriſti ex matre Virgine.

Isaiæ 7. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*. Et Hieremiæ cap. 31. *creauit Dominus nouum ſuper terram, fæmina circumdabit virum*. Quæ duo teſtimonia de ſolo vero Meſſia intelligenda, aduerſus Iudæos, & hæreticos, vix eſt vllus ex Patribus, qui nõ pertractet; quique illa non explicet, tanquam perfectiſſimè adimpleta in Beata Virgine Deipara, integra, & intacta virginitate Chriſtum Dominum concipiente, & pariente: vt habetur Matthæi 1. *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph antequam conuenirent, inuenta eſt habens in vtero de Spiritu Sancto*; & Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.*

Quod enim perfidè Symmacus Ebioneus, Aquila, & Theodotion, qui fuerunt Iudæi proſelyti, noſtrique Iudæi, & nuper Caſtalion, & Oecolampadius verterunt, *Ecce iuuencula concipiet*; quod Iudæi ſic explicant, quaſi diceretur, Iuuencula ſcilicet vxor Achas, antea ſterilis, nunc concipiet & pariet filium, vel Ezechiam, vel aliquem alium; hoc, inquam, totum falsò aſſeritur; nam vt benè notant interpretes ad hunc locum, & inter alios Cornelius à Lapide; primò falſum eſt, illa verba poſſe intelligi de vxore Achas Ezechiam genitura, cum iam ante hanc Iſaiæ prophetiam eſſet natus; Rex enim Achas, cuius tempore fuit edita, regnauit ſexdecim annos tantùm: Ezechias verò ſuccedens in regnũ erat 25. annorum; natus eſt ergo ante regnum Patris. Secundò, nec Ezechias, nec quis alius filius Achas vocatus fuit Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus; nullique alteri poſſunt competere tituli à Propheta adducti, quam verò Meſſiæ. Tertiò inſulsè hebræum *alma*: vertunt *iuuencula*: & quod eſt ſignum, quid mirum, quid nouum, ſi iuuencula, quæ iam Ezechiam genuerat, alium pariat filium? & ſi iam genuerat Ezechiam, quomodo erat ſterilis; Vertendum eſt igitur, *ecce virgo concipiet*, quia hebrẹũ *alma*, præſertim cum articulo *he*, *ha alma*, vt hic eſt, non iuuenculam (hanc enim ſignificat *naara*, & ſubindè *betula*) ſed virginem ſignificat; vndè etiam verterunt Septuaginta, Chaldaica paraphraſis, & veteres Rabini apud Galatinum lib. 7. cap. 15. Radix enim *alam*, ſignificat abſcondere: inde *alma* vocatur virgo abſcondita, & incognita viro. Hinc & lingua Punica, quæ hebreæ affinis eſt, virgo vocatur alma, inquit San-

Sanctus Hieronymus.

Sed esto vox hebræa *alma* significet aliquando adolescentulam viro cognitam, hebræi tamen suæ linguę periti negare non possunt, quin etiam significet virginem viro incognitam; dum ergo reperitur in Sacra Scriptura, debemus ex antecedentibus, & consequentibus iudicare, in quo nam sensu accipi debeat; certum est autem in præsenti loco sumi non posse in alio sensu, aut significatione, quam virginis, seu iuuenculæ omni prorsus viro incognitæ; Dum enim ait Propheta. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; vox signum indeterminatè, & amplè sumitur, vt sit idem, quod res noua stupenda, ac portentum, quis autem non dicat, hoc non posse intelligi de iuuẽcula viro cognita, quid enim mirum quod talis concipiat & pariat; sed solùm de Virgine illa, quæ integra, & intacta virginitate verum Messiam conceptura, & paritura erat, qualis fuit mater Christi Domini Beatissima Virgo Maria; Quare D. Bernardus serm. 3. in vigilia natiuitatis considerans hoc mysterium: *Tria*, inquit, *opera, tres misturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis, ita mirabiliter singularia, & singulariter mirabilia, vt talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt ad inuicem Deus, & homo, mater & virgo, fides & cor humanum*. Sed de his satis, plura videri possunt apud interpretes ad hunc locũ, & apud Michaelem Caranza lib. de Virginitate B. Mariæ.

Similiter Ieremiæ 31. v. 22. dum dicitur: *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram: fœmina circumdabit virum*. Genuinus, ac legitimus illius loci sensus, iuxta communem SS. Patrum, interpretũm, & doctorum orthodoxorum explicationem, quin etiam, & plurium Rabbinorum, quos citat Castro, & Galatinus lib. 7. cap. 14. est, quod nouus homo, scilicet Messias homo Deus, ex noua Virgine matre, noua generatione, scilicet absque viri semine, sola Spiritus Sancti creatione produceretur; sicut de facto productus est Christus Dominus; vnde *fœmina circumdabit virum*, idem est ibi ac dicere, Beata Virgo concipiet, vel claudet vtero suo Christum verum Messiam, qui licet qua homo conceptus & nascens, statura, & ætate esset infans: fuit tamen à primo suæ cõceptionis instanti vir, sapientia, gratia, & fortitudine, nisi per virũ intelligere velimus masculum. Porrò ad hunc sensum, inter multa, quæ afferri possent, duo potissimum faciunt; verbũ *circumdabit*, & vox *nouum*. Si enim mulier circumdet virum, id est masculum, non est nouum, sed quotidianum. Nouum autem est, quod virgo circumdet masculum. Igitur sicut nouum fuit, quod prima fœmina scilicet Eua, creata sit ex viro, puta ex costa Adami: ita & magis nouum est, quod secundus Adam, scilicet Christus vir conceptus, & creatus sit ex secũda fœmina, & Virgine Deipara. Apprimè etiam eamdem B. Mariæ virginitatem, in partu explicat verbum *circumdabit*; facit enim sensum, quod illa fœtum non à viro accipiet (erit enim Virgo) sed intra se cælitus datum claudet in modum circuli, vndequaque integri & perfecti, nulla vel minima scissione violati; hac de causa Cantic. 4. v. 11. vocatur ipsa, *hortus conclusus fons signatus*. & Prouerb. cap. 30. dum dicitur: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in Virgine*, secundum Septuaginta interpretum explicationem, qui vocem hebraicam *bà alma* in magis proprio sensu, vt supra notauimus verterunt, *in Virgine*; plures Rabbini, inter quos Rabbi Haccados, à Galatino citati, alijque non ignobiles authores Cornelius Iansenius in prouerbia cap. 30. Nicolaus Lira ibidem, sic intelligunt hunc locum, vt in eo contineatur prophetia eadem, quæ Ieremiæ 31. de Christo ex Virgine nascituro; quasi diceret Salomon.

mon, difficillimũ eſt cognoſcere Chriſti (qui vir fuit ab initio cõceptionis ſuę perfectus omnibus potentijs animæ, æquè ac membris corporis) in Virgine conceptionem, & natiuitatem.

Quarta nota, locus & modus natiuitatis Meſſiæ, & Chriſti.

DE Meſsia dicitur, quod ſit egreſſurus ex Bethleem Iuda Micheæ c. 5. *Et tu Bethleẽ Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te enim mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael*; Et ſic erat communis intelligentia apud Iudęos, vndè interrogati ab Herode de hac re Matth. 2. ſic reſponderunt, & ſimiliter Ioannis 7. dixerunt; *quia ex caſtello Bethleem Chriſtus venit*; Conſtat autem Ieſũ natum eſſe in Bethleem, Matthæi cap. 2. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda*; & Lucæ 2.

Quinta nota, Adoratio Meſsiæ, & Chriſti à regibus Magis.

NVmerorum 24. *Videbo eum ſed non modo: intuebor illum ſed non propè. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael*, &c. Cuius loci præcipuus ſenſus ad litteram eſt de Meſſia; qui vocatur ſtella, non ſolùm quia in hac vita depulſurus erat tenebras infidelitatis, & in futura tenebras mortalitatis; aut, quia vti lucifer nocti finem, diei initium præbet: ita verus Meſsias peccato, & ignorantiæ finem, fidei & ſaluti initium allaturus erat, ſed etiã maximè, quia per ſtellam eius natiuitas ſignificanda erat, quæ Magos ad ſe in Bethleem euocaret. Quod in natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti perfectiſsimè adimpletum fuiſſe Euangelica teſtatur hiſtoria Matth. 2. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi venerunt ab oriente Hieroſolymam dicentes, vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Ad hanc ergo Magorum ſtellam reſpectum fuiſſe præfato numerorum loco, patet tùm ex hebręo textu, qui pro *orietur*, habet *darach*, id eſt, inceſsit, & viam calcauit, ac præiuit, quod propriè ſtellæ illi, Magis præeunti conuenit: tùm quia communis Patrum ſententia eſt, tres Magos, vel poſteros, vel ſucceſſores fuiſſe huius Balam hic vaticinãtis, & ex hoc eius vaticinio edoctos fuiſſe, orituram aliquando ſtellam, quæ natiuitatem magni cuiuſdam regis Iudæorum indicaret: atque indè Magos viſa ſtella, ſtatim permotos fuiſſe, ad regem hunc per ſtellam ſignificatum inquirendum, idque verba Magorum ſignificant: *Vidimus ſtellam eius*, quaſi dicant: Vidimus non ſtellam aliquam incognitam, ſed *ſtellam eius*, notam ſcilicet & à Balaam prædictã, quod ſcilicet foret ſtella eius, ſcilicet Chriſti, verique Meſsiæ index.

Quod additur; *videntes autem ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valdè. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum thus & myrrham*; hoc etiam totum fuit prænuntiatum pſal. 71. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent: Et adorabunt eum omnes gentes: omnes reges ſeruient ei*. & Iſaiæ 60. *Inundatio camelorum operiet te: Dromedarÿ Madian, & Epha: Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.*

Sexta nota, ingreſſus Meſſiæ, & Chriſti in templum.

DE vero Meſsia Aggæi 2. dicitur, quod templum Hieroſolymitanum eſſet ingreſſurus, idque præſentia ſua maiori gloria nobilitaturus, quam primum templum vnquam nobilitatũ eſt; cui conſonat aliud Malachiæ teſtimonium cap. 3. *Et ſtatim veniet ad Templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis*; quæ prophetia adimpleta eſt in Chri-

Christo Iesu, cū infans in templo oblatus est à Matre Virgine, quo primùm tempore domus illa vera Domini gloria cumulata est: atque si ita interpretari licet, pax hominibus annunciata est, dicente Simeone: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum, in pace*: cui concordant etiam verba Aggæi; *& in loco isto dabo pacem*: sic exponunt locum hunc Hieronymus, Rupertus, Liranus, & ferè cæteri expositores. Iudæi verò nullam rationem inuenire possunt, vt declarent, quo pacto, prophetia hæc in templo illo fuerit impleta. Iam enim impossibile est, quod veniat aliquis Messias, qui illam adimpleat, cum iam illa domus, seu templum de quo loquebatur Aggeus funditus euersum sit.

Sed occurrit hic difficultas, quod ex Iosepho lib. 15. de antiquitatibus cap. 11 & lib. 6. de bello Iudaico cap. 8. templū illud tempore Aggæi ædificatum non durauit vsque ad tempus in quo Christus aduenit: Herodes enim decimo octauo anno regni sui, hoc est iuxta supputationem superius à nobis factam, duodecim annos ante natiuitatem Christi, illud destruxit, & aliud loco illius ædificauit; non igitur in illud templum ingressus est Christus.

Respondetur, non ita fuisse templum illud solo æquatum, & aliud ab Herode constructum, quin eo modo, quo homines loquuntur, dici potuerit absolutè, & simpliciter idem; Quod manifestè conuincitur ex hoc testimonio Ioannis 2. vbi Iudęi dixerunt, quadraginta sex annis fuisse ædificatum templum illud, cum tamen quod ab Herode constructum fuit, octo annis absolutum fuisse referat idem Iosephus lib. 15. cap. 4. Quanquam non desint, qui vsque ad Neronis tempora, durasse ex eodem Iosepho lib. 20. c. 8. affirment. Dici autem potest esse vnum & idem templum, vel quia non omninò à fundamentis, & quo ad omnes partes, totum Templum destructum est: vel quia non simul totum, sed paulatim & per partes, nam propter continuam illam successionem, & præsertim quando per se non intenditur destructio, sed instauratio & amplitudo, solet iuxta humanum loquendi modum censeri sufficiens, vt eadem domus, vel idem templum manere dicatur.

Septima nota, fuga in Aegyptum Messiæ, & Christi.

PRimo Isaiæ 19. dicitur, *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & cōmouebuntur simulacra Aegypti à facie eius*; quod communiter Patres intelligunt de Idolis Aegypti per Christum puerum illuc fugiturum deijciendis. Vnde Palladius in Lausiaca cap. 52. & Ruffinus lib. 2. cap. 7. *Vidimus*, inquit, *in Thebaide in finibus Hermopolis templum, in quo ingresso vrbem Saluatore ceciderunt omnia simulachra in faciem super terram.* Idem prędixisse Ieremiam scribit S. Epiphanius in eius vita; nimirum oportere cuncta eorum simulachra concidere, simulque manufacta omnia, scilicet idola, eorumque templa, & aras, quando in Aegyptum veniret cum suo infante virgo mater. Et ob hanc prophetiam, Ieremiam in Taphnis paulò post à Iudæis lapidatum fuisse, & martyrem occubuisse tradit idem Epiphanius, Doroth. Torniellus, & alij. Addit Epiphanius, Aegyptios tantùm huic vaticinio Hieremiæ tribuisse, vt solemnem induxerint morem, virginem quandam in lecto, & infantem in præsepio passim collocandi, simulque adorandi; rogatos postea à rege quodam, quid sibi vellet hic ritus? respondisse hoc esse mysterium, quod maiores ipsorum à Sancto Propheta traditum iampridem accepissent. Idem habet Chronicum Alexandrinum. Porrò hoc in Christo Domino concordare habetur ex historia Euangelica Matth. 2. *Angelus Domini in somnis apparuit Ioseph dicens, surge, & accipe puerū, & matrē eius, & fuge in Aegyptū, & esto ibi vsque dum dicam tibi*, &c.

Octaua nota, modus vitæ Messiæ, & Christi.

VIdimus huc vsque, quomodo quę à prophetis in veteri testamento de Messiæ potissimum infantia prænuntiata sunt, perfectissimè in Christo Domino adimpleta fuerint, nunc ostendendum est, quomodo in eumdem cōcurrat modus vitæ, quo ijdem prophetæ verū Messiam designare voluerunt; incipiendo ab illo tempore, quo cæpit hominibus manifestari, prędicare, & docere. Primum igitur si verus Messias discipulos pauperes, & idiotas ad apostolatum vocaturus erat Isaiæ 8. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & portentum in Israel à Domino exercituum*; & Hieremiæ 16. *Mittam ad eos piscatores, & piscabuntur eos; & venatores, & venabuntur eos*. De Christo Domino Matth. 4. legitur dixisse: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*; & Act. Apost. 4. *Comperto quod homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur, cognoscebant eos, quia cum Iesu fuerant.* Secundò si verū Messiam audituræ, & secuturæ erant turbæ innumeræ, Mich. 4. *Et erit in nouissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi, & properabunt gētes multæ*, &c. De Christo Domino dicitur Lucæ 6. *Factum est autem in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cū dies factus esset, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, &c. & descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis, qui venerant vt audirent eum*, &c. Matth. 4. *& sequutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de* Hierosolymis, *& de Iudæa, & de trans Iordanem*.

Tertiò si verus Messias cum hominibus benignè, suauiterque conuersaturus describitur Isaiæ 42. *Ecce seruus meus suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum. Iudicium gentibus proferet. Non clamabit neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret. Et lignum fumigans non extinguet. In veritate educet iuditium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius insulæ expectabunt*. De Christo Domino legitur ipsum consolatum fuisse omnes mętentes & tristes, qui Matthęi 11. dicebat, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & discite à me quia mitis sū, & humilis corde*. Lucæ 9. *Nescitis cuius Spiritus estis, filius hominis non venit homines perdere, sed saluare*. Et cap. 4. *mirabantur de verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius*; cum etiam mansuetè respōderet ad grauissimas iniurias prouocatus, vt constat ex historia Euangelica; vndè rectè Paulus Apostolus 2. Corinth. 10. *Obsecro vos*, inquit, *per mansuetudinem & modestiam Christi*. Quartò si verus Messias peccatores in particulari benignè excepturus prænuntiatur Mich. 4. *In die illa dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam quam eieceram colligam*, &c. quod interpretatur D. Hieronymus lib. 1. in Mich. de priore Domini aduentu, in quo peccatores saluati sunt; Nonne Christus Dominus Matth. 9. ait; *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*; ita vt eiusdē S. Matth. cap. 11. diceretur de illo: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus*. Lucę 15. *Erant appropinquantes peccatores, & publicani, vt audirent illum*. D. Paulus 1. Timoth. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Dominus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere*.

Quintò; Si verus Messias in parabolis locuturus erat ex psal. 77. *aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita à constitutione mundi*; De Christo Domino Matth. 13. dicitur. *Hæc omnia locu-*

locutus est Iesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur, quod dictum erat per prophetam dicentem, aperiam in parabolis os meum. Sexto; Si verus Messias vera docens, & vitia corripiens oppugnandus, ac persequendus dicitur psal. 108. *Os peccatoris, et os dolosi super me apertum est. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, et sermonibus odij circumdederunt me, et expugnauerunt me gratis.* &c. Sap. 2. *Circumueniamus iustum, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis*, &c. certè hoc totum ad vnguem fuisse adimpletum in Christo Domino, patet Ioann. 8. *Nunc autem quaritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quā audiui à Patre meo.* Ioann. 7. *Nemo ex vobis facit legem, quid me quaeritis interficere.* Lucæ 16. *Audiebant autem omnia hac Pharisæi qui erant auari, & deridebant illum.* Marci 22. *Consilium inierunt Pharisæi, vt caperent eum in sermone.* Et cætera, quæ passim occurrunt in historia Euangelica.

Septimò si Messias innumera patraturus miracula, prænuntiatur Isaiæ 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorū patebunt, tunc saliet sicut ceruus, claudus*; &c. hoc manifestissimè in Iesu Christo impletum est, vt constat Matth. 11. *Ite dicite Ioanni qua audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt*, &c. hac responsione ad discipulos Ioannis interrogantes, num ipse esset verus Messias, ostendente Christo Domino esse impleta in se illa signa Messiæ. Octauò, si Messias tanquam rex, & pauper Hierosolymam asello vectus ingressurus, & magnificè à pueris Hebræorū excipiendus prædicitur Isaiæ 62 & Zachariæ 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Et Psal. 8. *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum, & vltorem.* De Christo Domino narratur Matth. 21. quod, *adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt*, &c. *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid. Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Quod idem describitur Ioannis cap. 12.

Nona nota, modus mortis Messiæ, & Christi.

ETsi omnes Messiæ actus à Prophetis fuerint prænuntiati, vt satis patet ex dictis, præcipuè tamen, vt author est S. Ireneus lib. 4. aduersus hæreses cap. 66. descripti sunt illi, qui ad passionem, & mortem illius pertinebāt: vt enim ex sequentibus apparebit, nusquam spiritus prophetiæ neque vberior neque illustrior resplendet, quam in Messiæ passionibus, opprobrijs, ac doloribus declarandis; ea forsan ratione, vt scandalum crucis ab humanis cordibus remoueretur, atque ea Dei sapientia & virtus, quæ in passione elucet maximè, vocatis in regnum Dei commendaretur; quare etiam Christus Dominus qui solus fuit verus Messias, in quo vt statim ostendemus, fuerunt ad amussim impleta omnia illa, quæ de Messiæ morte, & passione prænuntiauerunt prophetæ, crebrò atque apertè discipulos de morte sua, ac passione commonefaciendos antè putauit: vt quod inter homines turpe erat supplicium crucis, id à Christo caritate hominum ardenti susceptum, salutis nostræ trophæum, ac gloriæ Dei decus esset sempiternum. *Ecce*, inquit discipulos alloquens Lucæ 18. *ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* Quæ statim explicat: *tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & cōspuetur, & postquā flagellauerint, occident eū, & tertia die resurget.* Atque alio loco Lucæ 22. *Quod scriptum est oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt*

sunt de me finem habent. Et postquam à mortuis resurrexit, duobus discipulis iter facientibus, ac de ipso sermocinantibus se comitem adiungens: O, inquit, *stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erãt.*

Primum enim si Messias aliquando vendendus triginta argenteis præsignificatur Genes. 37. in venditione Ioseph, *Vendiderunt Ioseph Ismaelitis triginta aureis.* Zachar. 11. *Et dixi ad eos, si bonum est in oculis vestris, afferte mercedẽ meam: & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam, triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proÿce illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Etiam de Christo Domino Matth. 26. dicitur; *Quid vultis mihi dare, & eum nobis tradam? at illi constituerunt ei triginta argenteos,* &c. Secundò, si de Messia Isaiæ 53. dicitur, *oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum; sicut ouis ad occisionem ducetur*; de Christo Domino Ioann. 18. habetur: *Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesũ, & ligauerunt eum.* Tertiò, Si Messias à suis in passione deserendus prædicitur, Zachar. 13. *Framea suscitare super pastorem meum, & virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oues.* Isaiæ 63. *Torcular calcaui solus, & ex gentibus non est vir mecum,* &c. De Christo Domino Matth. 26. dicitur: *Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt.* Quartò, Si Messias alapa percutiendus prænotatur. Thren. 3. *Dabit percutienti se maxillam.* Iob 16. *Exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Mich. 5. *In virga percutient maxillam Iudicis Israel.* De Christo Domino Ioannis 18. legitur; *Vnus assistens Ministrorum dedit alapam Iesu, dicens, sic respondes Pontifici.*

Quintò, Si Messias à falsis testibus accusandus erat, ex Psal. 26. *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quia insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Iob 16. *Suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam contradicens mihi.* Marci 14. *Multi testimoniũ falsum dicebant aduersus Christum, & cõuenientia testimonia non erant.* Sextò, Si Messias reus mortis iudicandus, & blasphemus, quod filium Dei se facturus erat; Sap. 2. *Promittit se scientiã Dei habere, & filium Dei se nominat, morte turpissima condemnemus eum.* Hier. 11. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* De Christo Domino legitur Mar. 14. *Rursum Summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei, Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit ego sum; Summus autem Sacerdos scidit vestimenta sua, & ait, audistis blasphemiam? quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum esse reũ mortis.* Septimò; Si Messias colaphis, palmisque percutiendus, conspuendus, & illudendus prædicitur Iob 16. *Aperuerunt super me ora sua; & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.* Eiusdem cap. 30. *Factus sum eis in prouerbium. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conspuere non verentur.* Thren. 3. *Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobrÿs.* Isaiæ 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* De Christo Domino Matth. 26. habetur *Expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alÿ autem palmas in faciem eius dederunt dicentes prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Octauò; Si Messias ad omnia sibi obiecta taciturus erat, Isaiæ 53. *quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suũ*; nonne Christus Dominus Matth. 26. *cum accusaretur à principibus Sacerdotum, & senioribus nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? & non respondit ei vllum verbũ, ita vt miraretur præses vehementer.*

Nonò,

Nono; Si Messias flagellis cædendus prędicitur Isaiæ 50. *Dorsum meum dedi ad flagella*: Ioannis 19. *Apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit,* Decimò; Si Messias spinis coronandus, percutiendus, & illudendus prænuntiatur, Thren.3. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, factus sum in derisum omni populo*,&c. Psal.31. *Die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina*: De Christo Domino Matth.27. dicitur, *Tunc milites suscipientes Iesum in prætoriū, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, et arundinem in dextera eius. Et genuflexo ante eum illudebant dicentes. Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius.* Vndecimò; si Messias ad mortem crucis instantissimè pòstulandus erat; Sap.2. *contumelia, et tormento interrogemus eum, et morte turpissima condemnemus eum.* Thren.3. *Vidisti omnem furorem eorum, vniuersas cogitationes eorum aduersum me tota die.* De Christo Domino Ioan. 19. dicitur; *cum ergò vidissent eum Pontifices, et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Lucæ 23. *Instabant vocibus magnis, postulantes vt crucifigeretur, et inualescebant voces eorum.* Duodecimò, si Messias à Iudæis negandus erat Rex eorum; Daniel 9. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus; et non erit eius populus, qui eum negaturus est*; Osee 10. *Et dicent; non est Rex noster.* Ioan.19. Pilato dicenti Iudęis de Christo, *Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: non habemus regem nisi Cæsarem.*

Decimotertiò, si Messias baiulaturus erat sibi crucem; Isaiæ 9. *Factus est principatus eius super humerum eius.* Sap. 14. *Benedictum est lignum, per quod fit iustitia*; nonne Ioannis 19. *susceperunt Iesum, et eduxerunt, et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.* Decimoquartò; si Messias cum latronibus ducendus, & crucifigendus prædicitur Isaiæ 53. *Et cum sceleratis reputatus est.* De Christo Domino Lucę 23. dicitur: *Ducebantur, et alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et crucifixerunt latrones, vnum à dextris et alterum à sinistris.* Decimo quintò, si Messias in cruce configendus erat, Psal.21. *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Zachar.12. *Et aspicient ad me, quem confixerunt*; Zachariæ 13. *Et dicetur ei, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarū? et dicet. His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me?* Deuteron. 28. *Erit vita tua pendens ante te, et non credes ei.* De Christo Domino Lucæ 23. habetur, *Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum.* Decimo sextò; si Messias in cruce irridendus erat ab omnibus, Psal. 21. *Ego autem sum vermis, et non homo, opprobriū hominum, et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labijs, et mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniā vult eum.* Psal.68. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniustè: quæ non rapui tunc exoluebam.* Matt.27. dicitur de Christo Domino. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, et dicentes, vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas: salua temetipsum, si filius Dei es; descende de cruce. Similiter et principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, et senioribus dicebant, alios saluos fecit: seipsum non potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei: confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim, quia filius Dei sum.*

Decimo septimò, si Messiæ crucifixi vestes diuidendæ à militibus dicuntur Psal.21. *Ipsi verò considerauerunt, et inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem;*

tem; De Christo etiam habetur Ioan. 19. *Milites ergò cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica desuper contexta per totum. Dixerunt ergò ad inuicem, non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit, vt impleretur Scriptura dicens,* &c. Decimo octauò, si Messia patiente cælum obtenebrescere debebat. Amos 8. *Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Hierem. 15. *Occidit ei Sol cum adhuc esset meridies.* Christo etiam patiente Matth. 27. *à sexta hora vsque ad horam nonam, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* Decimo nonò, si Messias sitiens aceto potandus erat psal. 68. *Et dederunt in escã meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Ioann. 19. *Postea sciens Iesus, quia omnia iam consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit, sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum: illi autem spõgiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* Matth. 27. *Et dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum.* Vigesimò, si Messias crucifixus integer erat relinquendus Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo.* Ioannis 19. dicitur *Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuũ, non fregerunt eius crura. Facta sunt enim hæc, vt Scriptura impleretur.* Tandem si Messias per quam honorificè sepeliendus dicitur Isaiæ 11. *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Ioannis 19. *Venit ergo Ioseph ab Arimathia, & tulit corpus Iesu, venit autem & Nicodemus ferens mixturã myrrhæ, & aloes quasi libras centum. Acceperunt ergò corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus.*



Decima nota, Messiæ & Christi posteriores gloriæ.

Per posteriores glorias hic intelligimus Messiæ resurrectionem, mirabilem ad Patrem ascensum, & consessum ad dexteram: indeque Spiritus S. missionem, atque ipsam denique Iudicis extremi maiestatem. Igitur si Messias post resurrectionem gloriosè in cælum ascensurus prædicitur psalm. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis, in Sina in Sancto. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* Psal. 46. *Ascendit Deus in iubilo, et dominus in voce tubæ: psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro: psallite sapienter: regnabit Dominus super gentes: Deus sedet super sedem sanctã suã.* Isaiæ 63. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, & gradiens in multitudine virtutis suæ.* De Christo Domino Marci 16. dicitur. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælis, & sedet à dextris Dei.* Insuper si Messias prædicitur Spiritum Sanctum missurus, & discipulos dono cælesti impleturus Ioelis 2. *Et erit in nouissimis diebus, effundam de spiritu meo super omnem carnem,* &c. hoc etiam in Christo fuisse impletum legitur Act. Apost. cap. 2. *Factus est repentè sonus de cælo tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui varijs linguis, pro vt Spiritus Sanctus dabat eloqui illis* &c.



Vnde-

Vndecima nota, Messiæ, & Christi proprietates, siue excellentiæ.

PRimum si Messias verus Propheta, & Magister hominibus dandus erat. Deuteron. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Et ait Dominus. Ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Hoc testimonium in Christo Iesu impletum significat ipse ita dicens Ioan. 5. *Si crederetis Moysi forsan & mihi: de me enim ille scripsit*, Philippus quoq; Ioann. 1. dicit Nathanaeli; *Quem scripsit Moyses in lege & prophetis, Inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* Apertius verò Princeps Apostolorum Petrus Act. 3. *Moyses quidem dixit: quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester, &c.* Isaiæ 30. *Et dabit Dominus uobis panem arctum, & aquam breuem: & non faciet auolare à te doctorem tuũ: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergũ monentis; hæc est via, ambulate in ea, & ne declinetis ad dexteram, neque ad sinistram*; Matth. 17. *Et ecce vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite.* Ioann. 13. *Vos vocatis me magister & Domine: & benedicitis, sum etenim.....*

Secundò si Messias Rex Israel, totiusque orbis Dñs vocatur, Hierem. 23. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet iudicium, & iustitiã in terra*, Isaiæ 9. *Paruulus enim datus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus eius super humerum eius. Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio, & in iustitia amodo & vsque in sempiternum.* Daniel 2. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur: & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternũ*; & cap. 7. *Aspiciebam in visione noctis: & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit. Et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei, potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* De Christo quoque Domino, Lucæ 1. dicitur. *Dabit illis Dominus Deus sedem Dauid patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.* Quæ sit domus Iacob, in qua Christus perpetuò regnaturus est, apostolus indicat ad Rom. 9. *Non omnes*, inquit, *qui ex Israel, ij sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Et Paulus ad Galath. 3 *cognoscite ergò quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ.* Itaque regnum Israel Messiæ proprium non est regnum temporale, sed spirituale, ipsa videlicet Ecclesia; quæ & perpetua erit, & in omnes orbis partes se proferet, & hoc regnum tradetur Deo à Christo in fine, vt scribit Apostolus 1 Corinth. cap. 15. v. 24. *Deindè finis, cùm tradiderit regnum Deo, et Patri, cum euacuauerit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Sed de hoc latius in solutionibus argumentorum infra cap. 6.

Tertiò, si Messias Saluator populi sui appellatur, Isaiæ 19. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.* cap. 62. *Dicite filiæ Sion, ecce Saluator*

uator tuus venit. c.63. *Et factus est eis Saluator, in omni tribulatione eorum.* Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus venit, tibi iustus & Saluator.* De Christo etiam Domino Matth. 1. dicitur; *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Act. 4. *Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus. Neque enim aliud nomen datum est sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*

Quartò, si Messias per sanguinem suum redemptor omnium peccatorum dicitur Isaiæ 53. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus, &c.* Zachariæ 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* De Christo Domino Matth. 20. dicitur; *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem suam pro multis*; & cap. 26. *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Rom. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionẽ iustitiæ suæ.*

Quintò, si Messias passim in diuinis Scripturis vocatur spes vnica gentiũ; Genes. 18. *Num celare potero Abram quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?* Et cap. 22. *Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Osee 1. *Et erit in loco vbi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, filij Dei viuentis. Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra, quia magnus dies Israel.* Psal. 71. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes seruient ei. Sit nomen eius benedictum in sæcula: ante Solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Isaiæ 49. *Et dixit parum est, vt sit mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*: & cap. 66. *Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam, Lydiam tenentes sagittam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino.* In nouo testamento de Christo Domino dicitur, Lucæ 2. *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Ioannis 10. *ipsemet Christus ait, alias oues habeo, quę non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Et Matth. 28. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ephes. 3. *Quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominũ, sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius, & prophetis in spiritu: gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium.* Et Roman. 9. *Vocauit nos non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit, vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam. Et erit in loco, vbi dictum est: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.*

Sextò, Si Messias nouæ legis Euangelicæ fundator prædicitur Daniel. 9. *Confirmauit autem pactum multis hebdomada vna, &c.* Ibi tam vox Hebræa Berith,

Berith, quam Græca funtiki, vel diatiki; quam noster interpres vertit pactum; propriè significat legem nouam, & Euangelicam, quam Christus, & Apostoli mundo publicauerunt; & per quam quasi per pactum quoddam, Deus promisit hominibus, se, credentibus in filium suum, & legem eius obseruantibus, & peccata omnia remissurum, & vitam æternam esse daturũ. Hanc legem appellare licet secundum, vel nouum pactum, fœdus, testamentũ, quod Christus cum hominibus fecit in cruce pendens, idque sanguine suo aspersit, morteque confirmauit. Propheta enim Hieremias cap. 31. clarissimis verbis docet, duo esse Dei pacta; vnum antiquum illud, datum Iudæis per Mosen in monte Syna, scriptum in tabulis lapideis: alterum verò, longè præstantius, vtilius, ac diuturnius priori dandum per Messiam, & in hominũ animis, mentibusque scribendum. Verba prophetæ sunt. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris, cum eduxi eos de Aegypto, pactum quòd irritum fecerunt. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel; post dies illos dicit Dominus; dabo legem meã in visceribus eorum; & in cordibus eorum scribam illam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum suum, dicens cognosce Dominum: Omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum; ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Nonne his verbis descripsit Hieremias præstantiam legis Euangelicæ, quæ potissimum viget, regnatque in animis hominum, eos illuminans clara Dei cognitione, & purgans peccatorum omnium remissione?

At ne quis suspicaretur hoc secundum pactum fore temporarium, sicut fuerat prius illud Mosaicum, & aliquãdo tandem, similiter vt illud, fore antiquandum & abolendum; ideo proximè subiecit, pactum legis Euangelicæ tamdiu permansurum, quo ad stabit motus cælorum, discursus syderum, noctis & diei, cæterarumque tempestatum vicissitudines; hoc est, vsque ad consummationem, & finem huius mundi; iuxta illud, quod Christus Dominus dixit; *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et item illud. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*: Sic igitur post prædicta scribit Hieremias: *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, ordinem lunæ, & stellarum in lumine noctis: qui turbat mare; & sonant fluctus eius: Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus; tunc & semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me cunctis diebus*; Loquitur autẽ hic Hieremias de semine Israel, non secundum carnem, sed vt interpretatur Paulus secundum promissionem & spiritũ; siue quod idem est de gentibus in in semine Abrahæ benedicendis. Quod autem subdit Hieremias, ciuitatem Hierusalem ædificatum iri, & instaurandum esse templum, ita vt non destruatur vltra in perpetuum; non debet intelligi de terrena, & corporali Hierusalem, & templo; quippè hæc postea, nec semel destructa, nec per mille ferè sexcentos annos, post vltimam eorum euersionem vsque ad hanc diẽ reparata esse cernimus. Sed intelligi debet hoc vaticinium Hieremiæ, de Christi Ecclesia, quam res illæ corporales in veteri testamento per quamdã similitudinem præfigurarunt.

Vnde apparet legem Iudæorum aliquando finiendam esse per Messiam, vt latè Apostolus probat in epistola ad Hebræos, translato ab illa Sacerdotio, vt exurgeret alius Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & propter imperfectionem talis legis, quæ iustificare non poterat; nam si ex lege posset esse iustificatio, gratis Christus, qui fuit verus Messias, mortuus esset pro peccatis: moriturũ verò pro illis apertissi-

tiſſimè dicitur Danielis 9. & Iſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & liuore eius ſanati ſumus, poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum, propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Si autem mors Chriſti neceſſaria fuit ad perficiendũ, quod non poterat lex antiqua; ergò poſt mortem Chriſti, vel Meſſiæ non erat amplius duratura illa lex, quæ ſolùm præfigurabat Meſſiam venturum, & non poterat perficere; quod ipſe perfecit. Vndè licet Sacram veteris teſtamenti Scripturam ſummoperè veneremur, quia à Deo dictata, & præcepta eius moralia etiam ſeruemus; nõ tamen cæremonialia, quæ tunc obſeruabantur, nunc obſeruamus, quia illa non fuerunt data vt perpetua, ſed quovſque venirent hæc, quæ in illis præfigurabantur, vt benè proſequitur D. Auguſtinus lib. 10. contra Fauſtum; vndè etiamſi aliquando vocãtur æterna, non quidem in ſe, ſed in re per illa præfigurata talia dicuntur.

Septimò, ſi Meſſias radix totius gratiæ, & iuſtitiæ vocatur, Pſal. 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factũ eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Iſaię 28. *Hæc dicit Dominus Deus, ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, pretioſum in fundamento fundatum. Qui crediderit non feſtinet;* quaſi diceretur mittam Meſſiam, vel Chriſtum, qui Sionem, id eſt Eccleſiam ædificet, cuiuſque ipſe ſit lapis angularis, id eſt fundamentum primum & imum, quod ſolidum firmiter omnes eius partes connectet, & præſertim duos parietes, ideſt, duos populos inuicem contrarios, ſcilicet Iudæorum, & Gentiũ; Hoc quoque de ſeipſo dicit Chriſtus Dominus Matth. 21. & de illo Petrus Act. 4. & Paulus Rom. 9. Iſaiæ 53. *Et erit iuſtus ipſe iuſtificans ſeruos meos multos*; Ioannis 1. de Chriſto dicitur. *Lex per Moyſem data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Vnde de plenitudine eius nos omnes accipiemus.* Et Epheſ. cap. 1. *qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtũ in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo. In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius.*

Octauò, ſi Meſſias in nouiſſimo die, multis prodigijs finem mundi antecedentibus cum maieſtate viuos, & mortuos iudicaturus prænuntiatur; Iob. 19 *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Iſaiæ 66. *Ecce Dominus in igne veniet,* &c. & Daniel. 12. *In tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium,* &c. Marci 13. dicit etiam de ſemetipſo Chriſtus Dominus; *Amen, Amen dico vobis, quia venit hora quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo; & poteſtatem dedit etiam iudicium facere, quia filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.*



Duo-

Duodecima nota Messiæ, & Christi, miserandus Iudæorum status.

CVm inter veri Messiæ notas, ac signa potissimum habeant locum magna mala, quæ Iudæis aliquando contingenda prænuntiantur Danielis cap.9.propter immane scelus necati ab ipsis Messiæ; inde etiam acrius Iudæos vrgere possumus, Dominum nostrum Iesum Christum fuisse verum in lege promissum Messiam; sic enim, quod illum non receperint, prorsus inexcusabiles esse videntur. Poterant fortasse nonnulli excusare se, quod Christũ non cognouissent, quia non tam solerti, & acuto ingenio essent; vt computum illum septuaginta hebdomadum Danielis subtiliter & exactè percipere possent; sed cum ipsi iam à tot annis, post mortem Saluatoris nostri, experiãtur, & sentiant ea omnia mala, quibus ob necem Messiæ puniendos esse Iudæos Angelus prædixerat; certè dicendum est illos voluntaria cæcitate in clarissima luce caligare, pernegando Christum Iesum fuisse verum Messiam.

Tria igitur sunt magna mala, quæ præfato Danielis loco futura prædicit Angelus; Primum indicatur illis verbis; *Et non erit eius populus, qui eum negaturus est*; significatur enim, propter indignissimam Messiæ necem, populũ Hebræum, antea in modum filij primogeniti, Deo carissimum, ita esse ab illo deserendum, repudiandum, atque omnino abijciendum, vt non amplius populus Dei futurus sit. Alterũ malum ob necem Messiæ Iudæis euenturum, significatur illis verbis; *Ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*; hoc est, ciuitatem Hierusalem, & Sanctum quod in ea erat templum, destruendum, ac funditus euertendum fore. Tertium malum, & omnium grauissimum est, prædictas calamitates, non vt quas antea passi fuerant, fore temporarias, sed planè sempiternas. Hoc tangitur partim illis verbis; *Et finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio*; quasi diceretur, illam desolationem, irreparabilem fore, quoniam à Deo tanti sceleris eorum vindice atque vltore, statuta firmata, & in perpetuum stabilita sit; partim extremis illis verbis, quæ claudunt hoc nonum Danielis caput; *& vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio*; cui Danielis vaticinio de perpetua Iudæorum calamitate, ob illatam ab ipsis Messiæ mortem, mirificè concordat aliud Hieremiæ c. 19. *Hæc dicit Dominus exercituum, sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari*. Hoc enim vaticinium non potest referri ad vllam priorum calamitatum, quas Iudæi ante Christi aduentum perpessi sunt: si quidem post illas omnes captiuitates, & libertas, & ciuitas, ac templum, & imperiũ Iudæis restituta sunt. Veritas igitur vaticinij cogit, fateri illud esse intelligendum de ea calamitate, quam Iudæi post mortem Messiæ perpessuri erant. Simile huius est aliud Isaiæ c.5. *Abiecerunt legem Domini, & eloquium Sancti Israel blasphemauerunt. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & percussit eum; & conturbati sunt montes, & facta sunt morticinia eorum, quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta*; & clarius c.25. *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles: Amen. Quia posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, Domum alienorum; vt non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustorum timebit te*: Sic Isaias, laudando iustitiam Dei ob Messiæ parricidiũ, Iudæos sempiterna vrbis Hierusalem desolatione, vindicantis: qua etiam de re, populum fortem, id est Ecclesiam Gentilium, Dei misericordiam cele-

bratarum esse confirmat; quod posthabitis Iudæis, suam ad gentes beneuolētiam, gratiam, & munificentiam conuertisset.

Huiusmodi autem vaticiniorum veritatem fuisse in Christo Domino perfectissimè adimpletā, exitus belli, quod quadraginta circiter annos post illius mortem, Romani Vespasiano, & Tito ducibus gessere cum Iudæis, manifestè comprobauit. Ab illo enim tempore populum Iudaicum maximis contritū malis, patrijsque sedibus exterminatū, vbique miserrimè vexari, atque in probro, & derisu esse apud omnes gentes videmus; sine vlla penitus spe euadendi vnquam à tantis miserijs; nam si in tanto præteriti temporis spatio, hoc est mille sexcentorum ferè annorum, quo Iudæi sæpè florentiores, ac potentiores fuere, nec præsentibus malis liberari, nec priora bona recuperare potuerunt, multò minus verisimile est, id eos post hac facturos; cum in dies eorum vires magis, magisque minuantur, ac debilitentur. Nimirum nisi Deus omnino abiecisset populum Hebræum, non esset passus tamdiu, & templum suum à fundamentis euersum iacere, & populum suum miserrimè vexari. Vt enim ponderauimus supra, promiserat Deus per Aggæum prophetam, se post breue tēpus, missurum in terras Messiam; cap. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum, adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & mare, & aridam; & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus*, &c. Quod vaticinatus est Aggæus regnante Dario Histaspis, quarto rege Persarū, vt in principio eius prophetiæ prænotatur; A quo tempore ad hanc diem, amplius quàm duo annorū millia effluxerunt. Hoc autem tempus non potest verè dici, aut intelligi modicum; dicendum est igitur hanc Aggæi prophetiam in Christo Domino fuisse iam pridem impletam, à cuius tempore, vsque ad Saluatoris nostri aduentum, paulò plus quingentis annis interfuit; atque adeo vastationē Hierusalem per Vespasianum, & calamitatem istam Iudæorum, esse illam ipsam, quæ secundum prædictas Danielis, Hieremiæ, & Isaiæ prophetias est duratura vsque ad mundi finem.

Ad cuius rei confirmationem non parum facit, quod Iudæi superioribus sæculis, sæpè tentarunt, maximisque studijs, opibus, & conatibus aggressi sunt reficere templum Hierosolymitanum, & pristinum imperium repetere; nec tamen quicquam potuerunt proficere, sed omnia eorum studia, conatusque in cassum ceciderunt. Refert Eusebius lib. 4. histor. Ecclesiasticæ cap. 6. imperante Adriano, Iudæos quinquaginta fermè annis post cladem à Tito, & Vespasiano acceptam, duce quodam Barchocheba sumptis armis aduersus Romanos, voluisse eorum iugum abijcere, pristinamque libertatem, & imperium recuperare, sed armis Romanorum ita fuisse concisos, contritosque, vt innumerabilibus cęsis, reliqui Iudeæ sedibus exterminati fuerint, lege imperiali vetiti, Hierosolymam regredi, aut etiā tam propè accedere, vt eam aspicere possent; vndè cum fuisset tunc Iudęorū gente orbata, & exteris hominibus frequentata, ad honorem Aelij Adriani Victoris, veteri mutato nomine, deinceps Aelia appellata est. Sic Eusebius. Narrat quoque D. Chrisostomus in orat. 2. contra Iudæos, illos tempore Constantini Magni, iterum ab imperio Romanorum deficere conatos fuisse: sed Cōstantinum, amputatis eorum auriculis, tanquam impressa rebellionis nota, per omnes gentes dissipari iussisse; tam vt cunctis perfidia eorum nota, testataque fieret, quàm vt ex speciali diuinæ prouidentiæ dispositione nobis essent in librarios, atque capsarios; vt rectè notat S. Augustinus serm. 1. ex quadraginta nouis; *Iussit*, inquit, *Imperator Romanus iam Christianus, vt ad ipsam Hierusalem non accederent Iudæi. Et sparsi per orbem terrarum, facti sunt quasi custodes librorū nostrorum; quomodo serui, quando eunt in adiutorium domini ipsorum, portant post*

illos

illos codices, & foris sedent; sic seruus factus est filius maior, filio minori. Nam aliquando mouent nos aliqua in Scripturis, & de Iudaeorum codicibus, certi aliquid cognoscitur. Ideo ergo sparsi sunt, vt nobis libros seruent. Maior ergo minori seruit. Hæc Augustinus.

Verùm nec talibus pęnis, vel ignominijs territi Iudæi, idem postea tentare destiterunt: quin Iuliani Apostatæ gratia, authoritate, & auxilio adiuti, elatique, maiori quam vnquam antea studio, & contentione, ad id perficiendum aggressi sunt. Nam cum Imperator, qui sacrificijs idolorum vehementer delectabatur, Iudæos ad similia sacrificia more maiorum suorum facienda hortaretur; responderunt illi, sibi fas non esse, nec secundum legem suam licitum, extra templum Hierosolymitanum, quod tunc dirutum erat, sacrificare. Continuò igitur Iulianus, templum refici iubet, omnia Iudæis, ad id operis necessaria largissimè promittendo, & præbendo. Summa erat Iudæorum lętitia, spesque pristinum statum, ac felicitatem recuperandi; contra ingens męror, terrorque Christianorum, quorum animos confirmauit Cyrillus, qui tunc Hierosolymitanum Episcopatum regebat; probans ex prædictis Prophetarũ vaticinijs, & ex verbis Domini nostri Matth. 24. fieri non posse, vt illud templum Iudaicum repararetur. Atque hoc quidem ita euenit, vt ipse dixerat. Tribus namque magnis prodigijs diuinitus factis, coacti sunt Iudęi inceptum opus relinquere. Nam cum effossa terra, cæpissent iacere fundamenta; & propè esse, vt structuram operis aggrederentur; noctu ingens terræ motus excitatus, lapides veterum templi fundamentorũ concussit, omnesque vna cum ædificijs quæ in proximo erant, disiecit; cuius rei fama, multos, etiam è longinquo ad eius miraculi contemplationem attraxit. Et tunc, cum frequentissimi adessent, aliud prodigium contigit; ignis namque cælitus missus, omnia opificum instrumẽta, omnemque faciendo operi præparatam materiam absumpsit, totumque diem, quo manifestius, testatiusque miraculum esset, incendium illud perdurauit. Ac ne locus esset cuipiam suspicandi, ea vel casu accidisse, vel ex caussis naturalibus profecta esse, vel ab alio quam à Christo Domino, aut in aliam, quam eius crucifixionis pænam facta, tertium miraculum accessit. Nocte enim sequenti, effigies crucis, radiorum lumine figuratæ, illorum vestimentis, tanquam impressæ videbantur; quas cũ dies illucesceret, cernentes Iudæi, & eluere ac delere cupientes, nullo modo poterant. Hanc historiam Ruffinus, & Socrates in historia Ecclesiastica referunt, ille quidem lib. 1. cap. 37. hic autem lib. 3. cap. 17. eamdemque commemorat Chrisostomus citato loco, affirmans id sua memoria fuisse recentissimum; *Huius*, inquit, *rei nos omnes testes sumus. Nostra enim ætate, ante annos viginti, hæc acciderunt. Considera igitur insignem victoriam veritatis, non hæc euenerunt sub Christianis & pijs Imperatoribus; ne quis dicere posset, potentia Christianorum, à perfectione operis Iudæos esse deturbatos; sed eo tempore contigerunt hæc, quo tempore res Christianorum vehementer depressæ, & afflictæ erant; imperiũ Romanum regente Iuliano, callidissimo pariter atque crudelissimo Christianorum hoste: cum omnes Christiani de vita periclitarentur; & alij se domi absconderent, alij publicum fugientes, in remotas solitudines sese abderent: cum floreret Paganismus; & cultorem esse idolorum, aut oppugnatorem Christianorum, magnam laudem, & gratiam haberet apud Imperatorem. Tunc igitur ea quæ diximus euenerunt; ne qua Iudæis, vel impudens fieret occasio tergiuersandi. Illi tam firmis rationibus, tam admirandis prodigijs, tam perspicuis vatum oraculis, vinci quidem possunt, flecti tamen, & ad veritatem amplectendam adduci non possunt; sed nihil mirum est. Etenim natio Iudæorum, iam inde ab initio vsque, effrons, peruicax, & contumax fuit, semperque rebus euidentibus repugnare solita.* Hactenus Chrisost.

At

At respondent primò quidam Iudæi, se prædictas calamitates non pati propter cędem Mesiæ, quem ipsi etiamnũ venisse negant: sed virtutis explorandæ, probandæque causa; scilicet vt eorum virtus rebus aduersis, sicut igne aurum, purior atque illustrior euaderet. Alij respondent secundò, se non propter necem Christi, vel Mesiæ, sed propter alia quamplurima, & grauissima flagitia, quæ admiserunt, iram Dei aduersum se irritasse, tantamque eius animaduersionem, & vindictam, quanta nunc plectuntur, promeruisse. Verumtamen hæc responsa, aliaque similia mendacij, atque impietatis facilè conuincuntur.

Quod enim ad primum spectat; cùm tantum absit, vt hæc calamitas, qua à morte Christi Domini vsque in hanc diem perpetuò premuntur Iudæi, illis profecerit ad emendationem vitæ, quin potius maioris improbitatis, atque impietatis occasio illis fuerit; certè frustra iactatur ab illis se hanc calamitatem, nõ pati propter cædem Christi, sed virtutis explorandæ probandæque causa. Deinde hæc calamitas non solùm est corporalis, aut temporalis, sed etiam spiritualis, magnam bonorum spiritualium iacturam continens, vt dicetur magis statim, carent enim prophetis, miraculis cultu diuino, & Mosaicæ legis obseruatione &c. Pœnam autem spiritualem, non ad probandam virtutem, sed ad punienda dumtaxat preterita scelera, Deus infligit. Tandem, Iudęi sic respondentes, mendacem faciunt Deum. Quippè amplissimis verbis Deus sæpenumero promisit, vt videre est in Deuter c.11. & 28. se populum Hebręum, si quidem is benè ac piè viueret, atque in legis, quam per Mosem ei dederat, obseruantia, obedientiaque permaneret, conseruaturum omni tempore in terra Chanaan quam possidebat, à cunctis hostibus defensurum, cunctisque malis liberaturum, atque omni bonorum genere cumulaturum. Quibus omnibus cum à tanto tempore careant Iudæi, concludendum est illos talia pati; propter grauissimum aliquod scelus ab illis commissum, quo iram Dei aduersum se irritauerunt, tantamque eius animaduersionem, & vindictam quanta nunc plectuntur promeruerunt.

Iam circa secundum responsum ostendendum est grauissimũ illud scelus non fuisse aliud, quam perpetratam ab illis Christi cædem, qui fuit verus Mesias: Primumque ad illud facit epistola propè sexcentis ab hinc annis scripta à quodam Rabino Samuele, ad Rabinum Isaac: in qua confirmat ille, pręsertim ex prophetia Danielis, euidenter probari à Christianis iam venisse Messiam, illumque esse Christum: ipsius verba sic se habent, provt referuntur à Dionysio Carthusiano in extremo cõmentario noni capitis Danielis; *Videtur Domine mi, Danielis prophetia, quæ scribitur nono capite, iam completa esse, vbi sic dicitur; Post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus, & veniet populus cum principe venturo, destruetque ciuitatem, et domum: et erit consummata destructio desolationis perpetuæ. Et non est domine mi, dubium, quin destructio perpetuæ desolationis sit hæc captiuitas in qua iam sumus. Nam iam sunt mille anni, et apertè dicit Dominus per prophetam, quod erit desolatio perpetua propter occisionẽ Christi; sicut est desolatio post occisionem Christi. Non enim comminatus est desolationem perpetuam, nisi post occisionem Christi. Et si voluerimus dicere, quod antè occisionem Christi fuerimus in desolatione; respondent nobis Christiani, quod ante illã mortem, non fuit desolatio nisi septuaginta annis; et post hoc, fuimus reducti in terram promissionis, & fuimus apud Deũ in gratia, et honore; certè Domine mi, non video euasionem; de facto enim probatur nobis; quod postquam à reædificatione templi completæ fuerunt septuaginta hebdomades annorum, tunc fuit Iesus occisus à Patribus nostris; et postea venit dux, scilicet, Titus, et populus, scilicet Romani; et fecerunt nobis secundum prophetiam istam. Hodiè sunt mille anni, et nihilominus in ira*

ira Dei sumus; & tamen nos in ipso speramus, expectantes adhuc venturum Messiam, & reuersuros nos in terram promissionis, et ciuitatem atque templum instauraturos, futurosque in gratia & honore apud Deum; nec desolationem hanc fore perpetuam, sed temporalem. Heu mi Domine, non est ista excusatio, & euasio consona: & vana videtur talis expectatio. Hactenus ille Rabinus; ex cuius verbis manifestè colligitur, quod cum Iudæi post mortem Christi, hoc est à mille sexcentis, & amplius annis, premantur omnibus illis calamitatibus, & miserijs quas in pœnam necandi ab ipsis veri Messiæ passuros fore prænuntiauerunt prophetæ, colligitur, inquam, manifestè Messiam iam venisse, nullumque alium præter Christum fuisse.

Secundò si propter alia scelera, quam propter Christi Domini mortē, talia quibus nunc affliguntur paterentur mala; maximè esset scelus idololatriæ, & cædes prophetarum; hæc enim duo super alia omnia Deus exprobrat Iudęis in sacris litteris; & propterea testatur, grauissimas quasque eorum captiuitates, & calamitates præsertim verò Babylonicam, ipsis contigisse. Atqui nec post dissolutam captiuitatem Babylonicam, nec post Saluatoris nostri aduentum, legimus Iudęos aut publicè idola coluisse, aut prophetas occidisse. Imo post id temporis, quo ad ista duo scelera spectat, quodammodo melior fuit populus Hebræus, quàm antea fuerat. Non igitur magnitudo, & diuturnitas præsentis Iudæorum calamitatis, vel ad prædicta duo scelera, vel ad alia quæcumque pręter cædem Messiæ referri potest. Quod manifestissimè apparebit diligenter consideranti differentiam huius calamitatis, quæ à Tito, & Vespasiano illata, vsque in hanc diem perpetuò premit Iudæos atque aliarum calamitatum priorum, quas Iudæi antè Saluatoris nostri aduentum perpessi sunt; quarum tres fuerunt omnium grauissimæ, & super alias memorabiles, Aegyptiaca scilicet, Babylonica, & illa, quam sub rege Antiocho Epiphane, tempore Machabæorum, Iudæi tulerunt. Cùm enim in prioribus illis calamitatibus haberent prophetas, qui eos consolabantur, & certa spe recuperandæ libertatis sustentabant; fierent miracula, quibus declarabatur populum hebræum in Dei esse gratia, & tutela; iam his omnibus, alijsque similibus beneficijs, cernimus eos, post illam Titi, & Vespasiani cladem, videlicet ob Messiæ necē ab ipsis nefariè patratam, vsque ad hanc diem fuisse priuatos.

Vndè etiam si Iudæi post Christi mortem fuissent idolorū cultores, prophetasque occidissent; non ideo tamen conueniens prædictis sceleribus esset præsens illorum calamitas. Hæc namque scelera fuerāt ante apud illos creberrima & grauissima; quorum tamen, nonnisi septuaginta annorum captiuitatis pœnas luerunt. Nullum igitur exitum habent, nullam latebram Iudæi; sed fateantur necesse est Christū Dominum verum fuisse Messiam, seq; ob illius necem, omnia quibus puniuntur mala perpeti. Quod rectè notauit D. Hieronymus in epist. 129. ad Dardanum, vbi voluntariam Iudæorum cæcitatem, perfidiamque redarguens ait: *Multa Iudæe scelera commisisti: cunctis circa te seruisti nationibus: ob quod factum? vtique propter idololatriam. Cumque seruisses, crebro tui misertus est Deus; & misit iudices, & Saluatores, qui te de seruitute Moabitarum, Ammonitarum, Philistinorum, ac diuersarū gentium liberarent. Nouissimè sub regibus offendisti Deum: & omnis tua prouincia, gente Babilonica vastante, deleta est. Per septuaginta annos templi solitudo permāsit. A Ciro rege Persarum, est laxata captiuitas: extructum quoque est sub Dario templum. Quæ passi sitis à Medis, Aegyptijs, & Macedonibus, non enumero; nec tibi adducam in memoriam Antiochum Epiphanem, crudelissimum omnium tyrannorum; nec Pompeium, Gabinium, Scaurum, Varium, Cassium, Sessiumque replicabo;*

cabo; qui tuis vrbibus, & præcipuè Hierosolymæ insultauerunt. Ad extremũ sub Vespasiano & Tito vrbs capta, templumque subuersum est. Deindè, ciuitatis, vsque ad Hadrianum principem, per quinquaginta annos mansere reliquiæ: post illam euersionem, vsque ad hanc diem, paulò minus quam per quadringentos annos, & vrbis, & templi ruina permanent. Ob quod tantum facinus? Certè non colis idola: sed etiam seruiens Persis, & Romanis, & captiuitatis pressus iugo, Deos ignoras alienos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquam tui antea oblitus fuerat, nunc per tanta spatia temporũ non adducitur, vt soluat captiuitatem, & vt verius dicam, expectatum tibi mittat Antichristum? Ob quod, inquam, facinus & tam execrabile scelus, auertit à te oculos suos? ignoras? Memento vocis parentũ tuorum, sanguis eius super nos, & super filios nostros, & hic est hæres venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas, & nõ habemus regem nisi Cæsarem. Habes quod elegisti, vsque ad finem mundi seruiturus es Cæsari, donec Gentium intret plenitudo, & omnis Israel saluus fiat; et qui quondam erat in capite, vertatur in caudam. Hactenus Hieronymus. Si autem hæc omnia Hieronymo, & alijs Patribus ipso antiquioribus visa sunt euidentia, scilicet Iudęos eo tempore non aliam ob causam, quam propter Christum crucifixum percussos, obcæcatosque fuisse, eosque proindè non tanta pati propter religionem, sed in pœnam, iusta Dei sententia, secundũ diuinarum Scripturarum prædictiones; quid nos dicere debemus, qui illa cernimus continuata, & confirmata per sexdecim integra sæcula?

An vero ista eorum miseria deplorandaque calamitas sit finem aliquando habitura, disputant inter se doctores, inter quos videndus est Thomas Maluenda Ordinis Prædicatorum in insigni de Antichristo opere. Quod certum omnes putant, est, finem illius nullum fore, quamdiu in Christum non credent; si quidem nuspiam in Prophetis promittitur, pręter solitum Dei cum ista gente vsum: nam in alijs captiuitatibus, & exilijs, & captiuitatem, & tempus, quo duratura erat, illis prædixit; præmonuitque clarè, vt habetur Genes. cap. 15. v. 13. de captiuitate Aegypti; Hierem. 29. de Babylonica; Daniel. 9. & alias. De ista autem seruitute, & dispersione, quam à tot sęculis patiuntur, licet multoties in Scriptura reperiatur pręnuntiata, vt vidimus, nullibi tamen finis certo saltem tempore futurus promittitur. Quod si, vt volunt aliqui, ista dispersio prædicta fuerit Leuit. 26. nam ea cuncta ibi narrantur, quę nunc à Iudæis perferri cernimus, quod dispergentur inter gentes, & terra hostilis eos consumet, &c. finis quidem ibi promittitur, sed nullo determinato, nec assignato tempore, nisi quando erubescet incircumcisa mens eorum: *tunc orabunt pro impietatibus suis, eo quod abiecerint iudicia mea, et leges meas despexerint*: Quæ impietates non sunt, quod à tempore Christi idola coluerint, aut prophetas occiderint, vt ipsorum Maiores effecerunt, in hoc enim circumspectiores illis melioresque fuerunt; sunt igitur, quod Christum, & Sanctum Domini à maioribus crucifixum quotidiè denuò affectu suo crucifigant, & iudicia eius manifestata in semetipsis, ac nouissimè in filio dicta, & tradita abijciant, nec admittant, sed potius conculcent, & contemnant. Vndè puniuntur non propter peccata Patrum suorum quomodocumque, sed ab ipsis impiè renouata, & continuata. Cuius euidens est argumentum implacabile eorum in Christum, & Christianos odium, quo ducti solent annuè in die Passionis Dominicę infantem Christianum, si habere possint, crudeliter occidere, vt diuersi grauissimi authores testantur, & specialiter Maiolus in opere quod inscripsit *dies caniculares*, in colloquio de perfidia Iudæorum, plurima crudelissima eorum in Christianos, imo in ipsã S. Eucharistiæ hostiam exercita refert.

Iudæos

Iudæos porrò aliquando sapituros, miseriamq; illorum finem demum habituram colligi videtur ex epistola Diui Pauli ad Roman. cap. 11. vbi post alia diuinè perorata ait: *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobis ipsis sapientes; quia cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentiū intraret; & sic omnis Israel saluus fieret: sicut scriptum est: veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob: & hoc illis à me testamentum; cum abstulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem inimici propter vos; secundum electionem autem charissimi propter patres, &c. Sicut enim aliquando & vos* (id est Gentiles) *non credidistis Deo: nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum; ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur.*

Hanc autem Iudæorum miseriam terminandam esse; spiritualem maximè, per humilem Christianę fidei susceptionem firmiter tenendum est, non autem per temporalem ciuitatis Hierusalem, templique eius reparationem; nam vt optimè notat Cornelius à Lapide in cap. 9. Danielis in fine, Vrbs Hierusalem, templumque Iudæorum non reparabitur nisi in fine mundi ab Antichristo, qui Hierosolymæ sedem regni constituet, vt patet Apocal. cap. 11. v. 8. in templo autem sedebit, & adorabitur, vt præfatus author explicat versiculum quartum capitis 2. secundæ epist. ad Thessal. Vndè etiam tunc manebit in templo abominatio & desolatio, scilicet idolum Antichristi: Quamuis enim Antichristus initio fortè apud Iudæos simulaturus sit, se templum hoc velle reparare Deo eorum, tamen re vera illud non Deo, sed sibi ædificabit, in quo vt numen sedeat, & colatur.

En ergò quomodo in Christum Dominū, siue quod aduersus Iudæos probandum erat, in singularem illam personam, qui dicitur Iesus filius Mariæ perfectissimè concurrunt omnia illa signorum, vel notarum genera, quæ à prophetis de vero Messia prænuntiata sunt; nec possunt amplius in aliquo alio impleri, præsertim quia illud templum iam est totaliter destructum, & totum illud regnum desolatum, ad quod venturus prædicitur Messias, vndè non potest amplius sperari venturus. Quarè neruosè Tertullianus lib. contra Iudęos cap. 13. *Hæc igitur*, inquit, *cum pati prædicarentur Iudæi propter Christum, & passos eos esse inueniamus, & in dispersione morari cernamus, manifestum est propter Christum Iudæis ista accidisse, conspirante sensu Scripturarum cum exitu rerum, & ordinis temporum. Aut si nondum venit Christus propter quem hæc passuri prædicabantur, cum venerit ergò, patientur; & vbi tunc filia Sion relinquenda, quæ nulla hodie est? vbi ciuitates exurendę, quæ iam in tumulis exustæ sunt? vbi dispersio gentis, quæ iam extorris? Redde statum Iudeæ, quem Christus inueniat, & alium contende venire.* Ita Tertullianus. Et quamuis Iudæi negent Euangelia, tanquam verbum Dei, ex quibus ostendimus prænuntiata in veteri testamento de Messia, fuisse omnia in Domino nostro Iesu Christo adimpleta, negare tamen haud possunt quin illa Euangelia scripta fuerint à viris pijssimis, pluribusque etiam miraculis confirmata, ac per totum orbem terrarum à tempore Christi, & Apostolorum ab innumeris viris sapientissimis credita; talia enim negare sine expresso, & manifesto in contrariū argumento, quo sine dubio carent Iudæi summa esset insania; quamuis igitur Euangelia pro verbo Dei non habeant, attamen veritatem eorum, quæ in illis narrantur, rationabiliter negare non possunt; imò sicut ipsi non possunt aliter contra Gentilem nolentem credere, quod vetus testamentū sit verbū Dei, probare illa esse vera, quæ in eo continentur de exitu ex Aegypto, de miraculis tunc, & aliàs à Deo perpetratis, &c. nisi quia illud de manu ad manum habent à suis patribus; ita etiam de Euangelijs concedere debent, quod vera dicant, etsi illa pro verbo Dei non admit-

admittant: At quod etiam credendum, si obcęcati non essent, suppetunt eadem credibilitatis argumenta, quibus ipsi, & nos ducti firmiter credimus vetus testamentum esse verum Dei verbum, imo longè maiora, inter quæ non infimum tenet locum mirabilis vtriusque testamenti consensus, nimirum, quod vt vidimus, in nouo adamussim completa sint, quę de illo, veroque Mesia eius authore pręnuntiata in veteri leguntur.

CAPVT V.

Adducuntur aliquæ rationes, cur Iudæi tam apertis Prophetarum testimonijs de Christo non credunt.

CVm omnia Prophetarum oracula de vero Messia, tam propriè, tamque apertè, & explicatè in Christo Domino fuerint adimpleta, vt non tam futurarum rerum prędictiones, quam prę-teritarum narrationes esse videâtur, nec illi præuidisse res alio tempore gerendas, sed rebus ipsis factis interfuisse: priusquam aliquibus Iudæorum obiectionibus satis fiat, opere pretium duxi aliquas adducere rationes, cur illi tàm manifestam, testatamque oraculis prophetarum, atque suorum malorum experientia comprobatam, de Mesię aduentu, & morte veritatem amplecti detrectent. Inter quos primum locum tenet cæcitas, qua propter necem Mesiæ à Deo puniti sunt. Duplici enim pœnarum genere mulctati sunt: vnum fuit corporale, & hoc triplex, vt diximus supra; amissio regni, ac dignitatis, perpetua vrbis, ac templi desolatio, & sempiternum exilium, innumeris malis, miserijsque refertum. Alterum pœnæ genus fuit spirituale, tantò sanè grauius, & exitialius priore, quantò & potioribus bonis eos spoliauit, & acerbioribus malis affecit. Et hoc duplex, excæcatio mentis, & obduratio cordis; videlicet ad intelligenda credendaque, atque amplectenda, quę ad Mesiam pertinebant. Quo duplici pœnarum genere plectendos esse Iudæos, Isaias cap. 6. significauit illis verbis: *Excæca cor populi huius, et aures eius aggraua; et oculos eius claude; nè fortè videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et conuertatur, et sanem eum, et dixi vsquequo Domine? et dixit donec desolentur ciuitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquatur deserta.* Hoc Isaiæ vaticinium, Christus Dominus in Euãgelio S. Ioannis cap. 12. ad se, & ad Iudæos, qui sibi credere recusabant pertinuisse declarauit. Illud quoque quod in Deuteronom. dixit Moyses de Iudæis; *Percutiat te Dominus amentia et cæcitate, ac furore mentis; et palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris; et non dirigas vias tuas: omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris violẽtia, nec habeas, qui liberet te.* Hoc, inquam, Moysis vaticinium, nunquã verius quã nunc, in Iudęos dici posse, oculari patet experientia.

Dauid præterea in psal. 68. cum sub persona sua, tanquàm sub figura veri Mesiæ exposuisset, quàm indignis, & acerbis modis, tractandus esset Mesias à Iudæis; scilicet propter certitudinem prophetiæ, in prędicendo futura, vsus verbis præteriti temporis, proximè varias pœnas partim corporales, partim spirituales, tam immani eorum sceleri comparatas subiunxit: *Fiat*, inquit, *mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt; et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, &c. Dauidem autem hæc vaticinantem prophetico spiritu, spectasse Iudæos, qui Dominum nostrum occiderunt, & doctrinam eius oppugnarunt, non tantum recipere noluerunt, testem habemus D. Paulum in cap. 11. ad Romanos, qui etiam epistola ad Thessal.

cap. 2. testatur Iudæos expositos esse omni seductioni, & errori, eo quod claritatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. *Ideoque*, inquit, *mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. Rectè proindè Diuus Augustinus explicans præfata Psalmistæ verba *obscurentur oculi eorum*; &c. ait; quia scilicet Iudæi ob malitiam in Christum innocentissimum exercitam, & continuatam meritò obscurantur iusto Dei iudicio ne agnoscant tot, & tantas prophetias, & illarum impletionem, & ob nimium affectum erga terrena, quibus dorso cordis incuruato inhiant, & temporalem Messiam, & regnum miserè expectantes, animum ad cælestia eleuare non possunt, nisi speciali gratia Dei subindè præueniantur, & aliqui sed raró pro dolor conuertantur.

Secunda causa est, quia Iudæi multa ad litteram, & in sensu proprio intelligenda putant de vero Messia; quæ in sensu dumtaxat metaphorico, vel spirituali debent intelligi, vt videbimus in solutionibus argumentorum. Cum enim talia ad litteram in Christo Domino adimpleta non fuerint, indè malè colligunt illum non fuisse verum Messiam. Tertia causa præcedenti ferè similis est, quia cum duplex Messiæ aduentus in Scripturis propheticis prædicetur, primus in humilitate ad redimendum genus humanum à peccatorum iugo, & seruitute diaboli, de quo Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi, iustus, et Saluator, ipse pauper*, &c. Secundus in gloria, & maiestate ad iudicandos homines in fine sæculi, de quo Isaiæ 66. *Ecce Dominus in igne veniet*, &c. cùm, inquam ex diuinis Scripturis res ita se habeat; Iudæi primum à secundo aduentu non secernũt, vt egregiè ostendit S. Cyprianus lib. de idolorum vanitate; sed quæ de secundo, qui adhuc expectatur, & ad quẽ pertinẽt ea vaticinia, quæ ab illis afferri solent de gloria temporali Messiæ, intelligenda sunt, non de illo, sed de primò fuisse prędicta malitiosè cõtendunt vt dicemus in capite sequenti. Quarta tandem & vltima causa potest esse, quia vt docet D. Irenæus lib. 4. aduersus hęreses cap. 43. *Omnis prophetia priusquam habeat effectum, ambiguitas, & ænigma est hominibus, cum autem venerit tempus eius, & euenerit quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam, & certam expositionem. Propter hoc Iudæis, cum nunc legitur lex & prophetæ, fabulæ similis est, non enim habet expositionem omnium rerum pertinentem ad aduentum filij Dei, qui est secundum hominem. At Christianis cum legitur prophetia, thesaurus est absconditus in agro, cruce Christi reuelatus, & explanatus ditans sensum hominis, & ostendens Dei sapientiam.* Sic Irenæus.

CAPVT VI.

Soluuntur obiectiones Iudæorum, quibus conantur probare Christum Iesum, non fuisse verum in lege promissum Messiam.

PRimum ergò Iudæi retorquere possunt argumentũ superius à nobis factum; videlicet in Christo Iesu nõ fuisse adimpleta prophetarum oracula de Messia; ergò non ille fuit verus Messias. Consequentia est certa. Probatur antecedens multipliciter; nam primò Messias dicitur venturus, vt sedeat super sedem Dauid, & restauret regnũ eius, vt habetur psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, & Amos 9. *in die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit*. Vbi etiam prædicitur futura tempore Messiæ maxima in populo Hebræo fælicitas. *Ecce dies veniet dicit Dominus, & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen, & stillabunt montes dulcedinem*, &c. Secundò tempore Messiæ prædictum est ab Isaia cap. 11. Lupos cum agnis, pardos cum hędis, leonem cum oue habitaturos; *Habitabit Lupus cum agno*, inquit

inquit Propheta, *& pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos*; Tertiò varijs in locis significatũ est fore vt aduentus Mesiæ sit in summa gloria, & maiestate; sed nullum ex istis alijsque similibus prophetarũ oraculis fuit in aduentu Christi Domini adimpletũ; ergò non videntur in illo concordare omnia, quæ de vero Messia prophetata leguntur.

Respondetur ad hoc argumentum negando antecedens; ad cuius primam probationem dicitur Hebręos sensu carnis esse deceptos, expectando, vel sperando Mesiam temporalem regem, & potentissimum: magnas item diuitias temporales ipsis allaturum, ac denique orbem terrarum sub ditione Iudæorum subiugaturum. Regnum siquidem Mesiæ, & felicitas per illum promissa, non caduca, & materialis intelligenda est, sed spiritualis & æterna: promissa enim sunt nobis per Messiam ea bona, quibus non possunt esse aliqua meliora, quæque salutem veram hominibus afferunt; & cunctis mortalibus æquè possunt esse communia, huiusmodi autem conditiones non possunt conuenire temporalibus bonis, sed spiritualibus, & æternis, vt satis per se patet. Deindè Dauid solùm regnauit in Iudæa, & Palestina, Mesias autem prædicitur regnaturus super omnes gentes, & totum orbem Psal.2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*; & Psal.71. *Dominabitur à mari vsque ad mare, et à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*. Non ergo regnum Dauid Mesiæ promisum accipi potest, ita materialiter, & determinatè sicut fuit Dauid, sed pro spirituali regno eius in vera fide, & religione sicut floruit tempore Dauid. Et quod hoc dominium & regnum in omnes gẽtes non sit dominium temporale, neque modo temporali, patet, tum quia Danielis 7. dicitur de regno Mesiæ; *Quod potestas eius erit potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur*; non erit ergò regnum temporale, neque corruptibile, sed æternũ in alia vita; tum quia Isaiæ 9. dicitur, quod *erit pater futuri sæculi, et multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis super solium Dauid, et super regnum eius sedebit, vt corroboraret illud*. Ergo ipsa scriptura clarè significat, quod loquitur de Regno Dauid spirituali, siquidem ad regnum istud pertinet, quod sit pater futuri sæculi. Tandem idem Mesias alijs prophetarum oraculis describitur, pauper, humilis & vir dolorum, & sciens infirmitatem; prædicitur etiam in pœnam mortis illi à Iudæis inferendæ destructio eorum totalis, vt vidimus supra. Signum est igitur euidentissimũ, abundantiam bonorum per ipsum futuram non carnaliter, sed spiritualiter intelligendam esse; nec regnum Mesiæ debuisse esse regnum terrenum, aut temporale, sed spirituale, cuiusmodi est Ecclesia Christi per vniuersum orbem dilatata, & propagata.

Cur autem specialiter vocetur regnum Dauid, hoc regnum spirituale Christi? Respondetur, vel quia regnum eius spirituale adumbratum fuit regno corporali, & temporali Dauidis, vel quia Dauidi sub typo regni sui promissum fuit hoc regnum Mesiæ, tanquam filij sui; vel denique quia Reges indè solent denominare regnum suum, vbi primum illius iacitur fundamentum, legesque promulgantur. Fuit autem lex Euangelica promulgata in monte Sion, vbi erat arx, & palatium Dauid, & in Hierusalem fuit primum fundamentum Regni spiritualis Christij, iuxta quod dicitur Isaiæ 2. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem*. Et Micheę 4. *Regnabit Dominus super eos in mõte Sion ex hoc, nunc, et vsque in æternum*. Hoc autem ad litteram impletum est, cum super discipulos congregatos in monte Sion, à Christo missus est Spiritus Sanctus; quia vt dicitur in psal.109. *Virgam virtutis tuę emittet Dominus ex Sion*; quod in misione Spiritus Sancti impletum est, vt rectè notauit Caietanus super

super istum Psalmum, eo quod virga regni Christi est virga virtutis, id est spiritus, & gratiæ, & sic sedit super Soliũ Dauid, dum ex Sion, vbi fuit solium Dauid, missus est Spiritus Sanctus, mediante quo regnat in cordibus omnium gentium. Et hoc totum proprijssimè conuenit Iesu filio Mariæ; quia ipso resurgente, & in cælum ascendente missũ fuisse Spiritum Sanctum in discipulos testatur historia Actuum Apostolorum, & hoc publicissimum fuit apud ipsos Iudæos, quia omnes illo die viderunt, & audierunt Petrum, cæterosque Apostolos loqui varijs linguis, & constanter prædicare resurrectionem Domini Iesu, & hoc fuit effectus Spiritus Sancti.

Ad secundam probationem ex capite vndecimo Isaiæ desumptam; respondetur hæc & similia non sic ad litteram & in sensu proprio esse intelligenda, sed in sensu metaphorico, de hominibus, quorum mores similes sunt bestijs, ibi enumeratis. Per *leonem* enim, lupum, aspidem, accipi possunt quilibet homines, fortes, potentes, rapaces, & noxij; vti per *pardum*, irretiti varijs erroribus, & vitijs: hæ enim sunt maculæ pardi; per *agnum* verò, hædum, vitulum, & *bouem*, infirmi, pauperes, mansueti, & laboriosi: quasi diceretur in Ecclesia Christi simul quiete versabuntur iusti & peccatores, mites & feroces, patientes & cholerici, pauperes & diuites, infirmi & potentes, alter alterius onera portantes. Per has ergo metaphoras significare voluit Isaias per Christi gratiam fore gentium omnium vnionem, & concordiam, quodque gentes feræ, & barbaræ deposita feritate mansuescere, & cum hędis, & agnis, id est cum humilibus, & simplicibus Christianis, sanctissimè conspirare debebant in vnitatem fidei, & Ecclesię, vt v. g. Lupus, id est, S. Paulus, qui spirans minarum, & cædis in Christianos iure comparatur lupo, habitet cum agno, id est cum Sancto Ioanne, & Petro inquit S. Hieronymus, & alij, de quibus videri possunt interpretes ad hunc locum.

Ad tertiam denique probationem respondetur similiter errare Iudæos nõ distinguentes duos Messiæ aduentus vnum ad saluandum, alterum ad iudicandum, illum in humilitate, hunc in gloria, & maiestate. Hinc enim factũ est, vt in conciliandis oraculis de aduentu Messiæ multum laborent, & exitum non inueniant: cum quædam prędicent illum venturum pauperem, & humilem, alia verò venturum in claritate, & maiestate. Quo factum est, vt quidam eorum duos iam fingant Messias, alium pauperem, alium diuitem, quod vanum & fictitium est; Scripturæque apertè repugnans. Quam Iudaicæ cęcitatis radicem, & causam superiori capite à nobis adductam rectè inter alios notarunt Tertullianus in Apologetico aduersus gentes, cap. 21. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate versus finem; Origenes lib 1. contra Celsum; Rabbi Samuel in epistola de aduentu Messiæ. c. 9. & 10. tom. 5. Biblioth. SS. PP. alijque plures in vltimo huius sectionis capite citandi, qui aduersus Iudęos scripserunt.

Obijciunt secundò Iudæi, quod in Scriptura Sacra dicitur venturus Messias in nouissimis diebus vt patet Gen. 49. Isaiæ 2. Michęę 4. & Daniel. 2. hic autem loquendi modus significare videtur venturum in vltimis temporibus, seu in fine mundi; sed iam pridem venit Christus Iesus, quem Christiani colunt, ergò ille non potest esse verus Messias in lege promissus, & à prophetis prænuntiatus.

Respondetur ad hoc argumentum negando, vbi est sermo de aduẽtu Messiæ, per nouissima tempora debere intelligi finem mundi, cum expressè dicatur futurus in medio annorum, Habacuch 3. *Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Breuiter ergò dicendum est totum hoc tempus aduentus Christi, nouiq; testamenti vocari tempus nouissimum, vt patet 1. Ioannis cap. 2.

cap.2. *Filioli iam nouissima hora est*. & 1. Corinth. 10. vocatur finis sæculorũ; vel quia in hoc tempore data est lex gratiæ, quæ est vltima, post quam alia non speratur; vel quia in hoc tempore complentur omnes prophetiæ, & prædictiones Dei: qua fortasse ratione dicitur ad Galath. 4. *plenitudo temporum*, vel quia distinguendo durationem mundi per ætates, hæc est vltima, quæ licet diuturnior sit, vna tamen semper censeri debet, quia non fit in ea notabilis aliqua mutatio, per quam solent distingui huiusmodi ętates, sed durat semper, & duratura est eadem Ecclesia, idẽ modus regiminis in ea, & eadem gratiæ communicatio. Denique Augustinus 1. de Genes. contra Manich. cap. 23. hoc tempus vocat mundi senectutem, quia duratione est vltimum: quamquã lib. 83 quæstionum, quæst. 44. iuuentutẽ mundi illud appellet, propter vigorem gratię, vt ipse se exposuit lib. 1. retract. c. 26. Addi vltimò potest modum illum loquendi Prophetarum, *et erit in nouissimis diebus*. Sępè tantumdem valere, ac si dicerent, erit post hęc tempora. Et potissimum ita loquuntur, quando prędicunt aliquid futurum in tempore valdè distanti & remoto: quod potest dici vltimũ respectu præcedentis, licet simpliciter non sit absolutè vltimum, vt actor. 2. referens Petrus locum Ioelis 2. *Et erit in nouissimis diebus effundam de spiritu meo*. Et tamen in prophetia habetur, *et erit post hæc effundam*, &c.

Obijciunt tertiò, illa lex quæ contrariatur pręceptis diuinis nõ potest esse lex veri Mesśię, si quidem Deus non potest esse sibimetipsi contrarius: sed lex Euangelica à Christo Iesu instituta est huiusmodi: obseruationem enim Sabbati, quam Deus pręcepit in veteri lege, prohibet lex Euangelica, sicut & circumcisionem, quę tamen in ęternum duratura promittitur Genes. 17. vbi dicitur data in fędus sempiternum; ergo non potest esse lex veri Mesśię.

Respondetur ad hoc argumentum concedendo maiorem, & negando minorem; si quidem in lege Euangelica seruamus omnia pręcepta moralia veteris legis; ceremonialia dicimus fuisse pro illo statu bona, & à Deo ordinata, cęterum quia non fuerunt data, vt perpetua, sed quo vsque venirent hęc, quę in illis pręfigurantur, vt benè prosequitur D. Augustinus lib. 10. contra Faustũ, ideo illa amplius non obseruamus; Hinc Christus Dominus dixit, non veni soluere legem sed adimplere, non solùm quia quęcumque prænuntiauerant Prophetæ Mesśiam dicturum, facturum, & passurum, ea omnia Dominus noster dixit, fecit, ac passus est, vel quia lex, & prophetia, inanis erat, & fructu vacua sine Christo: eam autem Christus gratia sua impleuit, cognitioni peccatorum, adiungens remediũ curationis; & scientiæ benè agendi, addens robur, & facultatem operandi; sed etiam quia terminauit omnes prophetias, & omnia legalia, cum enim ea essent tanquam vmbrę, & figuræ dumtaxat venturi Christi; eo veniente, ea finiri, ac desinere necesse fuit. Quando ergò dicebatur, quod circumcisio debet durare in sempiternum, si sit sermo de circumcisione spirituali per carnalẽ figurata, de qua dicitur Deuter. 10. *Circumcidite igitur præputiũ cordis vestri, & ceruicem vestram non induretis*; & Hierem. 4. *Circumcidimini, et auferte præputium cordium vestrum viri Iuda*: si, inquam, sit sermo de ista circumcisione, indubitanter est verũ, quod simpliciter in æternum debere ſse in populo Dei, & anima, quæ quamdiu est cum pręputio peccati, est extra populũ Dei quantum ad meritum. Si verò sit sermo de circũcisione carnali debet accipi sempiternum, provt multoties in Scriptura sumitur, pro toto eo tempore, quo lex Mosaica duratura erat: quia quamdiu lex durauit, quæ soli vni populo pręcipiebatur, debuit durare signũ quo ille populus ab alijs gentibus distinguebatur, & cessante lege, signum etiam debuit cessare. Itaque Genes. 17 dum dicitur de circumcisione, *eritque pactum meum in carne vestra in fœdus ater-*

æternum. Fœdus hoc ęternum dicitur non absolutè sed respectiuè in semine carnali, puta Iudæis, durauit enim tamdiu, quamdiu durauit Iudęorum Ecclesia, & respublica, sed in semine spirituali, puta fidelibus absolutè æternum dicendum est.

Quo ad Sabbathi præceptum, quod est inter decem Decalogi, sciendum quod illud partim fuerit morale, partim ceremoniale: Morale erat, vt septima aliqua dies celebraretur in memoriam septimæ diei, qua Deus à creatione mundi cessauit, vt significatur Exodi 20. v. 10. At verò ceremoniale erat in memoriam eductionis filiorũ Israel ex Aegypto, vt patet Deuteron. 5. vbi repetuntur verba Decalogi, & ratio Sabbathi assignatur v. 15. *Memento quod et ipse seruieris in Aegypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus*, &c. idcircò pręcepit tibi, vt obseruares diem Sabbathi; & vt notat Paulus Burgensis in scrutinio par. 1. dist. 8. cap. 14. *Sabbathum Iudęorum non est anniuersaria illius diei, qua Deus cessauit à creatione*; quare ad illius obseruantiam satis est, quod aliqua septima dies obseruetur, quam Apostoli in diem Dominicum instituerunt in memoriam veræ liberationis à regno diaboli per resurrectionem Christi Domini; vndè patet quod præceptum Sabbathi à christianis quoad morale seruetur, quamuis non quo ad ceremoniale, & nonnulla Iudæis tunc imposita.

CAPVT VII.

De Iudæorum libris, & primo de Thalmud.

CVm vix disputari possit cum Iudæis, quin aliqua fiat mentio de eorum libris, nec non etiam ad confundendum eorum cæcitatem plurimum conducere possint innumeræ non solùm fabulæ, sed etiam horrendæ contra legẽ diuinam blasphemiæ, quibus pro maiori parte aliqui eorum libri sunt referti, ad completam pręsentis materiæ tractationem opere prętiũ duxi breuiter de illis agere; & primũ de Thalmud. Thalmud ergò Hebraicè, disciplinatio Latinè, nihil aliud est, vt benè notauit D. Thomas in commentarijs vtriusq; epistolæ ad Timotheum, quàm ingens, ac vastum illud opus Iudaicarum traditionum; siue, in quo Iudæorum instituta, leges & ritus continentur, vnà cum innumeris Rabbinorum sententijs, & tàm diuinarum, quam humanarum legum expositionibus, quibus nunc tota Iudęorum natio regitur; Vndè Thalmudici libri magnę apud eos auctoritatis existunt; quasique pandectæ iuris Iudaici, cùm ciuilis, tùm Pontificij, & Sacri dici possunt.

Initium habuisse dicitur hoc opus, anno centesimo quinquagesimo post vltimam Hierosolymæ cladem, à quodam Iuda, Simonis filio, qui legis, prophetarumque explanationes, & scripta omnia, quæ Rabbini cæteriq; doctores tàm ante, quàm post Christi aduentum eatenus scripserunt, in vnum complexus est volumen, quod Mischna, id est iteratã lectionem, siue repetitionẽ Iudæi nuncuparunt. Anno verò ab eadem postrema vastatione Hierusalem ducentesimo vel vt alij volunt trecentesimo, Rabbi Iochanan, assumptis sibi collegis Rab, & Samuel ipsum Mischna, & alia quędã scripta in vnum volumen coniunxit, quod Thalmud Hierosolymitanum, quoniam in ruinis Hiersolymitanę vrbis scriptum esset, appellauerunt. Rursus anno trecentesimo vigesimo septimo ab eodem excidio, vel secundum alios quadringentesimo trigesimo sexto, Rabbi Hasse, & Rabbi Hammai, habitantes in Babylone Aegypti, quæ nunc Cayrum dicitur, Superiorum Scripturas in vnum redigentes construxerunt nouum corpus multorum voluminum, Thalmud Babilonicum appellatum, quod cum morte præuenti absoluere nequiuissent, Rabbi Mair, siue Maremar, operi supremam manum imposuit, quod putant alij præstitum fuisse à Rabbi Auina; vel melius ab vtroque.

Duplex est ergo Thalmud Hierosolymitanum vnum, Babylonicum alterũ & diuiditur vtrumque in Mischnam, & Gemaram. Mischna constat ferè dialecto Hebræa: Gemara autem dialecto Chaldæa impurissima, cui infinita vocabula peregrina, Græca, Arabica, Persica, Latina, &c. sunt immixta; ob Iudęorum inter has gentes deportationes, & exilia, à quibus singulis aliquid retinuerunt, & linguæ suæ admiscuerunt. Quod pertinet iam ad Thalmudicorum librorum varietatem, & partitionem Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. Sanctæ, verbo, Traditiones Seniorũ, vniuersum Thalmud diuidit in sex ordines; quos *Seder* vocant. Quilibet autem *Seder* distribuitur in plures tractatus, qui *Masscchet* dicuntur, & hi rursus plura continent capita, quæ Parachim, hoc est diuisiones appellantur; quorum omnium catalogus, cum habeatur apud præfatum authorem, & Ioannem Buxtorfiũ *in operis Thalmudici recensione*, quam adiecit ad *tractatum suum de abbreuiaturis Hebraicis*; cùm inquam tã in præfatis auctoribus, quam in multis etiam huius operis editionibus facilè insuper consuli possit, quid in vnoquoque librorũ, vel tractatuum Thalmudis contineatur, non est necesse hìc illud commemorare; Solùm noto tres Talmudis editiones extare: *Prima* excussa est Venetijs à Daniele Bombergo, charta elegantissima, & nitidissimis characteribus. *Secunda* prodijt Basileæ ab Ambrosio Frobenio, anno 1588. In hac editione purgata sunt opera Marci Marini ea, quæ contra Christum, & Christianos erant dicta, & huius rei causa, quoque integer omissus tractatus, qui *Auoda Sara* appellatur, hoc est, de *Idololatria*. E contra habet hæc editio hoc præ editione Veneta, quod libri & capita locorum Scripturæ, in Thalmud allegatorum, in margine sunt adscripta; quod magnũ præstat in legendo compendium. Quod si etiam locus idem, vel eadem materia, in Thalmud alibi quoque extet, loca illa paralella iterum ad marginem sunt apposita. *Tertia* tandem prodijt Cracouiæ, ante non ita multos annos: Et in hac editione sunt restituta ea, quæ in Basiliensi exemplari exsecta fuisse diximus.

Iam deueniendo ad doctrinam in hoc opere Thalmudico contentam, etsi multa sint in illo ad Iudæorum instituta ritus, & leges pertinentia, quæ non parum ad Sacræ Scripturæ intelligentiam conducere possent; qua ratione Petrus Galatinus lib. 1. de Arcan. cap. 7. Thalmudicos libros commendat; quia tamen innumeris iam persperfi sunt turpitudinibus, impietatibus, & blasphemijs in Deum ac Christum, quarum breuiculũ exhibet Sixtus Senensis loco citato, inde stirpitus eradicandos esse huiusmodi libros, contendit, grauiter incusans Galatinum, quod affirmauerit Thalmudica opera in Latinum verti oportere, & publicè in scholis Christianorum explicari. Qua etiam in re habemus seuera tàm Romanorum Pontificum, quam aliorum Principum Christianorum iudicia, & decreta; Iustinianus namque Imperator, vt habetur in nouell. 146. de Hebręis. §. quæ verò. Thalmudicos libros seuerè condemnauit. Deindè Gregorius IX. vt refert Bernardus de Luxẽburgo illos igni addixit anno 1230. Sãctus Ludouicus Rex Galliæ idem fieri iussit ann. 1239. vt scribit Thomas Cantipatranus *lib. 1. de Apibus cap. 7.* Innocentius item IV. anno 1244. *constit.* 41. libros Thalmudicos in Gallijs conquirendos, & comburendos edixit. Id quod antea sub Gregorio IX. Cãcellarius Parisiensis de sententia Magistrorum curauerat. Gregorij, & Innocentij edictũ renouauit Iulius III. cõstit. 46. an. 1553. inteptatis in retinentes hos libros; grauibus pœnis, & ijs ipsis, quæ à fide deficientibus sunt constitutę. Insistens eorumdem Pontificum vestigijs Paulus IV. anno 1559. ad exustionem librorum Thalmudicorum, vt & vetitæ lectionis essent adiunxit. Vndè eo anno à Cremonensi Iudęorum Bibliotheca, duodecim millia Thalmudicorum volu-

voluminum ignibus consumpta esse, testatur, qui se affuisse dicit, & indicem eorum repræsentat Sixtus Senensis vbi supra. Habentur quoque de hac re apud directorium inquisitorum Pij V. & Gregorij XIII. Bullæ siue rescripta; & similiter edictum S.R.E. Cardinalium Generalium inquisitorum, qui non modo in Vrbe, & dominio Ecclesiastico, sed etiam in tota Italia eosdem libros perquiri, & flammis tradi fecerunt, & qui deprehensi fuissent tales libros habere pœnas pecuniales, & publicationem bonorum, & contumaces etiam vltimum supplicium incurrere decreuerunt, illorumque expurgationes seuerè prohibuerunt.

Verumtamen aliqui vt Theophilus Rainaudus *in suo opusculo de bonis, et malis libris*, existimant omnia supradicta Summorum Pontificum decreta, Iudęos dumtaxaxat spectasse, quorum erat tunc temporis numerosior cætus: & non pauci Christianismum facilius cogitassent, nisi ea lectione, & præsertim falsis in Christum, ac Christianos criminibus, quæ ibi leguntur, obfirmati fuissent in errore; Idque verissimum esse probat Turrianus lib. *de sola legis lectione Iudæis permittenda*. Vt autem Christianis horum librorum vsus absolutè interdiceretur, non fuisse mentem Pontificum. Et, vt alias fortasse fuisset, nunc tamen mutatis circumstantijs, mollitus esse videtur rigor ille, in Romano indice expurgatorio Clementis VIII. authoritate edito, anno 1595. Vndè si semel expurgentur, resecenturq; ea, quæ ęstus inuidiæ, ac furoris, impijs Iudæis in Christum, ac Deiparam, nomenque Christianum blasphema, & execranda detorsit, in reliquis arbitrio lectorum, qui esse vix possunt, nisi periti, permitti posse videntur libri Thalmudici, reponique inter illos libros, qui tametsi mali sint, tamen vix noxij esse possunt, ob manifestam mendicitatem, & fabulositatem, multa legi naturæ, & morum honestati contraria in illis contenta; quorum cum iudiculum confecerit Sixtus Senensis loco sæpius citato, non est quod amplius in hoc immoremur.

CAPVT VIII.

De Rabbinicis libris.

PRætermissis multis, quæ circa Rabbinorum diuisionem, potestatem, dignitatem, ritus, institutasque ab illis academias habet Nicolaus Serrarius in libello de hoc argumento Moguntiæ edito anno 1607. tantum animaduerto has voces Rabbini, vel Rabbi, significare Magistrum & doctorem, vel etiam principem, à radice *Rab*, quod magnum, & excellens Chaldaicè significat; vndè per Rabbinicos libros nihil aliud intelligimus, quàm illos, quos edidere Magistri inter Iudęos, siue legis doctores, qui etiam sophoi, quasi sapientes, & pręfecti dicebantur auctore D. Hierónymo *epistola ad Algerum*. Etsi autem multi iam ante Christi Domini aduentum fuerint Rabbini, vt satis patet ex eo quod Matth. 23. vetat ne discipuli sui vocarētur Rabbi: imo ipsi Christo nomen Rabbi, & Rabboni imposuerunt Ioannis 26. Hic tamen potissimum agemus de Rabbinis Christo posterioribus, eorumque libris, & operibus. Omnes enim Rabbinos, quorũ opera nunc extant, non fuisse, aut scripsisse ante aduentum Christi, vt Ioannes Garetius, & alij nonnulli volunt, sed fuisse Christò posteriores, argumento manifesto est, quod passim ab ijs mētio fiat euersionis Hierusalem, & templi per Titum Vespasiani filium; vt rectè notauit Cardinalis Bellarminus in libro de Sriptoribus Ecclesiasticis, in fine tractationis de Scriptoribus veteris Testamenti.

De huiusmodi ergo Rabbinorum libris quo ad eorum vsum, idem iudiciũ ferri potest, ac de opere Thalmudico; ex illa nimirum parte, qua opprobria in Christum Christianosque, & blasphemas in Deum voces, aliaque similia continent, ita ese configendos, & fugiendos, quod tantùm probant ea, quæ pro

pro extirpandis libris Iudæorum tradit Alphonsus de Castro *lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 15. in fine*, vt tamen si semel ab illis expurgentur, quoad alia possint subduci damnationi, & eorum vsus indulgeri; quatenus cum sint persperſi varijs antiquis moribus per manus à Iudæis antiquioribus ad istos deriuatis, & explicationem contineant rituum multorum, aut prouerbiorum, ac formularum iam olim vigentium in ea gente, lux indè non exigua affulgere potest varijs Scripturæ locis intelligendis, in quibus ritus illi, aut mores insinuantur, vel parœmiæ, aut formulæ vsurpantur. Qua ex causa S. Hieronymus *Apol. 1. aduersus Ruffinum*; ait Origenem, Clementem, & Eusebium, Rabbinorum libros lectitasse, & eorum interpretationes non semper esse aspernatos. Quod de seipso quoque prodit in *in cap. 2. Nahum*. Idem à posteris factitatum. Sic enim Cauinius, ex Iudæorū vsu, pleraque noui testamenti loca, est cum laude interpretatus. Lyranus ex ijsdem profecit persæpè, nec non Burgensis, Eugubinus, Oleaster, & alij Hebraizantes, itemque Galatinus in opere de arcanis Catholicæ veritatis. Non sunt ergo omnes Iudæorum, & Rabbinorum libri per omnia explodendi, aut reijciendi. In quam rem consulendus est Mariana opusculo pro editione vulgata cap. 27.

Nec refert quod detersa ab huiusmodi libris blasphemiarum in Christū, & Christianum nomen tetra admistione; supersint adhuc multa in illis mendacia, atque figmenta; est enim Rabbinis proprium quarto modo fabulari, & quæ nunquam fuerunt, eruntve vnquā, tanquam vera proponere; hoc, inquam non refert, quia licet hoc probet Rabbinicos libros esse quidem in se malos, non tamen noxios, quia vt optimè notat Theophilus Rainaudus nemo est adeo bardus Christianorum, vt in tanta absurdissimarum insulsitatum luce impingat, & stupiditati Rabbinicæ adstipulari velit. Vndè, etiamsi omnis alia abesset vtilitas, illa tamen semper suppetet, iudicandaque est non exigua, quod cum Rabbinorum libris temporis partem aliquam iuuat concedere, summa stupiditate eorum perspecta, & causa tantæ ruditatis, quæ neminem latere potest, annotata, afficimur multo magis ad nostra, & in Christum lucem, ac sapientiam nostram libentius referimus.

Porrò secundùm quod seruatis ijs, quas adhibuimus, tēperationibus, Rabbinicorum librorum vsus permitti potest, aliqua pro huiusmodi studio, præsertim in propria eorum lingua, sunt hic breuiter adnotanda. Primùm ergò is, qui viuo in hac re præceptore destitutus esset, mutos deberet in auxilium vocare præceptores, quales inter alios accommodatissimi sunt, *Ioannes Mercerus*, qui edidit commentarios in quinque prophetas minores, quibus adiunxit commentarios R. Salomonis, Aben Esræ, & Dauidis Kimchij latinè versos Parisijs in folio. *Simeon de Muis, Hebræarum litterarum Professor Regius in Academia Parisiensi*, qui edidit commentarios Hebræo Latinos R. Dauidis Kimchij, & R. Salomonis Tarchij in Malachiam, Parisijs in 4. Idem ibidem edidit Psalmum 112. cum commentario R. Dauidis Kimchij. Idem latinè vertit commentarios triū Rabbinorum Salomonis Tarchij, Aben Esræ, & D. Kimchij in psal. 19. Secundò, cum præter modum generalem loquendi cum sermone, & stylo biblico conuenientem, habeant Rabbini multa propria & peculiaria, atque à sermone biblico diuersa, ad horum intelligentiam conducere poterunt Angelus Cauinius, & Gilbertus Genebrardus *in Isagoge ad legēda & intelligenda Hebræorum sine punctis scripta edita Parisijs anno* 1587. Extat etiam in prima editione Thesauri Grammatici Buxtorfij, *instructio breuis ad lectionem Rabbinicam absque punctis vocalibus*. Tertiò quia etiam vsurpant Rabbini in suis scriptis multas voces, quę in biblijs non inueniuntur, sed ex populari ipsorū sermone desumptę sunt: ad hanc dif-

ficul-

ficultatem in ſtudio Rabbinico ſuperandam inſeruire poſſunt lexica à diuerſis edita. Hac in re potiſsimum deſudarunt, Dauid de Pomis Iudęus in Italia, Guido Fabricius in Biblia regia Plantiniana, peculiari tomo, qui lexica quatuor continet, Valentinus Scindlerus in lexico pentaglotto, & Ioannes Buxtorfius tam in lexico Hebraico, cuius in fine adiecit Lexicon breue Rabbinico-Philoſophicum, communiora vocabula continens, quæ in commentarijs paſsim occurrunt; quam in lexico Chaldaico, Thalmudico, & Rabbinico.

Quartò Rabbini in Scriptura Sacra citanda, id ita ſolent facere, vt nec characterem varient, nec libros vel capita indicent; & quia plures indè poſſunt oriri difficultates: ad illas vincendas neceſſariæ ſunt concordantiæ Hebraicę ad loca illa quærenda, & inueſtiganda. Prodierunt olim *primò* omnium Concordantiæ Hebraicę Venetijs apud Danielem Bombergum ann. Chriſti 1523. in fol. *Secundò* Baſileæ apud Ambroſiũ Frobenium, anno 1581. in fol. *Tertiò* anno 1621. Romæ quoque prodierunt nouæ Concordantiæ Hebraicæ, cum interpretatione locorum Latina ad latus poſita, auctore R.P.F. Mario de Calaſio Ord. Min. Obſer. Prouinc. Romanæ, linguæ ſanctæ profeſſore. *Quartò* denique editæ ſunt concordantiæ Hebreæ à Ioanne Buxtorfio Baſileæ, anno 1632. quarum methodus tota eſt artificialis; radices enim ſecundum varietatem coniugationum, modorum, temporum, generum, numerorum, perſonarũ &c. cum præfixis, affixis, &c. pariter nomina ſecundum differentiam numerorum, & cæterorum accidentium diſponuntur: radicibus verò, ſiue primitiuis omnia deriuata ordine, & methodicè ſubijciuntur. Acceſſerunt etiam ad hanc editionem ſeparatim, eadem tamen methodo, nouæ concordantiæ Chaldaicæ omnium vocum Chaldaicarum, quæ in Daniele & Eſdra continentur. Vltimò tandem quia vſitatiſsimum eſt Rabbinis abbreuiatè ſcribere, & voces plures, in certas litteras contrahere, quas appellant *Raſche tenos*, capita dictionum, ſine harum abbreuiaturarũ cognitione nemo poterit in ipſorum libris, vel ſcriptis ſine offenſione progredi. Mediocrem, earum catalogum recenſuerunt Mercerus, & aliqui Grammatici, ſed omnium fuſiſsimè Ioannes Buxtorfius in peculiari tractatu quem *de Abbreuiaturis hebraicis* edidit Baſileæ in 8. vnà cum quibus habetur eiuſdem *Bibliotheca Rabbinica*, in qua libri Rabbinici, quotcumque tum indagari potuerunt, ordine alphabetico in aciem ſunt diſpoſiti cum ſingulorum argumẽtis, & locis impreſsionis.

CAPVT IX.

De Cabaliſticis Libris.

CVm vix intelligi poſſit, quid ſint libri Cabaliſtici, niſi prius explicetur quid ſit *Cabala*, à qua ſuam accipiunt denominationem, ideò primùm de illa breuiter agemus. Cabala igitur ſi nominis etymologiam ſpectemus, dicitur à voce Hebræa *Kabal*, quod ſignificat *acceptionem*, cui reſpondet *datio*, ſiue traditio quæ Maſorah vocatur. Vndè Cabala olim apud Iudæos nihil aliud erat, quam ſcientia, vel doctrina de diuinis rebus per manus tradita, ſiue quod idem eſt non ſcripto primum, ſed ore dumtaxat, vel voce communicata, cuiuſmodi apud nos eſt doctrina ſacrarum traditionum à Chriſto, & Apoſtolis verbo tenus Eccleſiæ commiſſa. Ea enim quæ ad Dei legem, & religionem pertinent dupliciter, haberi poſſunt ſcripto nimirum, & doctrina non ſcripta, ſed voce duntaxat tradita. Sic ergò præter ea quæ in Pentateucho ſcripta ſunt, putauerunt Iudæi Moyſen alia plurima cognouiſſe, quæ ſacris litteris non ſunt conſignata, & tamen ab eo ad poſteros per vocem ſunt tranſmiſſa; priuſque illud doctrinæ genus vocauerunt *Thorah bichthah*: poſterius verò *Thorah bealpheh*. Qua in re præter Rabbinorũ teſti-

testimonia, qui vnanimiter asserũt Moysen tradidisse Iosue vtramque legem, id est scriptam, & ore acceptam; Iosue verò, senioribus; seniores, prophetis, &c. habemus insuper authoritatem SS. PP. Origenis homil. 5. in numeros ad illud Roman. 3. *credita sunt illis eloquia Dei*; vbi eloquia secernit à Scripturis; Itemque Anatolij Christiani Doctoris perantiqui, apud Eusebium lib. 7. histor. cap. 28. ac S. Hilarij in psalm. 2. vbi sic ait: *Ex tot iam à Mose, antequam is veteris testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria, septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimauerat. Cuius doctrinæ etiam Dominus in Euangelijs meminit: super cathedram Moysi, inquit, sederunt Scribæ & Pharisei; omnia ergò quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum verò facta eorum, nolite facere. Doctrina ergò horum in posterum, quæ ab ipsô Scriptore legis accepta, in hoc seniorum, & numero, & officio conseruata est.*

Loquendo ergò de Cabala, librisque Cabalisticis sic acceptis, quibus videlicet ea à Mose non scripta, sed voce tradita continentur, provt breuiter explicuimus, fusiusque exponit Ioannes Picus Mirandulanus in Apologi principio, & quæst. 5. Serrarius tam in tract. de Rabb. cap. 13. quam in cap. 10. Iosue qu. 2. Nemini dubium esse potest huiusmodi libros non solùm non esse configendos, sed etiam laudatissimos, magnoque vsui esse posse, tàm in disputãdo cum Hebræis, quam in explicando Sacram Scripturam. Si quidem nihil aliud continent, quam legis scriptæ interpretationes puras & nitentes, quas tam paucis chartis explicare, distinctèque satis explanare non potuit Moyses; itemque maiorum consuetudines, ritusque, & vsus in populo Israelitico receptos anterioribus ætatibus. Vndè hic notauerim, hoc inter Talmudicos, & Cabalistas distasse, quod velut in vita actiua illi versarentur, explicantes legẽ allegorico sensu, & multiplici varietate contectam: Hi verò magis contemplatiui, mentem legis ex maiorum traditione sectabantur, non ita ex littera, vt priores.

Verùm quia huiusmodi librorum Cabalisticorum propriè dictorum nullus iam reperitur; sed plures duntaxat alii, quorum Catalogum recensuerunt Andreas Masius in fine commentariorũ Iosue, Nicolaus Serrarius lib. 1. Iosue cap. 1. qu. 2. & Buxtorfius in Biblioth. Rabbinica; in quibus vera Cabala, per nouos Iudæorum Rabbinos innumeris superstitionibus, erroribus & nugis deprauata legitur, cuiusmodi sunt, quod de lege in igneo globo scripta; eiusque litteris variè postea permutatis communiscuntur: Item quod de 72. Angelis ab ipsis ideo effictis, quia 50. sunt portæ sapientiæ, vt aiunt, & 22. Hebraici alphabeti elementa, è quorum coniunctione nascuntur 72. preterea, quod de aliis item Angelis fingunt, qui Adami, & aliorum preceptores fuerint; quartò quod occulta Dei nomina apud se extare mentiuntur, quorum ad prestigias, & ad ligandos Dæmones, aliaque de quibus Martinus Delrio lib. 1. disquisit. Magicarum cap. 4. quæst. 3. vsum esse illustrem, celebrant; ijsque compertis, Christum patrasse miracula, quæ edidit stultè affirmant, vt alias notauimus, & ex eis refert Sixtus Senensis *lib. 2. Biblioth. verbo Esdras*. Quintò, quod de mirabilibus, per certos characteres, ac voces edendis fabulantur, apud Reuclinũ lib. 3. quem Genebrardus *lib. 2. Chronologiæ*, his nugis, & commentis prodendis, sine confutatione, eorum se constituisse patronum; eique adstipulatos esse Paulum Riccium, & Ioannem Picum, demiratur: addens talè fuisse negotium, vel potius otium Marini, & Colorbasii discipulorum Valentini, qui cuncta suæ Religionis mysteria è litteris Alphabeti Græci probare conati sunt, vt est apud S. Irenæum lib. 1 cap. 9. & 10. Cum his, inquam, alijsq; similibus erroribus obscurata reperiatur Iudæorum Cabala,

libri-

librique Cabalistici, omnino ex hac parte inter malos, & noxios, confixioneque dignos libros recenseri debent.

Cœterum quia multa etiam circa litterarum apices, numeros, transpositiones, anagrāmatismos, allusiones, amphybologias, homonymias, vocum inuersiones, ad ingenii exercitationes valere possunt, semel sublatis, ac recisis ex hodierna Cabala superioribus erroribus, & aliis, qui scilicet cum Dei verbo, Ecclesiasticisque canonibus, & dogmatis pugnant, potest illa retineri, & sine noxa vsurpari. Quod vt patefiat, preter illa quæ lib. 3. huius operis, sect. 7. cap. 4. diximus, notandum est totam hanc artem Cabalisticam duodecim regulis, quas artis periti vias intelligentiarum vocant, comprehendi. Vbi intelligentiæ non sumuntur pro his intelligentijs, quas Rabbini tribuunt singulis triginta duabus semitis; & Angelis, quos dicunt esse præfectos, & principes diuisionis, & orbis terrarum Angelos, quia huius generis intelligentiæ nomen est apud eos sœcoli; sed accipiuntur pro acquisita intelligentia, quā latinè doctrinā vocare licet, quam quidem Moyses, & alii Sacri prophetæ in scribendo obseruarunt, quam Hebręi antiqui à senioribus ore tenus accipiebant. *Prima* ergo intelligentiarum iuxta prędictam acceptionem via, est *interpretatio* litterarum alphabeti triplex, scilicet iuxta primitiuam positionem: deindè iuxta ordinem rerum ordinatarum, & tertiò iuxta significationem numerorum, quos denotant. *Secunda* est *interpretatio* dictionis, secundum proprietatem alicuius litteræ in eā materialiter positæ. *Tertia, ędificatio*, per transportationem litterarum, vel syllabarum. *Quarta, Notariacon* litterarum omnium sigillatim, in dictione contentarum. *Quinta, Notariacon* à principio dictionum. *Sexta Notariacon* à fine dictionum, *Septima Notariacon* à capite, medio, & fine in tribus, vel pluribus dictionibus, secundum ordinem legendi Hebręum, hoc est à dextra ad leuam. *Octaua Notariacon* à capite, medio, & fine in tribus dictionibus contra ordinem legendi Hebræum à sinistra ad dexteram. *Nona, additio Arithmetica*, numerorum, quos exhibent litteræ dictionis, vel orationis. *Decima, additio* numerorum per reduplicationem mysticam. *Vndecima*, permutatio litterarum, aut syllabarum, ex affinitate quadam litterarum inter se. *Duodecima, permutatio* litterarum ex combinatione in arte recepta. Quorum omnium fusior explicatio, & exempla cum sint extra præsens institutum, sufficit prædicta breuiter attigisse, possunt interim de illis consuli Christoforus lauretus Agenducensis in libello, quem Parisiis de hac materia edidit 1610. Eusebius Babergensis *de origine Sacræ Scripturæ*; Alcazar. *in Apocalips.* Lelius Bisciola *to. 2. subs. lib. 2. cap.* 12. Blasius Vigenere in eruditissimo opere *de notis*. Guillelmus du four in Grammatica Hebraica Parisiis; Theophilus Rainaudus in tractatu de bonis, ac malis libris partit. 1. Erotem. 13.

CAPVT X.

De Masorethicis libris, siue Masora Hebræorum.

Circa huius nominis *Masora*, vel vt alii scribunt Massora etymologiam, deriuatur à radice, siue themate masar, hoc est, *tradidit*. Hinc Masora, siue Masoreth significat traditionem, vel rei de manu in manum, vel doctrinæ ex animo in animū mediāte docentis voce, qua ceu manu doctrina alteri traditur. Minus tamen amplè Masora, de qua hic est sermo, sumitur, significatque tantùm doctrinam Criticam, à priscis Hebræorum sapientibus circa textum Hebręum Sacræ Scripturæ, ingeniosè inuentam, & traditam, qua versus voces, & litteræ eius numeratæ, omnisque ipsarum varietas notata, & suis locis cū singulorum versuum recitatione indicata est, vt sic constans, & genuina eius lectio conseruaretur, & ab omni mutatione,

tione, aut corruptione æternum præseruaretur. Vndè *Masora* differt à *Cabala*; quod hęc quidem traditio sit, verùm Theologica, deque rerum, & verborum secretiore enunciatione, siue circa sensum: Masora autem traditio tantùm Grammatica, circa textū Sacræ Scripturæ, siue de punctis, accentibus, syllabis, vocalibus, & similibus minutiis.

Quinam huius Masoræ authores, siue Masorethæ veri fuerint, vbi, aut quādo vixerint id ex Hebręorum libris Chronologicis, aut prisca historia Hebraica, aut ipsismet Masorethaurum scriptis certo & indubitato sciri nequit: indeque duplex hac de re apud Hebręorum Rabbinos orta est sententia. Prima, Sapientes Tiberienses, siue vrbis Tiberiadis, eius authores fuisse; Altera à viris Synagogæ magnæ, siue Concilii Magni à Propheta Esdra conuocati, eam conscriptam.

Primam sententiā qui sequuntur, nō tantùm Masoram Sapientibus Tiberiadis attribuunt, sed insuper punctorum vocalium, & accentuum primos inuentores eos esse volūt, & id post Talmud. Hanc tamen sententiam quo ad primam illius partem, minus probabilem esse constat ex eo, quod in vtroque Talmud hoc est Hierosolimitano, & Babilonico nominis Masoræ, & rerum præcipuarū in ea contentarum fit mentio, vt pluribus demonstrat Ioannes Buxtorfius in comment Masoretico cap. 8. Hinc enim apertè sequitur, Masoram cum suis authoribus eatenus ante Talmud extitisse ac proindè non esse demum à Iudæis Tiberiensibus post Talmud Babilonicū factam; sed potius à viris Synagogæ Magnæ sub Propheta Esdra cōgregatis eius primordia cępisse, quantùm ad sacrorum librorum definitionem, eorūdem partitionem, textus in sectiones maiores, & versus distinctionem, vocum veram scriptionem & lectionem, earumdemque, vt & litterarum, dinumerationem, ne vel apex in posterum mutari posset, aut excidere. Quid verò de altera parte sentiendum sit, scilicet vocalia puncta, & accentuū figuras ante Talmud Babylonicum non fuisse; sed Sapientes Tiberienses postea istam artē prudenter inuenisse, & Masoram de illa conscripsisse, patet ex dictis lib. 3. sect. 1. Tantùm de nomine Masoræ, eiusque authoribus, siue causa efficienti, nunc alias eiusdem causas breuiter explicemus.

Igitur quod spectat ad materiam ex qua constat, vel circa quam versatur Masora, sunt annotationes Criticæ, siue censoriæ circa textum sacræ Sripturæ Hebraicum, quem recenset iuxta versus, voces, & litteras. In versibus notatur primò numerus per singulos libros Biblicos, simul etiam quinam sit medius eorumdem librorum versus; secundò considerantur ijdem versus quantùm ad varias ipsorum affectiones in vocibus, & litteris; V. g. quod vnus versus constet ex quadraginta duabus vocibus quæ habent litteras cētum & sexaginta: Ierem. 21, 7. quod tot versus in lege reperiantur, qui incipiunt à tali, & exeūt in talem litteram; in quibus sunt duæ voces synonimæ coniunctę, in quibus prima, & vltima vox eadem est; & sic deinceps. In vocibus obseruatur, *primò* genuina ipsorum scriptio & lectio, vbi diuersitas aliqua occurrit: *Secundò*, vbi cum litteris quiescentibus fuerunt scriptæ plenè, vel absque ijs defectiuè: *Tertiò*, situs & locus ipsarum in principio, medio vel fine versus, & quam formam vel per se, vel propter accentum aliquē habuerunt: *Quartò* structura, & coniunctio ipsarum cum aliis vocibus, vel cōpositio cum litteris similibus; *Quintò*, significatio vbi ambiguitas id requisiuit: *Sextò* sępè notantur voces vocalibus, & accentibus differentes, vbi peculiaris quędam obseruantia, aut differentia id postulare videtur. In litteris denique attenditur qualitas in figura, maiuscula, vel minuscula, inuersa, vel punctata extraordinariè; secundò quantitas in numero, v. g. quot sint litteræ omnium librorum sacræ Scripturæ. Hęc inquam,

inquam., & alia similia sunt circa quæ examinanda Masora, Masoretharumq; libri, tanquam circa propriam materiam occupantur.

Quantùm iam ad methodum qua id fit, quæque forma Masoræ non incongruè vocari potest, aduertendum est illam, qualis hodiè reperitur in libris impressis, non eamdem esse, quæ fuit olim in manuscriptis. Cū enim Masora primum in separatis à textu biblico libris consignaretur, postmodum verò per partes à Scribis ad textum ascriberetur, sed confusè, & defectè, in hac forma substitit, vsque ad publicam impressionem, quam sub initium superioris sæculi instituit Daniel Bombergus Typographus Venetus, vbi sequens ordo & forma cernitur. Masora duplex est: *Magna*, & *Parua*, quarum communis affectio est, numerorum per litteras alphabeti numeralis notatio. Masora Magna est, quæ versus, voces, & litteras Sacræ Scripturæ numerat, earumque varias affectiones annotat. Quod quia fit, vel separatim extra textum Scripturæ in fine Bibliorum, vel coniunctim cum ipso textu in superiore, vel inferiore margine eius, hinc Masora Magna, respectu loci, quem in impressis Bibliis occupat, duplex est, finalis, & textualis. Masora magna finalis ordine alphabetico procedit, propositis vocibus, prout à duabus primis in radice sua litteris incipiunt. Prius tamen in vnaquaque alphabeti littera generalia, & communia quædā proponuntur, quæ duntaxat ad istam litteram, eiusque affectiones cōmunes spectant. Deindè progressus fit ad voces ipsas, quæ à quaque alphabeti littera incipiunt, secundum formam radicis, siue initii vocum, siue eæ primitiuæ sint, siue deriuatiuæ. Loca autem biblica, in quibus continentur, licet statim adducantur, vel ad Masoram textualem remittantur; illorum tamen, neque libri, neque capita vnquam citantur, sed ea ex concordantiis hebraicis inuestiganda sunt. Massora verò magna textualis est, quæ ad textum cuiusque folii ascripta est, cuius voces quasdam præcipuas recenset. Occupat locum proximè supra, & infra textum, quandoq; etiam ad latus, vbi glossæ vel cōmentaria Rabbinica deficiunt. Qualibet glossa masorethica duobus punctis clauditur. Porrò Masoræ, quæ in vestibulo singulorum librorum circa primam vocem maiusculam, in quadrangularem figuram deductæ, proponuntur, non semper ad istius paginæ textum pertinent, sed communia quædā plerumque continent, elegantię & decoris causa magis, quàm necessitatis ratione ibi posita. Tandem Masora parua est, quæ litteris numeralibus, vocibus decurtatis, & symbolicis, ad latus textus interius, aut ad latus exterius, si paulò prolixior sit, breuiter, & succinctè describitur.

Ex dictis facilè colligitur finem Masoræ non alium fuisse, siue Masoram à Viris Sinagogæ magnæ, vel aliis nō ob aliam causam institutam fuisse, quā vt certā, constans & inuariata textus Hebraici lectio in æternum conseruaretur, nec vlli vnquam occasio foret, vel vocem, aut litteram minimam in textu alterandi, commutandi, addendi, vel subtrahendi. Verùm vt nihil tam vtile & laudatum, nihil tam perfectum, & numeris absolutum est, quod iniquorum abusui non subiaceat, sic Masoræ huic accidit.

Igitur quod attinet ad Masoræ authoritatem, eadem ratione de illa, ac de Cabala superiori capite, discurrendum puto, videlicet Masoram, si iuxta primam consideretur institutionem fuisse opportunissimum mediū ad prędictum finem. Sed quia eiusmodi Masora, librique de illa non amplius reperiuntur, sed plures alij, qui infinitos errores in Masoram introduxerunt, cohærentia diuellendo, diuersa vniendo, natiua vnius loci in alienū solum transplantando, detrahendo, addendo, commutando, hinc Masorethici

thici, qui nunc extant libri, cautè legendi sunt; præsertim etiam, quod eorum authoribus plerumque nihil magis cordi sit, quàm vt à fide in Christum, atque ab eius aduentu, ac redemptione generis humani homines auertant.

CAPVT XI.

Referuntur authores, qui aduersus Iudæos, vel de rebus ad illos pertinentibus scripserunt.

Licet ab Ascensione Christi Domini, multæ inter Apostolos, nec non eorum discipulos, & inter Iudæos disputationes intercesserint. Primus temen omnium, cuius in hac materia post Scriptores Sacros, opus habemus, est Iustinus Martir, qui floruit circa annum Domini 150. & scripsit librum vnum, siue dialogum aduersus Triphonem Iudæum.

Anno 230. Tertullianus scripsit etiã librum vnum aduersus Iudæos.

Anno 250. S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis edidit libros tres ad Quirinum contra Iudęos. Inter opera eius dubia, vel supposititia, habetur quoque tractatus de Iudaica incredulitate ad Vigilium; item de Iudęis qui insecuti sunt Christum. Anno 380. S. Gregorius Nyssenus scripsit de Trinitate contra Iudęos. Anno 391. S. Ioannes Chrisostomus habuit quinque orationes aduersus Iudæos tom. 4. Anno 420. Diuus Augustinus scripsit orationem aduersus Iudæos tom. 6. Inter opera Cyrilli Alexandrini, qui floruit circa annum Domini 430. extat liber aduersus Iudæos cum quæstionibus; Anno Domini 630. S. Isidorus Hispalensis scripsit libellos duos ad Florentiam contra nequitias Iudęorum. Anno 680. S. Iulianus Episcopus Toletanus scripsit aduersus Iudæos tres libros ad regem Eruigium, qui extant in Biblioth. veterum Patrum. Anno 1090. Samuel Marochianus ex Iudæo Christianus scripsit vtilissimam epistolam, siue librũ de aduentu Messiæ, & de ijs, quæ Iudæi moderni negant, & ob quæ in Iudaismo obstinatè perseuerant habetur in Biblioth. veter. Patrum. Anno 1315 Porchetus de Saluaticis Genuẽsis Monachus Carthusianus edidit tomum vnum inscriptum Victoria Porchetti, in quo ex ipsismet Rabbinis eorũ perfidiam plenissimè conuincit; Parisiis editus fuit anno 1520. Nicolaus Lyranus qui floruit circa annum Domini 1320. scripsit librum contra Iudęos, qui habetur in fine vltimi tomi glossę ordinariæ; vnà cum alio tractatu aduersus quemdam Iudęum, ex ipsismet Euangelii verbis Christum, & eius doctrinam impugnante. Anno 1438 Sanctus Bernardinus Senensis plures sermones contra Iudæos scripsit. Anno denique 1490. Iacobus Peres de Valẽtia Episcopus Christopolitanus edidit tractatum vnum contra Iudęos, qui habetur in fine commentariorum eius super psalmos, & Ecclesiæ Cantica.

Hos deinceps secuti sunt multi Scriptores recentiores, Alphonsus, Paulus Burgensis Episcopus, Paulus Eredia, omnes ex Iudęo Christiani; Raymundus in suo pugione, Paulus Venetus Augustinianus, Petrus Galatinus Franciscanus, Hieronymus à Sancta fide Medicus in fortalitio fidei; Hadrianus finis Ferrariensis libro vbere, & erudito qui inscriptus est, *Flagellum in Iudæos*; Paulus Ritius Neapolitanus, Franciscus Torrensis Theologus Societ. Iesu lib. *de exponenda lege per omne Sabbathum Iudæis*; Iosephus à Costa *de Christo reuelato*. Ludouicus Caretus libro epistolari adhortatorio ad Iudęos, siue libro *Visorum Diuinorum*. Silicenus in *triumpho Crucis*; Ioannes Figuerola Valentinus; Petrus de la Caualeria Cæsaraugustanus; Dominicus Garsia *in propugnacul. Christ. Relig.* Zacharias Bouerius in demonstrat. Catholic. *de Messia diuinitate, & de Iesu Christo Messia*; Iosephus de Voisin

Bur-


Burdigalensis in libro inscripto, *Theologia Iudæorum*, siue *opus*, in quo rem ipsam, quæ nunc Christiana Religio nuncupatur, etiã apud antiquos fuisse, priusquam Christus veniret in carne, ex Hebreorum libris ostenditur. Errores verò, quos post natum Christum Iudæi per fraudem, & malitiam attulerunt, coarguuntur. Parisijs 1647. in 4. Simon Maiolus in opere quod inscripsit *Dies caniculares*, in colloquio de perfidia Iudæorum. Dionysius Petauius tom. 1. Theol. Dogmat. lib. 10. cap. 22. & sequentibus nonnulla habet de Mosaica lege, ac veteri testamento scitu digna.

SECTIO OCTAVA

Aduersus fatuam Sectæ Mahumetanæ superstitionem.

CAPVT PRIMVM.

De origine, & progressu Sectæ Mahumetanæ vnà cum breui idea rerum in hac Sectione tractandarum ad eius confutationem.



VT nomen, ita & originem Sectæ Mahumetanæ dedit impius Mahomet, seu Mahumetes, quem etiam S. Ioannes Damascenus Mamedium vocat. Hic prout libri Mahumetanorum referunt, præsertim liber *Agar* maximæ apud eos authoritatis, de Ismaelis filij Abrahæ ex Agar, ancilla Saræ vxoris Abrahæ, progenie, patre Abdallha, matre Imia Mechæ natus est circa finem quinti sæculi; in infantili ahuc ætate parentibus orbatus cuidam mulieri, Limæ nomine traditur educandus vsque ad 16. suæ ętatis annum; à quo vsque ad 25. mulioniam, vel camelariam exercuit, cuidã mercatori prædiuiti, consobrinæ ipsius Mahumetis, nomine Gadisæ, marito seruiens: quo mortuo, ipsemet Mahumetes factus est eiusdem Gadisæ vir, & ex ea tres suscepit filias, vnam nomine Fatemat, alteram nomine Zainaba, tertiam nomine Vmicult, & filium nomine Cazin, qui duodecimo suæ ætatis anno excessit è vita: à 25. vsque ad 38. annũ Mahumetes, iam per coniugium cum consobrina sua diues effectus mercaturam exercuit.

Cum ad illud vsque tempus Idololatrarum parentum morem secutus vixisset, & palam cum cæteris Mechensibus Mecæ idolum Alete Aloza vocatum adorasset, tum eremiticam vitam colere cępit, & quotidiè solitarius in speluncam quandam dictam speluncam hęræ secedebat, ibique totum diẽ insumebat; in quonam, ignoratur; nisi quod præcitatus liber Agar asserit, eũ tunc Deum cęli colere cæpisse, seque à cultu Idolorum, quæ Mecæ colebantur custodisse. Refert præterea idem liber, Mahumetem in ea spelunca in tantum cibo abstinuisse, vt indè insanus aliquando factus fuerit; alter autem liber titu-

titulo *Assisa* cum libro *Agar* concordans narrat Mahumetem ibi commorantem, audire solitum voces, & sermonem loquentis, loquentem autem ipsum cernere non potuisse; quod cũ vxori suę Gadizæ retulisset, illaque respondisset eiusmodi nonnisi à diabolo fieri in eius deceptionem, indè ob nimium mœrorem in furorem versum, rupem montis conscendisse, vt se præcipitem ex illa daret, secum reputans, præstare mori, quam insanum haberi; verùm talia meditanti, in eadem spelunca Gabrielem Archangelum in sua specie, & alis candidis apparuisse hęc locutum; *O Mohammed Deus mittit ad te salutem, & annuntiat tibi, quod tu es Propheta Dei, & Apostolus Dei, & optima creatura Dei.*

Ibidem præterea refertur Angelum Mahumeti dixisse, vt sequentem legeret scripturam; *O Mohammed, lege in nomine Domini tui, qui creauit hominẽ, lege in nomine Domini tui honorabilissimi, qui docuit calamo, docuit hominem quod ignorabat*; Et tunc, inquiunt præfati libri, Gabrielem Archangelum dedisse Mahumeti primum Alchorani caput, cui titulus est *Souret elchalam*, id est, *caput de Calamo*. Sequitur liber *Agar*, quod post Angeli discessum, hilarem Mahumetem domum reuertentem bruta, & arbores salutabant, verbis illis statim relatis; *O Mahomet gaude, quia tu es Apostolus Dei, & optimus omnium*: domum autem reuersus omnia vxori narrauit, quæ contigerant de Angelo, de prophetia, Apostolatu, &c. qua iterum respondente se vereri ne talia ex diaboli acciderent illusione, Mahumetes anxius, rigoreque correptus, iussit se linteis, & vestibus in lecto decumbentem operiri; & tunc, inquit liber Agar, attulit ad eũ idem Gabriel Archangelus caput secundum Alchorani, cui titulus est *Souret Elmaddar*, id est *caput de Operto*.

Quod caput statim vxori Mahumete ostendente; eamdem quam prius dedit illi responsionẽ scilicet hoc aliundè quam à diabolo prouenire non posse: Verùm circa mediam noctem illa subiunxit, quod si verè ille Angelus esset, & non dœmon, iterum atque iterum, & pluries ad eum regressurus esset, aliàs secus: quare, Angelo nondum reuertente, sollicitus erat per totam noctem Mahumetes; illucescente autem aurora, ecce, inquit Agar, Angelus cum tertio Alchorani capite, cui titulus *Souret Elsabi*, id est *caput*

Quod etiam cum narrasset vxori, consimilemque de illusione diaboli respõsionem illa dedisset, monens insuper eum, ne crederet quidquam, nisi Angelus vtrique se videndum pręberet, tunc dixit Mahumetes hoc fieri non posse, eamque in Angelum respicere nequire; deindè seruum suum Zaidũ nomine, quem tanquam filium, seu vernaculum ab infantia habuerat vocauit, eique dixit, si eum vellet credere Prophetam Deique Apostolum, se ab eo manumittendum, qui statim respondit se crediturum. Quare Zaidus iste fuit primus Mahumetis sectator, sanciuitq; Mahumetes, quemlibet seruum cuiuscumque, vel religionis, vel sectæ, eo ipso quod Mahumetanam vellet amplecti, etiam inuito domino, liberum esse.

Sic igitur quadragesimo Mahumetis anno, qui fuit à Christo nato sexcentesimus circiter trigesimus, Secta Mahumetana primã suam habuit originem, Tunc enim Mahumetes propheta à Zaido creditus est; tuncque etiam Gadisa vxor Mahumetis, & quidam alii serui & mãcipia clam pro tali susceperunt; quibus secretò, domi suę quicquid vellet credendum proponebat, vera falsis permiscens ad fucanda mendacia; indeq; multos decepit idiotas, & idololatras, quibus facilè fuit, Idolum, quod in templo Mecæ colebant, suadere Deum non esse; & vnius Dei tantum, non verò Deorum pluriũ, esse fidem colendam; abutens authoritatibus, & mediis, quibus veri Dei Prophetæ, & Apostoli ad veram Dei

legem

legem suadendam vsi fuerunt: cum enim illi ad Christianam religionem de Idololatria homines eduxissent, ipse Mahumetes de Idololatria in falsum Dei vnius cultum traxit, cum potuisset trahere ad verum.

Quæ autem in Alchorano à Mahumete composito, suisque sectatoribus ad obseruandum tradito reperiuntur ex diuinis permixta Scripturis, aliqui dicunt ea accepisse à quodam Monacho Sergio dicto, qui ob Nestorianam hæresim è monasterio Constātinopoli eiectus Meccæ manebat; alij verò, cum quibus concordat liber Agar, & Glossa super cap.7. libri 3. Alchorani, asserunt adiutores Mahumetis in hoc fuisse quosdam seruos ciuis cuiusdam Mechensis, gladiorum fabros, Christianos, à quibus pleraque de sacris libris audiebat, & ita in chyrographis apponebat: Indèque factum est, vt tot ex illis mutilata, confusa, & etiam variata in Alchorano inueniantur; adeoque ex historijs deriuarint in fabulas, & pueriles nęnias; sicut ea attentè, & sine passione meditanti fiet palam; Artifices enim gladiorum, quamuis Christiani Scripturarii non erant, vt benè scripturas, earumque historias callerent, & Mahumeti narrarent. Notant etiam aliqui eum, vt omnem qualemcumque populum ad suam sectam facilius alliceret, doctrinā suam ex omnium siue veræ, siue falsarū religionum quibusdam articulis corrasisse, aliis insuper additis figmentis.

Nam ex vera fide desumpsit articulū docentem, *Vnum esse Deum, Creatorem cæli, & terræ*, negauit autem illum esse vnum in tribus personis realiter distinctis Patre, Filio, & Spiritu Sancto, vt faueret Sabellianis Sanctissimam Trinitatem, Arianis Verbi, & Macedonianis Spiritus Sancti diuinitatem negantibus.

Ex Secta Iudæorum circumcisionem & abstinentiam à carne suilla accepit; vndè & Iudęi primitus ipsi vt Messiæ dicuntur adhæsisse, verum, quia postea viderunt immundā scilicet cameli carnem contra legis præscriptum comedere, loco Sabbathi diem veneris colere, à vino abstinere, circumcisionem non octauo die, sed circa 15. ætatis annum seruare, ab eius obedientia se substraxerunt.

Quo ad doctrinam verò Christianā, ex illa præter fidem vnius Dei, etiam professus est, quod Christus Dominus sit Dei filius, & eius spiritus, isque ex Maria Virgine sine semine generatus, vt refert S. Damascenus lib. de hæres. verumtamen iuxta Arianam hæresim teste eodem asseruit illum non esse Deum, sed creatum, & seruum, ac Prophetam Dei; rursus ex hæresi Manichæorum docuit; *Iudæos iniquè, & contra leges Christum in crucem agere voluisse, & cū eum tenuissent, eius quidem vmbrā egisse in crucem, Christum autem nec in crucem actum, nec mortuum esse, Deum enim ad se in cælum transtulisse, quod ei esset charissimus*, &c.

Cum modo prædicto Mahumetes prima suæ sectæ iecisset fundamenta, post aliquantum temporis, factum est, vt potens vir Mechensis, nomine Omar, ipsius Mahumetis socer, & quidam alii, nempè Hamza & Alabez, patrui ipsius etiam Mahumetis, & Ali gener eiusdem, & alius etiam Mechensiū potentissimus Vbechar, qui etiam deindè socer factus est Mahumetis, fierent Mahumetani, seu Mahumetis sectatores; & exindè eius secta propalari, & propagari cæpit; pręfati siquidem viri, quod secretò prius fiebat, voluerunt palam legi Alchoranū, simulque ad illum audiendum conuenire: & ita per decennium res durauit, donec nouem Mahumetis patrui, ac reliqui Mechenses irati, ob doctrinæ nouitatem, illum occidere decreuerunt; sed ipse cum suis noctu aufugit Medinam, ibique vndecies quosdam Iudęos vicit, illosq; tributo subiecit, vndè paulatim redditus potentior, cum Mechensibus prælia commisit, & tandem superauit; sicque factus Imperator, seu Rex ipsorum nedum legem suam stabiliuit, sed Imperio Arabum, quod postęa fuit potentissimum, initium dedit; animad-

uertens autem præfatam legem ad examen rationis deficere, illā expendi prohibuit, sed armis & vi tantummodo firmari, defendique voluit. Quare non mirum si in tanta, quam præcipit rerum præsertim ad religionem spectantium ignorantia, legeque Mahumetana cupiditatibus hominum carnalium lenocinante, & libidinosæ naturæ seruiente, addita armorum vi, tantum durare potuit, ac dilatari, vt infra dicetur.

Et si autem in illa diuisione, qua infidelitas diuiditur in Paganismum, Iudaismum, & hęresim, Mahumetani sub primo comprehendantur genere, quia tamen prę cæteris Paganis habent, quod Sacras tam veteris testamenti, quod vocant Tora, quam noui, quod vocant Ingil, Scripturas admittant; indè etiam fit, quod præter communem agēdi modum aduersus Paganos, tum negatiuū, hoc est soluendo omnia eorum argumēta contra fidei nostræ veritates, vt ostēdimus sec. 1. tum positiuū, hoc est adducendo omnia motiua, & fundamenta, quibus est euidenter credibile, præfatas veritates fuisse diuinitus reuelatas; pręter hos, inquam, aut similes modos, suppetit nobis alius specialis tractandi cum Mahumetanis, scilicet ex diuinarum Scripturarum authoritate; At quia, vt illarum vim effugiant, neuè quam continent veritatem suis mētibus intromittant, & à suis consequenter erroribus resipiscere cogantur, respondent pręfatas Scripturas fuisse à Christianis corruptas, & adulteratas, primum ostendere conabimur hoc esse falsum, sed Sacras Scripturas legitimas extare modo in Dei Ecclesia, sicut in primitiua; deindè cum religionis alicuius, seu doctrinæ, & leges illam constituentis veritas, aut falsitas penes quinque potissimum attendi debeat; primò penes eum, cui creditur; secundò penes illud, quod creditur; tertiò penes illos, qui credunt, quartò penes modum, quo credenda stabiliuntur; quintò penes eos, qui non credunt, tot capitibus ostendemus; pręfatis omnibus modis falsam esse Mahumetanorum religionem; nam quod ipsi dicunt vnumquēque in sua saluari posse religione, vanum esse, & impium sufficienter demonstrauimus sect. VI. Tandem in arguendo contra illos, sicut in diabolicis disputationibus, ac iudicijs contentiosis plerumque solet accidere, aliquibus per eos concessis vtemur, quæ occasione data intentioni nostræ magis fauere, aut suffragari poterunt: hoc enim modo, vt ait S. Thomas lib. 2. contra Gentes cap. 2. vsi sunt frequenter Doctores antiqui, in confutandis, ac destruendis Gentilium erroribus.

CAPVT II.

Ostenditur Sacras vtriusque Testamenti Scripturas à Mahumete, & eius sequacibus admissas, non fuisse in vniuersum corruptas, vel adulteratas, vt ipsi contendunt.

IN vera, ac sancta Dei Ecclesia olim sub veteri testamento apud Iudęos, & in nouo, à Christo Domino vsque ad præsens tempus apud Christianos, sacrarum scripturarum libros, tanquam diuina, diuinitusque reuelata continentes mysteria, & mandantes præcepta, hos semper fuisse satis ostendimus to. 2. nempè Pentateuchum Moysis, Hebraicè Tora quinque libros cōplectentem, id est.

Genesim.
Exodum.
Leuiticum.
Numerorum librum, &
Deuteronomium.
Item librum Iosue.
Iudicum.
Ruth.

Quatuor libros Regum, quorum primus dicitur prior Samuelis, secundus Samuelis posterior, tertius, qui secundū Hebręos, est Regum primus; quartus, qui secundum Hebræos, est Regum secundus.

Duo item sunt libri Paralipomenon.
Duo libri Esdræ, quorum posterior dicitur

citur alio nomine liber Nehemiæ.
Liber Tobiæ.
Iudith.
Esther.
Iob.
Psalmi centum quinquaginta.
Prouerbia Salomonis.
Ecclesiastes eiusdem.
Canticum Canticorum eiusdem.
Liber Sapientiæ.
Liber Ecclesiastici.
Deindè sunt Prophetæ scilicet.
Isaias.
Ieremias.
Baruch.
Ezechiel.
Daniel.
Osea.
Ioel.
Amos.
Abdias.
Ionas.
Michæas.
Nahum.
Habachuc.
Sophonias.
Aggæus.
Zacharias.
Malachias.
Et tandem duo Machabæorum libri.

Qui omnes spectant ad vetus Testamentum,& significantur apud eos etiã, qui lingua Arabica vtuntur, nomine *Tora*.

Ad Testamentum verò nouum sequentes libri pertinent.
Euangelium secundum Mathæum.
Euangelium secundum Marcum.
Euangelium secundum Lucam.
Euangelium secundum Ioannem.
Acta Apostolorum.
Epistolæ Sancti Pauli 14. scilicet.
Vna ad Romanos.
Duæ ad Corinthios.
Vna ad Galatas.
Vna ad Ephesios.
Vna ad Philippenses.
Vna ad Colossenses.
Duæ ad Thessalonicenses.
Duæ ad Timotheum.
Vna ad Titum.
Vna ad Philemonem.
Vna ad Hebræos.
Item epistola Iacobi minoris vna.
Duæ Diui Petri.
Tres Apostoli Ioannis.
Vna Iudæ, cognomento Thaddæi.
Et vltimo liber Apocalipsis Beati Ioannis Apostoli.

Cum omnes enumerati libri tanquã à Deo compositi per Sanctos eius Prophetas,& Apostolos semper in Ecclesia fuerint, & etiam nunc sint venerati, nõ sine diuinæ prouidentiæ dispositione factum est, vt Mahumetes in Alchorano non tantum diceret nomina eorum, & nomina Prophetarum indicaret, verũ etiã plurima indè verba referret, vt suspicio de mutatione libri nõ obueniret; quod quia Mahumetani non asserunt, sed tantum multa in illis fuisse adulterata, propterea non refero omnia loca sigillatim Alchorani, in quibus dictorum librorum fit mentio, sed tantum hic probare intendo illos nunquam fuisse corruptos, vt affirmant aduersarij.

Primum argumentum desumitur ad hominem ex Mahumete in Alchorano *cap. de Iona*, vbi Deum ita loquentem inducit; si de quibus vobis reuelauimus, scilicet ex diuinis Scripturis, dubitatis, quærite ab his,qui priusquam vos librũ legerunt. Qui autem ante Mahumetanos Sacrarum Scripturarum librum legerunt, sunt Iudæi, qui vetus, & Christiani, qui illud simul cum nouo tanquã eius figuram susceperunt, vt ipsemet Mahumetes exponit *cap. de Vacca*; dici ergo non potest tempore Mahumetis, aut ante illud, iam fuisse in vniuersum ab illis corrupta; patet consequentia; si enim tunc res ita se habuisset,Mahumetes nomine Dei non dixisset recurrendũ esse ad Iudæos, & Christianos, in ijs quæ ad Scripturas pertinent, standumque esse eorum relationi; aliàs verus, vt Mahumetani dicunt, Propheta nõ fuisset,qui ipsos ad falsos testes,diuinarumque Scripturarum corruptores remisisset, à quibus potius tanquam à falsarijs cauen-

cauendum omnino esse. præcipere debuisset. Si autem tunc temporis sacri libri non erant corrupti; nec tales etiam dici possunt, qui modo extant, cum sint ijdem prorsus cum illis, quos ab Apostolis, eorumque discipulis suscepimus, vt patet ex consensu omnium testimoniorum, quibus modo ex illis vtimur ad probandam Trinitatem, Verbi Diuini Incarnationem, & alia similia fidei nostræ mysteria, in quibus potissimum contendunt Mahumetani Euangelium fuisse à Christianis corruptum, cum illis, quæ in eumdem finem citantur ab antiquis Ecclesiæ Patribus, qui longè ante Mahumetem floruerunt, si dicta testimonia, & loca simul conferantur.

Quod obijciunt aliqui Christianos, & Iudæos inter se dissidere circa Scripturam veteris testamenti, eiusque sensum, taleque dissidium esse apertum argumentum vanitatis illius; talis, inquam, obiectio nullius est momenti, tantumque abest, vt inducant eam, quã intendunt aduersarij Sacræ Scripturæ corruptionem, controuersiæ quæ circa illas versantur Christianos inter, & Iudæos, vt potius indè probetur incorrupta earumdem authoritas: Iudæi enim, & Christiani ideo tantum laborant, vt scripturarum sensum assequantur, quia sciunt esse verũ Dei verbũ, cuius sensu semel habito, non est quid friuolũ, quod lucrentur, sed valdè vtile, & pretiosum, qualis est diuinæ voluntatis cognitio; si autem Scripturas crederent non esse diuinas, sed corruptas, locoq; verarũ substitutas fuisse falsas, & apochryphas, nõ esset cur tantoperè ad verum earũ sensum comparandum insudarent.

Alterum argumentum pro incorruptione diuinarum Scripturarum fundatur in ipsamet traditione cæteris omnibus libris communi, si enim liceret, sine aliquo fundamento de sacris scripturis, quas modo præ manibus habemus dicere, non esse illas, quæ prius erant veræ, & diuinæ; eodem modo de omnibus omnium authorum libris posset dici; & ita causatio ista omnem prorsus fidem quorumcumque librorum auferret nec minus Alchorani, quam Toræ, & Euangelij: idem enim asseri posset de Alchorano: Igitur quemadmodũ Mahumetani iure merito deriderent eos, qui affirmarent non esse hunc Alchoranum, quem modo habent, illum eumdem Mahumetis Alchoranum, vel non eadem continere, quæ ille continebat; non alia certè ratione, nisi quia longo tot sæculorum spatio Alchoranus Mahumetis, ac cæteri qui extant libri v. g. Platonis, Aristotelis, Euclydis, &c. horum virorum libri semper ab omnibus existimati sunt; ita quoque non minori risu digni sunt Mahumetani, vel alia illis responsio non est adhibenda, quam risus, dum post tam claram, & apertam tot sæculorum sibi inuicem succedentiũ contestationem, audent asserere hoc nõ esse Tora, hæc non esse Euangelia, quæ semper habuit Ecclesia, ab Apostolis, & à Moyse, cæterisque Prophetis: vt fusius explicuimus to. 2. sique infallibilẽ Ecclesiæ authoritatem, qua præfati libri vt sacri nobis proponuntur, admitterent Mahumetani, non esset inter nos, & ipsos de illis cõtrouersia; verùm quia res non ita se habet, quamuis sola Ecclesia Romano-Catholica toto orbe diffusa omnes habeat notas, omniaque signa, quibus euidenter fit credibile eã solam esse veram Ecclesiam, ita vt sint inexcusabiles Mahumetani, cæterique infideles, quibus ea ritè proponuntur, si illam non amplectantur; vltimò nobis probandum est, dictante etiam solo lumine naturali, istã quam causantur excusationem de sacrorum librorum corruptione esse omnino irrationabilem.

Tertia igitur ratio fundatur in exclusione omnium circumstantiarum, quas in actione humana, qualis sine dubio censeri debet scripturarum adulteratio Christianis obiecta à Mahumetanis, cõcurrere necesse est, deque illis constare, vt actio perpetrata dicatur, nempè, de persona quæ opus efficiat; de fine propter quem efficiat; insuper de tempore, & loco, vbi efficiat; tùm denique de

ipso

ipso opere, vt appareat re vera perpetratum, & vt iuristæ loquuntur de delictis, vt constet de corpore delicti; sed assignari non possunt Scripturarum in vniuersum adulteratores, nec finis, propter quem, nec tempus, quãdo, nec locus, vbi vitiatæ fuerint & corruptæ, nec tandem de corruptione ipsa constat; quod igitur de illa nobis opponunt Mahumetani, merum est figmentum, meraque malitia. Cum maior huius argumenti satis ex se pateat, probatur minor quo ad singulas partes.

Et primum nullos extitisse Scripturarum omnium, & in vniuersum corruptores sic ostendo; quia illi essent vel Pagani, vel Christiani quoad vtrumq; testamentum, vel Iudæi quo ad vetus, sed nulli fuerunt ex istis; non Pagani, aut alij Christianorum inimici, quia licet in illis fuisset voluntas, non fuit tamen data potestas adulterandi Scripturas, quorum codices non ipsi, sed Christiani, & Iudæi possidebant; sique nonnunquam in eorum manus aliqui deuenerunt, admodum pauci fuerunt, quibus corruptis, integri remansissent cæteri, ex quibus illorum vitium deprehendi, & emendari potuisset. Christianos quoque, & Iudæos non fuisse corruptores Scripturarum, ex eo clarè patet, quod illas tanquam à Deo acceptas semper venerati sunt, & etiamnũ venerantur; implicat enim quod aliquis eam scripturam, aut legem, quam tanquam diuinam colit, & vitiet, & post vitium illi pristinam fidem adhibeat, cũ scientiam haberet de illius adulteratione, nec esse amplius consequenter Dei testimonia, sed sua adinuenta, & figmenta. Deindè si Iudæi, & Christiani Scripturas adulterassent, vel id præstitissent simul de communi consensu, vel separatim, hoc est, Christiani ex vna parte, & Iudæi ex altera; primum est omnino absurdum, cum enim tanta sit inter eos de Scripturis cõcertatio, Christianique ex illis contra Iudæos probent Messiæ aduentum, eumque fuisse Christum Dominum Mariç filium, nullam vim haberent, si eas simul corrupissent, possent enim respõdere Iudæi, sua esse figmenta, non autem diuina eloquia: At hoc non respõdent, nec responderunt vnquam Iudçi; euidens est igitur argumentum, quod inter illos, & Christianos nulla vnquã conuentio de Scripturarum adulteratione intercesserit. Minus autem id separatim factum fuisse ab illis testantur ipsæmet Scripturæ, quæ reperiuntur apud Iudæos, & apud Christianos inter se conformes: si enim Iudæi illas corrupissent, aliter legerent Christiani; sicut si vitiassent Christiani, aliter legerent Iudæi; attento igitur tali Scripturarum, quæ apud ipsos inueniuntur consensu, manifestè constat neutros eas corrupisse, nec enim ita in corruptione potuissent conuenire, propterea que dicendum huiusmodi Scripturarum consensum esse ratione sinceritatis, & integritatis earumdem. Vndè satis patet, quod intendebamus probare, nullos scilicet extitisse, aut assignari posse Scripturarum in vniuersum adulterationes; alicuius siquidem singularis loci difformitas non facit ad vniuersalem, quam obijciunt aduersarij, Scripturarum corruptionem, vt ostendimus tomo 2. iam citato lib. 3. sect. 1. cap. 12. & alijs.

Vt nulla assignabilis est causa efficiens præsumptæ adulterationis omnium Scripturarum, ita nec finalis, si discurramus per singula, quæ ad illam Christianorum animos rationabiliter mouere potuissent; primum forsan dicent Mahumetani, vt Mahumeti fidem abrogarent; sed ipsi fatentur, omnia deleta esse ex Euangelio, eo duntaxat loco excepto, in quo fit mentio de Paraclito venturo, vnde & fundamentum desumunt asserendi Mahumetem esse hunc Paraclitum, ibi à Christo promissum, si autẽ eo fine vitiassent Christiani Euangelia, vt exortam Mahumetis sectam destruerent, hunc locũ prçcipuè deleuissent; & non, sicut ipsi dicunt, mutatis cæteris reliquissent: cessat

ſat igitur finis prędictus abrogãdi Mahumeti fidem. Nec minus deficit ſecundus, quo poſſet dici Chriſtianos corrupiſſe Euangelia, vt Ieſum Chriſtum Deum eſſe aſtruerent, ſi enim talem ſibi propoſuiſſent finem, cum iam vniuerſo orbi perſpicua eſſent Chriſti miracula, vitæque Sanctitas, quã ipſemet Mahumetes fatetur, ea tantum enarrare, vel plura alia ſimilia addere Euangelio debuiſſent; ſilere autem tentationes, famem, ſitim, perſecutiones, labores, paupertatem, lachrymas, opprobria, flagella, vulnera, mortem: quæ omnia maximã ingerunt difficultatem in fide eius diuinitatis perſuadenda, talia igitur cum non fuerint deleta, & mutata, nihil prorſus deletum fuiſſe dicendum eſt, & è contra nihil additum, quod ad eius dignitatẽ commendandam ſpectaret; cum eam ſatis prædicet Alchoranus *in cap. de Mulieribus*; Hoc igitur ſecundo fine dignitatis, & diuinitatis Chriſti aſtruendæ dici non poteſt fuiſſe corrupta à Chriſtianis Euangelia; nec etiam tertio legem ſibi cõmodam ſtatuendi; ſic enim legem ſenſui, & naturæ facilem, ac ſuauẽ effingere debuiſſent, delere autem omnia difficilia, & ardua; ſed non ita res ſe habet; ſiquidem plura ſunt in Euangelio præcepta, recta quidem & rationi conſona, verùm ardua & difficilia, vt eſt præceptum de dilectione inimicorum; de contemptu diuitiarũ; de ſuſtinendis patiẽter iniurijs, & alijs ſimilibus. Eo tandem fine Chriſtiani Euangelia non corruperunt, vt ab omnibus facilius ſuſciperentur; quia ſic omnia creditu difficilia, & ab humanis remota ſuſtuliſſent, & pro illis facilia, humaniſque proxima ſubſtituiſſent; homines enim talia promptè credunt; at legimus in Euãgelijs plura quæ naturæ lumen ſuperant, quibuſque non ſunt aſſuetæ humanæ aures, vt Deum eſſe Trinum in perſonis, & vnum in natura; Chriſtum eſſe Deum, & hominem, vnum in perſona, ſed in duplici natura ſubſiſtentem, diuina ſcilicet, & humana; eo igitur fine, vt facilius ſuſciperentur, vitiata non ſunt à Chriſtianis, nec vllo conſequenter alio, prę ter enim allatos, nullus eſt aſſignabilis qui rationabiliter eos ad præſumptam mutationem inducere potuerit; Quis enim de hominibus, qui ea veneratione ſacra ſemper Euangelia venerati ſunt, quæ Dei Scripturam decet, prudenter dicat ea peruertere voluiſſe, malitia, odio, inuidia, aut alia ſimili paſſione ductos.

Tertiò aſſignari non poteſt tempus, quo ſacra in vniuerſum volumina vitiata fuerint; nam quo ad vetus teſtamentum, ante Chriſti aduentum, non eſt controuerſia inter nos, quod fuerit à Iudæis corruptum; quin imo ante illum deuotiſſimos fuiſſe Scripturarum cultores, plures è noſtris docent Euſebius lib. 8. cap. 2. Præpar. Euang. Auguſtinus lib. 15. de ciuit. Dei cap. 13. agens de errore quo ad computationẽ annorum irrepto in verſionem Septuaginta Interpretum; ſi autem à Iudæis ante Chriſti aduentum Scripturę veteris teſtamenti non fuerunt à Iudæis corruptæ, nec etiam poſt illum, quia ipſi illa potius deleuiſſent, quæ Chriſti vel Meſſiæ diuinitatem probant, quæ tamen minimè deleta ſunt; id ipſum quoque demonſtrat conſenſus, quem ſeruant eorum codices Hebręi cum codicibus Chriſtianorum; nullo igitur tempore poſſunt dici corrupti à ſolis Iudæis; proptereaque idem, qui ſupra Auguſtinus, tum alias, tùm maximè ſerm. 1. ex 49. nouis finem diſperſionis Iudaicæ poſt Chriſti aduentum põderans ait: *Iuſſit Imperator Romanus iã Chriſtianus* (id eſt Conſtantinus Magnus) *vt ad ipſam Ieruſalem non accederent Iudæi. Et ſparſi per orbem terrarum facti ſunt quaſi cuſtodes librorum noſtrorum; quomodo ſerui, quando eunt in Auditorium Domini ipſorum, portant poſt illos, codices, & foris ſedent; ſic ſeruus factus filius maior filio minori. Nam aliquando mouent nos aliqua in Scripturis, & de Iudæorum codicibus certi aliquid*

cogno-

cognoscitur. Ideo ergo sparsi sunt, vt nobis libros seruent. Maior ergo seruit minori. Et etiam vt Christianam vbique veritatem ex ipsorum libris ostendamus; vti considerat S. Chrisostomus, potest enim nobis opponi Euangelia esse conficta à Christianis; & tunc adsunt libri Iudæorum, qui nostri, & Christi hostes cum sint, exceptionem quoad hoc habent nullam.

Sacras autem Scripturas non posse dici corruptas vllo tempore à Christianis patebit discurrenti per singula eius interualla; primo non statim post Euãgeliorũ compositionem, quia tunc penes Christi discipulos, imo & Apostolos erant, qui cum essent Sanctissimi, vitaque probatissimi, vt passim eos laudat Mahumetes in Alchorano, rem tã fœdam eos fuisse aggressos dici non potest; nec etiam post eorum dormitionem, qui illis successerunt, ex eo enim præsertim tempore cæperunt hæreses, eorumque authores alijs non pugnabant armis contra Ecclesiam, quam ijsdemmet Scripturis, non corrumpendo lectionem, sed peruertendo sensum; Scripturarum enim authoritate inter se pugnantibus, hinc Catholicis, indè Hæreticis; si quid aliter mutatum in nostris, quod non haberetur in suis perspexissent hæretici statim reprehendissent, ac vice versa Christiani; indèque errores in hæreticorum codicibus suppositi, ex integritate aliorum, qui penes veros Christi discipulos extabant, illico deprehensi fuissent, & emendati, vel certè notati, vt consimile vitium in emendatos codices non irreperet. Tandem nullo tempore vsque ad Mahumetem corrupta fuisse à Christianis sacra eloquia, argumento est primò, quod ipse multoties illis vtitur in Alchorano, ex Scripturis enim quas credidisset adulteratas, verus Propheta, vt aiunt sui, sententias non deprompsisset, nec etiam bonum de illis, vt diximus supra, testimonium reddidisset. Item dum dicit in Alchorano Christianos recta via incedere, & salutem æternam adepturos, tam cap. 1. quam cap. 4. & alibi, reddit pariter testimonium de Scripturarum integritate duplici ratione. Vna est, quia si Christiani salutem cõsequuntur, Scripturarum diuinarum non sunt corruptores; eiusmodi enim falsarij damnationem potius incurrunt, quàm salutem promereantur. Altera est, quia si Scripturæ, quas tanquam diuinitus traditas venerantur Christiani, eos ad æternæ fęlicitatis portum perducunt, verã doctrinam continent, verèque sunt Dei eloquia; alias enim adulterata, falsamque proindè doctrinam continentia, illos potius in damnationem pertraherent, si quidem Scripturarum falsarij sunt potius infideles, quam fideles, dũ impias manus in sacra Dei eloquia inijcere, non reformidant; at infideles, vt sæpe repetit Alchoranus in damnationem merguntur, non verò salutem consequuntur; igitur aut asserendum est Mahumetem sibi contradicere, aut necessariò fatendum sacras Sripturas, vsque ad tempus ipsius, non fuisse à Christianis adulteratas. Id autem post ipsum non contigisse vsque ad hæc tẽpora clarè patet, quia, vt iam notauimus supra, dissimiles non sunt sacræ Scripturæ, quas modo colimus, ab illis, quas ante Mahumetem, vel eius tempore Iudæi, & Christiani venerabãtur; si conferantur omnia loca sigillatim tã ex veteri, quam ex nouo testamento, quæ recensentur in codicibus Sanctorum Patrum, qui ante Mahumetem floruerunt, quæque eodem modo leguntur in nostris libris, sicut allegantur à prefatis Patribus in suis. Certè qui inter Mahumetanos magis sunt cordati, & sapientes, si semel attentè considerarent assiduam, & indeficientem vigilantiam, ac sollicitudinem, qua semper Ecclesia, vel minima exoriente difficultate, nedum heresi, non solùm scripturarum sinceritatem, verùm etiã earumdem sensus veritatem seruare, & tueri studuerunt, congregatis in hunc finem, vbi opus fuit Concilijs generalibus

libus, citatisque in illis hæreticis ipsis, vt suæ fidei rationem redderēt; Mahumetanis, inquam, ista serio meditantibus, facilius forsan esset scripturarum existentiam, aut veritatem absolutè negare, quam earum corruptionem in vniuersum Christianis impingere.

Quartò si constare non potest, vt vidimus, de temporis, ita nec de loci circumstantia, vbi sacra volumina fuerint vitiata; quod enim nunquam est, alicubi esse non potest. Sed vt clarius id appareat, per singula discurramus. Vel enim fuit aliquis locus peculiaris, in quo omnes prorsus sacrarum scripturarum libri fuerunt corrupti; vel plures, & omnes loci, in quibus præfati seruabantur libri. Primum asseri nō potest, si quidem non est credibile, imo nec moraliter possibile, quod omnes totius orbis nationes scripturas omnes in vnum locum adulterandas contulerint, & in tantum facinus concordi prauitate conspirarint. Secundū etiam dici non potest, id nimirum accidisse per diuersa loca, & per sectas sigillatim, quia nisi commune fuisset omnium facinus, non esset communis omnium scripturarum consensus; sed in eis necessariò deprehēderetur diuersitas: non enim omnes sectæ eamdem in scripturas corruptionem inducere potuissent; cum, vt supponimus, ad illam concordi animo simul non conuenissent; attento igitur in tanto linguarum discrimine, & in tanto sacrorum codicum numero, eorumdem consensu, dicendum est hunc illis non ratione communis iniquitatis conuenire, sed ratione pristinæ integritatis. Iuuatque ad hunc discursum, quod ait D. Augustinus *lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 13.* ad tollendam suspicionem de Iudæorum peruersitate in deprauandis scripturis: *Si quæram, quid sit credibilius, Iudæorum gentem, tam longè, latèque diffusam, in hoc conscribendum mendacium vno consilio conspirare potuisse; & dum alijs inuideant authoritatem, sibi abstulisse veritatem: an Septuaginta homines, qui ipsi etiam Iudæi erant, in vno loco positos: quoniam Rex Aegypti Ptolomæus eos ad hoc opus asciuerat: ipsam veritatem gentibus alienigenis inuidisse, & cōmunicato istud tunc fecisse consilio: quis non videat quid procliuius faciliusque credatur? sed absit, vt prudens quispiam, vel Iudæos, cuiuslibet peruersitatis, atque malitiæ, tantùm potuisse credat, in codicibus tam multis, & tam longè latèque dispersis; vel Septuaginta illos memorabiles viros hoc, de inuidenda gentibus veritate, vnum communicasse consilium.* Hactenus Augustinus agens de illo loco Genesis ex versione Septuaginta interpretum, quo ad computationem annorum, quæ non eodem modo recensetur in textu hebræo, cuius causam ibidem reddit idē Augustinus immediatè post præadducta verba: sic. *Credibilius ergo quis dixerit, cum primum de Bibliotheca Ptolomæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse, in codice vno scilicet primitus inde descripto, vndè iam latius emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam Scriptoris error.*

Quintò tandem, & vltimò facile est ostendere, non constare de corpore delicti, seu, adulterationis scripturarū facinus non fuisse perpetratum, si breuiter examinentur nonnulla loca, de quorum corruptione præcipuè posset obuenire Mahumetanis suspicio, illa scilicet, quibus vel diuina Trinitas, vel Christi diuinitas probari solet; si enim semel constiterit talia esse sincera, & integra, de cæteris etiam, de quibus tanta non est suspicio, nec suspicionis causa, idem comprobatum manebit, atque adeò non constare de corpore delicti, seu corruptionis Scripturarum facinus nunquam fuisse commissum. Primus verè locus, vndè Christi diuinitatem, & simul etiam diuinarum personarum pluralitatem accipimus, à quorum mysteriorum fide potissimum abhorrent Mahumetani, habetur psalmo 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sed hic locus non est suppositititius; ergo nec alij qui-

bus

bus eadem mysteria significantur, multoque minus illi, qui non tantam secum trahunt respectu Mahumetanorum suspicionis causam. Præfatum autem locum non esse suppositum demonstrant omnes rationes superius adductæ; præsertim, quia vel Iudæi supposuerunt, & hoc dici non potest, illis siquidem negantibus Messiam esse filium Dei, quis ab eis credat addita fuisse scripturis verba, quibus redargui posset eorum peruicacia? ea igitur à Christianis apposita fuisse dicendum est, sed hoc etiam affirmari non potest; aliàs soli Christiani, & non Iudæi, præfatum haberent locum in suis codicibus; at etiam illud habent Iudæi: dicendum est ergo ab ambobus vnanimi consensu suppositum fuisse; quod adhuc est impossibile, cum ad inuicem pugnent circa diuinam generationem, ac Messiæ diuinitatem; nõ est igitur locus aliquo modo suppositus sed proprius Sacræ Scripturæ, per os Dauid dictante Spiritu Sancto dispositus ad probandum simul vtrumque præcipuum Christianæ religionis mysteriũ. Quibus accedit ad hominẽ contra Mahumetanos authoritas celeberrimi inter ipsos authoris libri Chamus, vbi in dictione oulad afferrens dicta verba ex Psal.2. sic ait ex Arabico in Latinum redditus: *Exindè dictum, Dei omnipotentis ad Iesum filium Mariæ, ad quem Dei sunt orationes, & pax. Tu es filius meus, & ego genui te*. Iisdem igitur verbis Mahumetano, & quidem insigni inter eos, hunc eumdem de quo agimus Sacræ Scripturæ locum referente, & diuinum testante, clarissimè constat, vère locum esse Scripturæ proprium, & non aliquo vitiante suppositum.

Alter è nouo testamento locus, quo pariter Christi Messię diuinitas, personarumque diuinarum pluralitas probatur, habetur Ioannis 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et infra: *Et Verbum caro factum est*; sed hic etiam locus non est suppositus; ergò multo minus alius quilibet de Christo minora prædicans, suppositus dici potest. Probatur autem minor, quoniam si qua ratio suspicionẽ posset ingerere de illius suppositione, illa maximè esset, quod ibi Christus dicitur Deus, Deique filius, multumque consequenter fauet Christianorũ fidei; sed talem rationem nullam esse, nihilq; probare, patet ex eo quod, si quid probaret, vim quoque haberet contra aliũ locum ex Psalmo 2. desumptum, si quidem ille pari modo facit pro Christianorum fide, cum asserat Christum esse Dei filium, & à Deo genitum. Verũ contra illum vim non habet, vt vidimus, ergo nec contra hunc ex Ioanne adductum; Quid enim proficiet Mahumetanus negando hunc locum, cum parem negare non possit? & quomodo hic potest suppositítius præsumi, cum alius illi per omnia similis, vel fortè etiam efficacior certus sit, & verus? Probatur insuper dictum Ioannis locum non esse suppositítium ex ipsomet Alchorano, vbi cap.3. cui titulus est de Mulieribus sic ait: *Enim vero Christus Iesus filius Mariæ, est Apostolus Dei, & verbum Dei, quod ipse Deus immisit in Mariam, & est Spiritus procedens ex Deo*. Hæc namque verba non solùm idem sonare, sed & significare, ac illa S. Ioannis patebit diligenter ea consideranti; vt enim inimici etiam nostri essent iudices, salutemq; ex illis haberemus, Deo ita disponente, quid clarius dici poterat à Mahumete vt Christum esse filium Dei, & esse Deum, personamque in eo distinctam fateretur, quam vocando illum Verbũ Dei, & Spiritum procedentem ex Deo, si quidem vt explicatur in mysterio Trinitatis, Christũ esse spirituale Dei verbum, seu expressionem in diuina mente formatam per Dei intellectionem, est idem ac dicere esse filium Dei, & esse Deum Patri consubstantialem, ab eo autem personaliter distinctum agnoscit, dum ait esse spiritum procedentem ex Deo, quia nullus à semetipso potest procedere; similiter dum dicit, Christum esse verbum Dei; *quod ipse Deus immisit in Mariam*, illud idem significat, quod

Ioannes illis verbis: *Verbum caro factum est*. Quare præfatis Alcorani verbis benè expensis conuincuntur Mahumetani de integritate, & sinceritate eorum, quæ habentur cap. 1. Euangelij Sancti Ioannis, nec non ex dictis, Sacræ Scripturæ in vniuersum; quam ergò Christianis obijciunt illius adulterationem merum est figmentum, meraque impostura, nec non diffugium, vt veritatis in illa contentæ robori non subiaceant.

Quia autem præter suspicionem, an sacra eloquia in vniuersum, & quo ad omnes versiones, quæ per totum orbem quocumque idiomate extant, fuerint adulterata, quam sufficienter huc vsque exclusimus, posset aliquibus fortasse oboriri dubium de corruptione, si non omnium, saltem plurium partium; & si non omnium, saltem etiam plurium, vel vnius, aut alterius editionis notabili ex parte; longiori huius rei discussioni hic supersedeo, tùm quia illam tomo 2. iam citato ad copiam tractaui, vbi etiam solui omnes antologias, vel contradictiones apparentes, quibus aduersarij diuinarum Scripturarum nostrarum authoritatem eneruare conantur; tum etiam quia contra istud dubium, vel suspicionem faciunt omnes rationes, omniaque argumenta superius allata ad auferendã suspicionem de vniuersali adulteratione: cum enim probent omnes prorsus Scripturas non fuisse adulteratas, probant etiam, nec fuisse vitiatas singulas, quæ cum vniuersis conueniunt; vitiatas siquidem vel adulteratas cum sinceris, & integris discordare necesse est, non autem conuenire. Igitur si aliqua versio, vel plures versiones fuissent corruptæ, illæ plures, vel illa vna, cum omnibus non concordarent. Vndè statim error ex integris deprehenderetur, inspecta lectionis varietate. At nusquam talis disparitas deprehensa est, cum tanta sit conformitas versionum omnium, in tanta editionum multiplicitate, & codicum earum numero. Propterea tamen negari non debet, quin varijs modis, vt citato tomo 2. notauimus, potuerit, & possit editio aliqua in aliquo vitiari, vel etiam pluribus codicibus, sed hoc nihil facit ad Scripturam de corruptione suspicandam; quoniam facilè in illo, vel pluribus codicibus, potuit, & poterit semper, collatione cum cæteris facta, deprehendi, & corrigi, ita vt vim potius habuerit, semperque habitura sit sinceritas plurium ad paucorum codicum vitium deprehendendum, quam adulteratio paucorum ad omnium integritatem vitiandam; & verò hanc Sacrarum Scripturarum indemnitatẽ suauitati diuinæ prouidentiæ apprimè congruere Mahumetani rationabiliter negare non possunt, qui easdem Scripturas, seu Tora, & Euangelium singulari Dei beneficio collata hominibus fuisse libenter concedunt.

CAPVT III.

Ostenditur vanitas Secta Mahumetana, ex defectu Prophetiarum quibus prædicta, & miraculorum quibus à Deo confirmata fuerit, nec non Sanctitatis fundatoris eiusdem.

CVm vera religio sit opus diuinũ, siue considerata principaliter ex parte eius, cui in ea creditur, solum habeat Deum authorem, atque adeo vbi primum, vel de nouo illa fundatur, ne locus detur imposturis, & quod humanum, vel diabolicum est tanquam diuinum suscipiatur, decorari debeat aliquibus signis solius Dei proprijs, omnisque creaturæ vires excedentibus, quibus fiat euidenter credibile eam fuisse ab ipso reuelatam, cuiusmodi sunt potissimum prophetiæ illius prænuntiæ, & miracula illius confirmatiua, vt diximus supra sect. 2. Quemadmodum ea religio, pro vera, diuinitusque reuelata indubitanter habenda est, quæ talibus fuerit munita signis, tanquam proprio diuinitatis sigillo, *Deus enim*, inquit D. Augustinus epist. 49. q. 6. *mirabilibus operibus loquitur*; ita falsa existimari debet ea, quæ illis caruerit. Impostores enim pos-

possunt sua verba iactare tanquam diuina, non verò diuina perpetrare miracula; idque est tam clarum, & euidens, vt Alchoranus ipse id ausus non sit negare, sed *capite de Credente* dixerit: *Non potest Apostolus signum aliquod perpetrare nisi diuina virtute: quando autem aduenit opus Dei, confirmatur veritas, seu rei veritas certa fit, & deficiunt impostores*. Igitur si ostendatur sectam Mahumetanam, Mahumetemque eius authorem nullis vnquam fuisse prænuntiatã prophetijs, nullisque ab eo comprobatã fuisse miraculis clarè apparebit eius vanitas, & impostura, maximè si componatur cum Religione Christiana à Christo fundata, à quo & Apostolis multa in eius confirmationem miracula facta fuisse fatetur idem Alchoranus, vi veritatis ita cogente, *cap. de familia Amram*, & *cap. de Meusa*.

Primùm autem Mahumetem, eiusque Sectam nullis fuisse annuntiatam prophetijs patebit excludendo nonnulla Scripturarum testimonia, quibus Mahumetani oppositum probare contendunt. Primum habetur Genes. cap. 17. v.20. *Super Ismael quoque exaudiui te*; vbi de Mahumete ab Abrahamo per filium Ismaelem descendente videtur fieri sermo; sed hoc esse falsum colligitur ex ipsomet sacro textu, intelligendumque esse de ipsomet Ismaele, & eius progenie, quoad mundi diuitias, & huius sæculi multiplicationem; non autem de religione, Sanctitate, & cœteris ad Dei cultum, vel amicitiam spectantibus. Ibi enim contraponuntur hæc duo, nempè Sanctitas, & diuinus cultus ex vna parte, & ex altera mundi cultus, multiplicatio, & diuitiæ; & quidem quæ mundi sunt, ibi Ismaeli promittuntur: diuina verò Isaaco, & semini eius, vt ex contextu patet; Abrahamo enim dubitanti primùm de promissione facta à Deo, quod ex Sara daturus esset illi filium, *cui* inquit, *benedicturus sum, eritque in nationes, & Reges populorum orientur ex eo*; dicentique proindè ad Deum: *Vtinam Ismael viuat coram te*: prius respondit ci Deus; *Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, & constituã pactum meum illi in fædus sempiternum, & semini eius post eum*. Deindè subiungit; *Super Ismael quoque exaudiui te; ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valdè: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero*. Ex quo etiam sequitur vanè à Mahumete, eiusque sequacibus vsurpatum fuisse titulum nobilitatis præcipuæ; etsi enim admittatur eum ortum duxisse ex Abraham, nihilominus illum non duxit ex libera, sed ex ancilla: Ismael enim Mahumetis radix, non ex Sara, sed ex Agar Saræ ancilla progenitus est. Vndè euidenter constat, Isaac ex Sara eidem Abrahamo natum, illiusque progeniem, esse Mahumete nobiliorem; vanèque propterea ab eo dici *in libro florum*, se ex nobilissima inter vniuersas ortum progenie; si quidem omnes stirpes, tam ex Iacob, quam ex Esau, filij Isaac, quæ plurimæ fuerunt, longè nobiliores sunt.

Alter Scripturæ locus, quo Mahumetes in veteri testamento dicitur à suis fuisse prænuntiatus desumitur ex lib. Deuteronomij cap.33.ver.2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan*; sed hic quoque locus non est intelligendus de Mahumete Mecæ in Arabia nato, verũ de Moyse, qui in monte Sinai legem acceperat; in montibus autem Seir, & Pharan, auxilium Domini, specialemq; eius protectionem senserat in deserto, per quod filios Israel deducebat, vbi præfati montes siti sunt.

Tertius similiter locus ex Psalmo 71. *Reges Arabum, & Saba dona addacent. Et dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper*: nihil fauet Mahumetanorum intento; quicquid enim sit an per Saba intelligenda sit Meca, an non; ibi prędicitur non Mahumetis aduentus, sed Magorum, seu Regum, ex Tharsi, & Arabia, & Saba venientium ad Christum adorandum, quando obtule-

tulerunt ei aurum, thus, & myrrham, pro vt refert S. Mathæus cap. 2.

Nec etiam quartus locus Isaiæ 21. vbi dicitur, *Et vidit currum duorũ equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli*, facit sensum de Christo, & de Mahumete, quasi ibi significetur per ascensorem asini Christus, per ascensorem verò cameli Mahumetes, quia camelariam exercuit; sed loquitur Propheta de Babylonis ruina facienda per Darium, & Cyrum Reges Medorum, & Persarum, quando Baldassar Rex Babylonis crapulæ & ebrietati cum suis magnatibus vacabat; vndè ait Propheta: *Contemplare comedentes & bibentes*; deindè significans inopinatum exercituũ inimicorum aduentum, subdit: *Surgite Principes, arripite clypeum:* denotans verò præfatorum Regum fœderationem contra Babylonem ait: *Vidit currum duorum equitum*; & tandem ad significandam duorum exercituũ collegationem, seu militum cuiuscumque generis impetum in eamdem, subiungit ascensorem asini, & ascensorem cameli. Vndè satis patet hanc Isaiæ prophetiã nec Christo, nec Mahumeti posse accommodari. Solusque Zacharias Christum conscensurum asinum, prout in Euangelio narratur, prophetauit cap. 9. v. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator; ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ*; nulla mentione facta conscensoris cameli.

Multò minus quadrat Mahumeti locus Ioannis 15. v. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*: quo Mahumetani credunt fuisse Mahumetum à Christo prædictum, & promissum. Idque patebit consideranti omnia talis promissionis verba, & circumstantias, quę Mahumeti nullatenus cõgruere possunt; idem enim est Spiritus Paraclitus, & spiritus Sanctus, vt omnes Patres vno ore testantur, Mahumetem autem non fuisse Spiritum Sanctum, atque adeo Spiritum Paraclitum ibi promissũ, testatur ipsemet Alchoranus c. 1. & alibi, vbi loquens de Iesu Christo ait: *Et sanctificauimus eum, seu roborauimus Spiritu Sancto*; si quidẽ Mahumetes non extabat in rerum natura, dum Christus versaretur in terris, sed natus est sexcentis post annis; Spiritus igitur Sanctus alia est à Mahumete persona, qua longè ante ipsum Christus in Alchorano dicitur fuisse sanctificatus, seu roboratus: Et per cuius aduentum loco citato Ioannis, nec non capite vltimo Lucæ promisit Christus post suũ ascensum in Cęlum Apostolos induendos esse virtute ex alto, propterea que iussit eos ne ante dictum aduentum discederent ab vrbe Hierosolyma. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto.* Ex qua sedendi in ciuitate vsque ad Spiritus Sancti, seu Paracliti aduentum circumstantia, manifestè colligitur non potuisse ibi promitti Mahumetem, quia fuisset præceptum moraliter impossibile, & ab Apostolis non impletum; ipsi enim discesserunt ab vrbe Hierosolyma, pleriq; extra illã mortui sunt, & omnes Christi discipuli, longè ante Mahumetis aduentum ex hac vita migrauerunt: Ergo dum à Christo locis citatis fuit promissus Spiritus Paraclitus, seu Spiritus Sãctus non fuit promissus, nec prædictus Mahumetes. Tandem Spiritus Sanctus à Christo dicitur mittendus non multos dies post suam ascensionem Act. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies*; Mahumetes autem natus est non solùm multos post dies, sed etiam multos post annos, sexcentos nimirum ab eo tempore, non igitur potest dici Spiritus Paraclitus à Christo promissus; vt ineptè, & absque vllo prorsus fundamento sibi fingunt Mahumetani; quodque consequenter Christi lex à Mahumetis lege abrogata fuerit, sicut lex scripta fuit abrogata, vel potius quo ad ceremonialia mutata in melius

lius per Euangelium; id enim dici non posse de lege Mahumetana respectu Christianæ patebit infra ex illius spurcitie.

Porrò quod in nouo testamento obijciunt dici à Christo Domino, in cælo se bibiturum, & suos discipulos comesturos, & sessuros ad mensam suam in regno suo, nihil penitus confert ad probandam similitudinem Alchorani cum Euangelio, siue quod Euangelium fuerit figura, & vmbra legis per Mahumetem in eo promulgatæ; cum in præfatis aut alijs similibus locis non significetur comestio vera, corporea, sed metaphorica, pro vt accipitur Ioann. 14. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Deindè: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me*: Et Matth. 4. *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Igitur dum Christus ait suos discipulos sessuros ad mensam suam in regno suo; item psal. 16. dicitur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; & Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuę potabis eos*; non significatur in Paradisi gloria futura aliqua propria comestio & potatio, sicut illam promittit Alchoranus, indeque carnalem complexũ cum puellis, & cæli mulieribus, sed metaphorica, quia sicut cibus, & potus in hac vita temporali nos alunt simul, & delectant; ita visio beatifica, indèque amor subsequens, in quibus Christiani æternam suam beatitudinem collocant, beatos viuificat simul, & delectat. Eodem modo intelligitur, quod Archangelus Raphael sub specie hominis Tobiam iuniorem comitatus ait c. 12. *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest vtor*; significans nimirum his verbis Angelos bibere, & comedere metaphoricè, & spiritualiter; nempè Deum videndo, non verò carnaliter, sicut non habent veros dentes, verum palatum, nec stomachũ, & cætera membra ad comestionem necessaria; vndè si quando in Scripturis eos comedisse narratur, ad comitatem, & sodalitatem, tanquam homines cum hominibus, id officiosè simulauerunt, siue apparenter solùm fecerunt, vt patet ex loco statim citato Tob. 12.

At respondent aliqui Mahumetani inter quos Auicenna in lib. de Almahad cap. 3. Mahumetem quoque locutum fuisse de comestione, & potatione metaphorica, vsumque fuisse similitudinibus ex rebus sensibilibus desumptis ad explicandam beatitudinem spiritualem; verum quidquid sit de hoc, cuius oppositum clarè sonant verba, & modus loquendi Mahumetis, creduntque ferè omnes Mahumetani, non aliam beatitudinem, quam Epicuream, seu voluptariam intelligentes, & expectantes, illo adhuc gratis admisso, nihil fauet eorum intento, siue ad probandum, quod lex Christi fuerit vmbra legis Mahumetanæ, per ipsam abroganda, sed tantum quod Mahumetes tàm hanc, quam alias similes metaphoras ex Euangelio corraserit; sicut aduersarij non concederent legem Mahumetanam esse figuram, vel vmbram alterius nouæ sectæ, quæ aliquibus tantum modis loquendi in Alchorano contentis vteretur.

Si autem Alchoranus non est lex Dei propterea quod neque Tora, hoc est lex vetus, neque Euangelium, quæ diuinas leges esse fatetur ipsemet Mahumetes, vllum ei testimonium perhibẽt, siue in illis nulla Mahumetis, Sectæq; ab eo instituendæ prædictio, vel promissio habeatur; multo magis non est dicenda talis defectu miraculorum in eius comprobationem perpetratorum à Mahumete; quare multis hanc ob causam illi non credentibus, aut ab eo recedentibus, vt ipse in Alchorano testatur cap. *De Rum.* c. *de brutis*, c. *de Alforcan*, varias semper adducebant excusationes, quas certè non adduxisset, si aliqua palam vera miracula operatus fuisset, nunc asserens miracula ad nihilum proficere; nunc fidem apud Deum meritoriam non esse, visis miraculis; nũc denique non esse à Deo se missum ad facien-

faciendū miracula, sed tantùm ad prædicandum, iustis pollicendo præmia, impijs verò comminando pœnas, & tormenta.

At cum aduerteret egregius ille impostor, hoc esse, quod petebatur ab eis, quibus suam doctrinam tanquam diuinitus traditā credendā proponebat, scilicet; quonam signo, quonam miraculo, se à Deo missum significaret? quomodo se Apostolum Dei probaret, cum chirographum suæ delegationis diuino sigillo munitum non ostenderet? indeque suas imposturas facilè deprehendi, ac detegi posse, nisi miraculorum subsidium aliquo modo sibi emendicaret, propterea, cum factis ostendere palam vera non posset, excogitauit saltem verbis ficta referre; hinc cap. *De Luna* ait se quoddam in ea miraculum patrasse, diuisam scilicet reintegrando, & cap. *De stella* in cælum ascendisse, & vsque ad Deum accessisse, quanti sunt duo arcus iactus. Capite quoque *De transitu* breuiter refert, latiusque glossa ibi, & liber Agar, raptum suum in cælum super iumentum nomine Alborach, cui recusanti cum suo dorso excipere promiserat, eum non solum in Paradisum introducturum, verum etiam inter bruta animalia primum omnium paradisi gloriā adepturum. Quibus omnibus, & similibus figmentis, cum nihil absurdius excogitari possit, adeò vt pudeat illa referre, nec magis etiam alienum à veris miraculis, quæ à Moyse, & Christo legislatoribus facta fuisse concedunt ipsimet Mahumetani, quæque in dies fiunt in Religione Christiana, quam Romano-Catholica profitetur Ecclesia, quorum veritatem ijdem Mahumetani non negant, & vtilitatem interdum sentiunt in suorum corporum incolumitate; manifestè sequitur, & patet legi Mahumetanæ deesse conditionē legis, quę à Deo esse dicitur, hoc est testimonium fidele certitudinis suæ, & rectitudinis per prophetias, & miracula; quemadmodum enim veritas, quæ subiacet facultati naturali intellectus declaratur, & firmatur per reductionem ad principia per se nota, ita veritas, quæ transcēdit luminis naturalis fines, qualis est doctrina diuinitus reuelata, vbi primùm traditur, probari debet, ac firmari per opera miraculosa soli Deo possibilia, qualia sunt prænuntiandi futura, & patrandi miracula.

Vt ex parte Dei, qui est primarius author veræ religionis, cuique in ea creditur requiruntur prophetiæ, & miracula, quibus de diuina eius reuelatione nobis constet, ita ex parte minus principalis sub Deo fundatoris desideratur eximia vitæ Sanctitas; qua etiam caruit Mahumetes. Quam igitur Sanctus fuit Christus, quàm Sancti Apostoli religionis ab eo primum fundatæ per vniuersum deinceps orbem propagatores, vt fatentur quoque Mahumetani; tàm iniquus fuit Mahumetes, non solùm ob impiā quam tradidit doctrinam, ex dicendis infra, verùm etiam ob impurissimam, & obscænissimam, quam duxit vitam, libidinibus plenam, quam Mahumetani ipsi non negant, sed excusare conantur; cum enim ex Philosopho lib. 2. Ethic. cap. 3. *Tria sunt ob quæ quispiam expetit, honestum, vtile, & iucundum, & tria illis contraria, ob quæ fugit, turpe, inutile, & molestum. Bonus quidem vir circa hæc omnia rectè agit. Malus autem peccat: ac præcipuè circa voluptatem*; malitiam suam Mahumetes clarius prodere non poterat, quam carnis suæ delectamenta sectando. Apage ergo quos illi dant sequaces, quosque sibi ipsi tribuit titulos, super omnes Sanctissimi, Prophetarum optimi, Apostoli Dei, omnium creaturarum excellētissimæ, Deoque charissimæ; Etsi enim prophetiæ donum necessariò morum probitatem non requirat, aut mentis Sanctimoniam, vndè Matthæi 7. ex persona damnatorum dicitur; *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus*; & Apostolus 1. Corinth. 13. ait: *Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, &c. charitatem autem non habuero nihil sum*. Nihilominus donum prophetiæ

phetiæ non quibuscumque infunditur mentibus, quædam enim sunt peccata, vt ait S.Thomas, quæ vsum prophetiæ impediunt, quædam non; cum enim carnalia mentem à spiritualitate retrahant, ex hoc ipso quod aliquis est peccatis carnalibus subditus, ineptus ad prophetiam redditur, ad cuius reuelationem mentis spiritualitas requiritur. Peccata verò spiritualia, spiritualitatem mentis non ita impediunt, & ideo contingit aliquem esse prophetam, spiritualibus peccatis subditum, non autem carnalibus; vndè dicit Rabbi Moyses ab eodem D. Thoma citatus, quod hoc est signum, quod aliquis est falsus Propheta, quando voluptatibus sæculi detinetur; Igitur, quam impius Mahumetes carnalib⁹ peccatis magis inuolutus fuit, stuprisque, libidinibus, & adulterijs supra modum deditus, tam dono Prophetiæ, Prophetęque Domini nomine indignus est, quin potius Pseudopropheta, & impostor eximius appellandus est, præsignatus à Diuo Ioanne in Apocalypsi cap.13. per bestiam, quam ibi describens ait: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco; Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius: & fecit terram, & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis. Et fecit signa magna, vt etiam ignem fecerat de cœlo descendere in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. Et datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ: & faciat, vt quicumque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur.* Hic enim Beati Ioannis Apostoli verbis octo potissimum continentur Mahumetis maximè propria, quibus Cardinalis de Turrecremata lib. contra errores Mahumetis cap. 1. docet eum ibi fuisse pręfiguratum. *Primoque*, quia fuit vita scelestissimus, dicitur bestia; *secundò*, quia prædo cupidissimus, ascendens de terra; *tertiò*, quia simulator sanctitatis pessimus, habens cornua duo similia agni; *quartò*, quia in doctrina virulentissimus, loquens sicut draco; *quintò*, quia in malis operandis studiosissimus, potestatem prioris bestiæ omnẽ faciens; *sextò*, quia temerarius, & arrogantissimus, faciens terram, & habitatores in ea adorare bestiam; *septimò*, quia seductor periculosissimus faciens signa magna; *octauò* tandem, quia tyrannus crudelissimus, dicitur faciens, vt quicumque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur.

CAPVT IV.

Ostenditur falsitas legis Mahumetanæ, ex parte rerum in ea ad credendum propositarum; quia multa continet turpia, & iniusta, multa inter se contraria, rationique humanæ dissona; ac tandem, quia caret vi, & efficacia in mutandis & afficiendis animis.

QVia singula in titulo huius capitis cõprehensa referre nimis longum esset, præcipua dumtaxat indicabo: Primumque legem Mahumetanam plura continere turpia, & iniusta manifestè constat ex hoc, quod tam effrẹnes carni, vt ea tanquam pręcipua excolatur, habenas laxat, tot vni viro fœminas prostituendo, nec non etiam cum ancillis, licet innumeris, inuitis quoque vxoribus, omnem libidinis turpitudinẽ permittendo; sique ieiunij, & orationis, cuius fucum ad facilius decipiendum Alchoranus assumpsit, præceptum diligenter examinetur, non ita esse institutum reperietur, vt possit eius operationalis portio, cui principatus debetur, victoriam de sensuum concupiscentijs reportare, & carnem subijcere, sed ieiunij tantùm nomine retento, iuberi potius sub ieiunij specie crapulas, & ebrietates, & specie orationis libidinis exercitationem. Tale namque ieiunium præcipit cap. *De Vacca*: Vt scilicet die tan-

tantum ieiunij : id est quamdiu Sol intra orizontis lineam fertur, illicita sit omnis comestio, omnisque etiam tactus propriæ licet vxoris. At post Solis occasum bibant, & ingurgitentur crapula, & copula, vsque dum illucescat aurora. Quis autem vir prudens ieiunium credat, interdiu cibo abstinere, si noctu quis nullo ciborum delectu habito crapuletur? Profectò plusquam sufficiet carni, intra viginti quatuor horas posse duodecim horarum spatio ventri indulgere: reliquæ enim duodecim somno post crapulam debentur; nocturna crapula, & copula corpus cogente potius ad dormitionem, quam excitet animum ad orationem. Vndè satis patet nihil abstinentię in hac ieiunandi formula contineri, sed tantùm temporis variationem, nempè vt noctu fiat, quod aliàs interdiu fiebat, & è contra, ita vt nox in diem, & dies in noctem vertatur; quare per illam nec carni quidquam detrahitur, & Spiritui nihil tribuitur.

Verùm quod summa turpitudinis est, nedum in hac vita lex Mahumetana ita liberaliter carni indulget, sed etiam in altera æternam beatitudinem in eius oblectamētis fęde collocat; promittens eius professoribus tūc fruituros virginibus, seu puellisquibusdā, non humanæ, sed altioris naturæ, singulis tribuendas saltem singulas: potiones vini, & aquarum diuersi generis: epulas, & vestimenta, & ornamenta, gemmasque pretiosas, & similia, quæ vt pudet referre, ita puduit Auicennam ea proprie intelligere, vndè in lib. de Almahad cap. 3. ait Mahumetem eiusmodi metaphoris solùm voluisse explicare beatitudinem spiritualem, at hoc gratis dici ab illo, constat ex communi Mahumetanorum consensu non aliam beatitudinem, quam voluptuariam expectantium, tum etiam maximè ex modo loquendi, quo, nulla prorsus adhibita cautela, nullaque monitione impropriæ, vel metaphoricæ locutionis, vtitur in descriptione mēsarum, distinctione paradisorum, fontium, epularū, patinarum, cyathorum, aquarū diuersi generis; deindè post comestionem promittit dictarum puellarum amplexus. Indè enim patet Mahumetem nō metaphoricè, sed propriè locutum fuisse. In nostris siquidem Scripturis, licet interdum aliquarum dictionum ex rebus sensibilibus, etiam comestionis, & potationis desumptarum vsus reperiatur, ad explicandam vtcumque naturā veræ beatitudinis in visione, & fruitione Dei consistentis, alibi tamen monemur eas non propriè, sed metaphoricè sumi, docemurque expresè non in esca, & potu regnum Dei positum esse; & qua Sanctitate, & honestate præditæ sunt Sacræ nostræ Scripturæ, intelligentes earum Scriptores, & interpretes, quodque si in aliquibus rebus sensibilibus digna, & apta sit metaphora, ad significanda æternæ beatitudinis gaudia, in illa tamen, quæ ex carnalibus cum puellis, & mulieribus amplexibus deducuntur, appareat turpitudo, nunquam illa vsi sunt; quin potius asserunt homines beatos Angelis similes futuros, ab ista voluptuaria vita alienissimos; ita docente Christo Domino Matth. 22. Marci 12. & Lucæ 20. *In cælo non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.*

Non solùm in Alchorano turpia, sed plura etiam docentur iniusta, & iniqua nihil autem sanctum; cum enim perfectio iustitiæ obiectiuè consideratæ, in eo cōsistat, vt homo ordinetur ad Deū, piè eum colendo, iustaque de illo sentiendo; ad seipsum, ab immunditijs se honestè custodiendo; ad proximum eū debitè amando. Mahumetes vt vniuersam distorqueret iustitiæ rectitudinem primo Deum fecit omnium peccatorum authorem; quin imò, cum euidens sit, ac certum peccata à Deo præcipi non posse, vnde ipsemet in cap. *de Muro*, respondens illorum excusationi, qui dicebant à Deo sibi fuisse præcepta turpia, immediatè subdit talia: *Responde: certè Deus non*

præ-

præcipit turpia : num dicitis contra Deū quod nescitis? dic: præcipit Dominus meus recta, & iusta; nihilominus vt similis illis,quos reprehendit,fieret, audet passim diuinam authoritatem asserere, suas turpitudines, & adulteria præcipientem; Deumque insuper dicere,deceptorem, fraudulentum, & impostorem cap. *de familia Amram*, & cap. *de Mulieribus*,non sumendo eiusmodi terminos, vt aliqui conantur eum excusare pro cautum, astutum, seu aduertentem, & perspicacem, sed vsitata, & communi significatione pro decipere, & fraudulenter agere, vt patet ex textu. Secundò iustitiæ hominis ad se ipsum rectitudinem, qua ab immunditijs se custodire debet, apertè violat, dum vt diximus supra, dat cunctis licentiam, plures vxores sibi copulandi, ancillis omnibus, inuitis etiam vxoribus,se commiscendi. Insuper & vxores, tam secundum naturam, quam cōtra adeundi; capite enim 1. ait: Vxores vestræ sunt aratura vestra, serite ergo semen quomodocumque vultis, & offerte animabus vestris. Tertiò denique præceptum, quod suis tantoperè cōmendat cap. *de Pænitentia*, seu *de Gladio*, & alibi, vt occidant omnes nisi fiant Mahumetani, nonne euidens est iniustitia contra proximum? nec tā iniusti, tamque immitis præcepti ratio assignari potest,vt omnes fideles fierēt, & saluarentur; cum ipsemet Alchoranus cap. 1. & 4. apertè doceat, Iudæos, Christianos, & etiam Paganos per suā legem saluari,& Paradisi gloriam consequi, ad quid præcipere eos ab ea lege etiam vi,& armis deterreri, per quā, iuxta eius sententiam salutem assequuntur; non alia igitur de causa id iussisse dicendum, nisi vt in hoc iniustè proximo vim inferret, & vt ex ore suo semetipsum damnaret, secundum ea, quæ habet cap. 2. de familia Arami, contra homicidas, potissimumque indè appareret huius impostoris calliditas, & versutia, qua, vt suos sequaces facilius deciperet, omnium quidem virtutum actus in genere commendare,& proponere videtur, verùm ad specialia,& singularia si respiciamus nonnisi plura inhonesta, & iniusta præcipit, nihil autem Sanctum.

Nec obest quod in Mahumetanis videantur interdum nonnulla Sanctitatis indicia, tum in abstinentia vini,& nonnullorum ciborum, tum in precibus suis,peregrinationibus,officijs misericordiæ, nec non aliquibus etiam asperioris vitæ, & rigidioris institutis; *Primò* enim, cum de religione dissceritur, obseruandum est, non ad personarum, seu eorum, qui illam profitentur vitam, & mores, sed ad eiusdem religionis instituta, & leges, seu disciplinam attendendum esse. Contingere siquidem potest, vt qui religionem veram profitentur, eius tamen disciplinā non seruent,nec sanctè conformiter ad illam viuant;ita vicissim fieri potest, vt religionis falsæ, & superstitiosæ sectator,aliquibus virtutibꝰ moralibus prędictus sit, quia tamen erga Deum iniustus est, vt potè fide, spe, charitate, cęterisque virtutibus, quæ Deum respiciunt carens, is nec absolutè bonus, aut Sanctus; nec beatitudine vera dignus est. *Secundò* notandum est Sanctitatem cum externa specie Sanctitatis confundendam non esse, nec virtutem cum officijs virtutis. Nec enim qui fortia, & iusta agit, is necessariò iustus est; sed qui iustè,& fortiter agit, idest, animo iusto, & forti. Si quidem virtus, bonitas moralis, & Sanctitas, res animi sunt, non corporis, nec externæ; & quæ illius officia corporea sunt, vel sensibus patent, in tantum virtutis opera sunt,& ad eam spectant, in quantum ab animo bono, studioso, sanctoque fiunt: at quia eadem animo non bono fieri possunt, inde fit, vt qui ea facit Sanctum esse necesse non sit, nec externæ illæ, apparentesque notæ virtutis semper eiusdem argumenta certa sunt. Eamque ob causam fit etiam, vt sola beatitudo virtutis veræ præmium sit, quodque solus Deus cor-

cordium ſcrutator veræ beatitudinis largitor, nec non virtutis illam promerentis iudex legitimus, ac remunerator exiſtat.

Ex his ergò habetur, & probatio noſtri aſſerti, nullā videlicet in religione Mahumetana Sanctitatis veræ rationem eſſe, & ſolutio obiectionis allatæ, quod aliqua ſint in Mahumetanis Sanctitatis indicia. Primùm patet non ſolùm ea ratione generali, qua eius doctrina vera fide caret ad iuſtitiam, & Sanctitatem requiſita, aut quia plura continet turpia, & iniuſta, cum ad rationem boni, qualis eſt lex ſancta, integra requiratur cauſa, malum autem ſit ex quocumque defectu; verùm quia in particulari nullam de rebus diuinis ſcientiam continet, ob quam mereatur nomen legis diuinæ, ſeu poſſit, & debeat credi Mahumetem fuiſſe Dei nūtium, vel Apoſtolum. Quod enim ipſe ait, ſe à Deo miſſum ad Arabes, vt eos ab Idolorum cultu ad Dei veri cognitionem, & cultum vi armorum conuerteret, ineptum eſt, omninoque inſufficiens, vt dicatur religionis Sanctæ inſtitutor; doctrinamque, vel legem diuinitus reuelatam mundo attuliſſe; cum abſque vlla reuelatione diuina, aut interprete Dei, qualem ſe fingit Mahumetes, ſola Philoſophia, lumenque naturale, & doctis euidenti ratione eam veritatem ſuadere, & indoctos, vt idipſum certiſſimè credant, mouere poſſit; proindèque ad id hominibus rationis compotibus perſuadendū aptior erat Philoſophus, quam Mahumetes ferro, igneque armatus; ſique Arabes non aliam ob cauſam credere debuerunt illum eſſe Dei nuntium, quam vt ei aſſerenti non alium Deum eſſe, quā Deum, ſuperuacanea omnino fuit eius miſſio, legatioque; nam hoc erat iam non ſolùm per philoſophiam, ſed & per legem Moſaicam, & Euangelicam omnibus notiſſimum. Quas tandem imperat ablutiones corporeas pro purgandis animis, quibuſque ſe à ſordibus libidinum ſuarum mundari credunt Mahumetani, inanis, & vana ſuperſtitio eſt, niſi ſit vt ſummum interioris pœnitentiæ, & affectus ſignum; aliquid autem Sanctum dici non poteſt, cum non ſit Sacramentum à Deo ad remiſſionem peccatorum inſtitutum.

Patet etiam ſecundò, quæ à Mahumetanis pietatis, miſericordiæ, vitæque auſterioris opera externa fiunt, nullo modo eſſe argumenta religionis eorum legitimæ, vel ſanctæ. Vt enim omittam eiuſmodi opera reperiri in Iudæis, & in Chriſtianis, quorum religionem bonam eſſe, eoſque in ea ſaluari poſſe, forſan reſponderet Mahumetanus; ſuppetunt nobis idololatræ, quos damnat Mahumetes, profiteturque ſuam Sectam à Deo inſtitutā vt omnium falſorum numinum, idolorumque cultum, vi, ferro, flammaque exterminaret, & tamen vt conſtat ex eorum hiſtorijs tàm antiquis, quā modernis, quæcumque in Mahumetanis pietatis, aut virtutis ſigna commendantur, ea in idololatris illuſtria cernuntur. Igitur dicendum eſt, aut idololatras veram quoque religionem colere, & ita viuere, vt de eorum ſalute ſperari benè debeat; quod eſt abſurdū, cur enim iuſſiſſet Mahumetes eos vi cogi, vt mutato vitæ inſtituto, & abiecta idololatria vnius Dei cultum amplecterentur; aut, quod verum eſt, præfata opera nequaquam eſſe veræ, ac Sanctæ religionis argumenta; proptereaque minimè poſſe Mahumetanos gloriari, ſe ideo veram ac ſanctam religionem obſeruare, quia illa eadem opera oſtentat, quæ cum idololatris, quos damnat, communia habet.

Dicente igitur Regio Propheta, ſuadenteque ipſa ratione *legem Domini immaculatam eſſe; iuſtitiaſque eius rectas* in omnibus, quæ proponit credenda, & agenda; quis pro vera, quis pro diuina habeat? imo quis rationabiliter legem appellet Alchorani librum, carnalia in hac vita proponentem, in altera pro beatitudine eadem promittentem, iniuſta præcipientem, nihil

autem

autem prorsus Sanctum docentem?

Cum insuper idem Regius Propheta Psal. 18. inter alias diuinæ legis conditiones eam assignauerit, quod in suis credendis nullo modo possit aliquid nõ verum aut contradictorium continere, vt his expressit verbis *Iudicia Domini vera*; tot certa habemus argumenta, quod lex Mahumetana defectu huius etiam conditionis non sit lex diuina, quot in ea reperiuntur mendacia, quot contradictiones. Præcipua mendacia sunt, quia singula referẽdi nullus esset finis, quod cap. 2. *de familia Amrani*, & cap. 1. *de Maria*, dicat Mariam semper Virginem Iesu Christi Matrem, esse Mariam Amrani filiam, sororem Moysis, & Aaron; cum inter vtramque Mariam longa plurium sæculorum spatia intercesserint; nec tam apertum mendacium excusat responsio, quam aliqui Mahumetani adhibent, nempe illam eamdem Mariam Amrani filiam fuisse miraculosè à Deo vsque ad illa tempora seruatam, vt Christum pareret; vt enim omittam Sacræ Scripturæ authoritatem numer. c. 20. vbi expresse habetur illam obijsse, conueniuntque in hoc codices, tam qui sunt apud Christianos, quam qui extant apud Iudæos, vnde nulla corruptionis eorum suspicio rationabiliter suboriri potest; Alchoranus ipse testatur Mariam Christi Matrem ortam esse tempore Zachariæ: at illa Maria, soror Moysis, & Aaron nata est tempore Pharaonis in Aegypto, & non tempore Zacharię in Iudæa, nequaquam igitur à tam celebri mendacio excusari potest.

Aliud mendacium, eodem cap. 2. *de familia Amran* relatum est, quod templum Mecæ ædificatum sit omnium antiquissimum, seu primò fundatum, & extructum hominibus: cap. *de Iona*, quod diaboli audierint Alchoranum, & in Deum crediderint, indeque eius gloria fruituros esse: cap. *de Animalibus* nec non in lib. *Sonna*, asserit bruta esse rationis capacia, gentesque similes hominibus, eadem mereri, & demereri, & ad iudiciũ suscitanda, & in paradisi gloria beatificanda, aut ad inferni pœnas damnanda: quid plura tanquam certum apud Mahumetanos fertur, Mahumetem librum composuisse duodecim millia propositionum, cumque interrogatum, num veræ essent omnes? respondisse tres mille tantum veras esse non plures; adeo vt in duodecim mille propositionibus nouem millia mendaciorum protulerit; vnde quando mendacium in Mahumetani lege deprehẽditur, dicunt, hoc esse vnum ex nouem millibus. Verùm quod cætera superat mendacia, illud est, quo, vt diximus supra, sua flagitia auferendi vxorem proximi sui, & sibi prostituendi, aliaque similia, Dei nomine, Dei authoritate, sibi præcepta, passim iactat. En quam grauia contra historiarum, rerumque veritatem Mahumetes protulit mendacia, nunc quę contra semetipsum dixit, audiamus.

Immemor enim illius, quod mendacem oportet esse memorem, Deoque ita permittente, vt manifestius cunctis appareret eius legem esse falsam, ab eaque diuinę legis ratione, & conditione deficere, qua vt ait Regius Propheta, *iustificata est in semetipsa*, hoc est, sibi perpetuò constans, innumera contradictoriè opposita in Alchorano asseruit, nunc retractans, nunc destruens, quæ prius astruxerat. Talia sunt imprimis, quod singula eius capita inscribuntur esse, vel *Medinensia*, vel *Mechensia*; id est, vel composita Mecæ, vbi Mahumetes traduxit decem annos, postquam se Prophetam effinxit; vel composita Medinæ, vbi Meca eiectus spatio decẽ dierum dissita, tredecim annos moratus est: & tamen cap. 1. *de Vacca*; cap. *de fumo*; cap. *Elcadar*, & cap. *de Alchorano*, seu *Alforcano*, dicit Alchoranum, singulaque eius capita simul in nocte quadam mensis Ramadan correspondentis nostro mensi Iulio, fuisse accepta.

Vbi aperta habetur cõtradictio; hæc enim nox vel fuit transacta Mecæ, vel Medinæ; si primum respondeatur, falsum

ſum afferēt tituli,qui inſcribuntur *Medinenſes*; Si autem ſecundum, falſum afferent tituli,qui inſcribuntur *Mechenſes*: Vel ſi dicatur, re vera quędam capita fuiſſe accepta Mecę, quędam verò Medinæ; iam falſum erit illud quod aſſerunt pręcitata capita de acceptione Alchorani in vna nocte menſis Ramadan,deſcendiſſeque totum ſimul;quodcumque ergo dicatur alterutrum deſtruitur, contradictionemue implicat. Item cap. 1. & 4. ait: Iudæos,& Chriſtianos ſalutem adepturos,nec non etiā Paganos, præcipitque, vt ſiue Iudæis, ſiue Chriſtianis, ſiue Paganis, & cuiuſcumque alterius ſectę, de lege Alchoranica ſciſcitantibus, ſic Mahumetani reſpondeant; At cap. 2. oppoſitum dicit his verbis: Quicumque profeſſus fuerit aliam legem, præter legem Mahumetanorum, non ſuſcipietur ab eo, & in alio ſæculo inter damnatos computabitur: Hæ autem propoſitiones; ſaluabuntur Iudæi, Chriſtiani,& Pagani: Nullus ſaluabitur, niſi ſolus Mahumetanus; ſunt contradictorię; particula enim, *nullus*, excludit omnes alios; ſicut particulæ Iudæi, Chriſtiani, Pagani, includunt etiam alios præter Mahumetanos; Preterquā ipſummet dogma, quod vnuſquiſque in ſua religione ſaluari poſſit,exploſum eſt ſupra ſect. 6. tanquam manifeſtam inuoluens contradictionem. Inſuper cap. 1. & 2. nec non cap. *de domo affabrè ornata*, aſſeritur diabolos eſſe hominum inimicos,mendaces, & perpetuò inferni ſupplicijs addictos; capite autem *de diabolis* dicitur,quod illi crediderunt Alchorano, & fideles euaſerunt, facti amici Dei,& hominum, quodque ſaluabuntur, & gloriam conſequentur: quæ etiam propoſitiones ſibi contradicunt,præterquā falſa eſt illa, quæ aſſerit dœmones ſaluari poſſe. Plura alia contradictoria adduci poſſent, verum, cum vel vnicū ſufficiat ad detegendam impoſturam, ſufficiāt etiam enumerata,ad oſtendendum iniquum Mahumetem mentitum eſſe ſibi.

Nunc videamus,quot etiam fabuloſa, rationique diſſona docuerit in eodem Alchorano; vt quod beatitudinem in voluptatibus carnalibus poſuerit, indeque forſan bruta animalia beatitudinis capacia aſſeruerit; docente in contrarium Philoſopho 10. Eth.c.8.quod, *Dei operatio cum beatitudine excellat, cōtemplatiua ſit, & ex humanis ea ſit fælicissima, quę huic maximè eſt cognata. Argumento illud eſt, quod cætera animalia, quæ tali operatione penitus carent, expertia felicitatis quoq; ſunt. Deo enim beata tota vita eſt; hominibus autem eatenus, quatenus ſimilitudo quædam eiuſmodi operationis in ipſis ineſt. At cæterorum animalium nullum eſt felix, propterea quod contemplationis particeps nullo modo eſt. Quouſque igitur protenditur contemplatio, eouſque etiam felicitas ſeſe extendit*. Sic Ariſtoteles loco citato, & Auguſtinus 12. de Ciuitate Dei cap. 1. omneſque eruditi vnanimiter; quod ſufficit inſinuaſſe,quæ enim in hac materia, & alijs falſa docuit Mahumetes, eorum confutatio deſumenda eſt ex Sūma Theologica, vbi de illis occaſione data agitur. Quæ item docuit in lib. *Sonna*, de terrę ſitu ſuper cornu Tauri, tunc verò eam moueri, quando Taurus caput mouet; & cap. *de antro*, de ſolis occidentis in feruentis aquæ fontem immerſione,ſunt omnino fabuloſa, rationique naturali, ac diſciplinis Philoſophicis in ea fundatis diſſona, quæ clarè oſtendunt terram non ſuper Tauri cornu ſitam, ſed in centro iacere ſuis ponderibus appenſam; ſolem verò nūquam ad aliquam terræ plagam, ſeu maris cadere, vt ineptè putauit Mahumetes, & *monſtruoſum eſſe ſuſpicari* ait Diuus Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad litteram cap. 10. ſed inceſſanter per cælorum ambitum, longè ſemper à terra remotum in ſuo cœlo circumcirca moueri. Similia ſunt quæ cap. *de muro ſito inter paradiſum, & gehennam* refert de camela, quod cum pullo ſuo tantę longitudinis eſſet,vt triginta millia paſſuū occuparet,& vna die omnes aquas ſor-

berent

berent, sequenti verò absorberent viros, & mulieres; & cap. *de formica*, de exercitibus Salomonis, dœmonum, hominum, & volucrum: De sermone auiũ, quem se apprehendisse, & didicisse asserit Salomon: De locutione formicæ in hæc verba coram Salomone, & exercitibus eius: *O formica introite in tabernacula vestra, ne lædat vos Salomon, & exercitus eius*; Subdit Alchoranus, quod audiens Salomon verba formicę risit. Deinde animaduertit deesse Vpupam in exercitu auium, & propterea comminatus est se illam interfecturum. At Vpupa non longè absens respondit, se ad Reginam Sabam iuisse, & sibi nuntium ferre de eius magnificentia, & diuitiis. Verùm scito, inquit, illam solem pro Deo colere. Atque his dictis Vpupa Salomonis beneuolentiam captauit. Tunc scripsit epistolam Salomon, quã per Vpupam ad Sabam misit: illamque epistolam causam fuisse Sabæ eundi ad Salomonem. Dum autem iret, agnoscens Salomon illius aduentum, per diaboli ministerium, Reginę Sabæ solium seu tabernaculum tulit Hierusalẽ: quod agnoscens Saba obstupuit. En quot vni narrationi huius aduentus ex Sacra Scriptura lib. 3. Reg. cap. 10. fabulosa, & fatua intermiscet Mahumetes, vt taceam innumera alia, quibus singulæ ferè Alchorani paginę sunt referrę; adeo vt apprimè illi competat, quod Regius Propheta ait de eius similibus Ps. 118. *Narrauerũt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua*, scilicet diuina; inter cuius conditiones prius Ps. 18. illam enumerarat, quod *Sapientiam præstat paruulis*; propterea quod in illa perfecta de rebus diuinis scientia, perfecta morum disciplina, quibus paruuli, hoc est homines prius ignari, rerum credendarum, & agẽdarum ad salutem necessariarum cognitionem, in qua vera sita est sapientia, comparare posũt, non autem fabellę narrãtur, aut neniæ, quales sunt Mahumeticæ, quarum notitia tantum abest, vt homines magis fiant sapientes, quin potius magis fatui redduntur, & insipientes.

Tandem, cum ea sit legis diuinæ, doctrinæue per eam traditæ conditio, vt sit conuertens animas ex eodem Regio Propheta; quod potest intelligi, vel ratione prophetiarum, ac miraculorũ, quibus firmatur, & ostenditur esse diuina, quatenus huiusmodi opera, quæ à solo Deo prouenire possunt, conuincunt mentem ad credendum, aliquam doctrinam fuisse ab eo reuelatam; vel ratione diuinæ cooperationis, non quidem visibilis per miracula, sed inuisibilis per internam inspirationem, gratiæque infusionem, qua præueniente, & operante, animus ad fidem inclinetur; postquam superiori capite ostendimus legem Mahumetanam haud posse dici conuertentem animas propter Dei attestationem per prophetias, aut miraculorum patrationem, quibus caret; nunc ad huius capitis coronidem, breuiter declarandum est, haud quoque esse talem ratione diuinæ cooperationis, seu doctrinam non habere efficacẽ ratione diuinæ cooperationis, quæ infusione gratiæ mentem ad assensum inclinet, quamuis ardua, naturam excedentia, & creditu difficilia proponantur; quæque per viam salutis ad gloriã perducat, & non per vitiorum anfractus in gehennam protrudat. Cuius duo inter cætera nobis suppetunt argumenta; primum desumitur ex vltimo, quem lex Mahumetanam proponit fine consistente in voluptatibus carnalibus, ea enim doctrina semel admissa, animisq; infixa, tantum abest, quod possit dici eos conuertere, vt indè potius omnem morum disciplinam peruerti, & quos talis doctrina informat, moribus deprauatissimos esse necesse sit. Quæ enim temperantia, quæ castitas libidinum obscænarum castigatrix, quæ cupiditatum, passionumque moderatio expectari potest ab eo, cui non alia quam voluptuaria felicitas, ac beatitudo proposita est; cuique proindè libidinosa vita, corporeaque voluptas summa votorum est. Quod vel vnicum argumentum satis

tis esset ad damnandum improbitatis, & impietatis sectam Mahumetanam, probandumque illam omnis veræ sanctitatis, omnisque efficaciç conuertendi animas expertem esse. Alterum tamen adhuc propono fundatum in ipsa experientia eorum qui desertis religionis Christianæ, quam profitetur Ecclesia Romana Catholica, castris ad Mahumetanorum partes transeunt. Quid enim apostatis, aut transfugis illis obscænius, ac impurius excogitari potest, qui non vi veritatis, aut doctrinæ animas conuertentis adacti, sed voluptatũ duntaxat illecebris allecti eas amplectuntur; vbi per oppositum, qui ex Mahumetanis, & alijs infidelibus Christianam religionem, vt vidi aliquos, seriò amplectuntur, non alio fine, ac motiuo, quam maioris sanctitatis amplectũtur, & ita conuertuntur, vt non modo, quã antea naturæ legem turpissimè violabant, postea facilè, & ad amussim obseruent, sed insuper in omni virtutum genere egregia perficiant, vt diximus sect. 2. cap. 21. Ex quibus omnibus satis vt puto demonstrata manet intenta legis Mahumetanæ falsitas, ex parte rerum in ea ad credendum propositarum, quia multa cõtinet turpia, & iniusta, multa inter se contraria, rationique humanæ dissona, ac tandem carentia vi & efficacia in conuertendis, & afficiendis animis.

Fatentur quidem nonnulli linguæ Arabicæ periti, vt etiam ab illis audiui, dum eam discerem, Alchoranum satis eleganti fuisse conscriptum stylo: verũ quia grammatica, aut styli elegantia non faciunt legem sanctam, sed sanctitas, & puritas doctrinæ per illam traditæ, nullum indè trahi potest argumentũ in fauorem legis Mahumetanæ; cùm etiam in dies obscęnissimos, & fabulosissimos libros varijs linguis elegantissimè componi cernamus; at si elegantia styli laudabilem vtcumque reddit Alchoranum; maiori certe vituperio dignum reddit illum obscurus, confusus, obscænus, libidinemque perpetuo redolens loquendi modus; nunc de menstruosis, nunc de coniugatis, nunc de viduis, nunc de puellis, nunc de coniugio, nunc de copula, de eius modo, de qualitate, de situ, de tempore, ac denique de vniuersis quæ ad eam pertinent, etiam sine occasione differendo; Mahumetis quippè animus aliud quam id, quo plenus erat, eructare non poterat.

CAPVT V.

Aperitur vanitas legis Mahumetanæ, ex parte eorum qui credunt, hoc est, ex defectu sanctitatis insignis, mutationis admirabilis, patientiæ inuincibilis, & multitudinis innumerabilis in illis, qui legi Mahumetanæ adhærent.

VT sectione secunda cap. 20. & sequentibus ostendimus eam religionem, qualis est Christiana Romana Catholica existimari debere veram, & à Deo profectam, si considerentur motiua, vel argumenta credibilitatis eius, qualia sunt ex parte illorum, qui credũt, *Sanctitas vitæ*, qua semper in præfata religione infinitæ personæ omnis conditionis, ætatis, & sexus insigniter floruerunt; *mutatio admirabilis*, qua sapiẽtissimi, & doctissimi etiam viri colla ei subiecerunt, *constantia, & patientia inuincibilis*, qua tot Sancti Martyres, qui anteà ne leuissimum quidem incommodum perferre poterant, postea pro religione Christiana etiam atrocissima tormenta alacri, & inuicto animo subierunt, ac tandem *multitudo innumerabilis* eorum, qui illam amplexi sunt; ita per oppositum manifestius deprehendi non potest falsitas, aut vanitas legis Mahumetanæ, si spectetur ex parte eorum, qui credunt, quam ostendendo in illa defectum omnium supradictorum motiuorum, vel argumentorum.

Nullam imprimis reperiri sanctitatẽ in Mahumetanæ legis sectatoribus, ex eo satis patet, quod etsi sanctitas legis non dependeat ex sanctitate personali aliquo-

aliquorum ea malè vtentium, vel in ea malè viuentium, vt loco citato cap. 17. ostendimus; attamen impossibile est aliquas esse personas sanctas, legem nō sanctam, aut impiam sequentes; sed vt superiori capite probauimus Mahumetani legem iniustam, ac impiam sequūtur, impossibile est igitur, quod aliqui inter eos sint sancti. Nec etiam faciūt, aut arguunt eos esse tales, nonnulla quæ ab ijs fiunt pietatis, misericordiæ, vitæque rigidioris opera externa, non solùm quia illa eadem sunt ipsis cum idololatris communia, quos nullus sanctos appellabit, verum etiam quoniam qui talia opera exercent, quales sunt potissimum eorum sanctones, Deruisii, Quouellij, seu Eremitæ, sunt alias omnium vitiorum, obscænitatum, ac superstitionum magicarum cloaca impurissima, vt referunt, qui inter eos vixerunt, & qui de illis scripserunt.

Deficit quoque in religione Mahumetana mutatio mirabilis doctissimorum, & sapientissimorum virorum, qui vt illam amplecterentur, suas vnquam reliquerint: Siquidē Mahumetani nulli fuerunt, nec sunt, nisi homines rudes, ignari, nullaque etiam humana scientia exculti, sique apud eos aliqui Doctores aut Philosophi aliquando fuere, vel etiamnum reperiuntur, quod rarissimum est, cum à litteris alienissimi sint ipsi sacrorum antistites, legisque illius doctores; compertum est eos Mahumetē contēpsisse, nec magis fuisse Mahumetanos, licet cum istis templa haberent communia, & cętus celebrarent, quam idololatræ olim erant Philosophi, qui quę numina cum populo in templis colebant, in scholis ludibrio habebant, negabantq; vt diximus sect. 4. Sic Auicenna, quod eum puderet legis Mahumetanę turpitudo, metaphoricè intelligenda esse dixit, quæ in Alchorano habentur de voluptuaria beatitudine; Sic Auerroes dicitur illam vocasse legem porcorum, alij bestiarum, non solum ratione rerum brutorum potius, quam hominum vitæ consentanearum, in illa traditarum, sed maximè ratione modi illam stabiliendi, hoc est, vt capite sequenti dicemus, metu, & ignorantia, Mahumetes enim prohibet aut de illa disputare, aut eam ad rationis sapientiæque normam reuocare; proptereaque indigna est, cui aliquando adhæserint, aut ad eam confugerint aliquando, ex quacumque secta Deum verum potissimum adorante, viri docti, aut sapientes; vt sect. 2. in lege Christiana contigisse ostendimus, quia licet, quę res diuinæ, mysteriaque in illa docentur, humanę mentis intelligentiam, & captum superent, minusque carni faueant, & sanguini, eiusmodi tamen sunt, vt cum ratione naturali sapientiaque non pugnent, & à sapientibus, cordatisque viris examinata, diligentiusq; perpensa motiua, & argumenta, quibus redditur euidenter credibile ea fuisse à Deo reuelata, probentur potius, quā refellantur; indeque tot ex illis mutatione sanè mirabili ad religionem Christianam conuersi fuerint, rigidique illius cultores effecti.

Sicut insuper fuit ordinatio alti diuina consilij, quod inter persecutionum tempestates Christi fides innumerabilium Martyrum irrigata sanguine vires caperet, premente persecutione cresceret, & impleret orbem, vt hoc modo Deus suæ omnipotentię mirabilia ostēdens significaret præfatam fidem esse diuinam, quæ mirabili quodam modo posset militibus suis, non hostes occidendo, sed eorum armis occumbendo, dare triumphum, & diminutione incrementum. Tam euidens est argumentū vanitatis, & inefficaciæ legis Mahumetanæ, quod illa non solum nullos habet Martyres, vt religio Christiana, sed ipse potius tot martyres effecerit, qui cum sola fidei Christianę abnegatione, mortem, & tormenta effugere, imo & pro tormentis obtinere delectamenta, pro morte vitam non solum, sed & diuitias, & dignitates possent, nihilominus his omnibus contemptis, se potius tormentis, pœnis, supplicijs, & morti

ti subijcere maluerunt.

Sectę tandem Mahumetanæ, quod aliquibus forsan prima facie paradoxũ videbitur, eo quod à mille iam & amplius annis duret, quod totam ferè Asiam, Africamque occupet, & ipsam Europam aliqua ex parte contaminet, deest multitudo sectatorum innumerabilis, ratione cuius posit dici habere vniuersalitatem temporis, locorum, & personarum, quam sect. 2. capit.25. & sequentibus ostendimus religioni Christianę inesse,in eaque certam esse veritatis eius notam, vel argumentum, attentis omnibus circumstantijs.

Primò enim non quæcumque vniuersalitas temporis, seu duratio est verę religionis nota, sed ea, quę mundo dicitur coæua, & à Deo primos homines edocta; qualem ostendimus esse religionem Christianam loco citato,nõ quia tunc fuerit à Christo Domino instituta,sed quia sicut idem homo varias ætates habet, & in illis varia officia, ita quę religio in lege naturali, & Iudaica tanquam in figuris, & vmbris pueritiã agebat, imperfecta, & rudis, eadem à Christo figurato perfecta cæpit habere, quę ætatem adultam decent, siue statũ ad finem vsque mundi perseueraturum; Hanc autem vniuersalitatem temporis non competere sectę Mahumetanę clarè patet, quia nec à Mahumete, qui tunc non existebat, fundata fuit in principio mundi, nec à Deo in lege naturali, & scripta prænuntiata,& promissa vnquam fuit,vt supra ostendimus. Vt insuper ex duratione, seu diuturnitate temporis posit argui rectitudo legis alicuius, requiritur, quod bonum eius fuerit initium à Deo, ac Dei viris per miracula euidẽtia, nam si falsa fuit, quando cæpit, quantumuis multa numeret sæcula,eadem semper remanebit: Secta autem Mahumetana ex dictis supra, nec in sui principio, nec vllis vnquam firmata fuit miraculis, sed tunc falsa fuit; ex hoc igitur quod iam per tot durauerit sęcula, non propterea potest argui rectitudo eius. Enimuero si antiquitatis iure præcisè certetur, cæcitas Iudæorum, & cum eorum secta per aduentum Christi cœpit esse falsa, atque superstitiosa, Mahumetanam lõgo interuallo anteuertit,& vtraque antiquior est idololatrarum confusio, & impietas, cui tamen ipso Mahumetano iudice, nec antiquitas, nec tot sæculorum series authoritatem conciliare vnquam potuit. Tandem vt constans religionis alicuius duratio, efficax sit veritatis, ac diuinitatis illius argumentum, sermo est de illa, quę persecutionibus tot hæreticorum, schismaticorum, & prauorum Christianorum insidijs, intestinisque seditionibus vexata, & agitata viget adhuc, & in animis piorum, doctorum, sapientissimorumque virorum, quo attentius consideratur, altius infixa perseuerat; cuiusmodi est religio Christiana;Non autem de illa,quæ nullum aliud habet suę durationis fundamentum, quam ignorantiam, & armorum terrorem,carnisque licentiam,qualis est Mahumetana: cum enim sensus, & cogitatio humani cordis prona sint ad malum omni tempore, & adolescẽtia sua, si lex concupiscentias, & delectamenta permittens, & carni fauorabilis per multum temporis duret, mirabile non est,aut quod in ea digitus Dei sit, argumentum. Hoc autem patet, & patuit in idololatria, quæ, vt statim dicebam, tot sæculis obtinuit orbem, nec adhuc vbique penitus extincta est: & tamen dici non potest,quod diuina virtus totum mundum ad idololatriam traxerit, nec quod diuina gratia illam in orbe seruauerit; sed potius, cur per tam ampla sæcula, per tam tam longa etiam terrarum spatia, mundum possederit, inde ortum esse, quod idololatria carnis voluptatibus, & concupiscentiis nedum fræna relaxabat; sed & stimulis etiam cogebat: propositis hinc Iouis stupris, adulterijs,raptibus; inde Veneris amoribus, Cupidi lasciuijs, Priapi turpitudinibus,Floræ prostibulis, Bacchi crapulis, & alijs similibus innumeris.

Quod de vniuersalitate temporis probauimus, eam videlicet Sectæ Mahumetanæ minimè patrocinari; idem à fortioti dicendum est de vniuersalitate locorum, seu dilatatione eiusdem per multas mundi prouincias, non solùm quia vt hæc vniuersalitatis nota, sicut & præcedens, religionem veram designet, necesse est vt salua sint alia religionis signa & rationes, ac nominatim Sanctitatis, quæ sectæ Mahumetanæ cupiditatibus hominum carnalium vndequaque lenocinanti, & libidinosæ naturæ seruienti minimè cõpetunt, verùm etiam quia si comparetur, non dico religioni Christianę toto orbe diffusæ, sed Iudaicæ, ista longè magis extenditur, quam Mahumetana, si orbis huius vniuersi regiones, in quibus vtraque reperitur percurrere velimus. Vbicumque enim Secta Mahumetana viget, suas Iudæi Synagogas, & in illis ritum suum liberum habent, ac præterea in multis Europę regionib⁹ Christianis, in quibus Secta illa non permittitur, quanquam longè minor Iudæorum, quam Mahumetanorum numerus sit. Iterum Idololatria fuit amplior, quæ olim excepto Iudeæ angulo totum ferè mundum replebat; Igitur quemadmodum nihil Iudæis nunc post Christi veri Messiæ aduentum fauet ad rationem veræ religionis eorũ per orbem diffusio, nec etiã idololatris olim fauit, vt tenentur admittere Mahumetani, ni cõtradictoria velint asserere, ita quoque ipsis multò minorem eorum dilatationem nihil patrocinari dicendũ est, vt vera credatur esse apud eos religio. Denique cum nonnisi vnicum hominum ignarorum genus stolidum Mahumetanam Sectã teneat, hæc quantumuis terras multas, ac regiones occupet, deest etiã illi vniuersitatis personarum nota, qua insignita est Religio Christiana Romano-Catholica, Nulla enim orbis terrarum pars est, in qua eius sectatores non sint, nullaque natio, aut hominum plebeiorum, magnatum, idiotarum, ingeniosorum, doctorum, & rudium conditio, in qua Christus ritu Romano-Catholico non adoretur.

Vt autem Deo ita permittente propter hominum peccata, idololatria olim, idololatrarumque Monarchiæ, diu quidem inualuerunt, sed omnes tandem dissipatæ sunt, ita quoque de Mahumetana futurum aliquando sperandum est, iuxta illud Act. 5. *Si ex hominibus hoc opus est, dissoluetur*; quia verò tempus in Scripturis non præfigitur: propterea illius durationem ignoramus; sed tantum ex eo quod tanto tempore durauerit, tamq; latè pateat, asserimus eius rectitudinem minimè probari; nec id etiã mirum videri debere in lege concupiscentijs carnalibus alliciente, & armis terrente, qualis est Mahumetana; secus autem in Christiana, quæ carnis voluptates prohibens, & asperum crucis iter arripiẽdum præcipiens, multaque humanæ mentis intelligentiam, & captum superantia docens, eaque firmissimè cum ipso vitæ dispendio credenda proponens, in hominibus, quorum natura ad sensuum blandimenta propendit, tandiu viguit, & orbem vniuersa sui potentia obsistentem subiugauit; hoc enim nonnisi diuinæ virtuti, & omnipotentiæ tribuendum eiusque opus singulare, ac mirabile dicendum est.

CAPVT VI.

Demonstratur fatuitas Sectæ Mahumetanæ ex modo quo eius author Mahumetes illam stabiliri, & propagari voluit, hoc est, ignorantia, & metu, seu armorum vi.

CVm ex dictis Sect. 2. cap. 29. vnũ è præcipuis, quę habemus argumentis, ad suadendum Religionem Christianam esse à Deo, sit modus, quo primum stabilita, deindè propagata fuit, nunc per oppositum demonstrare intendo fatuitatem Sectæ, vel legis Mahumetanæ, ex modo ipso, quo

Mahumetes ad illam firmandam, & dilatandam vsus est, cauendo nimirum, ne eius sequaces vacarent Philosophię studijs, per quæ falsitas illius etiã apud sola ratione naturali vigentes, quive aliquid plus quam seruile hominum libidinosorum genus solet, sapere incepissent, manifestè apparere potuisset; indeque consequenter prohibendo, vt de lege sua non disputaretur ratione, sed gladio, atque ideo modo tyrannis, & latronibus communi, bestiasque potius, quàm homines decente; vbi in oppositum Christianæ religionis prælati, non timentes, quod si inter Sapiẽtes eius fides ventiletur, vana, aut perniciosa appareat, parati sunt de illa rationem reddere omni poscenti. Hoc enim pertinet ad Sapientem rationem & causam sui operis assignare; alias quilibet fatuus non minus, quam Mahumetes posset legem cõdere, & quicquid vellet præcipere, etiam non credendum contrarium asserentibus, quo nihil absurdius dici potest.

Prima igitur ratio ad explodendum præfatum Mahumetis placitum, seu modum propagandi armorum violentia legem suam, tanquam diuinitus acceptam, atque adeo per fidem credendam, desumitur ex ipsamet fide, quam non solum Scripturæ, & Patres docent esse positam in voluntate nostra, licet præparanda, & præuenienda à Domino, vnde rectè ait Augustinus tract. 26. in Ioan. *Multa potest facere homo nolens: credere autem non potest nisi volens*; verum id etiam manifesta constat experientia, cum eamdem eodem modo propositam, & prædicatam fidem alij accipiant, alij recusent, alij persequantur, alij dicant rationabilem, alij stultam. Si enim, vt est certum, nemo Deum religiosè colit nisi volens, nec in eum credit nisi volens, non coactus, non inuitus, nec Deo cordium scrutatori placet seruitus coacta, aut externa quædam religionis simulatio: manifestè patet, quam sit fatuus naturæque fidei dissentaneus modus, quem præscribit Mahumetes vi, & armis illam stabiliendi; hæc enim opponuntur hominem credere, & cogi ad credendũ. Nec licet passim infidelibus quãcumque legem, armis cogentibus seruandam præscribere, nisi tantum legem naturæ, ad quam tenentur naturali lumine suadente; ideoque conueniens est vt naturalem vitam amittant, qui naturalem legem seruare detrectant. Ad supernaturalia autem credenda, non iure compelluntur, vt patet ex Euangelio à Mahumetanis admisso, vbi Christus non dixit: Pugnate, & cogite ad mysteria Christianæ fidei credẽda, sed: *Euntes in vniuersum mundum prædicate*, &c. assensum libero audientium arbitrio relinquens. Quæque in contrarium à nonnullis adducuntur exẽpla de Iosue, & Constantino, ad rem non faciunt; quia non pugnauerunt ad hostes compellendos ad fidem armorum potentia; sed Constantinus contra Maxentium, cum sibi non debita tyrannicè vsurparet; Iosue verò tanquã Dei instrumentum ad puniendos Chananæorum populos assumptus fuit, vt ex Scripturis patet, in quibus præcipiuntur Chananęi propter eorum peccata delendi, non autem ad fidem trahendi armorum terrore.

Secunda ratio est, quia in negotio fidei diuinæ amplectendæ, qualem suã esse supposuit Mahumetes, vt durities & tarditas cordis est reprehensibilis, iuxta illud Christi Domini: *O stulti, & tardi corde ad credendum*; ita quoque fugienda est leuitas animi iuxta illud Ecclesiast. 19. *Qui cito credit leuis est corde*, sed hæc duo extrema vitari, aut superari non possunt sola armorum vi, exclusa omnis rationis ope: Igitur apparet pecorum potius, quam hominũ esse modum, quo Mahumetes suam legem, vt diuinam amplectendam esse voluit. Maior huius agumenti videtur esse certa, doctrinaque Catholica in ea contenta medium tenet inter duos extremos errores, primum scilicet Mahumetis, quem modo impugnamus,

mus, omnem rationis vsum in fide amplectenda excludentis, leuitatique proindè locum dantis, & alterum nimiæ duritiei Gentilium, nec non plurium etiam hęreticorum dicentium, nihil esse credendũ, nisi quod ratione ostenditur; quia licet non semper possimus rationem reddere propriam earum rerũ, quas credimus, potest nihilominus, imo debet sufficiens reddi ratio cur credamus, sic enim dixit Petr. 1. cap. 3. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*, cuius fides est fundamentum, seu substantia. Hanc autem rationem, seu modum inquirimus, & asserimus non esse armorum vim, quidquid enim sit vtrum in ciuilibus, vel politicis, debeat esse vltima ratio Regum, illa in rebus fidei nequaquam talis esse potest, sed sufficiens tantum illarum propositio, ad quam non armorum vis; sed sola ratio requiritur, quæ est minor huius argumenti probanda.

Enim verò ad sufficientem obiecti fidei propositionem, non sufficit obiectum vtcumque proponi tanquàm dictum, seu reuelatum à Deo, sed necessarium saltem est cum talibus circumstantijs proponi, vt prudenter appareat credibile, eo modo quo proponitur, ad hoc autem nihil valere armorum vim, & ad hoc vt excusetur à leuitate cordis, qui illa solùm adactus credit, absque vllo rationis examine, manifestè patet: quoniam dicitur citò, & leuiter credere, qui imprudenter credit; sed qui armorum terrore, non autem aliqua ratione prius suadente rei credendæ credibilitatem, illi assensum præbet, sine dubio imprudenter id facit; non igitur armorum, sed rationis vis sufficienter obiectum fidei proponentis est illa, qua vera ac diuina fides stabilienda est. Probatur ista vltima consequentia, quia quæ à Deo sunt ordinata sunt; ergo impossibile est, quod fides, quæ à Deo est, & ex speciali eius auxilio, imprudenter, & inordinatè fiat. Insuper voluntas credendi, quæ ad fidem supernaturalem, ac diuinam requiritur, est etiam supernaturalis, & ex speciali gratia Dei; atque adeo per se est voluntas studiosa, & honesta: ergo supponit prudens iudicium circa obiectum suum; si quidem prudentia est, quę voluntatem ad operandum mouet. Præterea credulitas diuinæ fidei talis esse debet, vt sit immunis ab omni falsitate: non potest igitur induci nisi per prudens iudicium; & ex opposito modo credẽdi nascuntur hæreses, & schismata, quoniam qui imprudenter credit facilè decipitur. Tandem diuina fides debet excludere omnem formidinem, & mutabilitatem, nam qui semel credit Deo provt debet, nunquam potest licitè, & prudenter recedere à tali fide, quotiescumque autem homo imprudenter aliquid credit, si id postea aduertat, potest prudenter recedere à tali fide, vel saltem de illius veritate dubitare; repugnat ergò fidei diuinæ imprudens, leuisque credulitas, qualis est illa, quæ inducitur armorum vi, qua vnusquisque, qui in mundo potentior esset, posset illi pro suo libito legem aliquam dare, eamque diuinam appellare, & ad illam pro tali habendam cogere, vt de facto contigit Mahumeti, eiusque sectatoribus.

Confirmatur hæc ratio, siue argumentum ad hominem ex ipsa eorum confessione; nam dum omnem de religione disputationem prohibent, & in ea stabilienda armorum valorem tantùm adhibent, vel rationem ipsi habẽt, qua sibi, aut alijs ostendant, & persuadeant religionem suam fuisse à Deo traditam, vel non habent? si hoc posterius fateãtur, concedunt ipsos vltrò, & imprudenter, & temere, & factiosè citra causam, atque rationem colere suam legem; si porro rationem aliquã habent, cur illi credant, vel illam colant, tenentur eam prodere, atque de hoc puncto disputationem admittere; quare omni disputatione, & ratione remo-

remota, cum ad solum gladium confugiunt, manifestant se ratione destitutos, atque adeo imprudenter, vi solum, & armis, atque per tyrannidem causam tutari. Videns ergo Mahumetes, se, resque suas in tuto non esse, vbi ratio valet; propterea disputationem, & rationem omnem remouit iniectis in seruitutem ipsis etiam mentibus. Vndè duo grauissima sequuntur absurda, primum mētiri Mahumetanos omnes, dum asserunt se religionem à Deo cōmunicatam sequi, id enim dicunt, atque adeo mentiuntur, nescientes, nullisque perpensis motiuis, aut argumētis, quibus fiat ipsis euidenter credibile, vt requiritur ex statim dicendis in sequenti ratione; si porrò scirent, rationem, & probationem redderent, consequenterque de eo disputari, & controuerti permitterent, nec timerent: quod cum non permittant, signum est manifestum, eos nescientes dicere se legem diuinitus reuelatā seruare proptereaque mentiri. Alterum absurdū est, eos nihil in corde, & interius credere, si omni etiam probabili ratione, & probatione careant, quicquid ipsi fallantur interim, & se iudicent credere; non enim tale est voluntatis, vel obstinationis arbitrium, seu imperium in intellectum, vt eum cogere in fidē, & assensum valeat sine ratione, sine probatione, quia licet homo voluntariè præbeat illum, nihilominus non potest assentiri propositioni, in qua aliqua saltem ratio probabilis veritatis non appareat, quia voluntas non potest vllam mouere potentiam extra obiectum suum; Quamobrem si Mahumetani in negotio religionis amplectendæ ratione, & probatione sunt destituti, nihil corde credunt; si autem eam habent, quid ad vim, & gladium confugiunt? quid eam non produnt? quid eam admissa disputatione non tuentur? quid scriptis libris non comprobant? Hæc igitur omnia cum prohibeant, cum abhorreant, cum nonnisi armorum terrore agant, se se ratione destitutos, ac proindè nihil corde credere, quo tamen credi debet ad iustitiam, toti mundo demonstrant.

Tertia ratio, qua præfata Mahumetis barbaries exploditur, est, quod vt propositio fidei diuinæ, siue obiectorū per illam credendorum sit sufficiens, nedum requiritur, eam fieri cum talibus circumstantijs, vt prudenter appareant credibilia, eo modo quo proponuntur, vt explicuimus in ratione superiori, sed insuper necessarium est, vt ea quæ proponuntur fiant euidenter credibilia, tanquam dicta à Deo, ac subindè, vt certa, & infallibilia, sed hoc præstari non potest absque concursu rationis diligenter, & accuratè omnia discutientis, & examinantis, tàm si consideretur qui fidem suadere, quam cui illa suaderi debet, vt ex terminis ipsis clarum est; malè igitur Mahumetes, omni examine, ac ratione in exilium acta, fidem diuinam, sola vi, & armis induci præcepit. Maiorem huius argumenti, quā docent omnes Patres, ideoque in id maximè semper incubuerunt, sicuti sect. 2. vidimus, vt ostenderent nostræ fidei mysteria esse euidenter credibilia, quia nimirum nō minorem credibilitatem ad illam sufficere iudicabant, probat quoque efficaciter sequens ratio; quia ante fidem, vel eius susceptionem in adulto, necessarium est velle credere, & ante hanc voluntatem necessarium est iudicium, quo voluntas inducatur ad volendum credere, quod non est aliud nisi iudiciū de credibilitate obiecti: igitur vel illud iudicium est certum, vel incertum, aut probabile: Si est certum, est etiam euidens, quia certitudo propria, & obiectiua ac prudens, non datur sine euidētia, nisi in assensu fidei diuinæ essentialiter obscuræ; illud autem iudicium, de quo agitur, nondū est fidei diuinæ, sed supponitur, siue est via ad illam: igitur non potest esse certum & obscurum, sed si est certum necessariò est euidens. Incertum autem, seu probabile dici non potest, si quidem tale iudicium

dicium de credibilitate obiecti, non est sufficiens ad fidem certam, qualis est diuina. Vndè licet in fide humana sæpè prudenter credatur, quod probabiliter tantùm apparet credibile, & in alijs actionibus studiosis sæpe ducamur iudicijs probabilibus applicando illa cum certitudine practica, siue quod idem est ex probabilitate speculatiua sæpe inferatur certitudo practica: Attamen quia tale iudicium in sola probabilitate speculatiua fundatum, quãuis sit certum practicè, est mutabile, nam principia probabilia, in quibus fundabatur, possunt facilè mutari, indè etiam potest humana fides mutari, si probabiliores coniecturæ in contrariũ occurrant, & concipiantur. At verò diuina fides, ita est certa, vt semel concepta mutari non possit: Et ideò talem certitudinem practicam requirit in iudicio credendorum, vt fundetur in euidentia credibilitatis, & non in sola probabilitate, quæ facilè potest deficere: deindè, cum certitudo fidei non tantùm sit practica, sed speculatiua, id est de veritate rei in se, requirit etiam certitudinem speculatiuam de credibilitate sui obiecti, nam impossibile videtur hominem determinari ad credendum aliquid firmiter, & certò, si cũ formidine tantùm, & non certò iudicet illud esse credibile; ideoque etiam docent cõmuniter Theologi, vt obiectum fidei sufficienter proponatur, non solùm debere fieri euidenter credibile absolutè; verùm etiã comparatiuè, hoc est credibilius quocumque alio obiecto seu doctrina sibi contraria, vel repugnante. Quamuis enim fieri possit in humana fide, & cognitione, vt duæ propositiones contradictoriæ, sint probabiles, etiam euidenter, quoad probabilitatem; nam hoc nullam inuoluit repugnantiam, quia plura falsa sunt probabiliora veris, & quia ex vi illius probabilitatis solùm datur iudicium formidolosum, & incertum, de veritate, seu de reipsa; hoc tamen in fide diuina repugnat, ea nimirum aliquid esse euidenter credibile, & simul contrarium, etiam esse credibile, nedũ euidenter, verùm nec prudenter, quoniã iudicium, quod formari debet ex tali credibilitate, debet esse certum, & absque formidine: igitur implicat, vt cõtraria doctrina sit euidenter, vel prudenter credibilis. Aliàs talis credibilitas necessariò pareret formidinem; imo licitum esset homini inter illa credibilia eligere, quod mallet, si vtrumque esset euidenter credibile, non solùm absolutè consideratum, sed etiam comparatiuè: hoc autem repugnare & certitudini, & obligationi amplectendi fidem diuinam, qualis est sola fides Christiana Romano-Catholica, apertè demonstrant argumenta, & signa, quibus Deus, cuius prouidentia maximè extenditur ad res religionis, illam præ omnibus alijs sectis voluit esse credibibilem, quæ si sufficienter proponantur, tenentur omnes illã amplecti cum certitudine, ac præferendo etiam illam omni doctrinæ contrariæ: ad sufficientem igitur diuinæ fidei, rerumque per illam credendarum propositionem, necesse est, vt illæ sint euidenter credibiles, non solùm absolutè, sed etiam comparatiuè.

Ad hæc autem omnia requiri vsum rationis, & non valere armorum vim, quæ erat minor probanda, clarius patet, quam probatione indigeat, præsertim quia non solùm debet obiectum fidei diuinæ esse euidenter credibile modo explicato, verùm etiam requiritur euidentia, quod secundum rationem naturalem tale obiectum sit credendum, & eius fides sit anteponenda cuicumque opinioni contrariæ. Notandum est enim, hæc duo esse diuersa, scilicet aliquid esse credibile, & aliquid esse credendum secundum rectã rationem; si quidem differunt tanquã potentia, & actus, seu obligatio ad actum; etsi autem non semper teneamur credere quidquid credibile est, vt in humanis constat: nihilominus tamen in diuina fide, quoties eius obiectum

ctum proponitur sufficienter, vt credibile tali fide, consequenter etiam est credendum secundum rectam rationẽ: propter quod communiter Theologi cum D. Thoma 2.2.q.2. asserunt, quod licet pręceptum fidei sit simpliciter supernaturale; quia est de actu supernaturali; facta nihilominus sufficiẽti propositione obiecti fidei, ipsam rationem naturalem ostendere, tale credibile esse credendum; & consequenter idem Sanctus Doctor quæst. 10. ait infidelitatem positiuam ita proximè, & immediatè esse contra præceptum diuinum supernaturale, vt etiam remotè, & quasi radicaliter sit contra rationem naturalem dictantem credẽdum esse, quod Deus dicit, & credendum esse dici à Deo, id quod nomine, & virtute eius sufficienter proponitur; ratioque desumitur ex dictis; quia ipsum lumen naturale dictat propositis pluribus Sectis, seu vijs ad Deum debito modo colendum, æternamque beatitudinem ab eo promerendam, illam viam esse sequendam, quæ euidenter credibilior apparet; illud enim est credendũ, quod maiorem veritatis speciem præ se fert, & præsertim in negotio salutis, in quo omne morale periculum vitandum est; sed ex huc vsque dictis, quando doctrina fidei diuinæ sufficienter proponitur, ostenditur euidenter credibilior quacumque Secta illi contraria; ipsum ergo lumen naturale dictat, & suadet illam esse credendam. Quamuis enim res sit supernaturalis, potest fieri euidenter credibilis per signa, & alia media sensibus obiecta, adiuuante lumine, & discursu naturali, quia credibilitas prouenit ex medio extrinseco, quod naturaliter potest euidenter cognosci; & potest etiam cadere in mysterium supernaturale, illudque denominare credibile; vndè laborat in æquiuoco, quod aliqui dicunt rem credendam dici credibilem ab ipsa fide; vt patet exemplis intelligibilis, & sensibilis, quæ duobus modis accipi possunt, scilicet formaliter, & fundamentaliter: & priori modo verum est, illorum denominationes sumi à potentijs intellectus, & sensus, quatenus possunt intelligere, & sentire tale obiectum, quod indè passiuè denominatur intelligibile, & sensibile; posteriori autem modo, scilicet, fundamentaliter, non est illa denominatio à potẽtia; sed potius ad illam supponitur, & sumitur ab aliqua intrinseca proprietate rei, quæ est veritas in obiecto intelligibili, & virtus immutãdi sensum in sensibili. Ita ergò in præsenti dupliciter potest obiectum denominari credibile, scilicet formaliter, & quodammodo fundamẽtaliter, vel potius dispositiuè: & priori modo conceditur denominationem sumi ab ipsa virtute fidei potente illud obiectum attingere, posteriori autem modo negatur inde sumi, sed ab argumentis, & motiuis, quæ concurrunt ad sufficientem applicationem fidei, seu obiecti per illam credendi, quibusque dicitur fieri euidenter credibile, cum enim fides sit obscura, & non euidens talis ab ea denominatio prouenire nõ potest. Est tamen hic nonnulla ab exẽplis allatis differentia: nam vtraque denominatio credibilis est extrinseca; sed hoc parum refert, cum formæ extrinsecæ denominantes distinctæ sint, & vna ad aliam comparetur, sicut dispositio ad formam, præfata namque motiua, quibus obiectum propositum redditur euidenter credibile, præparãt viam ad fidem introducendam, quæ considerata *in habitu*, seu in potentia, denominat rem formaliter credibilẽ, sumpta verò in actu denominat creditam.

Libenter igitur admittimus, vbi de diuina agitur fide, seu de mysterijs ad illam spectantibus, nihil valere rationẽ antecedentem; vt enim sapienter obseruauit Diuus Thomas in 3. dist. 24. q. 2. art. 3. illud Deum inter, & homines interest, quod, vt credatur hominibus, inspicienda sint, quæ dicant, & qualia, an possibilia, an absurda, an cohærentia, atque ita nonnisi per exa-

men

men rerum creditur ipsis hominibus: At impium esset cum Deo ita agere, quem constat nec fallere, nec falli posse, atque adeo eo ipso quod scitur aliquid esse reuelatum à Deo, incunctanter, & indubitanter credendum est, absque vllo prorsus examine; cum fides diuina assensum præstet propter authoritatē diuinam solam; adeo vt si quis vel ex toto, vel ex parte ratione moueatur, rationi consentiat, rationi credat, hic nullam fidem habeat; quapropter verorū fidelium non est, scio, probo, intelligo, sed credo; & eo firmius credere, quo rationes, vel congruentiæ magis contrariæ haberi videntur.

Præterea concedimus ex communi Doctorum sententia, quod hæretici, & apostatæ à vera fide, qualem modo supponimus esse solam Christianam Romano-Catholicam, puniri possunt, nec nō etiam cogi, tam ipsi vt ad illam redeāt, quàm fideles, vt in illa perseuerent, nō tantùm per spirituales pœnas, sed etiā per temporales, & corporales.

Tantùm autem reijcimus Mahumetis barbariem, siue tyrannidem, qua voluit in negotio diuinæ fidei, ac religionis, etiam vbi primum instituitur, & prædicatur hominibus, nihil probari, nihil defendi, soluique nihil nisi gladio, reiecto quouis eius examine; asserimusque nos sciendum esse, & credendum à religionis cultoribus; nam eo ipso quod doctrina tota veræ religionis data est à Deo, & reuelata, credenda est tota sine examine, sine disputatione, sine lite, vt mox dicebam; at sciendum est prius, an hanc, quam amplecti volumus, quamque colimus religionem, an hanc, quam credimus fidei doctrinam Deus dederit, ac tradiderit; vt sect. 5. fusius explicuimus; præclarèq; expressit Diuus Thomas 2. 2. q. 1. art. 4. ad 2. vbi de fidelibus loquens ait: *Non crederent nisi viderent esse credibile*; vbi notanda est distinctio, & variatio illorum verborum *credere*, *videre*, nam prius dicit obscuritatem, posterius autem vt condistinctum ab illo claritatem, & euidentiam, nec propterea illa duo repugnant, quia versantur circa diuersa, nam creditur aliquid sub ratione veri à Deo reuelati, videtur autem sub ratione credibilis. Quare diuina fides videtur esse veluti media inter sciētiam, & sciētiam, siue inter rationē antecedentem, & consequentem, quatenus ad illam nō peruenitur, nisi ratione antecedenti discutiatur, an illam Deus dederit, siue per scientiam euidentis credibilitatis eius prouenientem ex motiuis, & argumentis, quibus veram fidem, veramque religionem Deus insigniuit; non enim ad credendum obligamur, quia credimus; sed credimus, quia ad credendum obligamur; sicut non tenemur ad ieiunandum, quia ieiunamus; sed à contrario: tamque impossibile est, obligationem credendi, quæ præstitæ fidei causa, vel conditio præcedens est, ab ipsa fide primitus subnasci, quā applicatio ignis ad comburendum ab ipsa combustione proueniat. Vnde homo non ipsa fide, sed quopiam alio præuio, siue ad illam præambulo ad credendum inducitur, & obligatur, quod aliud non est, quam eam scire, esse diuinitus reuelatam, quā nefas proindè sit non acceptare, atque illibatè non credere, remoto omni examine, omnique ratione; ex illa autem sic acceptata, iuuante Domino, mox alia subsequitur scientia, quatenus mens lumine fidei illustrata facilius inde ratione consequenti, & obsequenti eius mysteria, Scripturasque vbi continentur explicat, hæreses ex illis oppugnat, atque ad obiecta respondet; adeovt intellectus, & intelligentia rerum fidei soleat esse præmium, ac merces pręstitæ fidei, etiam in hac vita; iuxta regulam à Domino pridem constitutam per Isaiam Prophetam cap. 7. dicente, *nisi credideritis, non intelligetis*, de qua Diuus Augustinus epist. 28. interpretatur quoque illud Psal. *credidi, propter quod locutus sum*; & communiter Patres illud aliud *Sapientia ędificauit sibi domum*, &c. ibi enim humana ratio, & quæcumque illa constant, inter ancil-

ancillas connumerantur, quarum sit in materia fidei seruire, obsequi, subsequi, regulari, non autem dominari.

Hinc etiã habetur intelligentia illius, quod interdum dicitur, credendi videlicet obligationem esse ex fide, vel religione id enim verum est, si intelligatur, quod vnũ fidei, vel religionis mysterium explicetur per aliud, sitque ratio illud inferendi; secus autem, si intelligatur de prima credendi, vel religionẽ amplectendi obligatione, illa enim, vt diximus, non est ex ipsa fide, vel religione, nulla siquidem fides, vel religio est ex terminis certa, vel incerta, vera vel falsa, vt Mahumetem Prophetam esse, vel non esse: Christum Dei filium esse, vel non esse: legem Moysis cessasse, vel non cessasse; Nihil, inquam, horum certum, vel incertum est, verũ, vel falsum ex terminis, vt ad eorum explicationem quis teneatur statim credere, vel non credere, vt patet, aliundè igitur petenda est certitudo. At non licet ad interna latibula recurrere, vel instinctus, vel discerniculi, vel modi tendendi, & similia magis effugia, quam refugia. Nã si id liceat vni, licebit omnibus: si Mahumetanus ritè respondet, se intus discernere veritatem, tãtumdem reposuerit Christianus; si sectarius ritè ad instinctum internum appellat, aut prouocat, in quo à nemine iudicari potest, ritè etiam appellauerit Gentilis, certè non habetur, quo is conuincatur; nam si habetur, prodendum est, otiosèque ad internas latebras aufugitur; quod si iam id liceat, cessandum erit à scribendo, & disputando, imo combustis Sacris Biblijs, combusto Alchorano, combusto Talmuth, vnusquisque conscientiæ suę, internove instinctui relinquendus erit. Quæ omnia cum ex terminis ipsis absurda sint, superest vt certitudo illa, quænam sit scilicet Dei fides, ac religio, argumentis & probationibus sit comparanda, & acquirenda, quę argumenta & probationes aliundè desumi non possunt, quam ex notis, & signis, quibus eam Deus euidenter credibilem hominibus esse voluit, vt eam prudenter amplecterentur. Ideoque, licet necessarium non sit ad credendum, vt fidei obiectum per ipsum Deum immediatè proponatur, necessarium tamen est, vt diuina virtus in ea proximè, & specialiter intercedat, siue quod idem est, quoties fides primùm incipit introduci, vt propositio fiat sufficiens, requiritur, quod speciali modo Deus circa illam cooperetur, non tantùm generaliter cõcurrendo per modum causæ primæ, quod per se clarum est, sed etiam specialiter adiuuando, & peculiari modo doctrinã confirmando iuxta illud Marci vltimo. *Prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis.* Cum enim doctrina fidei sit valdè supernaturalis, magnaq; ex parte repugnans humanæ concupiscentiæ, propterea vt credibilis fieret, & amabilis, nec non etiam inuenibilis, necessè fuit, vt diuina virtus interueniret, non solum ex parte subiecti præparando, & adiuuando voluntatem, verum etiam ex parte obiecti, speciali modo illud persuadendo, & capacitati hominis per euidentiam credibilitatis accõmodando; quæ euidentia tam in propositione externa, siue quæ fit per ministerium hominum, quam in merè interna, quæ fit immediatè à Deo inueniri potest, nam qui illam recipit, non videt euidenter Deum esse, qui loquitur, quãdo reuelatio est obscura pro vt ad fidem necessaria est; ac propterea, quæ requiritur, & sufficit in propositione externa euidentia credibilitatis, eadem quoque requiritur, ac sufficit in interna; & vbi talis reperitur euidentia, ibi vera etiam fides habetur, veraque religio, illam autem soli Ecclesiæ Romano-Catholicę competere sufficienter ostendimus supra sect. 2.

Porrò quod diximus fideles ab Ecclesia cogi posse, vt in vera fide permaneant, hæreticos autem, vel Apostatas, vt ad illam redeant, nihil prorsus fauet Mahumetanæ tyrannidi, quæ vi armorum ad fidem omnes compellit, quam

qui-

quidem dicit, sed non probat, nec probare potest esse diuinam, seu diuinitus reuelatam; at nos loquimur de fidelibus qui veram iam fidem prudenter, ac liberè susceperunt, quique proindè ab Ecclesia, cuius per baptismi receptionem subditi facti sunt, licitè constringi possunt, vt stent promissis veræ fidei adhęrendo, quam nedum ait, sed etiam probat, parataque est probare omni poscēti esse diuinam; idque asserit constare debere, vt in credendo leuitas animi vitetur, rationabileque sit, & non bestiale obsequium, quo captiuamus intellectū in obsequium diuinæ fidei. Quod idem asserunt, qui inter Doctores Catholicos docent etiam infideles cogi posse ad veram fidem suscipiendam, hoc est, vbi sufficientem illius propositionē habuerint. Quamuis opposita sententia longè sit probabilior, nimirum haud esse licitum infideles non apostatas tàm subditos, quam non subditos cogere ad fidem amplectendam; talem enim potestatem non fuisse datam à Christo principibus Ecclesiæ, non solùm negatiuè constat ex eo, quod in traditione Ecclesiæ nullum est illius indicium, neque in vsu, neque in Scriptura, verum etiam positiuè ex verbis D. Pauli 1. Corinth. 5. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* nimirum, quia nostræ iurisdictioni non subsunt; iuxta communem Patrum interpretationem; quod vt magis declararet Apostolus, mox subiungit; *Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit*. Vndè Christus Dominus Matt. 10. Apostolos, quos ad prædicandum misit, iustruxit, vt non ferrent baculum, aut gladium; vbi Sanctus Hieronymus notat, instrumenta coactionis prohibuisse, & pacem docuisse; Marcus autem capite vltimo ait: *Qui verò non crediderit condemnabitur*; significans punitionem huius delicti, Deum sibi reseruasse: non enim dedit hominibus potestatem puniendi omnia hominum delicta, sed aliqua suo reseruauit iudicio, quia non poterat genus humanum in pace, & iustitia aliter gubernari, inter hæc autem fuisse peccatum infidelitatis illorū, qui per baptismum fidem professi non sunt, colligunt Doctores ex citatis Scripturæ locis, nec non ex parte finis, quia modus ille trahendi homines ad fidem, multoque magis Mahumeticus, non erat cōueniens Ecclesiæ, sed multo magis expediebat, vt prima fidei susceptio, & professio esset simpliciter, & omnino spontanea, potissimum, vt efficacia Verbi diuini, & gratiæ Dei in hoc opere ostenderetur, quod est maximè diuinum. Vndè si mirum est, quod maior adhuc hominum multitudo, quorum natura ad carnis voluptates propendet, ad vitia est procliuis, & libertatem seu licentiā rebus vniuersis anteponit, Mahumetis legem talia proponentem non susceperit, mortis insuper addito timore, quam Mahumetes comminabatur, & per suos exercitus erat illaturus, provt eius sequaces illū postea imitati sunt; multo maiori admiratione dignum est, opusque perspicuè, & manifestè diuinū existimandum, quod lex Christi humanæ intelligentiæ captum excedens, carnique, & sanguini reluctans totum orbem impleuerit; discipulique eius non pugnando, aut opprimendo, sed patiendo, & opprimentiū vim sustinendo tanto magis in dies aucti fuerint, ad finem vsque mundi perduraturi, & præualituri aduersus portas inferi.

Hinc soluitur obiectio nonnullorum dicentium, inutilem fore, ac frustraneā potestatem, quam Ecclesia habet, docendi fidem, si infideles omnes cogere non potest ad illam recipiendam, vbi sufficienter illis proposita fuit. Respondemus enim potestatem prædicandi, seu docendi fidem præcisè sumptam non esse potestatem iurisdictionis, sed tantum virtutem, vt ita dicam, illuminandi per doctrinam, & ideo efficaciam eius non esse positam in virtute cogendi, multòque minus in potentia, & vi armorum; sed in efficacia verbi, & in ostēsione spiritus, & virtutis, vt ait Apostolus 1. Corinth. 2. nec propterea sequitur hanc potestatem fuisse, aut esse fru-

straneam, si sint qui prædicent; contrarium enim manifestè probauit euentus; quo fidem Christianam, quam Ecclesia profitetur Romano-Catholica, quæ est sola vera fides, cernimus non vi armorum, sed diuina cooperante gratia inter persecutionum tempestates, quantò magis premebatur, tantò magis vires cæpisse, creuisse, mundumque vniuersum impleuisse. Sed de his satis, quorum fusior tractatio pertinet ad materiam de fide.

CAPVT VII.

Ostenditur falsitas Sectæ Mahumetanæ, ex parte eorum, qui non credunt.

VT veritatis Christianæ fidei non est leue argumentum, quod Mahumetes eiusque Sectatores Christum inter Prophetas supremo in loco reponunt, & tam miraculorum gloria, quam Sanctitatis præstantia toti orbi fuisse conspicuum admittunt, fatenturque Christianos saluari posse, sic enim asseritur in Alchorano cap. 1. *de Vacca*; c. 4. *de Mensa*; & cap. *de Iona*; Vndè etiam Mahumetanis bonos, & constantes in sua fide Christianos in summo honore, ac reuerentia semper fuisse plures testantur historiæ, præsertim illa S. Francisci, quam breuiter hic referam ex Diuo Bonauentura in vita eius cap. 9. *S. Franciscus in Syriam pro conuersione Saracenorum profectus, dum à Soldano Saracænorum Aegypti, seu Babyloniæ in Palæstina contra Christianos pugnante edictum emanasset, quod quicumque caput Christiani adferret Bizantium. pro mercede accepturus esset: Nihilominus S. Franciscus in Domino confisus accessit castra eorum, à quibus captus, & furenter afflictus, viuus tamen ad Soldanum perducitur: cui S. Franciscus à Deo ad ipsum se missum asserens, tanto feruore Spiritus Deum Vnũ & Trinum, & Saluatorem Iesum crucifixum prædicauit; vt Soldanus commotus, ipsum apud se manere petierit; cui S. Franciscus, si vis ad Christum conuerti, faciã; si hæsitas legem Mahumetis relinquere, iube ignem accendi permaximum, & ego cũ Sacerdotibus tuis illum ingrediar; vt vel sic cognoscas, quæ fides verior, & sanctior sit tenenda. ad quem Soldanus: Non credo quod ex meis aliquis velit se propter fidem igni exponere, &c. nec admisit à Sancto Francisco oblationem suorum seditionẽ timens; & cum S. Franciscus videret se nihil proficere, discedendi licentiam petijt: quæ data est cum potestate tam S. Francisco quam suis prædicandi Euangelium inter Saracenos. Cui prius dixerat Soldanus, vt Deum pro ipso oraret, vt fidem & legẽ veram ipsi inspiraret.* Vt, inquam, testimonium eorum pro veritate alicuius Religionis, quam tamen non sequuntur simul iunctum cum testimonio eorum, qui illam profitentur, quale est illud Mahumetanorum, vt diximus, respectu Religionis Christianæ, non est mediocre argumentum veritatis eiusdem; ita à contrario, quod omnes veri Christiani, pro vt Religionem Mahumetanam non sequuntur, ita quoque illam vt falsam, & impiam detestentur, manifestè arguit illam esse talem, aut saltem, quod sufficit nobis cum Mahumetanis, eam esse Christiana Religione longè improbabiliorem; quod ostendo sequenti armento.

Ea religio, quam sola pars, quæ illi adhæret, dicit esse veram, vt potè iudex in propria causa, minus est probabilis, præsertim si talis pars extrema quadam rerum ad religionem spectantium ignorantia laborat; quam sit alia religio, quæ vera creditur esse ab vtraque parte: Sed religio Mahumetana creditur solùm vera ab eius Sectatoribus, viris in rebus ad religionem, eiusque notitiam pertinentibus imperitissimis, apud quos quippè ratio omnis in hac causa exulare iussa est, quorumque proindè multitudo ad illam nihil ex se confert, quæ non tam hominum, quam pecudum est inter verum, & falsum, nec examinantium, nec dijudicantium; quare etiam omnium Mahumetanorum te-

stimo-

stimonium non plus valet, quam vnius eiusque ineptissimi: religio autem Christiana habetur pro vera tam ab ipsis, quam à Christianis omni scientiarum diuinarum, & humanarum apparatu præstantissimis, paratisque de illa rationem reddere: Religio igitur Christiana magis est vera, magisque certa, & probabilis, quam Mahumetana.

Si quis huic argumento respondeat, Mahumetanorum suffragium, ob supinam ipsorum ignorantiam, nihil addere probabilitatis religioni Christianæ, quantumuis illam putent esse veram, in eaque Christianos saluari posse, dicimus quidem nihil, aut parum ex se ad illam conferre, præsertim si disputetur cum alijs de illius veritate, secus autem ad hominem agendo cum Mahumetanis se prudentes existimantibus, sic enim valet argumentum, quod religio Christiana, quam ipsi, & nos approbamus, collata cum Mahumetana, quam nos improbamus, & ipsi tantùm approbant, sit habenda pro magis probabili, & tutiori. Quo etiam argumento multi heretici ad fidem Romano-Catholicam tandem reducti sunt; fatentibus enim inter illos pluribus salutem in ea esse possibilem, quod nos Catholici negamus in omnibus alijs ab ea Sectis, illi tanquam securiori viæ ex vtriusque partis confessione, quæ in negotio tanti momenti, cuiusmodi est salus æterna, omnino tenenda est, nemo nō prudens adhærendum esse iudicabit.

Quāuis autē Mahumetani in diuersis regnis existentes, diuersas quoq; Sectas constituerint, quarū quatuor præcipuæ sunt, scilicet *Melicorum*, *Asaphiorum*, *Alambelorum*, *& Buanisorum*; In Africa sunt *Melici*; In Arabia, & Palestina *Asaphij*, In Armenia, & Persia *Alambeli*; In Alexandria, & Assyria *Buanisi*; cuius etiam sectæ sunt Turcæ; nullam tamen propriè loquendo habent dogmatum diuersitatem, cum in lege Mahumetis nulla sint propriè dogmata, nisi Deum esse vnum, quodque Mahumetes sit eius Propheta, & Apostolus, quæ Mahumetani omnes amplectuntur: Vndè implacabile quod Turcas inter & Persas viget odium, seu dissidium; itavt in aula Imperatoris Turcarum solemne fuerit promulgatum edictum: *Gratius esse, & acceptius Deo religionis Mahumetanæ causa occidere vnū Persam, etsi professione sit Mahumetanus, quam septuaginta Christianos*; tale dissidium, inquam, est ratione successionis, quis nimirum sit verus, ac legitimus Mahumetis successor, an Imperator vel Sophi Persarum, an verò Imperator, seu Magnus Turcarum Sultanus; Persæ enim affirmant eam ad se pertinere mediante Hali, Turcæ verò ad se mediante Abucar, aut Abubacar, qui primi fuere Mahumetis discipuli, legisque Alcorani propagatores.

Quocirca ad confutandam vanam, ac fatuam legis Mahumetanæ superstitionem, nihil prorsus quod rationis humanæ vim, & hominum stupidorum captum superet, credendum imperantis, cum fidei, si quam habet, summa sit Deū vnum esse, sufficit vnus etiam modus, ostendendo nimirum, vt huc vsque conati sumus, illi deesse omnes conditiones, omniaque signa legis diuinitus reuelatæ, quibus à contrario Deus religionem Christianam Romano-Catholicam ornare, & insignire voluit, vt omnes scirent illam esse suam, & à se reuelatam, indeque vt talem amplecterentur.

Qui aduersus hanc Sectam scripsere ex antiquis primus fuit S. Ioannes Damascenus sæculo 8. in libro de Altercatione Christiani, & Saraceni.

Sæculo 9. Sanctus Eulogius Martyr, & Episcopus electus Toletanæ Ecclesiæ, cuius opera extant in Biblioth. SS. PP. & mentionem facit Cardinalis Baronius ad annum 859. quo Martyr occubuit in persecutione Saracenorum, qui Cordubæ in Hispania sedem Regni constituerant. Eodem sæculo Leo VII. huius nominis Imperator, non sine causa


causa Sapiens dictus scripsit epistolam insignem ad Regem Saracenorum de Christianæ fidei veritate, & Saracenorum impietate, quæ habetur in Bibliot. SS. PP.

Seculo 11. Petri Blesensis instructio fidei ad Soldanũ Iconij inuenitur apud Matheum Parisiensem, sub nomine Alexandri III. Summi Pontificis, qui eam direxit quamuis à Petro Blesensi conscriptam.

Sæculo 13. Iacobus à Vitriaco S.R.E. Cardinalis, & Episcopus Tusculanus scripsit librum vnum contra Saracenos: Richardus Ord. Prædicatorum, & Adolphus Monachus Ordinis S. Benedicti.

Sæculo 15. Pius II. Summus Pontifex, antea Aeneas Siluius dictus, scripsit librum de fide ad Imperatorem Turcarum, & dialogum contra Turcas. Ioannes Cardinalis de Turrecremata composuit egregium opusculum contra principales errores perfidi Mahumetis: Nicolaus Cardinalis Cusanus de cribratione Alcorani; Qui hos deindè secuti sunt, quique de rebus tam ad religionem, quam ad imperium Mahumetanorũ scripserunt, videri possunt apud authores Bibliothecarios. Solùm aduerto, quod nonnulli ex illis scripserunt tumbam, seu sepulchrum Mahumetis ex ferro factum sublime pendere duos inter magnetes, quorum vnus in superiori tabulato, alter in pauimento sibi oppositi sunt, adeo vt prædictum sepulchrum sic vtrinque attractum hæreat, falsum esse affirmari à P. Fr. Eugenio Rogerio Gallo Ord. Minorum Recollectorum nuncupatorum lib. 2. descriptionis Terræ Sanctæ cap. 7. lingua Gallica conscripto, vbi ex relatione cuiusdam Nobilis Veneti tanquam testis ocularis Mahumetis sepulchrum ita describit, illud nimirum esse lapideum, sed marmoribus pretiosissimis ornatum, humiq; iacere; muro autem, cui in capella à parte Meridionali adhæret, affixum esse cum argenteis vngulis lapidem magneticum duorũ pedum cũ dimidio in quadro, profunditatis verò trium circiter digitorum; sub quo existit media luna argentea, in cuius superficie concaua circulus est ferreus, mediante quo à dicto lapide attracta manet inter ipsum, & Sepulchrum suspensa. En quod tantoperè celebratur, & deprędicatur Mahumetis miraculum, & ad quod videndum tot sectatorum eius myriades singulis annis conueniunt, cui addi possunt alia similia, quod nimirum plures ex illis peregrinis, post illud semel visum sibi effodiunt oculos, amputant manus &c. Vbi igitur in Ecclesia Catholica ad Sanctorum sepulchra, cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt; ad sepulchrum Mahumetis, qui oculos habent, & manus, ea amittunt, sibi vana superstitione eruendo, & abscindendo; rectèque propterea hæc, & similia per derisionem vocari solent miracula Mahumetica. Quia autem, quod ex citato libro statim retuli de Mahumetis Sepulchro scitu dignum est, vtque facilius capiatur ab omnibus, placuit inde figuram illius hic delineare.

1. Sepul-



1. Sepulchrum Mahumetis.
2. Media Luna argentea.
3. Lapis Magneticus.

SECTIO NONA.

Nonnulli proferuntur modi agendi contra hæreticos.

CAPVT PRIMVM.

Præmittitur breuis idea rerum in hac, & sequentibus Sectionibus tractandarum, nec non quo ordine, & qua methodo.



VT inter cætera Sacræ Doctrinæ munera non infimum obtinet locũ illud, quo se habet per modum Sapientiæ, siue quod idem est, sciẽtiæ superioris in reflectendo supra sua principia, illaque defendendo contra omnes impugnantes, secundum vniuscuiusque naturam, & qualitatem, vndè potissimum *Reflexiua*, vel *Polemica*, seu *Controuersialis* nuncupatur, vt suo loco diximus: Ita in hoc eodem munere præcellit disputatio aduersus hæreticos, *tùm* ob eorum infinitam propè multitudinem, vnitasque tot inimicorum in oppugnanda fide Catholica vires, quãtumuis enim aliàs in errando sint diuisissimi, vbi tamen de euertenda agitur Ecclesia, simul conspirant, *seque mutuo exhortantur ad ferendas suppetias*, inquit Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 10. *vt quisque peritia, aut robore valet*. *Tùm* etiam quia, præ omnibus alijs Ecclesiæ hostibus, cùm maiori quadam animi solertia in disputando pollere, apparentiusque, dum sacrarum quoque scripturarum clypeo se protegunt, dimicare aduersus Catholicos videantur, difficilius vincuntur; vt enim ait Diuus Gregorius lib. 8. Moral. cap. 2. *cum recta se tenere existimant, recta, quæ audiunt contumaciter impugnant*. *Tùm* denique, quoniam ex altero Gregorio Nazianz. Apologet. 1. *Minoris negotij est, rudi adhuc animæ veritatem primùm, instar ceræ nondum signatæ, imprimere, quã conscriptis iam litteris, hoc est, pestiferis opinionibus, placitisque doctrinam piam inducere*.

Igitur postquam in superioribus Sectionibus cæteros infideles, & ipsum in eis, cui seruiunt, diabolum debellare conati sumus, quantum vires, & facultatem largiri dignatus est Dominus, modo superest vt manus cum hæreticis conferamus; contra quos etsi ex omnibus nationibus, ac statibus selectissimi viri iam fortiter præliati sint bella Domini, non alij propterea ab eodem opere cessare, imo potius ad eorum, nec non quod ipsi secuti sunt, veterum Patrum exemplum, vnusquisque pro suo modulo iuxta propriam virtutem, creditumque sibi à Domino talentum, eius causam tueri, sponsamque Ecclesiam Catholicam defendere debet. *Tum, ne leue existimetur*, vt ait S. Prosper epist. ad Augustinum, *quod non frequenter arguitur*: *tum* quia, *ideo diuina Prouidentia*, ex Diuo Augustino lib. 1. de Genes. cap. 1. nec non epist. 105. ad Sixtum, *multos*

multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt cum insultant nobis, excutiamus pigritiam nostram, & Scripturas vigilantius perscrutemur, vndè, ne ouili Christi noceant, eis possit occurri, & tanquam de somno ignauiæ, nostra excitetur industria. Ita per multiplicem gratiam Saluatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur Deus conuertit in adiutoriũ. Quod idem alibi sæpius docet, lib. 7. confess. cap. 19. in Psal. 54. & lib. de vera relig. cap. 6. & 8.

At quia omnes hæreses, nec non hæretici cõsequenter, ita sunt quid vnũ specie formaliter loquendo, & secundũ quod hæresis, à qua tanquam à forma denominantur hæretici, definiri solet à Theologis; *Voluntarius, & pertinax error, in materia fidei Catholicæ contraria, in homine qui se Christianum esse profitetur*; Vt tamen inter se materialiter, aut ex diuersis circumstantijs distinguantur, *primò* ratione subiecti hæreses committentis, indèque illas denominãtis; *secundò* ratione diuersorum temporum, quibus exortæ sunt; *tertiò* ratione locorum vbi suam habuerunt originẽ, primumque vigere cœperunt; *quartò* ratione materiæ, in qua contra fidem Catholicam erratum fuit, & sic de alijs: Ideò non vnus tantùm, & idem, sed multiplex ordo, diuersaque methodus esse potest agendi cum hæreticis; vnam ego *materialem*, alteram verò *formalem* primùm distinguo; materialem ordinẽ, vel methodum, illam appello, qua scribitur contra hæreses, *vel* secundum seriem temporis, quo à suis primum inuentæ sunt authoribus, quod pertinet maximè ad earum historiam; *vel* attentò loco, vbi vigent, in vsum præcipuè eorum, qui ibi commorantur, hæreticorumq; conuersioni debent operãnauare; *vel* distribuuntur materiæ in quibus erratum fuit, hoc vel illo ordine, qui vniuersim potest esse *Alphabeticus*, memoriæ magis accommodatus, & *doctrinalis*, nimirum iuxta eam, quã res disputandæ videntur inter se meliorem habere connexionem.

Methodus autem formalis est illa quæ præscribit modum disputandi cum hæreticis, vt illis persuadeatur, vel cõtra illos defendatur fidei veritas; qui duplex est, vnus particularis, quo singula, vel præcipua doctrinæ capita, in quibus aberrant explicantur, adductis proprijs, quibus illa continentur principijs, solutisque in contrarium argumentis; qui modus vt est prolixior, ita quoque difficilior, non solùm quia infinitum laborem, infinitam lectionem in fidei athleta requirit, nimirum vt diuinas Scripturas non mediocriter calleat, traditiones, earumque differentias exploratas habeat, antiquæ Ecclesiæ, Patrum, Conciliorum, Romanæ sedis decretorum, totiusque tandem Ecclesiasticæ historiȩ monimenta diligenter peruoluat, nec non, vt ait Irenæus lib. 4. aduersus hæreses, *sciat regulas & argumenta ipsorum*, intellige hæreticorum, *nec enim possibile est alicui curare quosdam malè habentes, qui ignorant passionem eorum, qui malè valent*; Verùm etiam quia ijdem hæretici, dum in vna se materia conuinci animaduertunt, statim ad aliam conuertunt sermonem, vel disputationem, adeo vt nullus altercandi sit finis, sed vna alteri in infinitum sine vllo prorsus fructu succedat quæstio.

Alter modus dici potest communis, quoniam absque eo quod in speciali controuersiæ examinentur, & ad illarũ resolutionem Scripturarum testimonia, aut alia proferantur, duo veluti generalia sufficiunt principia ad firmandam quamcumque fidei veritatem. Primum est, quod, *Vera Christi Ecclesia, qualis est ea sola, quæ veras habet illius notas, veraque symbola, gaudet priuilegio infallibilitatis in rebus fidei tùm credendis, tùm proponendis*; aliud verò quod, *sola sit talis Ecclesia Catholica Romana*. Ex quibus sic efformatur argumentum; *Quidquid vera Christi credit Ecclesia, fidelibusque credendum proponit, est verum; sed vera Christi Ecclesia, qualis est sola Catholica Romana, credit, fidelibusque credendum proponit mysterium Sanctissi-*

mæ Trinitatis, secundam ex illa personam veram carnem humanã assumpsisse, septem esse nouæ legis Sacramenta, Christumque Dominum realiter in augustissimo Eucharistiæ Sacramento præsentem esse sub speciebus panis, & vini; Hęc igitur & alia similia, quæ firmiter credit, & fidelibus credenda proponit, sunt vera, & à nobis consequenter tenenda: Vel aliter, *Sola Ecclesia vera habet verum Euangelium, veramque fidem; sed sola Ecclesia Catholica Romana est vera Ecclesia, illa igitur sola verum habet Euangelium, veram fidem, nec non denique omnia quæ ad illam pertinent, quæque cum illa necessario connectuntur.* Talium enim, aut aliorum similium, quæ fieri possunt, argumentorum ostensa semel, vel pro certo constante vtraque præmissa, vt indè certissima habetur probatio ad stabiliendam quamcumque fidei doctrinam, ita necessarium absolutè non est ad alias insuper demonstrationes recurrere; vnde etiam quo breuior, & compendiosior, eo facilior esse videtur hic modus, maiorique cum fructu, præsertim cum rudioribus, adhibendus, docente Diuo Augustino epist. 16. *rectissimam disciplin am esse, vt imperiti nitantur authoritate Ecclesiæ.*

Cum ergo præfatis omnibus modis res agi cum hæreticis queat, nos attenta ratione locorum, quo frequentius missionarij ad eorum cõuersionem destinari solent, præcipuas cum illis controuersias diuidimus primùm in eas, quę cum Orientalibus, & in eas, quæ cum Occidentalibus versantur hæreticis. De prioribus agemus in sequenti Sectione, quorum septem adhuc, vel octo hoc tempore superstites sunt sectæ, nimirũ, *Græcorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Iacobitarum, Cophtarum, Armenorum, Abyssinorum, & Georgianorum*; iuxta quas eadem etiam Sectio posset in tot partes subdiuidi, verum quia vnaquæque præter suos particulares, ac proprios errores, multos habet insuper cunctis communes, de illis omnibus agemus iuxta ordinẽ ab Angelico Doctore D. Thoma seruatum in Summa, *tùm* quia praclarissimus, *tùm* quia eo sępius repetito, facilius, & altius menti manebunt impressæ difficultates cõtrouersæ, *tùm* maximè, quia in sequenti tomo iuxta eumdem Summæ ordinem, doctrinamque in illa contentam, explicaturi Deo dante sumus singulas Sacræ Theologiæ materias, inde enim fiet, vt stabilita semel fidei dogmata, absque labore, & confusione proprijs ex locis Summæ Theologicæ S. Doctoris illustrari possint; & si enim ad hoc necessaria absolutè in omnibus non sit tanti viri doctrina, nec desint in alijs scholis modi id quoque pręstandi, eam nihilominus cęteris vbertate, & claritate supereminere omnium Academiarum orbis testimonio comprobatum habetur: singulis etiam tàm illius, quàm alterius Sectionis capitibus, vnà cũ materia, aut veritate in illis propugnãda, pręfigemus semper nomina errorum, vel errantium eamdem impugnantium. Interim breuiter solùm declarabimus, quænam sint præfatæ Sectæ, simulque ob oculos ponemus præcipua singularum errata inferius confutanda.

De Græcis.

CVm olim Ecclesia Græca esset pars vniuersalis Ecclesiæ nobilissima, in qua plura clarissima celebrata fuere Concilia, florueruntque innumeri Patres Sanctitate, ac doctrina præstantissimi, quorum scriptis in hodiernum vsque diem erudimur, & ad pietatem incendimur, dolendum certè, perpetuisque lachrymis deflendum, quod tã illustris portio gregis Christi, cuique ipsamet Ecclesia Latina multum debet, cum ab ea pretiosissima bona, antequã scinderetur, receperit, excæcata postmodum tumore superbiæ, volensque ordinem à Christo institutum perturbare, & honorem Petri successoribus debitum arripere, facta sit tandem ob schisma, & hæresim sub tributo durę

non minus Dęmonum, quam Turcarum seruitutis.

Tanto enim malo principium dedit, quod, cum Constantinus Magnus, Roma Christi Vicario cessa, Imperij sui sedem Bysantium transtulisset, inde Græci inflati circa annum Domini 381 Episcopum Constantinopolitanum, qui antea nec Patriarchatus munere fungebatur, contra antiquos præsertim Concilij Nicæni canones, tribus Orientis Patriarchis anteponere, & secundum à Romano Pontifice facere prætenderũt, vt patet ex Can.5. Concil.Constantinopol. Nec hoc quidem contenti, anno Domini 451. eundem Constantinopolitanum Episcopum Romano Pontifici parem efficere tentarunt, vt ex act. 16. Synodi Chalcedonensis constat. Propè verò annum 600. Episcopum Constantinopolitanum Oecumenicum,id est orbis terræ Episcopum, siue vniuersalẽ pastorem ausi sunt appellare. At anno 858. (vt superbia ascendit semper) cum salua tunc vsque vnio mansisset inter vtramque Ecclesiam, apertum schisma, cuius antea semina fuerant iacta, prodire cæpit; cum enim impius Photius, Sancto Ignatio Constantinopolitano Episcopo in exilium misso, ex Laico in Sedem Constantinopolitanam intrusus, à Nicolao congregato Romæ Concilio deiectus fuisset, restitutusque Ignatius; his exacerbatus Photius ausus est scribere Patriarchæ Alexandrino, & alijs Orientis Episcopis litteras à Cardinali Baronio relatas ad annum Domini 863 in quibus accusat Latinos, 1. *quod Sabbatho ieiunent*. 2. *quod hebdomadam à quadragesima præscindant lacte, & caseo vescentes*. 3. *quod Episcopis prohibeant vxores antea ductas retinere*. 4. *quod illos, qui à Sacerdote chrismate confirmati essent, iterum per Episcopum confirmari curent*. 5. *quod Clerici Occidentalis Ecclesiæ barbas radant*. 6. *quod Symbolum falsificent dicendo: quod Spiritus Sanctus non solùm à Patre, sed etiam à Filio procedat*; & hæc omnia tanquam horrenda asserit se damnasse, rogatque vt alij conueniant Episcopi, vt generaliter dãnentur; ex his autem Photij calumnijs patet, quod tunc temporis nec ipse, nec alij culparint Ecclesiam Latinam, quod in Azymo Sacram conficeret Euchariſtiam. At cum talia Photius attentasset, ei fauente Michaele Imperatore, postea ab eius filio Leone depositus,& in monasterium relegatus fuit; qui etiam restitutis Episcopis à Photio deiectis, & conuocatis, cum ijsdem scripsit Romam, titulusque litterarum Episcoporum fuit, *Sanctissimo, ac Beatissimo Stephano Domino, ac Oecumenico Papæ Stylianus Episcopus Neocæsariæ, &c. & qui mecum sunt Episcopi*, &c. vndè ex tunc rursus ad plures annos Ecclesia Constantinopolitana mansit in communione Ecclesiæ Romanæ, vt notat Baronius ad annum 1009.

Veruntamen anno 1024. imperante Constantino, cum Patriarcha Constantinopolitanus nomine Michael misisset Legatos ad Ioannem XX. cum muneribus vt consentiret, quatenus Patriarcha vniuersalis diceretur, præfatus autem Pontifex contra iura antiquarum Ecclesiarum desideratum consensum præstare noluisset, id ęgerrimè ferens Michael cum Archiepiscopo Bulgarorum acerbas pariter literas contra Ecclesiam Latinam Romanã scripsit, proclamareque cæpit Romanum Pontificem, & omnes alios Latinos esse excõmunicatos, ob hanc causam, quia Spiritum Sanctum à Patre,Filioque procedere assererent,& contra decretum Concilij Nicæni in Symbolo illud *filioque* addidissent, nec non in Azymo conficerent, vt patet ex epistola S. Leonis IX. ad eumdem Michaelem anno 1053. data, & alio anno 1054. vbi ipsum reprehendens ait: *Illud autem quis non stupescat, quod post tot SS. & orthodoxos Patres per mille, & viginti à passione Saluatoris annos nouus calumniator Ecclesiæ Latinorũ emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur Sacramentorũ ex Azymis*, huiusmodi enim verbis clarè patet

patet id præfatum Michaelem primum fecisse, licet enim aliqui prędecessores Ecclesiam Latinam ratione azymi calumniati fuissent, nulli tamen Latinos anathematizare ausi fuerant.

Hunc impium Michaelem Patriarcha Antiochenus acceptis ab illo litteris secutus est, etsi enim post consecrationem suam ad Leonem Papam misisset litteras communionis cum professione fidei ex Baron. ad ann. 1053. postea tamen Michaelis potētiam timens, qui per Imperatorem dominabatur, & facilè Episcopos transferebat, illi in multis consensit, ex eodem Baronio ad ann. 1054. vndè contigit, vt alij Patriarchæ etiam se se Constantinopolitano subijcerent, eique in schismate adhærerent, Quare deinceps non solùm schismatici facti sunt Græci, sed & hæretici, dum non solum pertinaciter se ab Ecclesia Romana, & Latina diuiserunt, sed insuper illam hæreseos arguere, ac damnare ausi sunt, tam ratione Azymi, in quo conficitur augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quam quo ad fidem de processione Spiritus Sancti etiam à Filio; Azorius tamen 1. par. Institut. moral. lib. 8. cap. 20. quæst. 10. opinatur eos tantùm esse schismaticos; at licet in principio id forsan dici potuerit, vt colligitur ex Diuo Bernardo ad Eugenium; *Ego addo*, inquit, *de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt: iuncti fide, pace diuisi, quamquam & in fide ipsa claudicauerint à rectis semitis*; modo tamen post Concilium Florentinum hæreticos esse communis est doctorum sententia, sique interdum non hæretici, sed schismatici appellantur, id contingit, quia mos loquendi pristinus retinetur; cum enim ibi pro decima quarta vice reconciliati suos agnouissent errores, nec non articulos in Bulla vnionis relatos simul cum Ecclesia Catholica confessi fuissent, non vi coacti, non muneribus allecti, non numero suffragiorum à Latinis victi, aut superati, sed sua sponte, & voluntate ducti, post diuturnam deliberationem, & singulorū subscriptiones, vno excepto Episcopo Marco Ephesino, postmodum tamen ad vomitum redierunt, & adhuc super cordibus eorum manet velamen, vt id, de quo tam sæpè conuicti sunt, confiteri iam nolint.

Eorumdem Sectæ, ac Religioni adhęrent Moscouitæ, Rutheni, & aliæ nationes; adeo vt ab Oriente gaudeat Cōstantinopolitano, & alijs tribus Patriarchatibus Antiocheno, Alexandrino, & Hierosolymitano; à Septemtrione autem vniuerso Moscouiæ Patriarchatu, & Lithuaniæ parte, hoc est alba Russia, & rubra; Georgiani quoque, qui & Iberi appellantur, iisdem errorum tenebris implicati reperiuntur. Vt tamen illos inter populos non desunt, qui Ecclesiā Catholicam Romanam credant esse vnicam veram Christi Ecclesiam, ita illorum ope, nec non missionariorum ibidem degentium, multi in dies feliciter ad eius gremium reuertuntur. Certè Ruthenos populos, quos antiquo vocabulo Russos appellant Scriptores, ad vnionem Apostolicæ Sedis receptos fuisse à fel. rec. Clemente VIII. Pontifice Maximo refert Baronius ad calcem 7. tomi Annalium; nec non Antonius Posseuinus in Apparatu Sacro, verbo *Rutheni*, & omnium fusissimè noster Thomas à Iesu lib. 6. de procuranda conuersione omnium gentium par. 3.

Quod pertinet ad errores Gręcorum, etsi Guido Carmelita, & post ipsum Gabriel Prateolus de Sectis hæreticorū verbo *Græci*, multos errores illis attribuant; nihilominus Lucinianus Cyprius S. Ordinis Prędicatorū Theologus pius, & doctus apud Posseuinum tom. 1. Biblioth. lib. 6. cap. 1. magnam prædictorum errorum partem fuisse Græcis impositam contendit, & statim citatus Pater Thomas à Iesu adnotauit: ita vt pręcipui Græcorum errores, qui illis à Concilio Florentino, & alijs imputantur, quinarium numerum non excedant.

Primo negant Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio; cuius oppositum

situm demonstratur sequenti sectione cap. 2.

Secundò asserunt Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum confici non posse in Azymo pane, sed præcisè in fermentato; cuius contrarium ostenditur cap.18.

Tertiò docent nullum esse purgatorium ignem, in quo animæ corporibus emigrantes purgentur à sordibus, quas in corpore contraxerant; quod refutatur cap.23.

Quartò, quod Sancti post hanc vitam ante diem iudicii, Deum facie ad faciem non videant, neque eius visione fruantur, nec peccatores ante eundem diem inferni suppliciis afficiantur; quod falsum esse probatur c. 24.

Quintò errant, negantes Summum Pōtificem Romanæ Sedis Apostolicæ, caput esse totius Ecclesiæ, ac B. Petri Apostolorum Principis successorem; cuius oppositum asseritur cap. 7.

Adeò autem tenaciter duobus primis inhærent erroribus, vt inter alia peruersa dogmata, propter quæ ab Ecclesia Romana desciuere, hæc duo omnino præcipua, & veluti totius dissensionis capita fuerint; verùm non minus illa, quam cætera, friuolos, ac inanes fuisse suæ iniustæ separationis prætextus patebit ex dicendis in citatis capitibus.

Aduersus Græcorum errores scripserunt apud Posseuinum, ex Græcis ipsis Emmanuel Caleta Veccus Patriarcha Constantinopolitanus, Georgius Protosincellus, Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Demetrius Cidonius, Bessarion Episcopus Nicænus postea Cardinalis S. R. E. ab Eugenio IV. creatus, Georgius Scholarius, qui deindè assumptus ad Patriarchatum Constantinopolitanum mutato nomine vocatus est Gennadius, prēter orationes quatuor de pace inter Græcos, & Latinos ineunda, quæ habentur Grēcè, & Latinè post Concilium Florentinum, scripsit quinque orationes de quinque articulis controuersis pro veritate Catholica, de processione Spiritus Sācti, de Primatu Papæ, de Azymo, de Purgatorio, de visione Dei ante resurrectionem mortuorum, quæ separatim excusæ, nec nōn etiam in Biblioth. VV. Patrum inueniuntur; Ioannes Chrysolorus, Constantinus Lascaris; quibus addi possunt ex recentioribus Arcudius, Leo Allatius in variis opusculis ab ipsis editis.

E Latinis verò scripserunt, Sanctus Leo Papa nonus in insigni epistola ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum, quam Sigebertus librum appellat; Humbertus Cardinalis Episcopus Syluæ candidæ, ab eodem Leone Legatus Constantinopolim missus, qui cum esset Græcè, & Latine doctissimus composuit librum contra Græcos de Azymo in forma dialogi; edidit & alterum de ieiunio Sabbathi cōtra Nicetam Pectoratum Græcum; qui duo libri extant apud Cardinalem Baronium in appendice vndecimi tomi Annalium, nec non apud Henricum Canisium tom. 6. antiquæ lectionis; Sāctus Anselmus in tribus opusculis, De processione Spiritus Sancti, De Azymo, & fermentato, & de diuersitate Sacramentorum. Rabanus Maurus lib. 1. de Institutione Monachorum, c. 31. vbi probat ex Sacrarum Scripturarum authoritate, offerendum esse panem sine fermento, & agit de processione Spiritus Sancti, Hugo Etherianus natione Tuscus, vir doctus Græcè, & Latine, Constantinopoli degens scripsit valde erudite librum de processione Spiritus Sancti, qui habetur in Bibliothec. SS. Patrum. Chrysolanus Archiepiscopus Mediolanensis de Spiritu Sancto, S. Thomas Aquinas opusculo contra errores Græcorum; Sacra Synodus Florentina, vbi doctissimè iidem errores confutati sunt, Sanctæque vnionis factæ literæ inter Græcos, & Latinos, quæ habentur in fine sess. vlt. dictæ Synodi; Ioannes Cardinalis de

Turrecremata in expoſitione decreti de præfata vnione; Ex recentioribus Antonius poſſeuinus Biblioth. ſelect. lib.6. cap.1. & ſequent. Thomas à Ieſu de conuerſione omnium Gentium lib. 6. vbi non ſolum doctrinalia pertractant, ſed & prudentialia multa præſcribunt pro iuuandis Græcis, eiſq; ad fidem alliciendis. Sed & accuratè legenda ſunt, quæ de hac re extant Põtificia diplomata, ſeu Bullæ; Innocentij IV. ad Epiſcopum Tuſculanũ, Apoſtolicæ Sedis Legatum in Regno Cypri, quæ extant in eius regiſtro Bullarum, Pontificatus ſui anno 11. apud Bibliothecam Vaticanam, ſuper ritibus Græcorum, qui tolerari, vel non tolerari poſſunt; Pij IV. cum Eccleſias Græcorum, & earum prælatos, & adminiſtratores viſitationi, & ſuperioritati Ordinariorum ſubiecit: Pij V. ſuper reuocatione licentiarum Græcis latino more, & Latinis Græco ritu Miſſas, ac alia diuina officia celebrandi eatenus conceſſarum. Gregorij XIII. ſuper erectione collegij Græci Romæ inſtituti, nec non profeſſio orthodoxæ fidei a Græcis facienda, eiuſdem Summi Põtificis iuſſu edita. Clementis VIII. de communicatione Latinorum cũ Græcis; quo enim ſtudio ille erga vniuerſam Eccleſiam, & præcipuè erga Græcos ferebatur, ne qua Deo in adminiſtrandis Sacramentis iniuria fieret, ipſi autem Græci ſalutem indè conſequerentur, per breuem ad Latinos Epiſcopos, in quorum diœceſibus Gręco ritu viuentes degãt, inſtructionẽ euulgari iuſſit, cuius ſummam affert Thomas à Ieſu vbi ſupra ex Poſſeuino to.1. App. Sacr. in addit. verbo *Græci*.



De Neſtorianis.

NEſtorianis hæreticis principium, & nomen dedit Neſtorius circa annum Domini 428. hic enim, cum prius Antiochiæ in Monaſterio religioſe conuerſatus fuiſſet, indeque Sedem Epiſcopalem Conſtantinopolitanã per Theodoſium iuniorem Imperatorem obtinuiſſet, *ſubito*, inquit Vincentius Lirinenſis lib. aduerſus hæreſes cap. 16. *ex oue conuerſus in lupum, gregem Chriſti lacerare capit.* & cap. 17. *dum ſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtinguere ſimulat, duas introducit repente perſonas: & inaudito ſcelere duos vult eſſe filios Dei, duos Chriſtos, vnum Deum, alterum qui ſit generatus ex matre. Atque ideo adſerit Sanctam Mariam non Theotocon*, id eſt Dei Matrem, *Sed Chriſtotocon*, id eſt Chriſti Matrem, *eſſe dicendam, quia ſcilicet ex ea non ille Chriſtus qui Deus, ſed ille qui erat homo ſit natus. Quod ſi quis eum putat in litteris ſuis vnũ Chriſtum dicere, & vnam Chriſti prædicare perſonam, non temere credat: Aut enim iſtud fallendi arte machinatus eſt, vt per bona facilius ſuaderet & mala, ſicut ait Apoſtolus Rom. 7. Per bonum mihi operatus eſt mortem. Aut ergo vt diximus, fraudulentiæ cauſa quibuſdam in locis Scriptorum ſuorum vnum Chriſtũ, & vnã Chriſti perſonam credere ſe iactitat: aut certe poſt partum iam Virginis ita in vnũ Chriſtum duas perhibet conueniſſe perſonas, vt tamen conceptus, ſeu partus virginei tempore, & aliquantò poſtea duos Chriſtos fuiſſe contendat. Et cum ſcilicet Chriſtus homo communis primum, & ſolitarius natus ſit, & nec dum Dei verbi perſonæ vnitate ſociatus, poſtea in eum adſumentis verbi perſona deſcenderit: & licet nunc in Dei gloria maneat adſumptus aliquandiu, tamen nihil inter illum & cæteros homines interfuiſſe videatur.* Hactenus Lirinenſis Neſtorianam deſcribens hæreſim; Cuius tamen non tam primus author extitit Neſtorius, quam inſtaurator, & propagator. Nam vt

vt apparet ex Irren. lib. 1. cap. 25. & lib. 3. cap. 27. Cherinthus etiam docuerat non vnam, sed duas personas esse Iesum Christum. Atque huic similem quoque hæresim commemorat Cassianus lib. 1. de Incar. cap. 2. quam dicit fuisse Beligarum, seu Veligarum, descendisseque ex Pelagio.

De eodem Nestorio Cyrillus Alexandrinus scribens ad Cælestinum Papam ait: *Atqui quomodo non magis secum reputat, cum omnes per terrarum orbem sparsi Orthodoxi Episcopi, & Laici, Christum Deum. Virginem verò quæ illum genuit, Deiparam esse confiteantur, se solum, qui istud inficiatur errare? verum fastu tumens, insidijsque & Sedis potentia fretus, effecturum arbitrabatur, vt nos ipsi, & reliqui omnes suæ sententiæ subscribamus.*

Vt igitur Nestorius Cyrillum cæterosque sibi in impio dogmate vidit aduersarios, scripsit ad Summum Pontificem Cælestinum, cui etiam suas Cyrillus dedit litteras, vbi, vt alias notauimus tom. 3. sect. 4. cap. 16. quod Summum Pontificem sciret supremum esse Ecclesiæ caput, supremumque fidei arbitrum; inter alia hæc habet: *At quamuis res ita se habeat, non prius tamen illius communionem confidenter deserere ausi sumus, quam hæc ipsa tuæ pietati indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, declarare, quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, &c.* quibus respondens Cœlestinus, vt Nestorium, nisi resipiscat, & à sua impietate recedat, monet fore excommunicandum, ita Cyrillo suæ sententiæ committit executionem; *Nostre*, inquit, *Sedis auctoritate ascita, nostraque vices & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequaris, nempe, vt nisi decem dierum interuallo, ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet &c. ilico Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat, &c.*

Sua cæterum in pertinacia Nestorio permanente, vt res solemnius ageretur Concilium Generale Ephesinum I. congregatum est, quo Cęlestinus tres destinauit Legatos, datis ad Patres Concilij litteris Apostolicis, vbi ait se illos misisse, *vt his quæ agentur, intersint: & quæ à nobis antea statuta sunt, exequentes &c.* illuc etiam Nestorius conuenit, verum fretus fauore Theodosij Imperatoris nondum plene informati de rebus ipsius, nec non stipatus eius milite, non solum citatus non comparuit, sed congregatis aliquot suæ factionis Episcopis Ephesi, damnare ausus est Cyrillum, & omnes Cōcilij Patres, qui nihilominus constanter inhæserūt damnationi hæresis Nestorianæ, & Pelagianæ; eorumque tandem litteris bene informatus Imperator, triumphante de mendacio veritate, Nestorium multis modis per diuersos Episcopos, vt resipisceret, frustra monitum, pertinacemque manentem misit in exilium, vbi lingua eius vermibus exesa, imo toto corpore penè putrefacto, tetram exhalauit animam, vt referunt Euagrius, Theodoretus, Cedrenus, & ex illis Baron. ad ann. 436. ipseque Theodoretus in Concilio Ephesino Nestorio adhærens postea conuersus lib. 4. fab. hæret. de eo ita scribit: *Pontificatu per Sanctos, qui Ephesi congregati fuerunt, diuino suffragio eiectus est, & iussu Imperatoris Oesini habitare damnatus, futuri impiorum supplicij, illinc capit exordium &c.* Cæteros autem Episcopos Nestorio fauentes idē Imperator Theodosius decretum Concilii amplexus ad vnionem Ecclesiæ per litteras reuocare conatus est, in quibus sic ait: *Decet proindè vestram Sanctitatem, omni diligentia, studio, ac contentione hæc à Deo deposcere, vosque probatos Romanæ Religionis Sacerdotes esse manifesto argumento declarare.* Vbi Religionem Catholicam dicit Romanam, quod, vt alias ostendimus tom. 3. sect. 3. inter se coincidant.

At quamuis, ita præualente per Dei gratiam fidei Catholicæ Romanæ veritate

ritate, hæc hæresis tam authentice in Ephesino, & varijs alijs deinceps Cõcilijs per totum orbem Christianum proscripta fuerit, & eiusdem author tã horrenda morte mulctatus; nihilominus vt occulto, sed iusto Dei iudicio nunquam in Oriente germinare cessauit, vt zizania solet, ita postmodum Græcis, Orientalique Ecclesia fere tota deficientibus à Romani Pontificis obedientia, tanta iterum sumpsit incrementa, vt in plerisque Orientis regionibus plurimi hac peste infecti vsque in præsentem diem perseuerent; pro maiori tamen parte habitant in Chaldea, Syria superiori, & Mesopotamia, vnde interdum Nestoriani dicuntur Syri, & Chaldæi, ibique eorum Patriarcha suam habet residentiam. In terra autem Sancta, Hierosolymis dũtaxat inueniuntur, vbi quinquaginta; vel sexaginta circiter eorum familiæ domicilium habent, & pro parochia paruam quamdam Ecclesiam in domo Mariæ Matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, exædificatam, quo Petrus ab Angelo è carcere liberatus confugisse dicitur Act. 12. ibi pro celebrandis missis duos tenent Sacerdotes, vnum autem intra Sancti Sepulchri septa, qui in ea, vbi sunt sepulchra Sanctorum Iosephi ab Animathia, & Nicodemi, capella suam facit mansionem, diuinumque recitat officiũ; quoties Turcæ Ecclesiæ Sancti Sepulchri ianuas aperiunt, omnes qui tunc Hierosolymis degunt Nestoriani illam ingrediuntur, Missam celebrandi, diuinaque officia persoluendi gratia, quod lingua Syriaca præstant; cum enim maior pars Nestorianorum ibi habitãtium suam è Chaldea Syriaque superiori originem trahant, vbi præfata lingua est vernacula, quamque à teneris discunt annis, eam nullatenus deserere volunt, nec non Hebræa antiquiorem esse contendunt.

Præter dictos Nestorianos in Asiæ minoris regionibus versantes, sunt etiam alii in India Orientali in Ciuitate S. Thomæ, & aliis oppidis, de quibus Posseuinus tom. 2. Apparatus, verbo *Nestoriani*, & ex eo Thomas à Iesu lib. 7. de conuersione omnium gentium cap. 2. agit, pluresque refert errores, quorum tamen omnium labe non sunt coinquinati, qui Asiam Minorem incolunt, sed sequentes dumtaxat habent præcipuos, tam ex eodẽ Patre Thoma, quàm ex fide dignis Missionariorum relationibus.

Primùm & si nobiscum signo se crucis muniant, haud tamen pronuntiant illa verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; sed istis vtuntur: *Verbum Patris descendit in vterum Mariæ Virginis, & à læua ad dexteram nos transtulit.* Vnico se signant indice, dicentes quod tres simul iuncti repræsentent tres Sacræ Triadis Personas; qui mos, licet benè intellectus, nullum contineat errorem, secus tamen ad sensum, & mentem eorum.

Secundò Nestorium, & Thodorum Mopseuestenum vespertinis horis in aliquibus Ecclesiis cum Patribus inuocant; Sanctum verò Cyrillum damnant, & anathematizant.

Tertiò humanam in Christo naturã, absque persona humana non esse perfectã existimant; ideoq; duas in Christo asserunt esse personas. Fatentur tamen Christum à primo instanti conceptionis esse perfectum Deum, & perfectum hominem.

Quartò, Beatissimam Virginem non vocant Dei Genitricem, ne videantur, vt aiunt, asserere cum Iacobitis, licet in aliis forsan cum illis conueniant, Virginem genuisse ipsam diuinam naturam trium personarum Diuinarum, cum dictio Dei contineat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & de eisdem prædicetur. Ideo vocant Sanctissimam Virginem Dei Verbi Genitricem.

Quintò, Clerici omnes, & etiam ipsi Laici, qui alios deuotione superant, Sacram Dominici corporis communionem in manibus propriis recipientes

res sub vtraque specie communicantur, cæteri verò laici Corpus Domini sanguine intinctum ore assumũt, quod lactantibus etiam pueris porrigunt. Vtuntur sicut & Græci pane fermentato, qui orbicularis est, eiusdem cum hostiis Latinorum magnitudinis, semidigitalis autem altitudinis, cui nonnulli caracteres Syriaci sunt impressi.

Sextò, Sacerdotes mortua prima vxore, secundas & vlteriores adhuc nuptias contrahunt.

Septimò, nuptias in gradibus prohibitis sine superioris licentia etiam in secundo gradu faciunt.

Octauò, Monachi sæpius in Monasteria Maadronitas, id est Monachas, siue Diaconissas ingredi, & pernoctare permittunt.

Nono, Patriarcham non per electionem sicut & aliæ nationes creant, sed potius per renuntiationem de vno in alterum, quasi iure hæreditario, Patriarchatus transit.

Decimò, asserunt in fide ab Apostolis tradita nullum Chaldæorum fuisse hæreticum.

Vndecimo, Vniuersali sacro Concilio Ephesino primo, & aliis carere videntur.

De Nestorianis autem, qui obediẽtiam præstiterunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tempore Pontificatus felic. record. Iulii Papæ III. & Gregorii XIII. quique vetus nomen, Chaldæos, siue Assyrios Orientales nimirum se se appellantes, reiecto Nestorianorum cognomine, recuperarunt, videri possũt tum præfatus Pater Thomas, tum alii, qui Ecclesiasticam rerum ab illo tempore gestarum historiam conscripserunt.

Ex antiquis pro veritate Catholica contra Nestorianorum errores potissimè pugnarunt, S. Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus Cyriæ Episcopus, quamuis enim Nestorio fauerit initio controuersiæ: tamen postea resipuit: & Nestorium inter hæreticos numerauit in lib. 4. de fab. Hæret. Vincentius Lirinensis, S. Leo Papa I.

Theodorus presbyter in Monasterio Raytu scripsit commentarium de Incarnatione Domini contra Nestorium, & Eutychetem qui extat in Bibliot. SS. Patrum; Ioannes Marontius Monachus scripsit dialogorum contra Nestorianos libros duos, item responsionem ad epistolam Papæ Hormisdæ, in quibus disputat aduersus Nestorianos, & aduersus Faustum Regiensem Semipelagianum; quem egregiè refellit ex libris S. Augustini: at Nestorianos ita confutat scribens contra Possessorem Episcopum Africanum, vt ad Eutychianos declinare videatur. Leõtius Bysantinus Monachus scripsit libros tres contra Nestorianos, & Eutychianos, qui extant apud Henricum Canisium tom. 4. ant. lect. Liberatus Archidiaconus Carthaginensis scripsit breuiarium de causa Nestorii, & Eutychetis tom. 2. Concil. sed cautè legendum est; siue enim ab aliquo deprauatum fuerit, siue ipse auctor, non bene assecutus sit historiæ veritatem, non parua in eo videntur esse perperam scripta. Guido Carmelita contra omnes hæreses, Prateolus; & ex Theologis omnes, qui in 3. sentent. & 3. Diui Thomæ partem commentarios de Incarnatione Diuini Verbi ediderunt.

De Eutychianis.

VT Nestoriani à Nestorio ita Eutychiani ab Eutychete hæretico, & originem, & denominationem susceperunt. Hic etiam, cum prius Constantinopoli Monasterij Archimandrita, seu Abbas esset; vnusque ex illis, qui tempore Concilij Ephesini aduersus Nestorianos præstantius cæteris dimicaret, eo prolilijt, vt non duas tantum esse in Christo personas ex Catholicæ fidei præscripto negaret, sed nec duas in eo naturas vellet admittere, eosque putaret Nestoriana laborare hæresi, qui duas confiteren-

fiterentur in Christo distinctas, & inconfusè coniunctas esse naturas.

Præterea impiè docebat in illo post Incarnationem vnam tantum fuisse, & esse naturam, factam per conuersionē diuinitatis in carnem; quia Verbum caro factum est: at vnum fieri alterum est verti in illud. Vnde affirmabat diuinitatem Verbi natam, passam, mortuam ac sepultam fuisse: ita tamen vt Christi caro nec fuerit, nec sit eiusdem naturæ cum nostra, sed tantum apparens, & phantastica: vt potius Verbum simulauerit se hominem, & natum, & passum, &c. quam reuera talis extiterit. Quia videtur indignum Deo, quod vera fuerit caro, verè natus, vereque passus &c. proindeque Theodoretus lib. 4. fab. hæret. de Eutychete scribēs sic ait: *Quæ iam exaruerat, Valentini hæresim rursum fecit pullulare. Arius solum animam, Apollinaris solum corpus assumptum confitebatur, hic autem corpus assumptum esse negabat, dicebat enim, Deum Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse, sed ipsum immutabiliter conuersum & carnem factum (ridiculis enim eius vtor verbis) solum per Virginem traiecisse*. Vnde etiam illam non Thotocon id est Dei Genitricem, sed Theodocon id est Dei susceptricem potuit appellare; vt etiam Nestoriani ex diuersis tamen principiis.

Hanc nouam pestem intelligens Eusebius Dorilæi Episcopus, cum aliquoties Eutychetem frustra admonuisset, eum tandem accusauit apud S. Flauianum Episcopum Constantinopolitanum, & tunc ibidem congregatum quoddam Concilium Prouinciale, à quo legitimè citatus per notarios respondit, *Paratum se esse expositioni SS. Patrum, qui in Nicæa, & in Epheso congregati fuerunt consentire, & subscribere interpretationibus eorum: Si verò aliquid contigit, eos in aliquibus dictis, aut falli, aut errasse, hoc neque reprehendere, neque subscribere, solas enim scripturas scrutari tanquam firmiores Sanctorum Patrum expositionibus, vt habetur* in Act. Concilij Chalced. & cum iterum citatus fuisset, petiissetque a Patribus ad eum missis: *In qua scriptura iacent duæ naturæ? quis Sanctorum Patrum exposuit Deum Verbum duas habere naturas?* illis replicantibus: *Et tu ostende nobis, vbi cōtinetur homousion? aut qua scriptura hoc dicit?* respondit Eutyches: *Non continetur in Scriptura, in expositionibus verò Patrum iacet.* Cui subintulit Mamas presbyter: *Eo modo, quo de homousion dicis, ita & de duabus naturis Sancti Patres exposuerunt.*

Tandem sub patrocinio Thodosii iunioris Imperatoris, & Eunuchorum, coram ipsomet Concilio dixit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post verò adunationem vnam naturam confiteor:* Quibus auditis, diligenterque examinatis S. Flauianus eum in Concilio damnauit; cui subscripserunt Episcopi triginta duo, & Archimandritæ viginti tres.

At Imperator Eutycheti fauere nō desistens egit, vt Concilium Generale Ephesinum II. conuocaretur, & in hūc finem scripsit Sancto Leoni Romano Pontifici, vt illud cogeret, & ipsemet personaliter interesse vellet; cui Sanctus Leo respondit se quidem assistere non posse, missurum tamen idoneos, qui vices eius supplerent, pro vt delegauit Iulianum Episcopum Puteolanū, Renatum Presbyterum, & Hilarium Diaconum, deditque per eos litteras ad S. Flauianū in Concilio publicè legendas, quarum etiam exemplaria misit ad Episcopos Occidentis in Gallia; in quibus laudat iudicium de his, quæ in præfato Concilio Constantinopolitano acta erant in causa Eutychetis, probatque clarissimè in Christo vnam esse personam, in qua duæ naturæ diuina, & humana subsistunt; & in fine hortatur, vt, si Eutyches à nefanda resilire voluerit hæresi, misericordiam consequatur. Aliam quoque epistolam dedit S. Leo ad ipsum Concilium, vbi modum præscribit, quo procedere debeat.

Compa-

Comparuerunt igitur in Concilio tres præfati Sedis Apostolicæ Legati cum 132. Episcopis, & quorumdam vicarijs; verum Dioscorus Episcopus Alexandrinus authoritate Imperatoris fretus violenter præsidentiam Concilij vsurpauit, ac litteras Leonis Papæ à Legatis, vt legerentur, oblatas, contra datam fidem legi non permisit, de quo postea in Concilio Chalcedonensi, præter alia, periurij damnatus fuit, sed statim Eutychetem Concilium pro sua defensione intrare iussit, qui omisso suo errore prælegit aliquam fidei confessionem, seque iniustè damnatum fuisse protestatus est. Vndè Dioscorus, quantumuis reclamantibus Legatis Pontificiis, aliisque Episcopis, sententiam cõtra S. Flauianum, & Eusebium tulit; at Flauianus se inauditum damnari protestatus, vt Episcopi in Concilio Chalcedonensi testati sunt, Dioscoro dixit: *Appello à te*; & Hilarius S. Romanæ Ecclesiæ Legatus dixit, *contradicitur*; Quare plures Episcopi ad pedes Dioscori prouoluti, ne sic ageret, instanter rogabant; sed his minimè acquiescens introducto copioso milite, cum catenis, coegit Episcopos subscribere, quemadmodum postea in Concilio Chalcedonensi, ipsimet Dioscoro in faciem obiecerunt.

Legati interim Apostolici, quæ à Dioscoro ita violenter agebantur, nullius roboris esse contestati sunt, vnusq; ipsorum Hilarius fuga elapsus, etsi à Dioscoro quæri iussus, post multa pericula Romam perueniens omnia Sancto Leoni diligenter exposuit, qui coacto Romæ Concilio Episcoporum Occidentalium, in eo omnia, quæ Ephesi more prędonum acta fuerant, rescidit, ac damnauit. Dioscorus autem impius, cum prius S. Flauianum iniustè condẽnatum, libelloque ad Sedem Apostolicam exhibito per eiusdem Legatos appellantem, cædi ad mortem iussisset, eo processit audaciæ, vt S. Leonem excommunicarit, coactis decem Episcopis, lachrymantibus, & gementibus, ad scribendum facinus hactenus inauditum. Quod schisma vsque ad obitum Theodosij Iunioris perdurauit. Marcianus enim illi succedens datis ad S. Leonem litteris enixè ab eo petijt, & obtinuit Concilij Generalis cõgregationẽ, quod prius Nicæe indictum, postea Chalcedone celebratum est anno Domin. 451. pręsidentibusq; in eo Legatis à S. Leone missis, & pręsentibus sexcentis & vltra Episcopis, nec non ipso Imperatore Marciano, Eutyches ac Dioscorus damnati fuerunt: cuius rei series sic se habet.

I. Cùm inter cæteros impius sederet Dioscorus, hęc Paschasinus Apostolicæ Sedis Legatus ad Synodum dixit: *Beatissimi atque Apostolici Papę vrbis Romæ, quę est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinus Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur; hoc ergo obseruare necesse est*. Vndè statim, vt reo, in medio constituto Dioscoro, accusatio est instituta. Theodoretus introductus est in Synodum. Lecta Constantinopolitani Concilii acta de damnatione Eutychetis, & alia Ephesini Conciliabuli. Rogati Patres sententiam, acclamant, damnantes, qui tam iniquam contra Flauianum tulisent sententiam; Episcopis, qui Ephesi fuerant, contra Dioscorum obstrepentibus, se vi coactos subscripsisse.

II. Sessione lecta sunt Symbola, Nicęnum, & Constantinopolitanum, duę Cyrilli Epistolæ, & Sancti Leonis epistola illa de Incarnatione Verbi ad Flauianum, quam miris laudibus Patres prosecuti sunt, ita acclamantes: *Hæc Patrum fides, hęc Apostolorum fides, omnes ita credimus, Anathema, qui non ita credit; Petrus per Leonem ita locutus est. Cyrillus ita docuit; Leo & Cyrillus similiter docuerunt. Hęc in Epheso lecta non sunt: hęc Dioscorus occultauit*.

III. Sessione conueniunt Episcopi tantummodo, absque Magistratibus-sęcula-

cularibus, eò quod tractanda esset Dioscori damnatio, per Episcopos duntaxat facienda. Eo autem citato, & recusante comparere, quod abessent Iudices sæculares, Cecropius Epicopus Sebastenus, vnus ex ijs, qui ad ipsum vocandum missi fuerant, hæc dixit: *Quando quędam regularia (id est Ecclesiastica) negotia examinantur, secundum canones, neque Iudices alios, vel laicos interesse oportet*.

Lectis itaque accusationum libellis aduersus Dioscorum oblatis, cum hac inscriptione, *Sanctissimo, & Beatissimo vniuersali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & Sanctæ, & vniuersali Synodo Chalcedonensi*, cum tertiò citatus pertinaciter comparere noluisset, Legati Apostolici contra ipsum tulerunt sententiã, in qua delictis eius recensitis & pertinacia sic concluserunt: *Vndè Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus magnę & senioris Romę Leo per nos. & per præsentem hanc Synodum cum ter beatissimo, & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & illo qui est rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tàm Episcopatus dignitate, &c. Igitur Sancta hæc & magna Synodus, quę placent regulis decernat*. Legatorũ sententiæ singuli Episcopi Sacræ Synodi subscripserunt, & de re, Synodalis epistola missa est ad Imperatorem.

IV. Sessione, quinque Episcopi, qui cum Dioscoro præfuerãt impio Ephesi conuentui, facta Catholicę fidei professione, contrariaque sentientibus dãnatis, in Synodum sunt admissi, à qua ante repulsi erant. Episcopi autem Aegyptii impetrant, vt non prius cogantur dicere, Anathema in Eutychetem, quã Alexandrinus Episcopus eligeretur, quẽ subscribendo sequerentur.

V. Sessione continetur petitio Eutychianorum Archimandritarum, vt sibi liceret de fide cum Catholicis disputare coram Imperatore, qui religiosissimè & sapientissimè eos remisit ad Concilium Episcoporum, *quorum definitionibus*, inquit, *fidem habeo, eas sequor, his contentus sum*. Mox actum est de Diecesibus, aliis aliàs defendentibus, ex iure Imperatorum, aliis aliàs ex regulis Ecclesiasticis, Iudices dixere: *Sacratissimo Domino orbis placuit, non iuxta Sacras Imperatoris litteras, & pragmaticos typos, res Sanctissimorum Episcoporũ procedere, sed secundum canones à Sanctis Patribus datos*. Sancta item Synodus dixit: *Contra canones nihil pragmaticum valebit: Regulæ Patrum teneant*. Deindè pro B. Virgine, quod sit Mater Dei, sic statuitur: *Fides fraudem non patitur. Sancta Maria Theotocos scribatur. Sancta Maria Theotocos est. Qui sic non scribit, & sapit, hæreticus est*.

VI. & VII. Sessione definitio Fidei Catholicæ Concilii Chalcedonẽsis cõscripta, & actis inserta est, qua lecta, & ab omnibus subscripta, dictum est Anathema Nestorio, Eutycheti, & Dioscoro, &c. pro custodia autem definitionis fidei, Imperator, viuæ vocis oraculo, aduersus disputantes, vel turbas, & tumultus concitantes, pœnas apposuit.

VIII. Sessione primò componitur controuersia inter Antiochenum, & Ierosolymitanum Episcopos, in qua ius Metropoleos Palęstinæ, quod erat Ecclesię Cęsariensis Ierosolymis est translatum. Secundò Theodoreti causa acta; & ipse anathematizans Nestorium, susceptus est à Synodo, vt ante à Leone, & sua illi Ecclesia restituta. Tertiò restitutio quoque Ibæ Edesseni in suam Ecclesiam facta est. Ob quæ posteà tantùm inter Catholicos dissidiũ fuit, plurimique Concilium Chalcedonense recipere recusarunt propter tria capitula edita in V. Concilio Generali. I. de Theodoro Mopsuesteno Episcopo, cuius impia scripta ibi damnantur. II. de Theodoreto, cuius scripta aduersus 12. Capitula Cyrilli Alexandrini ibi reprobantur, & tamen Concilium Chalcedonense, ipsum Sedi suæ restituerat. III. de epistola Ibæ Episcopi Edesseni scripta ad Marium Persam, quæ in eo capitulo damnatur: & quod Cyrillũ vocet Hæreticum, & Nestorium laudet: Et tamen

men in Concilio Chalcedonensi vt Catholicus receptus, & in Sedem suam restitutus fuerat. Verùm totum hoc dissidium ex bonæ fidei ignorantia natum fuisse alias ostendimus. Nam re vera Theodoretus, & Ibas primo Nestorio fauerant, & Cyrillum damnauerant, atque contra illum scripserant: postea verò resipuerunt, & cum Cyrillo reconciliati sunt: & ita Conciliũ V. damnauit eorum scripta, non personas; Concilium autem Chalcedonense recepit personas quia iam resipuerant, vt egregiè docet D. Gregorius lib. 2. Reg. Indict. 10. epist. 10. ad Sabinum Subdiaconum.

IX. Sessione decretum, vt Ephesinũ sub Dioscoro Concilium, Concilii nomen minimè obtineret, & Imperator ipse de hoc sanciret. Tribus sequentibus sessionibus actum de causis quorundam Episcoporum. Atque demum pridiè Kalend. Nouemb. solutum est Concilium, abiereque Iudices, atque Legati Sedis Apostolicæ, scripta prius Synodali epistola ad Sanctum Leonem in qua S. Synodus omnia acta, & definita referebat, petebatque ab eo cuncta rata haberi, & confirmari, nec non quẽ adiecerat canonem, vt Episcopus Constantinopolitanus post Romanam, & Apostolicam Sedem honorem haberet. Verum Sanctus Leo confirmauit quidẽ definitionem fidei, & alia Concilii acta, præfatum autem canonem de præcedentia Constantinopolitana, tanquam Nicæni Concilii statutis contrarium reprobauit; vt patet ex epistola eius 53. ad Marcianum Imperatorem. En igitur, quem in Concilio Generali Chalcedonensi finem, & exitum habuit Eutychetis, & Dioscori causa; non propterea tamen eorum hæresis extincta est, imo quod de Arianis scripsit Athanasius serm. 4. contra ipsos, non minus de Eutychianis afferi potest, videlicet, *quemadmodum in fabulis Ethnicorum celebrata hydra, sublatis prioribus serpentibus, alÿsque pululantibus, pernicaciter contendebat nouo semper obiecto anguium contra eum, qui ipsi suos serpentes tollebat: ita quoque isti execrabiles homines animo Ethnico deiecti ab illis, quæ obÿciebant, alias reperiunt Iudaicas, & stultas controuersias, & quasi veritatem hostem habeant, comminiscuntur noua, vt ita se magis Christi perduelles, & oppugnatores declarent*: Nam ex Nicephoro lib. 18. hist. Ecclesiast. cap. 45. postquã Eutycheti, & Dioscoro à Sancta IV. Synodo Chalcedonensi dignitas abrogata est, qui illorum dogma defenderunt, facta ab Ecclesia Catholica defectione, segregatos, siue ambigentes seipsos appellarunt, & in duodecim sectas diuisi sunt, ex quibus per vniuersum Oriẽtem multa millia hæresum pullularunt, quarum plures adhuc ibi perseuerant, pręsertim in natione Iacobitica, de qua paragrapho sequenti, si prius annotauero scriptores, qui aduersus Eutychianos veritatem Catholicam propugnarunt. Hi sunt ex antiquis Theodoretus contra omnes hęreses, Ioannes Cassianus libris 1. de Incarnatione Verbi, Vincentius Lirinensis, S. Petrus Chrisologus in insigni epistola ad Eutychetem exhortans illum ad obedientiam Sancto Leoni pręstandam in materia fidei potissimum. *Hortamur*, inquit, *te, vt ÿs, quæ à Beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria Sede viuit, & pręsidet, præstat quærentibus fidei veritatem*; habetur, & alia eiusdem epistola, inter eas, quę pręcedunt Chalcedonense Concilium. Theodorus Presbyter in Monasterio Raytu scripsit quindecim libros de Incarnatione Domini contra Nestorium, & Eutychetem in Bibliotheca Sanctorum Patrum. Gelasius Cyzicenus scripsisse creditur librum de duabus naturis Christi contra Eutychetem, qui tamen liber hactenus est editus sub nomine Gelasij Papæ. Vigilius scripsit libros quinque valdè eruditos cõtra Nestorium, & Eutychetem, pro defensione epistolæ Sancti Leonis, & Concilij Chalcedonensis. Quis autem fuerit iste Vigilius, non satis constat, poteştque de hac

de hac re videri Card. Baronius to.5. Annal. ad annum Dom. 400. Boetius Seuerinus scripsit librum vnũ de duabus naturis Christi aduersus Eutychetem. Leontius Bisantinus scripsit libros tres contra Nestorianos, & Eutychianos: nec non contra fraudes Apollinaristarum, & contra Seuerum, qui extant apud Henricum Canisium tom. 4. antiquæ lectionis. Liberatus Archidiaconus Carthaginensis scripsit breuiarũ, sed vt supra iam notauimus cautè legendum, de causa Nestorij, & Eutychetis. Sanctus Ioannes Damascenus libro de centum hæresibus; Ex Theologis autem scripserunt omnes, qui post Magistrum in 3.senten. & post Diuum Thomam in 3. part. Summ. commentaria de Incarnatione ediderunt.

De Iacobitis.

IAcobitæ propriè non distinguuntur ab Eutychianis, sed vna potius fuit, quæ ex illis prodijt Secta, post damnatos in Concilio Chalcedonensi Eutychetem, & Dioscorum, cui nomen dedit, vt refert Nicephorus lib. 18. cap.52. quidam Iacobus Syrus genere, obscurus prorsus, & nulla gloria vir, qui etiam Zanzalus propter summam tenuitatẽ est cognominatus. Hic enim Eutychetis, & Dioscori, nec non Petri Gnaphæi Episcopi Antiocheni errore recepto, qui ad hæresim Eutychetis addidit, vt in trisagio poneretur crux, videlicet Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, qui crucifixus est pro nobis, ex quo videbatur sentire totam Trinitatem fuisse crucifixam, magnoperè Monophysitarum, hoc est vnam in Christo naturam asserentium opinionem apud Syros propagare studuit; vndè etiam magnum inter illos dissidium exortum fuit. Nã qui rectæ opinioni, Sacrique Concilij Chalcedonensis definitioni de duabus naturis in vna Christi persona adhæserunt, Melchitæ appellati sunt, quod Sanctam quartam Synodum, & Imperatorem ipsum (Melchi enim Syris Rex est) consectarentur. Qui autem diuersum senserunt, multa variaque habuere nomina, Iacobitæ tamen maximè sunt nominati, propterea quod dicto Monophysitarum hæresis studioso Iacobo adhærerent; vndè satis patet, non tam nationis, Iacobitarum esse nomen, quam hæresis, vel sectæ dispersæ per ciuitates, terras, & oppida Syriæ, nec non Mesopotamiæ, & Babyloniæ, alijsque sectis ibi vigentibus mixtæ, vt habet Thomas à Iesu lib.7. de conuers. omnium Gentium cap.14. ex relatione Leonardi Episcopi Sidonij Nuncij, atque Visitatoris Apostolici missi à Gregorio XIII. ad partes Orientales.

Ecclesia Patriarchalis Iacobitarum est in Mesopotamia, extra ciuitatem Moradim in Monasterio Zafram, sed Patriarcha residet in ciuitate Caramit ad maiorem sui commoditatem, & quietem; tunc quando præfatus nuncius illos visitauit subditi erant Patriarchę Dauid, sub cuius obedientia viuebant plures Prælati, loco *statim* citato relati, & videndi; vbi etiam errores ex Cathechismo eorundem, qui Romæ in Bibliotheca Cardinalis Sãctæ Seuerinæ tam in Arabica, quàm in Latina lingua conscriptus habetur, simul collecti reperiuntur; Præcipuus ipsorumque proprius est ille, quo asserunt Christum ante, & post adunationem esse vnam naturam vnitam, & cõpositam ex Diuinitate, & Humanitate: Et vnam voluntatem compositam ex Diuinitate, & Humanitate: Et vnam operationem productam ex Diuinitate & apparentem ex corpore; quibus verbis, dum perhibetur eos, aut ludere, debereque consequenter, omisso tali loquendi modo, liberè vnam personã, & duas naturas, duas voluntates, & duas operationes iuxta Concilium Chalcedonense à S.Romana Ecclesia, quæ diuino regitur spiritu, probatum confiteri; aut re vera hæreticos Eutychia-

chianos esse; respondent ad primùm, nec Latinos, nec Græcos potuisse excogitare, & inuenire hoc temperamentùm vocum, & terminorum, in supradicta propositione, quemadmodū doctè Iacobitæ inuenerunt, aut in alia simili, qua dicunt, duas in Christo naturas esse vnitas, vnamque factam naturam personatam de duabus naturis non personatis, sine mixtione tamen, aut confusione, & quidem in significatione eamdem esse, cum ea qua Ecclesia Latina vtitur, solùmque verbis differre affirmant. Vndè ad secundum respondent, se nequaquam Eutychianos esse, sed Dioscorianos, ac semper Eutychetis errores vna cum authore suo condemnasse, & etiam nunc condemnare, qui duas naturas in vnam confundebat, cum ipsi cōtra hanc opinionē asserant vt supra, duas in Christo naturas esse vnitas, vnamque factam naturam personatam de duabus naturis non personatis, sine mixtione tamen, & confusione. Siquę instetur Dioscorum iuxto excommunicationis telo fuisse confossum in Concilio Generali Chalcedonensi, quod hæresim Eutychetis approbaret, & in ea, alijsq; innumeris ibidem recensitis contumaciter, ac superbè perseueraret; recurrunt ad corruptas quasdam in ipsorū libris Dioscori historias, quibus eum immeritò in præfato Concilio damnatum, & excommunicatum fuisse conantur probare.

Quare etiam Chalcedonense Concilium haud recipiunt, Sanctùmque Leonem Summum Pontificem Romanum, quia duarum meminit naturarū, cum Arrio & Nestorio, & alijs hæresiarchis malignè annumerant, vt hac via maiori afficiantur erga Ecclesiam Catholicam odio, vtque à duarum naturarum mentione omnes abhorreant; quas tamen plurimas in contrarium allegant, authoritates oppositum potius demonstrare patebit ex dicendis sect. sequen. cap.9. Hæreses autem Iacobitis cōmunes cum Cophtis, Abyssinis, & Armenis, sunt potissimum sequentes.

1. Omnes ferè dubitant, aut non firmiter sentiunt de Primatu Romani Pontificis; refutabitur infra c.7.

2. Simul colunt Baptismum, & Circumcisionem, refutabitur cap.6.

3. Sacramentum confessionis auricularis, vt est apud Ecclesiam, Confirmationis, & extremæ Vnctionis vix agnoscunt. Matrimonium verò leui ex causa dissolubile confitentur; refelletur cap.20. & 22.

4. Legem veterem cum noua obseruandam credunt; refelletur cap.6.

5. Nec Purgatorium, nec pro defunctis preces admittunt; nec Beatos ante iudicij diem ad Paradisum euolare credunt, & tunc negant Deum facie ad faciem, sed claritatem quandam, & splendorem diuinum visuros. refelletur cap.1. 23. & 24.

6. Animas rationales non de nouo creari à Deo, sed per seminis propagationem ex potentia educi, sicut & animas brutorum affirmant. refutabitur cap.3. De Iacobitis, siue Iacobinis videnda est Constitutio Concilij Florentini sub Sanctissimo Patre, & D.N. Eugenio IV. super vnione eorundem, quæ incipit: *Cantate Domino quoniam magnificè fecit*.

De Cophtis.

COphtæ, vel Cophti, aut quia ex Aegypto oriundi, aut quia circumcisi, vt Græcè sonat idem nomen, eo quod vna cum baptismo Iudæorum etiam ritu olim circumciderentur, ad hunc vsque diem reperiuntur partim in Aegypto, partim in Aethiopia, & Nubia. Suum habent Patriarcham residentem in Monasterio Sancti Macharij sexaginta circiter milliaribus à Magno Cayro versus meridiem distante ad ripam Nili; præter quod, plura quoque sunt alia tum in Aegypto, tum in Thebaidis desertis, vbi Religiosi in extrema viuunt paupertapauperta-

pertate, ac miseria. A tempore Concilij Chalcedonensis, quo Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, cui olim suberant Cophtæ, ab Ecclesia defecit, ipsi etiam varijs eius, nec non alijs erroribus coinquinari cæperunt. In primis vt Concilium Chalcedonense, & Sanctum Leonem Papam expresse dãnant, ita inter celebrandam Missam inuocant Seuerum, & Dioscorum, eosque Patres, & Sanctos appellant.

II. Vnam tantùm in Christo Domino profitentur naturam, voluntatem & operationem. Duas verò naturas, voluntates, & operationes admittere recusant, ne Christus, provt ipsi asserunt in duas etiam diuideretur personas. refutabitur cap. 10.

III. Quamuis Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere credant, verba tamen illa, *Filioque* non recitant. refelletur cap. 2.

IV. In hymno trisagio addunt illa verba, qui crucifixus est, dicentes, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis.

V. Vana vel falsa per Deum iurare non reputatur ab eis peccatum, & illi qui in partibus Aegypti aliena furantur, peccare minimè existimantur. Refutabitur cap. 8.

VI. Circa Sacramentorum administrationem multos etiam errores habent admixtos; incipiendo enim à Baptismo, in primis ratum non habent illum, ne quidem in summa necessitate, si ab alio quam à Sacerdote conferatur. isque præcisè in Ecclesia, etiamsi baptizandus de vita periclitaretur, nec etiam ante quadragesimum vitę diem, quod extra Cayrum maximè in Scitia adeò rigorosè obseruatur, vt ne quidẽ imminente præsentissima morte, ante hunc ætatis diem paruulis Baptismus detur. Refelletur cap. 15. Modus autem baptizandi talis est. Defertur nimirum infans ad Templum, ibidemque ad instar Missæ cum Diacono, & Subdiacono officium celebratur, sine consecratione tamen, vel communione; deindè baptizandus ritu Græco aquę immergitur, verba autem Latinorum more adhibentur; statimque à baptismo etiam paruuli chrismantur, vnguntur que Oleo Sancto in fronte, in pectore, in iuncturis, in renibus, alapa autem non infligitur. Postea vestiuntur, cinguntur que, & hæc quidem media nocte fieri solent; illisque peractis vltimo loco Missa more consueto celebratur, cum consecratione, communicatusque Sacerdos; & Ministri sub vtraque specie, Sanctum Eucharistiæ Sacramentum sub eisdem quoque speciebus nouiter baptizato porrigunt. Olim etiam omnes Cophti vna cum baptismo circumcidebantur, sed hodie vt ipsi asserunt, id amplius non est in vsu, forsan post Synodum Memphiticam, de qua statim.

VI. Conficiunt Eucharistiæ Sacramentum in fermentato, illudque omnibus sub vtraque administrant specie. Diaconi, & Subdiaconi, sine quibus nunquam celebratur, semper cum Sacerdote quoties celebrant, communicant: laici autem rarissimè extra *festa* Paschalia. Ministri autem hi solùm sunt viginti annorum, aut circiter, qui nunquam confessionem suorum peccatorum faciunt, etiamsi singulis diebus communicent, proindè moris est ante vigesimum, aut circiter annum, nunquam Sacramentum pœnitentiæ recipere.

VII. Infirmis neque oleum Sanctũ, neque Eucharistia defertur.

VIII. Excepto Presbyteratu conferuntur ordines cuicumque ætati, etiã immediatè post baptismum paruulis, simulque dantur tonsura, & quatuor minores, & Diaconatus, & Subdiaconatus, nec hisce conferendis interstitia, vel tempora particularia determinata sunt. Vbi Sacros recipiunt Ordines, castitatem, & abstinentiam promittũt, ieiunare videlicet diebus Mercurij, & Veneris, tempore aduentus, & quadragesimæ: hisce enim temporibus

bus ad occasum vsque Solis, quando etiam Missam celebrare moris est, ieiunant, nec non etiam vigilijs Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis. Quando autem infantulis aut pueris Sacri ordines conferuntur, pro eis spondent, & hæc vota obseruant ipsorum parentes, donec decimum sextum ætatis annum, aut circiter attigerint.

IX. Matrimonium quidem apud ipsos contrahitur in præsentia Sacerdotis & in facie Ecclesiæ, ad formam Romanam: Id ipsum tamen quamuis iam consummatum dissoluitur quandoque (quanquam raro) assumente sibi marito aliam vxorem, vxoreque alium maritum. Refelletur cap. 20.

X. Vtuntur in suis Ecclesiis libro quodam fabuloso, quem secreta Petri appellant, & in Missis legunt Euangelium Nicodemi. Lingua Chaldaica diuina legunt officia, nec non Missam prĕter Epistolam, & Euangelium, quæ lingua Arabica nunc Aegypto vernacula ibi recitant.

Vt Cophtĕ supina præ omnibus aliis hæreticis Orientalibus ignorantia laborant, cum maior ipsorummet Sacerdotum pars legere tantùm, non autem scribere norit, ita inde, nec non ex superbia, qua de suis conuinci timent erroribus, ac summo quo Latinos prosequuntur odio, vix adduci possunt, vt cũ illis de rebus fidei, & religionis agere velint. Nihilominus Gregorius XIII. pro Sancto, quo animarum salutis flagrabat zelo, multis legationibus pacis & vnionis ad illam gentem missis, eam ad Ecclesiæ Sanctæ gremium adducere curauit; eiusque authoritate Synodus Memphitica anno 1582. mense Decembris celebrata est; quæ etsi plenum, qui sperabatur exitum non habuerit, quatenus concordissimè iam in ea sancito, quod ad rem attinet, vnà cum Catholicis idem sentiendum esse de duabus in Christo naturis, id postea chyrographo confirmare noluerunt, tùm Patriarchæ Vicario ita procurante homine pessimo quique ea ratione consequi se posse Patriarchatum sperauerat, tum morte ipsius Patriarchæ, hoc tamen obtentum est, vt tunc Circumcisionis lex fuerit abrogata; sique interdum aliqui Mahumetanorum vi circumciduntur, statim à parentibus crucis signo in fronte, vel manu notantur, vt ab omnibus tanquã Christiani dignosci possint. De quibus vide Thomam à Iesu lib. 7. de conuersione omnium Gentium procuranda cap. 6.

Qui de Terræ Sanctæ rebus scripserunt, referunt Cophtos in maiori sancti sepulchri Ecclesia, suum quoque, licet paruum, sacellum habere ad occidentalem partem Sacri Saluatoris mundi sepulchri, non minus ab alijs ornatũ; quodq; licet Ierosolymis viginti quinque duntaxat eorum familiæ habitent, ibi nihilominus pro parochia paruam quoque habeant Ecclesiam, vbi duo resident Sacerdotes ad persoluenda diuina officia, nec non missam celebrandam.

De Abissinis.

Abissini sunt illi populi, qui subiiciuntur Imperio Regis potentissimi, quem Europĕi Presbyterum Ioannem vocant, ita denominati ab Abissia Aethyopiæ prouincia, vnde primam suam traxerunt originem. Cum plures de illorum moribus, fide, & religione, aliisque rebus accuratè scripserint, ea solùm breuiter attingam, quæ pro instituti nostri ratione spectant ad varios inter ipsos exortos errores, aut ritus à fide Catholica alienos, vt refutentur, sique fieri posset, ab illis ad veritatem reducantur. Igitur, quam primum vt putant, à Candace Regina Iudith vocata fidem Christianam acceperant, tamdiu inter eos mansit incorrupta, quamdiu floruit Ecclesia Alexãdrina, cuius Patriarchatui tota erat subiecta Aethyopia; verum illa postea cũ suis Patriarchis, & Prĕlatis per schisma & hĕresim deficiente à Sede Apostolica, nil mirum, quod à capite languente tot

tot etiam ad membra deriuauerint mala, tot, inquam, hæreses, quibus hodiè Abissini, & Aethyopes turpiter laborant, cum aliis populis Orientalibus.

Primum enim Dioscori errorem de vna in Christo natura, voluntate, & operatione, sine mixtione, & confusione sequuntur, & illam naturam asserunt esse diuinam. Ad quem consequenter errorem, tria tantùm Concilia Generalia recipiunt, nempè Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum, reiecto Chalcedonensi. Refutabitur cap.9. Sectionis sequentis.

II. Simul cum Baptismo Abyssini circumcisionem colunt, in maribus præputium, in fęminis verò nympham circumcidentes. Refutabitur cap.6. Mares baptizantur post 40. dies, & fœminæ post 80. nisi fuerit mortis periculum, quia tunc statim baptizari aliqui asserunt, alii verò inbaptizatos obire, qui ad hunc diem non pertingunt.

III. Errant circa idem Baptismi Sacramentum, quatenus in die Epiphanię, benedicto prius aquarum stagno trina immersione tam mares, quam fæminæ præmissa forma baptismi quotannis rebaptizantur. Aliqui tamen asserunt eos non rebaptizari, sed talem ab eis cęremoniam fieri ob deuotionem baptismi Domini Nostri Iesu Christi. Refutabitur cap.16.

IV. dicuntur baptizari Aethyopes igne, & signari in fronte. Verum alii negant id fieri Baptismi gratia, sed in aliquibus duntaxat prouinciis eos signare se in fronte nouacula, vel ad oculorum & visus sanitatem, vel, vt aliqui referunt, ex mandato cuiusdam Regis Aethyopiæ, vt hac ratione à Mahumetanis dignosci possent.

V. Confirmatio apud eos confertur à Sacerdote vna cum Baptismo, & vngitur infans Chrismate in fronte, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & in hoc errant, quod confirmationem ordinariè à simplici Sacerdote ministrari posse credant. Refutabitur cap.17.

VI. In sacra altaris oblatione etsi vtantur fermentato, nihilominus in azimo confici posse credunt; in cuius rei argumentum in tota Aethyopia feria 5. in Cœna Domini singulis annis in azimis celebratur; in hoc autem errant, quod in pluribus prouinciis musto ex vuis passis confecto loco vini in consecratione calicis vtantur.

VII. Omnes Aethyopes communicantur sub vtraque specie, Sacerdote corpus ministrante, Diacono verò sanguinem cochleari, quod si necessarium ab eis credatur, errant, sed nihil de hoc apud eorum Scriptores expressum habetur; imo in praxi nonnulli in solo pane communicant; sicut etiam dubitatur de modo communicandi apud ipsos, infantes in die baptismi, aliqui enim dicunt Eucharistiam illis conferri, alii verò Sacerdotem tantum, tacta prius hostia cum indice, eum in Calicem mergere, & sanguine perfusum immittere in os infantis, at post baptismum, in ore puerorum, qui carent vsu rationis vsque ad decennium ponitur digitus auricularis Sacerdotis sine sanguine, deuotionis causa.

VIII. Cum Matrimonii Sacramentũ indissolubile sit, quamdiu alter coniugum vixerit, Abissini diuortium leui etiam ex causa permittunt, ita vt, superstite altero coniugum, alter nubere possit. Refutabitur cap. 22. sectionis sequentis.

IX. Opinantur animas rationales nõ creari, sed per seminalem propagationem non aliter, ac brutorum traduci; qui fuit antiquus Tertulliani, & Apollinaris error, ex Diuo Augustino hęresi 86. refutabitur cap.3.

X. Credunt animas infantium decedentium ante baptismum, eo solum saluari, quia orti sunt à parentibus fidelibus. Existimant enim Eucharistiæ virtutem à matre tempore pręgnationis susceptæ prodesse infanti in vtero existenti. Refutabitur cap.11.

XI. Quod nullas pro defunctis oblationes habeant, creduntur Purgatorium cum Gręcis non agnoscere; eos nihilomi-

lominus, & orare sępius pro defunctis, & credere animas post mortem detineri in quodam loco, qui lingua Aethiopica vocatur *Mecan aarast*, id est locus alleuiationis, docent alii; in quo loco detinentur animę pœnitentium, quæ decesserunt ab hoc sęculo, non perfecta peccatorum satisfactione.

XII. Sunt nonnulli in Aethyopia, qui opinantur, quod animę iustorum post mortem requiescant in Paradiso Terrestri, in quo fuit creatus Adam, vsque ad diem iudicii. Refutabitur capite 24.

XIII. Supremum tam in temporalibus, quam spiritualibus iudicium tenet Imperator ad cumque omnes causæ tā Clericorum, quam Monachorum deuoluuntur: Quamuis Patriarcha suam etiam spiritualem exerceat authoritatem. Qui hodiè est idem, ac Patriarcha Cophtorum, ab alijs dictus Alexandrinus, vtque testantur missionarii in suis relationibus, Vicarium in Aethyopia Patriarchalem habet, quem vocant *Eteche*, vel *Comos*; tamque ipse, quam cęteri Aethyopię Episcopi, sunt omnes religiosi.

XIV. Traditiones videntur non admittere, sed soli verbo Dei scripto fidem adhibere, numerant autem inter Scripturas Sacras Apostolorum Canones, siue librum in octo partes distinctum, Manda & Abetilis vocatum, quem ab omnibus simul Hierosolymæ vni congregatis Apostolis scriptum asserunt.

Tantùm de præcipuis Abyssinorum, vel Aethyopum erroribus, ex Francisci Aluaresij historia primum Lusitanica lingua edita, postea in Hispanā, & Italicā traducta; ex Damiano Goes in libello de rebus Aethyopicis ad Clementem VII apud quam Zagazabi Aethyopum quasi Episcopi declaratio habetur de Abyssinorum fide, & religione, attentè perlegenda, quia nullibi apertius huius gentis fides, mores, religio, ritusque narrantur; Item ex declaratione Fratris Teclæ Mariæ presbyteri Abyssini, Legati pro Lusitanis existentibus in Abyssinorum ditione, facta iussu Papæ Sixti V. coram Cardinalibus die 1. mensis Iulij, & sequētibus anno 1594. si quis tamen vtramque declarationem diligenter examinauerit, multum hos testes discrepare inter se se reperiet, nec mirum, cum rerum diuinarum ibi tanta sit modo ignorantia, vt quid credendum sit, etiā Monachos fugiat; quodque perfecta in doctrina fidei vnitas, sit certissimum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quam deseruerunt argumentum, nulli prorsus alteri sectę competens, vt vidimus supra sectione 2.

Vt autem Abyssinis, saltem præ omnibus aliis Orientalibus populis, errores, quibus inuoluuntur, non ita sunt voluntarij: etenim eos non tàm ex superbia, aut peruicacia aliqua aduersus S. Ecclesiam lapsos fuisse videtur, quàm ex ignorantia, & propter aditus, per quos ad eos vera Ecclesiæ illuminatio dimanare poterat, sibi præclusos; cuius euidentissimum est argumentum, quod promptissimos semper ad fidelitatem, & obedientiam Sanctæ Ecclesiæ præstandam, nec non Summo Pontifici Romano supremo eius capiti se se exhibuerunt; vt patet ex litteris ipsorum Imperatoris Dauidis, apud Damianum Goes, vbi agnoscit Romanum Pontificem caput omnium, atq; adeo etiam patrem suum Clementem VII. cui scribit, reuerenter appellat; item ex Nicodemo Abbate Aethyope, & Hierosolymitano Vicario Patriarcha apud Sanderum de visibili Monarchia, in litteris anno 1441. die 18. Octobris ad Eugenium IV. missis; quibus Zagazabus loco superius citato subscribit, fateturque Summum Pontificem Romanum apud ipsos primatum ex Constitutionibus Apostolicis habere: vt, inquam, res ita se habet cum Abyssinis, eo facilius ad Euangelii sinceritatē reuocari posse videntur, debereq; maiori id sollicitudine à Sede Apost. procurari, cuius etiam media suggerit

rit noster Pater Thomas à Iesu lib. 7. sæpius citato cap. 10. & sequent.

Porro ex omnibus nationibus, quæ incolunt terram sanctam, nulla est in minori, quam Abyssina, numero; ibi enim ordinariè tres tantum, aut quatuor sunt Religiosi Sacerdotes, totidemque sæculares, qui paruum quasi Monasterium habent extra Ecclesiæ Sancti Sepulchri ambitum, cum duobus sacellis propè Montem Caluarium, quorum reparationi, suoque etiam victui subueniunt ex reditibus aliquarũ domorũ, quas Ierosolymis possident, quasque olim ex peregrinorum illuc aduenientium eleemosynis compararunt, cum ob distantiam octingenta ferè leuearum, vix aliquod ex Aethyopia subsidium recipere possint. Singulis tamen annis non desunt, qui ad solemnitatem Paschæ Ierosolymas veniant, quamuis pro maiori parte, in itinere per deserta necessariò conficiendo, præ ęrumnis moriantur.

De Georgianis.

GEorgiani, alio nomine Iberi, habitant in interiori Armeniæ parte ad Septentrionem, & Euxinum versus, sub Imperatoris Turcarum domino; putant aliqui eos esse posse, quos Pilinius Georgos appellat in ea fere regione; cõmunius tamen creditur ita fuisse cognominatos, à Diuo Georgio, quem velut præcipuum patronum, & in suis prælijs contra Paganos signiferum, & propugnatorem ingenti honore venerantur.

Licet adhuc hodie Christum colant, cuius fidem sub Constantino Magno suscepere, circa annum Domini 325. procul tamen ab Apostolica Sede, veritatis magistra, cum alijs Orientalibus facti, illam fœdè contaminauerunt; eosdemque in Sacramentis, & aliis plerisque rebus errores cum Græcis sequuntur: de eorum autem per Patriarcham Antiochenum seductione, indeque prouenientibus erroribus scripserunt Vincentius Belluacensis in speculo Historiali lib. 30. cap. 93. & Sanctus Antoninus 3. part. histor. titul. 19. cap. 8. §. 9.

Bernardus Lucemburgus in Catalogo hæreticorum, verbo Georgiani, nec non Prateolus eodem verbo, tradunt eos habere Archiepiscopum, qui in Monte Sina claustrum Diuæ Catharinæ incolit, cui per omnia, vt nos Summo Romano Pontifici, obtemperant. Verum moderni Missionarii referunt eos, qui Georgiam inhabitant, subdi obedientiæ Patriarchæ Græcorum Constantinopolitano, quorum etiam lingua diuina recitant officia; qui verò in terra Sancta, vel Ierosolymis inueniuntur, Patriarcham eorumdem Græcorum Ierosolymitanum pro superiore agnoscunt, in eorum Ecclesijs Missam audiunt, cæterisque diuinis officiis, & ceremoniis assistunt, iisdem cum illis erroribus inuoluti, vnde suppositis superius dictis de Græcis, hic eos adducere superfluum esset: solum aduerto Paulum III. anno Domini 1545. Regi Georgianorum amanter, vt fidem Catholicam conseruaret, & Oratores ad Sedem Apostolicam mitteret scripsisse, & Stephanum Colynzan electum Nescioua nensem in Armenia Archiepiscopum, deputasse in Nuntium, & Oratorem ad Reges Georgianorum, & Armeniæ, quibus idem Georgianorum Rex sequenti anno alias dedit, quas refert Thomas à Iesu lib. 7. cap. 21.

De Armenis.

NOmen Armenorum sectæ non est nomen, sed nationis pluribus hæresibus coinquinatæ, Asiam Minorem incolentis in ea parte, quæ est inter Taurum, & Caucasum montes, Armenia dicta, à Cappadocia vsque ad Caspium mare protensa. Cum enim primum tempore Siluestri Papæ, & Constantini Imperatoris veram fidem Christianam amplexi fuissent, vt ex

eorum

eorum libris colligitur, maximè ex actis B.Gregorij Magni Pręsulis Armeniæ, virique Sanctissimi, quem Illuminatorem vocant, quia eius ope ad dictam fidem primum sunt adducti, quã etiam deinceps præ omnibus Orientalibus nationibus, per firmam cum Romana Sede adhæsionem coluerunt; ab ea demum deficere cæperunt post celebratum sub Leone I. & Martiano Imperatore Chalcedonẽse Concilium, quod in illo Eutyches Abbas Constãtinopolitanus, & Dioscorus Alexandrinus Episcopus, quorum opiniones sequebantur, condemnati fuerant; Eos enim tempore Philastrii Episcopi Brisiensis, & Sancti Augustini nondum ab Ecclesia separatos fuisse, inde videtur colligi, quod neuter eorum Armenorum hæresis mentionem faciat. Armeni igitur præfatis hæreticis fauentes decreta Concilii Chalcedonensis admittere renuerunt, indeque præcipites in multas hæreses dederunt, vsque ad Concilium Florentinum sub Eugenio IV.

Tunc enim rursus Armeni vnum cũ Ecclesia Romana effecti sunt, vt habetur in decreto de eorum vnione in præfata Sancta Synodo edito; vbi etiã dicuntur magnis laudum præmiis digni, quod vt primum ad Synodum accersiti sunt, tanquam Ecclesiasticæ auidi vnitatis, spectabiles, deuotos, & doctos oratores suos, cum sufficienti mandato de suscipiẽdo videlicet, quicquid Spiritus Sanctus hanc Sanctam Synodum illustrasset, ex remotissimis regionibus per multos labores marisque pericula destinarunt. Pro vt feliciter contigit, nam post reductionem Græcorum, etiam ipsi instructionem fidei; secundum Romanam Ecclesiam susceperunt: *Nos igitur oratores*, inquiunt, *nomine nostro, nostrique Reuerendi Patriarchæ, & omnium Armenorum, sicut & vestra Sanctitas in ipso decreto attestatur, hoc saluberrimum Synodale decretum, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quicquid tenet, & docet Sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia cum omni deuotione, & obedientia acceptamus; suscipimus, & amplectimur.* Verùm quod ita feliciter inceptum fuerat, inimico homine hoc faciente, non correspondentem principio finem obtinuit; Armeni si quidem, vt & Græci, ad pristinos iterum errores reuersi sunt, & in illis adhuc pro maiori parte viuunt. Ex relationibus tamen fide dignis Missionariorum in illis partibus degentium habetur, quàm eorum plurimos paratissimos esse ad redintegrandam, & cõfirmandam supradictam vnionem, præstandamque obedientiam Apostolicæ Sedi; Nec non etiam, quod inter Christianos Orientes Schismaticos primum in vrbanitate, in templorum nitore, & ornatu, fideique suæ constantia locum teneant, cùm valdè raro aliqui ex illis ad Mahometismum transeant.

Hæc autem natio, teste Leonardo Sidonensi Episcopo, qui vt alias notauimus, à Gregorio XIII. missus omnes ferè Orientis Prouincias perlustrauit, in spiritualibus duobus Patriarchis principalibus subiecta est, quorum vnus est Armeniæ maioris, residens in Monasterio, & Ecclesia Ecmeazin, propè Ciuitatem Eruan in Persia. Alius autem Armeniæ minoris, residens in Ciuitate Sis in Cilicia, hodie dicta Caramania. Ierosolymis quoque Armeni habent Episcopum, qui tamen Armeniæ Patriarchæ, quem magnum appellant Catholicum, subditus est, ibique in magno habitant numero, & tres habent Ecclesias, nec non sacellum intra septa, vel ambitum Ecclesiæ Sancti Sepulchri, vbi, quod Catholicos præ omnibus aliis Christi nomen profitentibus æstiment, vnus è Religiosis Armenis ibi manentibus, singulis diebus, dũ Completorium, & horæ matutinæ media nocte à Religiosis Ordinis Sancti Francisci canuntur, alba, & pluuiali indutus primum Altare Sanctissimi Sacramen-

cramenti, deindè singulos incensat religiosos; quod idem etiam præstat, quotiescumque eos, vel solos, vel processionaliter euntes offendit.

De Armenis scripserunt ex antiquis Proclus Episcopus Constantinopolitanus, cuius extat epistola valdè celebris de fide ad ipsos in Bibliotheca Sanctorum Patrum; Theorianus quidam Græcus vir doctus, cuius dialogus ibidem habetur cum generali Armenorum.

Vincentius Belluacensis in spec. histor. lib. 30. cap. 98. & ex eo S. Antoninus 3. part. tit. 19. cap. 8. §. 10. Nicephorus Calistus lib. 18. hist. Ecclesiast. cap. 53. Ex recentioribus autem Guido Carmelita, Rodulphus Armacanus & Prateolus verbo *Armeni*. Antonius Galanus Clericus Regularis, & noster Thomas à Iesu lib. 7. de conuers. omnium gentium.

Præcipui verò quibus inficiuntur errores sunt sequentes ex præfatis authoribus, non quod omnes Armeni illis inhæreant, sed quia eorum aliqui aliquibus ex his, alii autem aliis teneantur.

Primus communis ipsis cum Eutychianis est, quod in Christo Domino vna sit natura, vna voluntas, vnaque operatio; Refutabitur sectione sequenti cap. 10.

Secundò cum Græcis Spiritum Sanctum, non à Filio, sed à solo Patre procedere, nullam animam ante diem vniuersalis iudicii fore beatam; nullum denique esse ignem purgatorium, in quo animæ ex hac luce migrantes purgentur, affirmant. refut. cap. 2. 23 & 24.

Tertiò animas rationales non de nouo creari à Deo, sed ex traduce fieri plerique asserunt. refutab. cap. 3.

Quartò ab omnibus etiam Sacramentis virtutem conferendi gratiam tollunt; refut. cap. 10.

Quintò dicunt Baptismum alicui conferri non posse, nisi eidem conferatur, & Eucharistiæ Sacramentum. Chrisma quoque, cuius simplex Sacerdos ordinarius apud ipsos creditur minister adeo necessarium ad verum Baptisma perficiendum credunt, vt nisi baptizandus illo vngatur, non censeatur baptizatus. refutabitur cap. 12. & 17.

Sextò fatentur quidem Baptisma necessarium esse ad vitam æternam consequendam, non autem ad deletionem peccati originalis, cuius existentiam negant. Vndè paruulos absque baptismo decedentes asserunt in paradisum terrestrem solummodo migrare, si filii sint fidelium; Si autem infidelium cum suis parentibus in infernum descendere: refut. cap. 4. & 11.

Septimò docent Beatos essentiam Dei non videre, sed tantùm claritatem quandam illius essentiæ, in qua visione supremam constituunt beatitudinem. refutab. cap. 1.

Octauo in conficiendo Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, nullam penitus aquam vino miscent, eamque miscendam non esse affirmant. refutab. cap. 19.

Nono asserunt omnes homines, etiā si ipsi in se nullum haberent peccatum ante passionem Christi fuisse damnatos ob proprium primorum parentum peccatum.

Decimo negant inferni pœnam esse perpetuam, saltem quo ad aliquos, dum asserunt Christum, cum ad Inferos descendit, omnes animas inde eduxisse. refut. cap. 25.

Vndecimo dicunt nullum fuisse futurum peccatum si dæmones nō fuissent, qui homines ad tentationem impellerent: ex quo inferunt, peccatum esse simpliciter à dæmone, & nullo pacto à libero arbitrio. refut. cap. 5.

Duodecimo docent esse aliqua peccata ita prorsus irremissibilia, vt à nullo Sacerdote remitti possint. refutab. cap. 21.

Decimo tertiò negant in nuptiis contrahendis aliquod esse Sacramentum. refut. cap. 22.

Decimo quartò asserunt Christum surrexisse à mortuis die Sabbathi post para-

parasceuen, hora sexta, cum tamen eum surrexisse tertia die omnes scripturæ testentur.

Decimo quintò volunt omnes homines in sexu virili resurrecturos, nullumque post resurrectionem futurum esse fœmineum sexum.

CAPVT II.

Primi modi contra hæreticos agendi principia explicantur.

QVam difficile, imo impossibile est disputare cum negantibus omnia principia, tam res minus ardua euadit, vbi aliqua inter partes communia supponuntur tanquam fundamenta disputationis absoluendæ, vt accidit cum hæreticis, quando agitur de controuersiis fidei, doctrinam aliquam reuelatam recipientibus. Quemadmodum enim, cum aduersarius nihil eorum credit, quæ diuinitus reuelantur, non remanet amplius via ad illa probandum, sed tantum ea, quæ contra fidei veritates adducuntur (cum non sint demonstrationes, sed solubilia argumenta) dissoluendi, vt satis ostendimus sect. 1. huius libri 4. ita vbi aliqua concedit eorum, quæ per diuinam habentur reuelationem, vt hæreticus, ex his ad alia, quæ negat, admittenda, ni proteruus sit, cogi potest; vt si credat Sacræ Scripturæ, neget autem Christum Dominum esse hominem, aut Deum, rectè, & concludenter aduersus eum probari potest esse hominem, vel Deum, ex diuina Scripturæ quam admittit authoritate.

Sacra igitur doctrina cum sit, vt a cæteris distinguitur, scientia procedēs ex reuelatis, vt sufficienter explicatum fuit libro huius operis primo, in qua proinde vltima resolutio non fit, in ipsam veritatem entitatiuam, propriam obiecti per illam sciti, tanquam in rationem formalem, sed in ipsam primā veritatem, seu diuinam authoritatem reuelantem, propter quod etiam vocatur disciplina essentialiter diuinæ subalternata scientiæ, vt potè procedens ex per se creditis, Deo tamen notis, vt egregiè docet Diuus Thomas super *Boetium de Trinitate quæst. 2. art. 3. ad 7. Cuiuslibet*, inquit, *scientiæ principium est intellectus, sed non semper proximum, imo aliquando fides est proximum principium scientiæ: sicut patet in scientijs subalternatis, quia earum conclusiones, sicut ex proximo principio procedunt ex fide eorum, quæ supponuntur à superiori sciētia, sed sicut à principio primo ab intellectu superioris scientis. Et similiter huius scientiæ*, nimirum Theologiæ, *principiū proximum est fides, sed primum intellectus diuinus, cui nos credimus:* In sacra, inquam, doctrina re ita se habente, debent duo primum distingui principiorum genera, vnum veluti formale, se tenens ex parte rationis formalis eius, atque adeo secundum quod vtitur diuina reuelatione ad inferendum syllogisticè conclusionem aliquam Theologicam, v. g. *Quicquid in scripturis Canonicis fuit à Deo reuelatum, est verum, & infallibile; sed in scripturis Canonicis fuit à Deo reuelatum mysteriū Sanctissimæ Trinitatis: Igitur Mysterium Sanctissimæ Trinitatis est verum, & infallibile*: Alterum veluti materiale, siue in essendo continet ipsasmet fidei veritates, aut mysteria diuinitus in scripturis reuelata, quatenus in actu exercito possunt esse media aliquarū demonstrationum Theologicarum, vt si ad probandū quod Christus habeat intellectum, assumatur pro medio, quod sit homo, hoc pacto: *Omnis homo habet intellectum, Christus est homo, ergo Christus habet intellectum*; ratio enim à priori in esse rei, cur Christus habeat intellectum, est, quia est homo.

Quare loquendo de primis omnino principijs sacræ doctrinæ, se tenentibus ex parte rationis formalis eius, diximus lib. 1. huius operis sect. 11. c. 2. esse ista duo: *Quicquid in scripturis canonicis continetur, est à Deo reuelatum*, vel,

vel, *Quicquid in scripturis Canonicis fuit à Deo reuelatum, est verum, & infallibile*. Si quidem sunt id vltimum, vnà cum verbo tradito in quod resoluuntur omnes Conclusiones Theologicæ, & quo negato non suppetit amplius Thologo via, aut ratio probandi aliquid ex parte suæ rationis formalis sub qua, quæ est authoritas diuina reuelans. Præfata enim conclusio, *Christus habet intellectum*, proximè resoluitur in hoc principium, *Christus est homo*, hoc autem, *Christus est homo*, resoluitur *in Scripturam Sacrã*, illa autem in Deum eius authorem, *qui omnia noscit*, inquit Diuus Thomas loco superius citato, *& cui nos credimus, credereque oportet hac indicanti per suos nuncios, sicut discipulum inferioris scientiæ oportet credere superiori*. Loquendo autem de principijs Theologicis omnino primis veluti in essendo, aut in esse rei, diximus esse ista duo, *Deus est*, & *Deus est remunerator inquirentium se*; Si quidem omnes quotquot sunt fidei articuli, & veritates in illis primis credibilibus virtualiter, & implicitè continentur, scilicet vt credatur Deũ esse, & prouidentiam habere circa hominum salutem, iuxta illud D. Pauli ad Hebræos cap. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Nam in esse diuino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus vltima nostra consistit beatitudo. In fide autem diuinæ prouidentię continentur omnia, quæ temporaliter à Deo dispensantur ad hominum salutem, quæque sunt media ad æternæ beatitudinis consecutionẽ necessaria.

Præter hæc duo vniuersalissima principiorum genera, quę loco citato dignitates Theologicas vocari debere diximus, dantur alia quoque minus vniuersalia, & sub his contenta. Ad primum enim genus pertinet authoritas Ecclesiæ docentis; etsi enim priuilegium infallibilitatis diuinitus illi concessum, tam in sentiendo si consideretur entitatiuè, hoc est toto orbe diffusa; quam in definiendo si consideretur repræsentatiuè in suis Prælatis, sit veritas in ipsismet sacris reuelata Scripturis; & sub hac ratione dici posset, eam reduci ad prouidentiam, quã Deus habet circa hominum salutẽ, qui, dum nihil amplius noui reuelat eis, nec immediatè per semetipsum loquitur, debuit prouidere de aliqua visibili, & infallibili credendorum regula, vbi aliquæ de illis orirentur controuersiæ, ab ea finaliter dirimendæ; attamen quia huiusmodi authoritas Ecclesiæ docentis, non se habet per modum principii intrinseci, sed extrinseci duntaxat proponentis res fidei ex speciali Spiritus Sancti assistentia, quasi per os eius loquentis, indè simpliciter, & absolutè dicenda est spectare ad principium se tenens ex parte rationis formalis doctrinę sacræ; quatenus sicut authoritas diuina reuelans est ratio formalis credendi, & vltima consequenter, in quam sacra doctrina ita resoluit omnes quas asserit fidei veritates; ita authoritas Ecclesiæ docentis, est vltima quoad nos ratio per modũ conditionis, cur tales à Deo veritates reuelatas fuisse certò cognoscamus, modo explicato lib. 2. huius operis sectio. 6. cap. 10. Quare authoritas Ecclesiæ quomodocumque sumptæ, ita continetur modo statim dicto inter cæteras veritates à Deo reuelatas, resoluiturque propterea in eum, tãquam in primam veritatem reuelantem, vt tamen ratione infallibilitatis ipsi collatæ, sit quoad nos veluti principium quodam vniuersale, veritasque transcendens, vndè cũctas fidei veritates facili negotio demonstrare possumus, vbi semel de vera constiterit Ecclesia, suis etiam propriis notis, ac symbolis facilè à cæteris sathanæ synagogis dignoscenda; hac solum distinctione, quod ipsa, vt toto orbe diffusa credit, se habeat per modum testis; vt verò per suos prælatos explicat, proponit, vel determinat, & quæ credenda sunt,

authori-

authoritatiuè præscribit, Iudicis officio fungatur, vt capite sequenti magis explicabitur.

Quia autem diuinis etiam veritatibus probandis, & sacris, quæ illas docent, scripturis interpretãdis adhibentur tam veteris, quàm præsentis Ecclesiæ Pastores, ac Doctores, tanquam legitimi earum sensus, nec non traditionis testes, inde quoque eorum authoritas ad ipsammet Ecclesiam, cuius sunt partes principales spectare dici potest. Nam sensum scripturæ, & traditionum naturam, ex antiquæ Ecclesiæ sensu, cui attestatur veterum Patrũ doctrina, cognoscimus, hunc verò sensum, & Patrum doctrinam, à præsentis Ecclesiæ Magistris, Doctoribus, atque Pastoribus accipimus; ideoque Ecclesia, vbi per suos prælatos, in decidendis fidei controuersiis, Iudicis officio fungitur, tàm diligenter veterum ipsius Patrum sensum, præsentiumque Magistrorum, & Pastorum consensum exquirit, indeque dogmata definit.

Tandem sub secundo vniuersalissimo principiorum Theologicorum genere, siue in essendo, comprehenduntur omnes fidei veritates, quæ intrinseca possunt esse media demonstrationũ Theologicarum, quæque proindè magis, vel minus dici possunt vniuersalia, quo vel ad plures, vel ad pauciores conclusiones Theologicas possunt se extendere, siue sint de his, quæ necessariò, aut ex natura rei competunt Deo, siue sint de his, quæ à libera eius voluntate merè dependent; vt v. g. illa veritas, *quod homines*, posito diuino decreto, *filij iræ nascantur*, dici potest principium vniuersale, quia indè multæ possunt deduci conclusiones, quæ in materia de gratia tractari solent; vt quod liberum arbitrium sit vulneratum in naturalibus, spoliatum verò gratuitis; quod non valeat omne opus virtutis etiam moralis suis viribus operari; quod ex se non possit se ad gratiam secluso diuino auxilio disponere; quod natura humana propterea damnationi, morti, & alijs pœnis obnoxia facta fuerit &c. Similiter & illa propositio, *Deus est incarnatus*, quod implicitè contineat reliqua, quę de Christo dicuntur, veritas enim huius, *Deus est passus*, *aut mortuus*, fundãtur in ista, *Deus est homo*, & hæc in ista, *Deus est Incarnatus*, iure merito principium vniuersale, seu positio Theologica nuncupari potest. Et sic de alijs.

Iam vt proprius ad rem accedamus, cum diuina reuelatio adæquatè comprehendatur verbo Dei scripto, & tradito, primũ, de quo disputaturus modo particulari cum hæreticis conuenire debet, est, quosnam diuinæ Scripturæ libros agnoscant, & quos non; ita vt, si quæ res versantur in controuersia, sufficienter probari possint ex libris ab illis receptis, vlterius de alijs tunc altercandũ non sit; secus autem si expresè tantùm habeantur ex illis, proptereaque forsan ab hæreticis malitiosè non admittantur; tunc enim firmiter statuenda est aduersus eos canonica huiusmodi librorum veritas, ad quod inseruient, quæ tomo 2. lib. 3. sect. 1. de omnibus sacræ scripturę libris, eorumque authoritate, prout in Vulgata continentur, prolixè disseruimus; quam si fateri noluerint, sicuti in alijs scientijs contra negantes prima earum principia, nulla superest ratio disputationem via ostensiua cum illis adoriendi, sed oportet vti via, vel ducente ad impossibile, vel ad hominem arguendi, ita quoque in sacra doctrina aduersarii, aut ad impossibile sunt deducendi, finaliter inferendo, quod negare Ecclesiæ authoritatem diuinas scripturas nobis proponentem, quæ gradatim ascendendo in diuinam tandem prouidentiam, seu in vniuersalissimum resoluitur principium, sit eamdem prouidentiam negare, & in atheismum cõsequenter declinare, vt iam insinuauimus supra sect. 5. & iterum capite sequenti repetetur: Aut ad hominem ex propriis, quæ admittunt principijs reuincendi. Quibus habitis si amicas veritati manus dare detrectent, eorum argumen-

gumenta soluenda sunt, vt diximus supra sect. 1. cap. 5. nec non ostendendum ea, quæ negantur ab ipsis principia, vel fidei mysteria, euidenter esse credibilia, tanquam diuinitus reuelata, quod sufficit ad eorum certitudinem, cum in ipsis scientiis naturalibus ad principia credita ab inferiori, quamuis scita à superiori, oporteat interdum recurrere, vt rectè docet Clemens Alexandrinus *lib. 8. Stromatum*; *Aut enim*, inquit, *omnia egent demonstratione: aut etiam quædam ex ijs sunt credibilia. Sed si prius quidē verum est, vniuscuiusque demonstrationis petentes demonstrationem, procedemus in infinitum, & sic euertetur demonstratio. Sin autem secundum, ea ipsa, quæ sunt ex se credibilia, erunt principia demonstrationum. Iam verò Philosophi fatentur esse indemonstrabilia principia vniuersorum. Quamobrem si est demonstratio, omnino necesse est prius esse aliquid ex se credibile, quod quidem dicitur primum, & indemonstrabile. Ad fidem ergo indemonstrabilem reducitur omnis demonstratio. Fuerint autem alia quoque principia demonstrationum post eum fontem, qui est ex fide, nempè ea, quæ euidenter apparent ex sensu, & intelligentia.* Hactenus Clemens.

Quemadmodum igitur in scientijs naturalibus v. g. in Geometria, negantes eius principia efficaciter à Geometra conuinci semper non possunt, sed à superiori scientia, vel omnium suprema, scilicet Metaphysica, quæ illa explicet, manuduci ad ea cognoscenda, & acceptanda debent. Ita quoque in sacra doctrina, quantumuis qui vniuersam fidei negant principia, efficaciter ad ea recipienda per demonstrationem cogi non possint, plures tamen non desunt rationes probabiles, vel congruentiæ ad eorum explicationem, nec non demonstratiuæ credibilitatis eorumdem; vndè possint, ac debeant rationabiliter suum illis prębere consensum tanquam veris, & à Deo reuelatis.

Insuper, quia pręter verbum Dei scriptum, datur & traditum, adeò vt ipsę diuinæ, vtriusque Testamenti scripturę nōnisi traditionis beneficio ad nos peruenerint; quo magis hæretici semper infensissimos illius hostes se esse declararunt, eo firmius, maiorique diligentia statuenda est disputaturo cum illis eiusdem necessitas, tanquam certissimi medii, aut principii, ad quod in omnibus retro sęculis tanquam ad sacram confugerunt anchoram, quotquot Christiani, & Catholici vnquam habiti sunt, quoties de dogmatibus fidei exorta est in Ecclesia contra hęreticos disceptatio, vt ostendimus tom. 2. lib. 3. sect. 2. c. 2. versus finem; egregièque docet Vincentius Lirinensis aduersus hęreses: *Sępe*, inquit, *magno studio, & summa attentione perquirens à quamplurimis sanctitate, & doctrina pręstantibus viris quonam modo possim, certa quadam, & quasi generali, ac regulari via, Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli. Quod siue ego, siue quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus, atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adiuuante deberet. Primo scilicet diuinæ legis authoritate: tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.* Ad quam stabiliendam sufficiunt, quæ loco statim citato adduximus, indeque repeti possunt.

Rursus cum ita diuini Canonis authoritate: deindè Ecclesię Catholicæ traditione vera semper fuerit fides adprobata; vt in ipsa item Ecclesię vetustate, & traditione duo quędam vehementer, studiosèque obseruata sint, vt docet idem Lirinensis loco citato in principio, & versus finem, quibus penitus inhęrere debent quicunque hæretici esse nolint: *Primum si quid esset antiquitus ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotibus vniuersalis Concilij authoritate decretum: Deindè, si qua noua exurgeret quæstio, vbi id minimè reperiretur, recurrendum ad Sanctorum Patrum sententias, eorum duntaxat, qui suis quique*

tempo-

temporibus, & locis in vnitate eorū vnionis, & fidei permanentes, Magistri probabiles extitissent. Et quidquid vno sensu, atque consensu tenuisse inuenirentur, id Ecclesia verum Catholicum absque vllo scrupulo indicaretur: Indè Theologus cū hæreticis acturus, patet, quam tutò possit, ac debeat ad Sanctorum Ecclesiæ Patrum, tanquam irrefragabilium Traditionis testium dicta, & authoritatem aduersus illos recurrere, pro vt ostendimus tom. 1. lib. 2. sect. 5. cap. 6. & to. 3. lib. 3. sect. 6.

Verum, vt, vbi cum hęreticis agendum de fidei dogmatibus, alia non suppetunt principia, vndè à Theologo persuaderi possint, quam ipsummet Dei verbum scriptum, aut traditum, quibus adęquatè diuina continetur reuelatio; adiuncta Ecclesię authoritate, vnanimique Sanctorum Patrum, nec non fidelium toto orbe diffusorum assensu in illa, vt reuelata, & credita: ita eadem fidei dogmata sunt prima in essēdo principia, ex quibus conclusiones Theologicæ, quas alii doctrinam Ecclesię appellant, beneficio artis syllogisticę deduci debent, quęque proindè magis, vel minus sunt certę, quo maiorem, vel minorem cum illis habent connexionem; quę tanta nunquam esse potest, vt ad fidem formaliter pertineant, nisi aliundè fuerint à Deo immediatè reuelatę, & vt tales ab Ecclesia propositę; quomodo autem plures conclusiones ex fidei dogmatibus necessariò deductę, alias formaliter à Deo reuelatę, & consequenter ad fidem spectare dici valeant, explicuimus tom. 1. lib. 1. sect. 3. cap. 2. & tom. 3. lib. 3. sect. 4. cap. 10. nec non regulas ad hoc dignoscendum assignauimus.

Tandem quia, quod nonnullę conclusiones Theologicę sint tantum deductę, virtualiterque propterea ad fidem pertineant, alię verò etiam formaliter, dependet ex multis scientiarum naturalium principiis, quibus in arguendo sacra vtitur doctrina, ideo etiam Theologus in illis apprimè versatus esse debet, earumque necessitatem tomo 4. lib. 3. sect. 7. cap. 1. & sequentibus nos ostendimus: Tantum ergo sufficiat de primo agendi modo cum hęreticis, hoc est, discurrendo per singula loca Theologica, vel regulas fidei, quatenus ex illis omnes inter nos, & ipsos ortæ controuersiæ dirimi possunt; nunc alterum modū vniuersalem in sequenti capite explicabimus.

CAPVT III.

Alterius modi vniuersalis tractandi cum hæreticis principia aperiuntur.

QVia ex Diuo Augustino *lib. 2. de Ciuitate Dei cap.* 8. disputandi finis nunquam esset, & loquendi modus, si respondendum semper esset respondentibus, vt plerumque posset accidere disputando cum hęreticis, per singula quę superiori capite adduximus principia, an quę in controuersia existunt; vera an falsa sint? ideo pertinuit ad suauitatem diuinę prouidentię, vt certam aliquam, eamque vniuersalem statueret regulam, qua tam de credendis, vbi opus esset, quam de ipsismet principiis, quibus illa continentur, fideles etiam certiores redderentur. Quare in hoc secundo veluti vniuersali cum hęreticis agendi modo, pro primo habenda est principio diuina prouidentia, quam si negent, nulla superest via, nisi vt nedū tanquam hęretici à nostra religione extorres habeantur, sed vt insipientissimi Athei, à Theologo Philosophi personam assumente rationibus naturalibus confutentur; vt enim docet idem Augustinus lib. de vtilitate credendi c. 16. *Si Dei prouidentia non pręsidet rebus humanis nihil est de Religione satagendum. Si verò & species rerum omnium, quam profectò ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte manare credendum est, & interiori nescio qua conscientia, Deum quærendum, Deoque seruiendum, meliores quosque animos, quasi publicè, priuatim que*

que hortatur, non est desperandum ab eodem ipso Deo authoritatem aliquam constitutam, qua velut gradu certo innitentes attollamur in Deum; pro vt ostendimus etiam tom. 1. lib. 2. sect. 6. agendo de loco Theologico, cui tanquam Iudici controuersiarum diuinæ fidei sistendum est.

Vndè pro secundo stabiliendum est principio, quænam sit illa authoritas à Deo constituta, quam ibidem probauimus, nec spiritus particularis afflatus, vel enthusiasmos esse posse, cum ex D. Augustino *lib. 32. contra Faustum cap. 17* nulla hæresis exoriri possit, quæ priuata somnia, & cælestes visiones sub paracleti nomine, non audeat sibi coaptare: nec scripturam ipsam sacram, sed Ecclesiam solam. Quod cum Augustinus libro citato de vtilitate credendi cap. 17 multis etiam demonstrasset, mox subdit: *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus, dubitabimus nos, eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani, ab Apostolica Sede, per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim ipsius plebis iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primitias*, aliter, *primas partes dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis ignorantiæ. Nam si nulla certa ad sapientiam, salutemque animis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides, quid est aliud ingratum esse opi, atque auxilio diuino, quam tanto labore præditæ auctoritati velle resistere? Etsi vnaquaque disciplina quamuis vilis, & facilis, vt percipi possit, doctorem, aut magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quã diuinorum Sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare*. Quod item asserit epistola 55. ad Dioscorum: *Ille fidei Imperator clementissimus, & per conuentus celeberrimos populorum, atque gentiũ, sedesque ipsas Apostolorum arce auctoritatis muniuit Ecclesiam, & per pauciores piè doctos, & verè spirituales viros, copiosissimis apparatibus etiam inuictissimę rationis armauit.* Solis hæreticis hoc principium (quod tamen diuinam fatendo prouidentiam tenentur admittere) in dubium reuocantibus: *Conantur enim*, ex Augustino ibidem, *authoritatem stabilissimã fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine, & pollicitatione superare, omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista temeritas*.

At quia nonnulli defuturi non erãt, qui admisso saltem apparenter Ecclesię magisterio, suas etiam Synagogas pro vera venditarent Ecclesia, quive de illis Iudaico more gloriantes occinerent, *Templum Domini, Templum Domini. Ierem. 7.* pro tertio principio supponendum est ex dictis tom. 3. lib. 3. sect. 3. c. 8 Deum Optimum Maximum talibus notis, ac signis veram Christi Ecclesiam exornare, visibilemque reddere voluisse, quæ illi soli competerent, eamque consequenter à cæteris omnibus sectis distinguerent; adeò vt si in sola Ecclesia Catholica Romana talia reperiantur signa, & notæ, provt ostendimus loco statim citato cap. 2. & supra lib. 4. sect. 2. illa etiam sola sit vera Christi Ecclesia, & sponsa, quæ in dote accepit infallibilem veritatis spiritum ex dictis tom. 1. lib. 2. sect. 6. cap. 2. tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 10. sect. 4. cap. 16. & sect. 5. cap. 8. & penes quam propterea doctrinæ fidei veræ à falsis hæreticorum imposturis discernendæ authoritas inuenitur, siue consideretur entitatiuè, & vt totum diffusa per orbem credit; siue sumatur, vt per suos prælatos Iudicis officium exercet in rebus fidei definiendis, modo locis citatis explicato.

Ex his enim principijs semel suppositis, eorumque veritate, quam sufficienter ostendimus locis statim citatis, vniuersale habemus argumentum, & transcẽdens, vndè certò probentur omnes fidei veritates, quas in sequentibus sectionibus propugnaturi sumus aduersus hæreticos, discurrendo etiam per particularia earũdem principia, quæ ab illis

illis non possunt non admitti, iam admisso hoc vniuersali principio, quod vera, quæ illa approbat, Ecclesia sit columna, & firmamentum veritatis, diuinarum reuelationum, doctrinæque fidei custos, & interpres fidelissima; Quare sic efformari potest argumentum.

Quidquid vera Christi Ecclesia credit, & docet tanquam diuinitus reuelatum, pro tali ab omnibus tenendum est fidelibus.

Sed vera Christi Ecclesia, qualis est sola Catholica Romana, vel Pontificia toto orbe diffusa credit, & docet tanquã diuinitus reuelatum, Deum esse vnum in essentia, trinum in personis, Spiritũ Sanctum à Patre, & Filio procedere, filium Dei Incarnatum fuisse, & sic de cæteris.

Talia igitur, & alia similia mysteria pro veris, diuinitusque reuelatis, ab omnibus fidelibus reuerenter suscipienda sunt.

Vel aliter

Sola Ecclesia vera habet, & docet verum Euangelium; veram fidem; veramque vtriusque doctrinam.

Sed sola Ecclesia Catholica Romana; seu Pontificia vera est.

Igitur sola Ecclesia Catholica Romana, seu Pontificia habet, & docet verum Euangelium; veram fidem; veramque vtriusque doctrinam.

Hoc est argumentum vniuersale, ac veluti transcendens, cuius probata semel cum certitudine fidei, & cum euidentia tum sensus, tum intellectus, vtraque prẽmissa, non potest non esse efficacissimum ad demonstrandam quamcũque fidei veritatem, dignoscendumque, quænam doctrina S. Euangelij ex multis & varijs, quæ modo circumferuntur, vera, & quæ falsa sit; An Catholica Romana; an Græca; an Nestoriana; an Eutychiana; an Armena; an Lutherana; an Caluiniana, aut alia quæcumque.

Primùm ergo probatur maior ex omnibus locis, quibus in decursu huius operis ostendimus veram Ecclesiam gaudere priuilegio infallibilitatis diuinitus illi concesso, tam in credendis, quam in docendis rebus ad fidem spectantibus.

Secundò ex ipsamet hæreticorum confessione, illam admittentium, Deo ita sua ineffabili prouidentia disponente, vt, quæ in plurimum negant, interdum concedentes facilius argumento ad hominem conuinci, vel contradictionis proprijs illaqueati verbis argui possent.

Sic autem in hac materia loquitur Lutherus lib. de præcept. seu preceptorio: *Ecclesia non potest errare, quilibet in deuotione sua potest errare. Ecclesia regitur à Spiritu Sancto. Dico mea sententia nulli esse licitum, iudicium suum, suam opinionem, suam deuotionem sequi, sed auctoritatem Ecclesiæ, & captiuandum sensum in obsequium Christi: quia scriptum est, stultus est, qui confidit in corde suo.*

Et in respons. ad dialogum Prieratis: *Nam, & ego ago gratias Christo, quod vnã hanc Ecclesiam in terris ita seruat ingenti (& quod solum possit probare fidem nostram esse veram) miraculo, vt nunquam à vera fide, vllo suo decreto errauit, nec tot barathris pessimorum morum diabolus tamen efficere potuit, vt penes hanc non maneret ab origine sua Canonicorum Bibliæ librorum, & interpretationis authoritas, & authoritatis sincera professio.*

In disputatione Lipsica: *Dico magnam, & infallibilem esse Ecclesiæ auctoritatem. Quod Spiritu Sancto regatur, pleno ore confiteor.* Et in resolution. tomo 7. Germ. *An nondum videmus, quã vigil sit Christus in Ecclesia sua, vt iam errare volentes non sinat errare?* amplius, *Ecclesia*, inquit, *nec debet, nec potest mentiri, nec errores docere, ne in minimis quidem, cum Deus sit os Ecclesiæ, & Deus mentiri non possit.* Tandem in Cathechismo maiori disputans contra Anabaptistas pro baptismate paruulorum ad Ecclesiæ recurrens auctoritatem ait: *Hac optima ferè, & firmissima est pro simplicibus, & indoctis probatio.*

Caluinus quoque in eodem principio consentit; nam in refutatione erroris Michae-

Michaelis Serueti ait. *Quod si Ecclesia à Spiritu Sancto destituta fuisset*, vt asserebat Seruetus, *mentitus foret, qui semper aliquem sibi populum in terra fore promisit, quando Sol, & Luna fulgebunt. Scimus quid possim de æterno Christi regno testentur Prophetæ. An eius sedem in cælis locant? Imo fore prædicunt, & sceptrum eius è Sion procul Dominus ostendat, quo dominetur ab ortu vsque ad occasum, & eius hæreditas sit terrarum orbis. Nunc ergo populo eum priuare, qui nomen eius celebret, perinde est, ac si abscissa eius parte, ipsum in cælo mutilum includere tentemus. Non enim frustra dicitur Ecclesia eius conplementum, nec ea quidem Angelica vel cælestis, sed quam in mundi peregrinatione fouet, ac præsidio suo tuetur. Itaque verè, & prudenter Augustinus, nisi Ecclesiæ suæ coniunctus sit Christus, non secum afferre quod illi à Prophetis tribuitur.*

Idem clarius adhuc affirmat in Isaiã cap. 69. *Promittit, inquam, propterea inæstimabili bono Ecclesiam nunquam priuatum iri; quin Spiritu Sancto regatur, & fulciatur cælesti doctrina. Parum enim esset nobis semel offerri Euangelium, nosque spiritu donari, nisi apud nos perpetuò resideret.* Et paulò post. *Promissio huiusmodi est, Dominum sic adfuturum Ecclesiæ, sicque eius curam habiturum, vt eam vera doctrina priuari nunquam sinat.* Quæ si à præfatis hæreticis pro Ecclesiæ magisterio, & authoritate sincerè, vt verba sonant, fuerint dicta, certè inter nos, & illos de maiori propositi syllogismi nulla debet esse controuersia, sed tantum de minori, an nimirum penes nos, vel illos vera sit Ecclesia.

Tertiò tandem plures non desunt efficacissimæ rationes ad certam eiusdem maioris probationem. Prima desumitur ex ipsamet definitione veræ Ecclesiæ, quam aduersarij negare nõ possunt, nimirum, quod sit congregatio fideliũ, vel Populus fidelis in vnius veri Dei cultum adunatus; Populus autẽ fidelis dicitur ille qui veram fidem profitetur: qui enim falsam sectatur fidem, non est fidelis; impossibile est igitur veram separare fidem à vera Ecclesia; aliàs separaretur essentia ab eo cuius est essentia; sed vbi vera est fides, ibi necessariò vera reperitur doctrina, verum Dei verbũ, veraque eius intelligentia: ergo vbi vera est Ecclesia, ibi certissimum est, vera adesse omnia, quæ dicta sunt, cum necessariam, & inseparabilem ab inuicem habeant connexionem.

Altera ratio desumitur ex hoc, quod vera Ecclesia passim in Scripturis, & Patribus vocatur Regnum Christi: vt enim omne compositum verum necessariò constat ex vera materia, & vera forma, quæ iuxta suam naturam illi competit; vt patet in homine, v. g. quem impossibile est verum esse, & non habere verũ corpus, veramque hominis animam; adeo vt qui in homine separaret animã à corpore, destrueret hominem; ita quoque regnum Christi cum sit quoddam compositum ex populo fideli tanquam materia, quia materia regni est populus gubernatus; & ex doctrina fidei tanquam forma; quia in illa continetur, & præscribitur modus, ac forma, qua populus fidelis regi debet; necesse est ad hoc, vt vera Ecclesia sit verum Christi regnum, sibi habeat inseparabiliter coniunctam veram fidei doctrinam.

Hactenus de probatione maioris, quã aduersarij, aut debent admittere, certamque, & indubitatam nobiscum supponere, aut certè *aliam regulam*, prçter veræ Ecclesiæ authoritatem, assignare à Deo stabilitam, cuius determinationi voluerit nos stare in componendis diuinæ fidei controuersijs, quod falsum esse satis superque ostendimus tom. 1. lib. 2. sect. 6. agendo de iudice præfatarum controuersiarum; vel tandem concludendum eos fateri debere, quod veram penes se non habeant Ecclesiam, eo ipso quod concedunt eam errare posse, veramque consequenter posse non tenere & docere fidem; cum enim ex statim dictis vera Ecclesia sit essentialiter regnum

gnum Christi, id est congregatio omnium Christi fidelium; fideles autem essentialiter accepti sint illi, qui veram profitentur fidem; veraque fides sit illa, quæ nullum admittit in se errorem; veritas enim fidei, & error in illa contradictoriè opponuntur, quique affirmat veram fidem continere errorem, affirmat idem simul esse, & non esse: impossibile est de primo ad vltimum, eam esse veram Christi Ecclesiam, quę in fidei errorem cadere potest.

Quam igitur omnia sunt perplexa, & incerta apud hæreticos, negato infallibilitatis priuilegio veræ diuinitus Ecclesiæ collato, vt satis per se patet; tàm illo admisso, omnia apud Catholicos sunt sarta, & tecta; nimirū quod certò, & indubitato sit penes ipsos verum Dei verbum, tàm scriptum, quàm traditum, vera dicti verbi intelligentia, & interpretatio, veraque consequenter fides, quę his adæquatè comprehenditur; si semel etiam est verum, quod penes eos tantùm vera sit Christi Ecclesia, quæ est minor nostri argumenti probanda.

Solam itaque Ecclesiam Catholicā Romanam, seu Pontificiam toto orbe diffusam, veram esse Christi Ecclesiam, ostendi potest primò ad hominem ex ipsamet aduersariorum confessione, qui dum passim asserunt eam veræ titulum, ac nomen Ecclesiæ promereri; consequenter admittere tenentur, omnes alias præter ipsam esse falsas cum ex dictis tomo 3. lib. 3. sect. 3. cap. 4. vna sit tantùm vera Christi Ecclesia, nec non supra sect. 6. Sic autem loquitur Lutherus scribens ad Leonem X. eique omnia sua, & seipsum submittens: *Viuifica, occide, voca reuoca, approba, reproba, vt placuerit, vocem tuam vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam.*

Eadem fermè verba repetit in appellat. 1. ad eundem Leonem, & in resolutionibus de Indulgentijs, vbi ait: *Auctoritati Papali in omnibus cum reuerentia cedendum est. In comitijs generalibus, protestatus sum me colere, & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis, præsentibus, & futuris.*

In cap. 28. Genes. *Etsi verò fatemur esse apud eos (Papistas) Ecclesiam, quia habent Baptismum absolutionem, textum Euangelij, & sunt inter illos multi pij.* & in cap. 41. *Sicut sub Papatu habuimus verbum, & haud dubiè multi in fide eius saluati sunt.*

In libro contra Anabaptistas: *Nos fatemur sub Papatu, plurimum esse boni Christiani. Imo omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imo verum nucleum Christianitatis esse.*

Polanus in Syntagm. Theol. lib. 7. cap. 8. *Hodierna Ecclesia Romana est adhuc Ecclesia Christi.*

Hokerus lib. de Polit. Eccles. *Libenter agnoscimus eos (Papistas) esse ex familia Iesu Christi, Romanamque Ecclesiam habendam esse pro parte domus Dei.*

Couellus Apol. Protest. tract. 1. sect. 6. *Affirmamus membra Ecclesiæ Romanæ membra esse veræ Ecclesiæ Christi, & qui in illa Ecclesia viuunt, ac moriuntur, saluari posse.*

Confessio Augustana in prototypo relata per Fabricium cap. 21. *Hæc ferè summa est doctrinę apud nos, in qua cerni potest nihil quod discrepet à scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus nobis ex scripturis nota est. Tota distinctio est de paucis quibusdam abusibus, qui in Ecclesia sine authoritate irrepserunt.*

Zanchius in præfat. lib. de nat. Dei: *Inuito Sathana retinuit Ecclesia illa (Romana) præcipua fidei fundamenta.*

Spalat lib. contra Suarem cap. 1. §. 20. *Veram Christi Ecclesiam, ego Romanam cum sequacibus esse, vt toties dixi, opinor.* Cuius rationem reddens lib. 7. de Repub. cap. 10. §. 58. ait: *Quia hi errores non sunt contrarij veræ fidei, neque illius defectum ferunt, vt alias explicaui,*

plicaui, sed solum excessum, idcirco veritatem Ecclesiæ Ecclesia Romana quæ nunc est non amittit. Vetustatem itaque per successionem in veris, et fundamentalibus, ac necessarijs fidei se habere glorietur Romana Ecclesia.

At quia plures ex modernis hæreticis negare non dubitant, quod primi eorum Fundatores, & Fratres tàm ingenuè, & candidè fassi sunt: firmioribus probanda est rationibus prædicta minor; quæ duas licet contineat propositiones, ratione particulæ exclusiuæ *sola*, vnam affirmatiuam, quod *Ecclesia Romana est vera Ecclesia*, & alteram negatiuam, *quod nulla præter ipsam alia sit vera Ecclesia*; quia tamen ex Philosopho 1. post. cap. 10. Quod est causa affirmationis, est etiam causa negationis; veluti si habere animam est causa propria viuendi, vbi erit anima, ibi affirmabitur vita, & vbi non est illa, nec ista. Hinc etiam quo medio probabitur Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, eodem inferetur, omnes alias esse falsas.

Quia autem, vbi de aliquo particulari dubium occurrit, an habeat essētiam, vel naturam talis speciei, veluti si dubitetur an aurum arte chimica confectum sit verum aurum; & an simia sit homo, aliaque similia; certius medium non est ad veritatem indagādam, quàm si colligantur omnia simul, quæ speciei, de qua dubium est, per se, & necessariò competunt in aliquo dicendi modo per se; nempè *primò* definitio, *secundò* quatuor causæ, hæc enim rei conueniunt in primo modo per se; *tertiò* proprietates: *quartò* operationes propriæ; talia enim rei insunt in secundo modo per se; *quintò*, signa quæ ab ea sunt inseparabilia; vt, si patet ad sensum ista quinque verificari in hoc auro dubio, statim tollatur omne dubium, maneatque certissimum, illud esse verum aurum, quia in igne v.g. rectè probatum &c. Ita quoque certissimum cum sit, vnam tantum esse verā Christi Ecclesiam, vnam veram fidem per quam essentialiter constituitur, vt tomo 3. lib. 3. sect. 3. docuimus; his autem temporibus tùm in Oriente, tū in Occidente reperiantur plures Ecclesiæ, quarum vnaquæque iactat, ac prætendit se esse veram; Profectò ad hoc certò dignoscendum, tàmque graui controuersiæ finem imponendum aptius non videtur medium, quam si ex vna parte constituantur nomen, definitio, quatuor causæ, proprietates, operationes, & signa veræ Ecclesiæ, quæ per scripturam, & Patres nobis innotescunt; ex alia verò per sensum examinetur, cuinam dictarum Ecclesiarū præfata omnia cōueniant: illam enim, in qua reperientur, veram esse Ecclesiam patebit ad sensum, falsam verò eam, cui non conuenient. Sic igitur syllogismus confici potest.

Illa Ecclesia, quæ habet definitionē, quatuor causas, proprietates, operationes, & signa veræ Christi Ecclesiæ, est vera eius Ecclesia.

Sed sola Ecclesia Catholica Romana, siue Ecclesia Catholica Romana, & nulla præter ipsam alia, ex his quæ circumferuntur, Ecclesia, quinque præfata habet. Igitur sola Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia, reliquæ autem omnes sunt falsæ.

Maior huius syllogismi certissima est intellectui tum per Logicam, tum per Metaphysicam; media enim certæ probationis sunt omnes propositiones, quæ fiunt in aliquo modo dicendi per se, ex Logica, & quæ sunt per se notæ, ex Metaphysica, qualis est ista nostra maior.

Minor autem iam supra sect. 2. fuit ad copiam probata explicando motiua omnia, & argumenta, quibus de facto voluit Deus Christianam fidem, quam Ecclesia Catholica Romana profitetur, præ omnibus alijs doctrinis munire, illamque euidenter credibilē reddere tanquam à se reuelatam; non solùm, quia vt statim dicebamus vbi vera est fides, veraque inueniuntur illius

lius

lius motiua, ibi veram oportet esse Ecclesiam, & viciſſim: Verum etiam, quia huiuſmodi motiuis, & argumentis comprehenduntur omnia, quæ pertinent ad definitionem, cauſas, proprietates, operationes, & ſigna, quibus veram Eccleſiam, qualis eſt ſola Catholica Romana, ab omnibus alijs falſis ſectis dijudicare poſſumus; vnde ſuperfluum eſt illa hic repetere; & niſi ibi dicta ſufficiant ad conuincendos aduerſarios, vix alia plura ſufficere poterunt.

Quod autem admiſſo hoc vniuerſali principio authoritatis veræ Eccleſiæ ſui proprijs notis, ac ſignis à cæteris falſis conuenticulis dignoſcendæ, ad probandas omnes fidei veritates, dirimendaſque exortas in ea cōtrouerſias, non committatur propterea circulus vitioſus in noſtra credendi ratione, vt ſatis frequenter objiciunt aduerſarij, iam oſtenſum eſt tom. 1. lib. 2. ſect. 6. cap. 10. nec non tom 3. lib. 3. ſect. 3. cap. 9. in fine. Solum hic breuiter animaduerto primò duplicem alicuius veritatis fidei probationem fieri, vnam ab Eccleſia, & hæc ſemper fit per verbum Dei, aut ſcriptum, aut traditum; alteram à fidelibus, & hæc immediatè fieri poteſt per authoritatem Eccleſiæ toto orbe diffuſæ ita credentis, aut per ſuos Prælatos ita docentis in Concilijs Generalibus Pontificia authoritate confirmatis, vel ſine illis per Summum Pontificem ex cathedra loquentem. Et vtroque modo probatio eſt certiſſima, prima enim fundatur in dicto Dei, ſecunda verò in dicto Eccleſiæ, quæ nec in credendo, nec in docendo poteſt errare, ob diuinitus illi promiſſum, & conceſſum infallibilitatis priuilegium.

Vnde animaduerto ſecundò hoc priuilegium dupliciter poſſe conſiderari, primo in ordine ad Eccleſiam, cui collatum eſt, & ſic vocatur priuilegiũ non errandi: ſecundò reſpectu ſingulorum fidelium, & ſic dicitur certa ad credendum regula. Eccleſia enim non quomodocumque conſiderata, ſed vt ſingulari infallibilitatis priuilegio cælitus donata, eſt certa regula omnibus fidelibus habentibus quidem certitudinem fidei in generali, veluti vera eſſe omnia, quæ Deus in ſcripturis reuelauit, quod illæ veritates in particulari, quarum per ipſam fidem infuſam non habent diſtinctam, & explicitam, ſed ſolum implicitam cognitionem, quæque ab Eccleſia, vt ad fidem ſpectantes, proponuntur, v.g. ſeptem eſſe nouæ legis Sacramenta, dari Sacrificium Miſſæ, hos, & non alios eſſe canonicos ſacræ Scripturæ libros, & ſic de cæteris, certiſſima fide, vt veritates à Deo reuelatæ ſint acceptandæ. Adeo vt quærere an aliqua propoſitio ſit verbum Dei, ſeu res à Deo reuelata, idem ſit, ac quærere, an eam à Deo acceptam Patres noſtri, ſeu Eccleſia nobis tradant, non quod traditio, vel authoritas Eccleſiæ tradentis ſit ipſum verbum Dei (nam traditio eſt conſenſus fidelium, & fides Eccleſiæ credentis) ſed quia traditio illa eſt methodus, ſeu regula per quam ad verbum Dei reperiendum, veramque eius intelligentiam attingendam perducimur infallibiliter; ſicut in vnaquaque ſciētia dantur principia propria, & propriæ regulæ, ſeu methodi, per quæ illæ reperiuntur. Eiuſmodi eſt in Phyſica inductio; in Metaphyſica diuiſio: ſine quibus nemo verè Phyſicus, aut Metaphyſicus eſſe poteſt: & idcirco Philoſophus lib. 6. Ethic cap. 8. aſſerit puerum eſſe non poſſe Phyſicum, aut Metaphyſicum, ſeu ſapientem, cum tamen poſſit eſſe Mathematicus. Sic tertiò obſeruandum eſt, duo tantum eſſe media iam dicta, ad omnes prorſus hæreſes cum certitudine fidei refellendas, nimirum verbum Dei, & veræ Eccleſię authoritatem; vtrumque certum, ita tamen vt ſecundum in hoc dependeat à primo, licet ex parte noſtri ſit magis notum. Et ratio eſt, quia licet Verbum Dei quoad ſe ſit, & magis verum, & magis certum, attamen

nihil certi probat, nisi habeatur certitudo fidei obiectiua de vera illius in intelligentia; quam quia Deus, qui solus potest habere certitudinem de vera significatione verbi sui, confert Ecclesiæ per singulare non errandi priuilegium in illo interpretando, inde fit, quod fideles per solius Ecclesiæ authoritatem, tanquam per quid notius fiant certi de vera verbi Dei intelligẽtia. Et ideo, si velimus hæretico probare per scripturam, quod tres sint Sacræ Triadis Personæ realiter inter se distinctæ, quod Christus duas habeat naturas in sola Verbi Persona subsistẽtes, quod septem sint Ecclesiæ Sacramenta, & sic de alijs; illeque hæreticus datam scripturæ interpretationem neget, & aliam proferat, nihil apud illũ certi de fide probari potest, nisi recursu ad secundum medium habito, ostendaturque, quod interpretatio allata non sit disputantis, sed veræ Ecclesiæ, quæ in interpretanda sacra Scriptura non potest errare, alias non esset vera, maleque vocaretur columna, & firmamentum veritatis, sic enim tunc probatio certa de fide erit: Quam nullatenus hæretici facere possunt: si enim adducant scripturæ locum, iuxta sensum illorum interpretatum, ostendere non valent, huiusmodi explicationem esse veram; quia neque probare possunt, veram esse ipsorum Ecclesiam, illique consequenter, aut Sabellio, aut Ario, aut Nestorio, aut Eutycheti, aut Macedonio, aut Pelagio, aut Luthero, aut Caluino, alijsque similibus monstris collatum fuisse non errandi priuilegiũ, vbi autem tale priuilegium non est, vel non est certum de fide adesse, ibi certitudo fidei de singulis veritatibus obiectiuè consideratis esse non potest, quia certitudo fidei requirit, siue necessario debet habere pro fundamento ex parte obiecti ad credendum propositi dictum illius, qui in proponendo errare non potest; vt habent Catholici Romani probantes penes eos esse veram Ecclesiam; veræque Ecclesiæ ob priuilegium infallibilitatis diuinitus illi concessum, veram verbi Dei interpretationem, ac intelligentiam competere; Vnde sequitur, quod dicebamus, illis nimirum duo suppetere media, primum Verbi Dei, secundum authoritatis veræ Ecclesiæ, quibus omnes hæreses detegere, ac simul refutare possunt, hac ratione.

Quod ita contrariatur veritati ab Ecclesia Catholica Romana de fide creditæ, & propositæ, vt non possit simul esse verum cum illa, hæresis est.

Sed hęc propositio Deus est tantum nomine Trinus, non autem personis realiter inter se distinctis, vt affirmant Sabelliani; dantur in Christo duæ personæ, vt duæ naturæ, vt asserunt Nestoriani; Sacramenta nouæ Legis sunt tantum duo, vt plures docent Nouatores, & sic de alijs, ita contrariantur veritatibus ab Ecclesia Catholica Romana de fide creditis, ac determinatis, vt simul cum illis non possint esse veræ; ergo sunt hæreses manifestæ. Huius syllogismi minoris veritas patet ad sensum, maioris autem ex dictis.

Quare vltimo notandum est, ex hac infallibili veræ Ecclesiæ, qualis est sola Ecclesia Romana, authoritate, ab aliquibus ex aduersarijs malè inferri, quod nos Papistæ nouos fidei condamus articulos, nec enim nos id asserimus, nec vllatenus sequitur ex asserta veræ Ecclesiæ authoritate; Summus si quidem Pontifex Romanus, aut Concilia Generalia eius authoritate congregata, & confirmata, in quibus præfata authoritas actiuè residet, quam passiuè solum, aut in credendo habet Ecclesia toto orbe diffusa, quando aliquid de fide definiunt, aut aliquid de nouo à Christiana plebe creditur, quod antea explicitè non credebatur, nec nouum fidei dogma fit, nec illud de nouo à Deo reuelari necesse est, sed quod iam à Christo reuelatum antiquitus fuerat, solum de nouo tanquam tale proponitur, ita vt diuina reuelatio de nouo innotescat, fiatque de fide quo

ad

ad nos, quod cum esset iam tale, Christianos tamen latebat, aut vt esset tale, à tempore pendebat, vt explicuimus tomo 3. lib. 3. sect. 3. cap. 11. & sect. 4. c. 10. vbi ostendimus quomodo aliquæ propositiones particulares sub vniuersalibus de fide contentæ, ad illam quoque pertineant successu temporis.

Potest igitur Ecclesia, vel vt ait Vincentius Lirinensis, *Sacerdos nouè dicere, non noua*; vbi per Sacerdotem intelligit Pastores Ecclesiæ, qui propositiones fidei definiunt, & credendas fidelibus tradunt; quatenus, vel quæ antea obscurius credebantur clarius, magisque distinctè explicant; vel etiã definiunt nouas aliquas fidei propositiones sub distinctis terminis de nouo credendas, quę antea credebantur tantum sub terminis magis confusis, non nouum fidei sensũ, nouæ appellationis proprietate signando, accepto speciali è cælo auxilio, & illustratione, vt nouas huiusmodi voces nouaque signa inueniant, & ita nouas fidei enuntiationes efforment, credendasque proponant; vt accidit in Concilio Nicæno, vbi ad explicandam vnitatem filij cum Patre, quodque esset filius Dei verus, & non adoptiuus, adinuentum est nomen homousios, siue consubstantialis; & sic deinceps in alijs Cõcilijs, Summorumque Pontificum decretis, provt varię in Ecclesia quęstiones & controuersię ortæ sunt, talesque declarationes, & explicationes ad confundendos hęreticos exegerunt: diuersis enim nominibus, seu terminis, vocibus & signis eamdem rem absque noua illius reuelatione significari, & ita variè, magisque, aut minus distinctè intelligi, nec non credi posse, clarius est, quàm aliqua probatione indigeat.

Porrò, vt hoc caput absoluam, quã omnia in eo dicta consentanea sunt suaui diuinæ prouidentię dispositioni, sacris Scripturis, legitimęque earum intelligentię, legi, & rationi naturali, dissentanea verò ab illis omnibus, quæ in contrarium ab hęreticis docentur, cordatum, suæque salutis amantem virum mouere debent, vt nòn alibi, quam apud Ecclesiam Catholicam Romanam, veram fidem, veramque Religionem quęrat.

CAPVT IV.

Adducuntur præcipui è Sanctis Patribus canones, quibus hæreticorum mores definiuntur; tum catalogus librorum, quibus ab ijsdem refelluntur.

POstquam in superioribus egimus de modo doctrinali cum hæreticis agendi, vel disputandi tam pręsens, quàm sequens caput dabimus explicando modo veluti morali idem pręstandi; primumque in hoc capite pręcipua Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum dicta, & libros, ordine quo floruerunt adducemus, quibus hæreticorum fraudes, ac versutias tum descripserunt, tum refutarunt; pugnaturis siquidem cum aliquo hoste non parum ad victoriam conducit, notas ac perspectas habere eius artes. In altero autem declarabimus, vtrum cum hæreticis ad illos refellendos liceat disputare, quæque in hoc regulæ, vel conditiones sunt obseruandæ.

Primum Iesus Christus Dominus noster sub Pharisæorum nomine, hęreticorum omnium qui sequentibus sæculis victuri erant, effigiem exhibuit, traducens eorum hypocrisin Matth. 6. v. 2. 5. fictam mansuetudinem, Math. 7. v. 15. superstitionem impiam Math. 15. v. 3. Vanam religionem Matth. 19. Tyrannydem Matth. 23. 4. Impietatem detestãdam, pietatis simulationem, periculosas concursationes, iniquitatem hypocriticam, Math. 23. v. 13. 14. 15. 27. Ementitum nomen speciosum, vt facilius seducant. Matth. 24. 5. Ostentationem ridiculam. Lucæ 11. v. 43. Fraudem latentem. Luc. 14. v. 4. Insanabilem peruicaciam Ioann. 6. v. 40. Superbiam, Ioann. 12. 43.

Diuus Paulus in suis passim epistolis hæreticorum mores describit. Ro. 16. v. 18. Auaritiam, & terrestrium curam. Philipp. 2. v. 21. & 3. v. 18. Audaciam, Coloss. 2. v. 18. Ferox ingenium. 1. Thessal. 2. v. 15. Studia & occupationes. 1. Timoth. 1. v. 4. Vaniloquentiam. v. 5. Impudentem ignorantiam. v. 7. falsam doctrinam. cap. 4. v. 1. & seq. Insaniam. cap. 6. v. 3. & seq. Inanem gloriationem. ibid. v. 20. & 21. Prophanos clamores. 2. Timoth. cap. 2. v. 16. Quæstiones ineruditas. ibid. v. 23. Hypocrisin. cap. 3. v. 5. Mentem reprobam. v. 8. & 9. Conditionem pessimam. v. 13. Peruersitatem. Tit. cap. 1. v. 10. Conscientiã cauterio resectam. ibid. cap. 3. v. 10.

Sanctus Petrus hęreticorum apostasiam depingit 2. epist. cap. 2. v. 1. erroris efficaciam v. 2. Auaram negotiatiotionem. v. 3. nec non deinceps, horrendum exitum, vitam impuram, mentis cæcitatem, luxum, fraudes, turpitudinem, artes, auaritiam deploratam, impiã maledicentiam, vanitatem, ambitionem noxiam, falsam iactantiam, Scripturæ sacræ deprauationem.

Diuus Ioannes, eorum Antichristianismum describit. epist. 1. cap. 4. v. 3. Noxias concursationes, furiosam audaciam & metuendum impetum Apocal. cap. 9. v. 3. 17. 19.

Sanctus Ignatius Martyr in epist. ad Trallianos de hæreticis ait: *Sunt enim nonnulli vaniloqui, & seductores, non Christiani, sed Christiempori, id est Christi lucriones, quique ex Christi nomine quæstum faciant, fraude circumferẽtes illius nomen, & adulterantes verbum Euangelij, & erroris venenum alluentes dulcibus alloquijs, velut mulso aconytum miscentes, vt suauissimo sapore deceptus gustandi sensus, incautè mortem hauriat*: Et in epistola ad Ephesios Spiritui veritatis non sua, sed Christi loquenti opponens hæreticorum spiritum ita eum describit: *Verùm erraticus ille, & falsus spiritus seipsum prædicat: sua loquitur: sibi namque placet; seipsum glorificat; plenus enim fastu est, mendax, fraudulentus, assentatione, & adulatione gaudens, subdolus, versuum consarcinator, nugax, inconstans, verbosus, lubricus, meticulosus, cuius vi liberet nos Iesus Christus.*

Sanctus Polycarpus in epist. ad Philippenses: *Propter quod relinquentes vanitates multorum*, id est hæreticorum, & *falsas doctrinas, ad illud quod traditum nobis à principio verbum reuertamur.*

Diuus Irenæus inter alia multa, quę de moribus hęreticorum habet in quinque libris aduersus Valentini, & similiũ Gnosticorum hæreses conscriptis potissimum eos arguit de diuinarum Scripturarum corruptione, & abusu lib. 1. cap. 1. *Cum sit igitur tale illorum argumentum, quod neque Prophetæ prædicauerunt, neque Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, quod abundantius gloriantur plusquam cæteri cognouisse, de ijs quæ non sunt scripta, legentes. & quod solet dici, de arena resticulas nectere adfectantes, fide digna aptare conantur ijs, quæ dicta sunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones Propheticas, aut sermones Apostolicos, vt figmentum illorum non sine teste esse videatur. Ordinem quidem, & textum Scripturarum supergredientes, & quantum in ipsis est soluentes membra veritatis. Transferunt autem, & transfingunt, & alterum ex altero facientes, seducunt multos ex ijs quæ aptant ex Dominicis eloquijs malè composito phantasmati.* Libro autem 3. cap 2. quod neque Scripturis, neque traditionibus obsequantur.

Tertullianus multa etiam dixit, quibus hæretici ad viuũ describuntur, pręsertim in libro de præscriptionibus aduersus eos omnino videndo.

Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum de hęreticis loquens hæc habet: *Aliqui autem alij seipsos erigentes, calumnias verbis inuenire contendunt, contentiosas comparantes quæstiones, dictiunculatum venatores, pusillarum quarumdã artium æmulatores, litigatores, & iurgiorum consarcinatores*; & lib. 7. *In vnius ergo naturæ sortem coaptatur Ecclesia quæ est vna, quam conantur hæreses in multas discin-*

discindere; paucisque interiectis; *Cæterũ Ecclesia quoque eminentia, sicut principiũ constructionis, est ex vnitate, omnia alia superans, & nihil habens sibi simile, vel æquale. Ex hæresibus autem, alię quidem appellantur ex nomine, vt quæ appellata sunt à Valentino, & Marcione, & Basilide, etiamsi glorientur se Mathiæ opinionẽ adducere: fuit enim vna omnium Apostolorum sicut doctrina, ita etiam traditio; aliæ autem ex loco, vt Peratici; aliæ autem ex gente, vt Phrygum hæresis; aliæ autem ex operatione, vt Encratitarum; aliæ autem ex proprijs dogmatibus, vt Docitarum, & Hæmasitarum: alij autem ex positionibus, & ijs quę ipsæ honorarunt, vt qui appellantur Caianistæ & Ophiani: aliæ verò ex ijs, quæ nefariè ausæ sunt, & perpetrarunt, vt qui ex Simonianis vocantur Entychitæ.* Et sic de alijs hæreticorum tum notis, tum moribus, de quibus eodem lib.7. passim.

Sanctus Martyr Cyprianus cum de hæreticis plura habeat, dicẽdo eos persecutionem Episcopis mouere; altare contra altare constituere; auspicari à contemptu Romani Pontificis, lupos esse, Pseudoprophetas, canes, antichristos, pseudochristos, pestes, fures, latrones, prædones, laniones, simiarum more Ecclesiæ imitatores, falsos Scripturarum interpretes, humanæ traditionis inductores, tum maximè lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 2. eos describit tanquam dœmonis ministros, *qui videns idola derelicta, & per nimium credentiũ populum sedes suas, ac templa deserta, excogitauit nouam fraudem, vt sub ipso christiani nominis titulo falleret incautos. Hęreses inuenit & schismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem. Quos detinere non potest in via veteris cæcitate circumscribit, & decipit noui itineris errore*, &c.

Diuus Athanasius lib.1.contra Arianos: *Illud quoque prorsus admirabile, omnes, quotquot sunt hęreses in fingendo diuersa, pugnantiaque inter se adferre, nec alibi nisi in mentiendo sibi inuicem cõsentire & copulari. Neque id mirum, cũ vnum habeant authorem, qui ipsis vbilibet mendacia asseminat.* Lib. 2. ait hæreticos cum patre suo diabolo testimonijs sacræ scripturæ vti; lib.4. in fine, eos victos simulare triumphum, sacræque scripturæ verborum deprauare intellectum; epist. de sentent. Dionysij Alexandrini, ad calumnias confugere cum nihil rationi consentaneum, aut certi ex scripturis sacris in hæresi sua habeant: Apologia 2. sub verbis ambiguis prauitatem suam occultare; videri etiam potest in epist. ad Epictetum Corinthiorum Episcopum, contra Hæreticos; & ad Adelphium contra Arianos; sermone contra hereses, & sermone in illud: *profecti in pagum qui ex aduerso est, inuenietis pullum*, &c.

Sanctus Hilarius lib.4. de Trinitate versus principium docet hæreticos scripturas pro se perperam torquere; *Videntur enim*, inquit, *sibi de singulis quę asserunt pręstare rationem, quia singulis assertionibus suis quædam ex diuinis voluminibus testimonia subdiderunt: quæ corrupto intelligentię sensu solis tantum ignorantibus blandiantur, speciem veritatis secundum prauitatem interpretantium pręstatura.* Et lib. contra Constantium Augustum in fine, &c. *Sed memento tamen, neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundum scripturas pręedicare ea quibus blasphemat, mentiatur.* De Synodis aduer. Arianos cap.7. *Confusis permixtisque verbis veritatem frequentissimè hęretici eludunt, & incautorum aures communium vocabulorum sono capiunt, patrem & filium solis nominibus, non etiã per veritatem naturalis & genuinæ essentię prædicantes, quia omnium creationum sciant dici Deum patrem, & Sanctos quosque nuncupari meminerint Dei filios: quo exemplo Patrem, & Filium secundum cõmunia vniuersitatis nomina confitentur, vt Pater & Filius dicantur potius, quam sint: dicuntur enim, non etiam sunt, si in his differentis essentiæ discreta natura est, cum non possit paterni nominis veritas nisi ex naturę suę progenie acquiri.*

S.Basilius lib.5.aduersus Eunomium; *Quod*

Quod mirum est, inquit, *Scripturæ quæ iuuant eos, qui per fidem valent, officiunt istis, qui circa quæstiones, ac inutiles contentiones ęgrotant*: item. *Quęrunt non vt fidem, sed vt infidelitatem inueniant*. lib. de Spiritu Sancto ad Amphil. cap. 2. *Curiosa istorum hominum circa syllabas, ac dictiones obseruatio, simplex alicui videri posset neque tendens ad malum: sed profundum atque obtectum habet aduersus pietatem consilium*. Videnda quæ de hæreticis ibidem spargit cap. 3. 6. 7. 10. 11. item epist. 73. 80. & 141.

Sanctus Gregor. Nazianzenus orat. 2. de pace sic hęreticorum mores depinxit: *Vbi igitur sunt, qui nostra diligenter obseruant? benè ac taliter se habentia, non vt discernant, sed vt diuexent, nec vt condoleant, sed vt insultent. & bona quidem calumniantur, mala autem tragicè celebrant, & in domesticis malis propinquorum casus pro excusatione habent. Sed vtinam rectè iudicarent, irę enim loco, vtilitas iuxta paræmiam succederet, si timore inimicorum pręstaretur, vt securius degeremus, nunc autem cum inimicitijs, & malitia rationem obtenebrāte iudicant, cū nec in fide dignis vituperatio locum habeat. Vbi igitur nunc sunt, qui diuinitatem pariter, & nos odio habent? hoc enim magnificentissimum est quod patimur, vt cum Deo periclitemur. Vbi nobis sunt? qui in causis proprijs clementer iudicant, in alienis autem exquisitores sunt acerrimi, vt & hic veritatem mendacio inuertant. Vbi sunt qui vulneribus sunt pleni, nobis verò cicatrices exprobrant? qui pedum offensiones traducunt, cum ipsi pleno ruant casu, qui cęno sunt obuoluti, & propter maculas nostras exultant, qui trabem in oculis habent, & festucas nobis obijciunt, quę infixa non admodū offendunt, neque visum molestè lędunt, seu impediunt*.

Oratione verò ad Arianos, & de seipso iterum ait: *Vbi tandem sunt, qui nobis paupertatem exprobrabāt, diuitiasq; iactitabant? qui multitudine Ecclesiā definiebant, ac pusillum ouile contemnebant? qui diuinitatem mensurabant, ac populum concitabant? qui arenam honorabant, & luminaria afficiebant iniuria? qui viles colligebant lapillos, margaritas verò contemnebant? ignorant enim quod non tantùm arenę numerus stellas exuperat, gemmasque splendentes lapilli, quantum hęc illis puriora sunt ac honorabiliora. Rursus indigneris? rursus armaris? rursus iniuria est fides noua. Parumper contine minus vt loquar, nec afficiamus iniuria, sed refellamus, nō minemur sed exprobremus, non percutiamus sed curemus. Sed & hac tibi iniuria videtur*.

Sanctus Epiphanius lib. 2. contra hæreses cap. 59. hanc habet hæreticorū imaginem: *Omnis autem heresis, quæ à veritate desciuit, in tenebris cęcutit, & manibus pretentans incedit, alia pro alijs intelligens. Similes enim sunt hi quibusdam inartificiosis, & non cognoscentibus singulas qualitates, et vsus, et vniuscuiusque membri ornatus, et sanè deliram quamdam similitudinem, atque imaginem stultitiæ ipsorum proponam. Calceamenta quidem capiti circumdant, coronam autem pedibus, & cingulum aureum circum ventrem. Reliquum verò vestium, odonia videlicet, aut bracas apud quosdam appellatas, manibus induunt, annulos autem pedibus. Ita erronea, & inordinata est depositio eorum, qui ignorantiam possident*. Paucis deindè interiectis ait: *Omnis occasio quantumuis modica, singulas hæreses à veritate distraxit, & ad multa mala deduxit*; quo ostenso similitudine cuiusdam transitum reperientis in sepi circa publicam viam, qui exitum postea non inueniens, vt ad rectum iter perueniat, reflectere cogitur per primam viam; *Sic*, inquit, *omnis hæresis velut compendium quoddam inuenire potens, à longa via discessit. Inuentus est autem ipsi murus infractus, ipsa ignorantiæ implicatio. Et non vtique inuenerit talis, quomodo ad veram viam perueniat, nisi reflexerit ad primariam viam, hoc est ad regiam, &c. Est autem via regia, Sancta Dei Ecclesia, & iter veritatis. Vnaquæque verò harum, regia relicta, & ad dexteram aut sinistram inclinatione facta, vbi deinceps nimium se*

in

In errorem dederit distrahetur, & non amplius mensuram habet apud unăquamque Sectam, erroris impudentia.

Sanctus Ambrosius in epist. 2. ad Timoth. cap. 3. *Quamuis omnibus hæreticis hoc conuenit, ut subintrantes domos mulieres subdolis, & versutis verbis capiant, ut per eas viros decipiant more patris sui diaboli, qui per Euam Adam circumuenit: Manicheis tamen præ cæteris congruit. Nulli enim tam importuni, tam fallaces, tam captiosi sunt, quam ipsi quos constat aliud colere, & aliud profiteri; aliud intus gerere, & foris aliud vendicare*, &c. *hi inueniunt mulieres præ vanitate nouum aliquid desiderantes audire, & per ea quę placita sunt, suadent illis fęda, & illicita. Cupidæ enim sunt discendi, cum indicium non habeant probandi, hoc est semper dicere, & veritatis scientiam non habere.*

Lib 2. de pœnitentia cap. 7. ait hæreticos concilium congregare contra Ecclesiam: *In tanta verò Domini gratia, tantoque diuini muneris miraculo, cum oporteret vniuersos lætari, commouebantur impij, & aduersus Christum conciliũ congregabant: Lazarum quoque interficere volebant. Nonne meritò eorum successores vos fore cognoscitis, quorum duritiæ hæredes estis? nam & vos indignamini, & contra Ecclesiam congregatis concilium, quia videtis mortuos in Ecclesia reuiniscere, & peccatorum indulta venia resuscitari. Itaque quod in nobis est, per inuidiam rursus vultis interficere suscitatos.*

Tractatu in Symbolum Apostolorũ cap. 20. docet eos callidè scripturæ verba truncare; lib. 5. de fide cap. 7. falsare, lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 11. corrumpere, & abolere; serm. in festo SS. Cantij, &c. vulpibus comparat: *Hæreticos etiam omnes arbitror vulpibus comparandos, qui cum in domo Domini habitare nõ possint, conuenticula sibi quædam velut foueas præparant tenebrosas, in quibus pertinaciter latentes insidiantur Ecclesiæ: vt si qua innocens anima fortè processerit, velut pullum gallinæ matris absorbeant, insidiantur inquam vulpes Ecclesiæ, hoc est hæretici Euangelicæ illi gallinæ, de qua ait Dominus: quoties volui congregare filios tuos sicut gallina colligit pullos suos sub alas suas? sed ipsa sicut Sampson ardentes faces vulpibus religauit.*

Lib. 1. de fide cap. 3. ait, illos omnem vim venenorum suorum in dialectica disputatione constituere, & cap. 4. inter se dissidentes contra Ecclesiam conuenire.

Lib. de filij diuinitate cap. 1. ostendit, quod nihil periculosius ijs hæreticis esse posit, quibus multa nobiscum paria sunt: qui cum integrè per omnia decurrere videantur, vno tamen verbo meram, ac simplicem fidem inficiunt.

Gregorius Nyssenus orat. in illud 1. Corinth. 5. *Quando sibi subiecerit omnia, tunc ipse quoque filius subijcietur ei, qui sibi subiecit omnia*, vocat hęreticos malos cauponatores: *Quoniam autem mali cauponatores, aggrediuntur diuinum argentum efficere reprobum, mixtione hæreticorum, & adulterinorũ sensuum Verbi splendorem obscurantes, & mystica Apostoli sensa, vel non intelligentes, vel malignè assumentes, ad defendendam suã malitiam attrahunt, dicentes ad euertendam vnigeniti gloriam eis dictum illud conferre Apostolicum; tunc subijcietur filius ei qui sibi subiecit omnia, tanquam ea dictio seruilem ostendat humilitatem, ea de causa visum est necessarium diligenter examinare hoc dictum, vt ostendamus verè purum argentum Apostolicum, ab omni sordido, & hęretico sensu separatum, & minimè mistum.* Et orat. 3. de Sacro festo Paschę appellat, *hæresim indomitum linguę morbum.*

Diuus Hieronymus tom. 1. epist. 94. ad Augustinum: *Magis demus operam, vt perniciosissima hęresis de Ecclesijs auferatur, quę semper simulat pœnitentiam, vt docendi in Ecclesijs habeat facultatem: ne, si aperta se luce prodiderit, foris expulsa moriatur.*

Tom. 2. commentariorum in Esaiam cap. 9. *Omnis hæreticus hypocrita est, aliud agens, & aliud simulans: & quidquid loquitur, licet videatur sapientia tamen stultitia est. Propter hæc extendit*

manum

manum suam ad puniendum, & omnes impietates eorum, quasi spinas vorax flāma consumet. Et verba absque virtutibus, quæ infructuoso saltui comparantur, inuoluentur fumi superbia. Ad eorum pœnam contremiscet omnis humus, & decepti populi, æternis tradentur erroribus: quia turpis lucri gratia, ne suis quidem parcunt, sed certatim de deceptis populis prædas agunt, relinquentes bona, & in pessimis immorantes. Cumque semper sinistra inueniant, tamen suis nunquam satiantur erroribus, vorantes carnem brachij sui, & aduersum Ecclesiam pari studio dimicantes. Propter luxuriam, & voluptates, & lucra de populis inter se habent discordiā: vt de vna hæresi duæ fiant, & rursum ipsæ diuiduntur in partes, vt proprios abducant greges, & deuorent domos viduarum, & mulierum peccatricium, semper discentium, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientium, ibid. cap.18. *Nullus Ecclesiasticorum tantū habet studij in bono, quantum heretici in malo: & in eo se lucrum putant consequi, si alios decipiāt, & ipsi perditi cæteros perdant.* item c.28. *Igitur Sacerdotes, & prophetę hereticorum exciderunt mente propter siceram, & absorpti sunt propter vinum: quales fuerunt Prisca, & Maximilla, earumque princeps Montanus: qui quid dicerent nesciebant, vino inebriantur, quando Scripturas Sanctas malè intelligunt, atque peruertunt. Sicera, quando sęculari abutuntur sapientia, et dialecticorum tendiculis, quę non tam vincula sunt appellanda, quam phantasmata, id est, vmbræ quędam, & imagines, quę cito pereunt, atque soluuntur.*

Eodem 2. tomo, commentar. in Hieremiam cap.23. *Contemplemur hereticos, quomodo semel desperantes salutem, gulę se tradant, & delicijs: vescantur carnibus, frequenter adeant balnea: musco fragrent, vnguentis varijs delibuti quærant corporū pulchritudinem. Semel enim futura non sperant, neque credunt in resurrectionem. Quod cum sermone non pandant, ostendunt operibus. Si enim crederent, ista nō facerent.* & cap.16. commentar. in Ezechielem. *Omnes hæretici despiciunt Sion, quæ interpretatur, specula, & refertur ad Ecclesiam, et confidunt sibi in monte Samariæ: in superbia videlicet dogmatum peruersorum, quæ putant esse sublimia, et per has prædicationes fraudulentas, vindemiant, atque populantur principes gentium: vt miraculo doctrinarum, potentes quosque gentilium ad errorem hæreticum pertrahant.*

Tomo 3. commentar. in Osee cap.9. *Ipsi autem, hoc est Israel, qui sibi Christianum nomen assumunt (neque enim de Patribus intelligendum est) intrauerunt ad idolum Beelphegor, quod habet in ore pellem. Quidquid enim loquitur hereticus, mortiferum est, & à viuente Dei sermone seiunctum: siue intrauerunt ad libidinem: difficile est enim hæreticum reperire, qui diligat castitatem, non quod eam præferre desistat in labijs; sed quod non seruet in conscientia: aliud loquens, et aliud faciens: vndè & abalienati sunt à Deo, et habent gloriam in confusionem suam, et facti sunt abominabiles, qui prius diligebantur in patribus.*

Eodem tom. 3. commentar. in Matt. cap. 6. *Si nos hæreticus in disputatione percusserit, & dextrum dogma voluerit vulnerare: opponatur ei aliud de Scripturis testimonium, & tamdiu verberanti, succedentes sibi dexteras præbeamus, donec inimici ira lassescat.*

Tom.4. in Psal. 139. *hæretici videntur amicitiæ verba habere, sed plena sunt veneno mortifero: iuxta iter scandalum posuerunt mihi: hoc est de Scripturis proferentes testimonia, quæ quasi videbantur rationem aliquam habere, tentabant me decipere.*

Ibidem in psal. 143. *Hæreticorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. Plantatio eorum non est vetus, sed nouella est. Non est enim de veteri lege, non est de Prophetis, non est de Apostolis: sed de nouis magistris est. Filij eorum sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. In iuuentute sua: semper iuuenes sunt. Licet multæ sint hæreses veteres, tamen quotidiè mutantur, et nouæ quotidie inueniuntur. Nouæ sunt ipsæ hęreses, licet veteres sint:*

tamen

tamen cum quotidie doctrinas suas innouant, nouę sunt: non enim sunt veterum magistrorum errore contenti, sed quotidie ipsi noua reperiunt: quorum filij sicut nouellę plantationes in iuuentute sua. De Ecclesia quid dicitur: de timentibus Dominum? Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius. Quid dicitur de illis? filij sui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensę tuæ. Circa mensam Christi sunt illi filij: non longè sunt à mensa Christi. Ibi non dicitur filię, sed tantummodo filij. Cæterum hæretici habent et filias, habent & fragiliorem sexum, voluptates, delitias, filię eorum compositæ. Sermo compositus est, & sensus sordidus. In Scripturis Sanctis cogitationes semper filij dicuntur: verba, filiæ. Vide ergo quid dicit: Cogitationes eorum, hoc est filij noui sunt. Verba verò eorum, hoc est, hæreticorum, quæ habent de sapientia sæculari composita sunt: habent enim verba composita, lautum sermonem. Filiæ eorum compositæ. Videntur quidem esse compositæ, sed quia filię sunt, et non filij vires non habent. Circumornatæ, vt similitudo templi. Pulchrè dixit, similitudo templi. Non habent veram Ecclesiam, sed similitudinẽ Ecclesiæ. Cellaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud. Parati sunt ad contendendum. Si illos tenueris in vno testimonio, ad aliud transeunt. Si in Scripturis tenueris, ad Aristotelem fugiunt. Si Aristotelem tenueris in Platonem transeunt. Hactenus Hieronymus.

Quoniam ex Diui Augustini scriptis iam ab Hieronymo Torrensi in confessione Augustiniana, collecti habentur canones, quibus mores hęreticorum à pręfato Patre describuntur, ideo illis hic referendis supersedeo; nec non ex cæteris, qui deinceps floruerunt, Patribus, quod à præallatis nihil, aut parum differant. Prę omnibus tamen in hac parte legendum est aureum Vincentij Lirinensis opusculum, pro Catholicę fidei antiquitate, & veritate, aduersus prophanas omnium hæreseon nouationes.

Qui autem ex antiquis Patribus aduersus hæreticos ex professo scripserunt sunt sequentes.

In secundo sæculo Irenęus aduersus Valentinum libros quinque plenos doctrina, & pietate.

In tertio Tertullianus de præscriptionibus aduersus hęreticos lib. 1. aduersus Marcionem lib. 5. aduersus Valentinianos lib. 1. aduersus Hermogenem lib. 1. aduersus Praxeã lib. 1. Origenes dialog. contra Marcionistas.

In quarto Eusebius Cęsariensis aduersus hęresim Hieroclis lib. 1. S. Athanasius contra Arianos varios libros. Serapion Episcopus Thmueos contra Manichęos lib. 1. de non conueniendo cũ hæreticis. Sanctus Hilarius lib. 1. aduersus Auxentium Arianum. Gregorius Beticus, & Sebadius Agennensis aduersus Arrianos. Didymus Alexandrinus contra Manichæos. Optatus Meliuetanus Episcopus lib. 7. aduersus Donatistas. Titus Bostrenus Episcopus contra Manichęos. Basilius contra Eunomiũ, Sabellianos, & Arianos. Gregorius Nazianzenus tract. de fide Nicænæ Synodi aduersus Arianos. Epiphanius opus panarium contra omnes hęreses, quæ tunc ad 80. numerabantur. Ambrosius Mediolanensis de fide contra Arianos lib. 1. Philastrius Brixiensis Episcopus lib. de hæresibus vsque ad sua tempora circa annum Domini 380. in quo tamen obseruandum est multa ab eo inter hæreses numerari, quę veræ hæreses non sunt: proindèque cum prudentia legendus est. Ithacius Clarus lib. 3. aduersus Varimandum Arianum. Gregorius Nyssenus lib. 12. contra Eunomium. Hieronymus aduersus Heluidium lib. 1. aduersus Iouinianum lib. 2. aduersus Vigilantium ad Ripariũ epist. aduersus eumdem lib. 1. aduersus Montanum ad Marcellam epist. aduersus Luciferianos dialog. contra Origenem ad Auitum; aduersus Pelagium ad Ctesiphontem; aduersus Pelagianos lib. 3. habentur tom. 2. Aurelius Prudentius scripsit Amartingenia, id est, de origine peccatorum contra Marcionem.

In quinto sæculo Diuus Augustinus

de Genesi contra Manichęos lib.2.to.1. de hæresibus ad Quod vult Deus lib.1. de quinque herefibus orat. de duabus animabus contra Manichæos lib.1.contra Fortunatum Manichęum lib.1.contra Adimantum Manichęum lib.1.contra Faustum Manicheum lib.33.de actis cum Felice Manichæo lib.2. contra Secundinum Manichæum lib.1.de natura boni contra Manichæos lib. 1. de fide contra Manichęos lib.1. contra aduersarium legis,& Prophetarum lib.2.contra Priscillianistas, & Origenistas lib.1.cōtra sermonem Arianorum lib.1.contra Maximinum Episcopum Arianorū lib.3 contra Felicianum Arianum lib.1.de bono coniugali, contra Iouinianum lib. 1. de Sancta Virginitate lib.1.de adulterinis coniugijs ad Pollentiū lib.2.to.6.Ps. contra partem Donati, contra epistolam Parmeniani lib. 3. contra literas Petilini lib.3. contra epist. Gaudentij lib.2. de baptismo contra Donatistas lib.7.de vnico baptismo contra Petilianū lib. 1. de vnitate Ecclesiæ contra Petilianum lib.1. opus breuiculi collationis contra Donatistas, post collationem contra Donatistas lib.1. serm. super gestis cum Emerito Donatista, de gestis cum eodē lib.1. de peccatorum meritis, & remissione lib.3. de natura, & gratia lib.1. de gratia Christi, & peccato originali contra Pelagianos lib.2. de nuptijs,& concupiscentia lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum lib. 4. contra Iulianum Pelagianum lib.6. de anima, & eius origine lib.4. de prædestinatione Sanctorū, & bono perseuerantię lib. 2. de gratia & libero arbitrio lib. 1. de correptione, & gratia lib. 1. de perfectione iustitiæ contra Cælestium lib.1. de gestis Pelagij lib. 1. tom.7. Cyrillus Alexandrinus declarat.12.anathematismorum;lib apologet. pro suis anathematismis, item cōtra Theodoretum pro ijsdem, aduersus Antropomorphitas lib. 1. Theodoretus de hæreticis fabulis lib. 4. de curandis Græcorum affectionibus lib.12.Proclus Episc. Constantinop. epist. de fide ad Armenos. Vincentius Lirinensis lib.de prophanis vocum nouitatibus. Prosper Aquitanus de gratia Dei contra Collatorem libr. 1. & respons. ad capitula obiectionum Gallicarum, Vincentianarum, & Genuensium. Arnobius Iunior conflict. Catholici cum Serapione de Deo Trino, & vno; de duabus in Christo substantijs in vnitate personæ lib. 1. de gratia, & liberi arbitri concordia lib. 1. Theodorus presbyter comment. de Incarnatione Domini contra Nestoriū, & Eutychetem. Cerealis Episcopus Affricanus lib.de fide contra Maximinum Episcopum Arianum. Gelasius Cyzicenus lib. de duabus naturis contra Eutychetem. Vigilius lib. 5. contra Nestorium, & Eutychetem, pro defensione epistolæ Sancti Leonis, & Concilij Chalcedonensis. Paschasius Diaconus Card.lib.2. de Spiritu Sancto.

In sexto seculo Fulgentius de Incarnatione, & gratia Christi lib.1.contra obiectiones Arianor. lib. 1. Eugippius Abbas Africanus composuit tomos duos Thesaurorum Sancti Augustini in quorum priore posuit quæcumque S. Augustinus scripserat de rebus obscurissimis, vt de anima, de charitate, de resurrectione, de iudicio, de vita, ac morte æterna. In posteriore collocauit, quæ S.Augustinus disputat contra Arianos, Donatistas, Manichæos, & Pelagianos. Ioannes Maxentius Monachus Catholicę fidei professionē, libell. contra Acephalos, dialogorum contra Nestorianos lib. 2. Boetius Seuerinus lib.1. de duabus naturis Christi aduersus Eutychem. Victor Episc. Africanus libr. de ratione fidei Catholicæ ad Hunericum Regem Vandelorū. Leontius Bysantinus Monachus lib. 3. contra Nestorianos, & Eutychianos: nec non contra fraudes Apollinaristarum,& contra Seuerum. Anastasius Synaita ducem viæ contra Acephalos, & de fidei dogmatibus lib.5.

In septimo seculo S.Sophronius Episcopus Hierosolymit. epist. ad Sergium Episcop. Constant. contra Monothelismum. S. Maximus Monachus Martyr. dispu-

disputat. contra Pyrrum Monothelitã. S. Hidelphonsus Episc. Toletanus tractat. de Virginitate B. Mariæ, & alium de perpetua Virginitate,& parturitione eiusdem Sanctissimæ Deiparæ, & serm. 12. de eadem.

In octauo seculo S. Germanus Episc. Constantinopolit. orat. de hæresibus;S. Ioannes Damascenus de duabus voluntatibus Christi lib. 1. de centum hæresibus lib. 1. Dialog.aduersus Manichæos, lib.contra Acephalos, & contra Nestorianos. Paulinus Aquileiensis Episcop. lib.de Sancta Trinitate contra Felicem, & Elipandum.

In nono seculo S. Nicephorus Episc. Constantinopol. quatuor opuscula cõtra Iconomachos. Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis lib. de veritate corporis, & sanguinis Domini in Eucharistia cõtra Bertramum presbyterum, qui fuit ex primis,qui eam in dubium reuocarunt. Ionas Aurelianensis Episcopus lib.3.aduersus Claudium Episcopum Taurinensem pro defensione Sacrarum Imaginum, & signi Sanctæ Crucis, & peregrinationum ad loca Sancta. Hic tamen author cautè legendus est, quatenus eodem laborat errore, quo Abogardus, & alij eius ætatis Galli, qui negabant Sacris Imaginibus vllum deberi cultum religiosum. S. Theodorus pro cultu Sacrarum Imaginum,& contra hęresim defendentem adulterium posse fieri licitum ex dispensatione.

In decimo seculo Stephanus Eduensis Episcopus scripsit de Sacramento Altaris, & ijs, quæ ad illud pertinent.

In vndecimo seculo Fulbertus Episcopus Carnotensis epistol.ad Adeodatum de Sacramento Eucharistiæ. Humbertus Cardinalis lib.contra Græcos de azimo, in forma dialogi; de ieiunio Sabathi contra Nicetam Pectoratum Gręcum. Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis lib. de veritate corporis Domini in Eucharistia contra Berengariũ. Adelmanus Episcopus Brixiensis epistol. ad eumdem Berengarium de veritate corporis Domini in Sacrosancta Eucharistia. Guitmundus Episcopus Auersanus lib.3. de corpore, & sanguine Domini in Eucharistiæ Sacramento. Vnum est, in quo reprehendi solet, quod lib.2. timuerit admittere, species Sacramentales verè posse corrumpi, & putrefieri, quod potuisset concedere, sine vlla iniuria corporis Dominici. S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscop. de Processione Spiritus Sancti lib. 1. de fermentato, & azimo lib. 1.

In duodecimo seculo Eutymius Zigabenus Monachus Panopliam scripsit aduersus omnes hæreses.Algerus Scholasticus Leodiensis lib.3. de corpore, & sanguine Domini contra Berengarium; in hoc etiam reprehenditur, quod cum Guitmundo asseruerit species Sacramẽtales non posse corrumpi, vel rodi a muribus; item esse de iure diuino,vt sacrificium Missæ celebretur in azimo, quod non est verum, alioquin Ecclesia non toleraret eos,qui celebrant in fermentato. Petrus Cluniacensis aduersus errores Petri de Bruis lib.per formam epist. in quo egregiè tractat de baptismo paruulorum; de Sacrificio Missæ,& veritate transubstantiationis lib. 1. Hugo Victorinus de perpetua Virginitate B.Mariæ. Theorianus Græcus Dialog. contra errores Armenorum.Hugo Etherianus lib.de processione Spiritus Sancti aduersus errores Græcorum. Petrus Blesensis lib. de confessione sacramentali.

In decimo tertio seculo Diuus Thomas tam in libris contra Gentes,quam in summa scripsit aduersus omnes hæreses, opuscul. contra Græcos,& impugnantes religionem;Diuus Bonauentura Apologiam Euangelicæ paupertatis. opuscul. contra calumniatorem regulæ Franciscanæ.

In decimo quarto seculo, Barlaamus Episcopus Hieracensis epistol. ad Græcos de vnione cum Ecclesia Romana. Heruæus Natalis de Christi,& Apostolorum paupertate. Franciscus Mayronis de Paupertate Christi,& Apostolorum, de corpore Christi, de suffragijs defun-

ctorum. Gulielmus Okam de Sacramẽto Altaris, de paupertate Apostolorum. Guido Carmelita ingens volumen de omnibus hæresibus. Manuel Caleca Græcus lib. contra errores Græcorum pro Latinis.

In decimo quinto seculo, Thomas Valdensis Carmelita doctrinale fidei antiquæ, tribus tomis distinctum, in quorum primo disputatur contra hæreticos Vuiclefitas, & Hussitas de Deo, de Christo, de Petro, de Ecclesia, de Religiosis. In secundo de Sacramentis contra eosdem. In tertio de Sacramentalibus contra eosdem. Ioannes Ragusæus Ordin. Prædicatorum orat. de communione sub vtraque specie contra Hussitas, vbi etiam multa habentur alia de hæresibus Bohemorum. Ioannes de Capistrano contra Hussitas, & aduersus Ioannem Rochesanum hæreticũ Hussitam. Bessarion Cardinalis lib. aduersus Marcum Ephesium pro defensione Ecclesiæ Romanæ; lib. de verbis consecrationis aduersus eumdem. Georgius Scholarius, aliter Gennadius orat. 5. de quinque articulis controuersis pro veritate Catholica, de processione Spiritus Sancti; de primatu Papæ; de Azimo; de Purgatorio; de visione Dei ante resurrectionem corporum. Ioseph Episc. Methonensis lib. pro Concilio Florentino contra Marcum Ephesium. Gregorius Magnus Protosincellus respons. contra epistol. eiusdem Marci. Ambrosius Camaldulensis tractat. de Spiritu Sancto, & de Sacramento Corporis Christi. Ioannes Echius Enchiridion contra omnes ferè hæreses; lib. 2. de Sacrific. Missæ, & deinde iterum alios tres; lib. 1. de primatu S. Petri. Franciscus Titelmanus Apologet. pro editione vulgata. Ioannes Fischerus Episcopus Roffensis scripsit aduersus articulos Lutheri, quos Leo Papa X. damnauerat; contra librũ eiusdem de captiuitate Babylonica; item de Christiano Sacerdotio contra eumdem; de Eucharistia cõtra Oecolampadium. Thomas Morus responsion. ad epistol. Martini Lutheri. Ioannes Faber, Episcopus Viennensis Malleum hæreticorum lib. 6. Orthodoxæ fidei Catholicæ defẽsionem aduersus Baltassarem Pacimontanum; libr. de potestate Summi Pontificis contra Lutherum; homil. de Sanctissima Eucharistia. Ioannes Cochlæus Norimbergensis opuscula cõtra Lutherum, Melãctonem, & alios sectarios; lib. de actis, & scriptis Lutheri; Septicipitẽ Lutherum, vt ostenderet eius contradictiones, & inconstantiam; historiam Hussitarum libris 12. Ambrosius Catharinus aduersus Lutherum.

Qui postea in decimo sexto, & in hoc decimo septimo seculo floruere scriptores, & pro fide à maioribus accepta strenuè contra Nouatores dimicauere sunt innumeri.

CAPVT V.

Vtrum cum hæreticis, ad illos refellendos disputare liceat. Et quæ in hoc regulę seruandæ sint.

QVamuis præsens difficultas se extendat ad omnes infideles, indeque Diuus Thomas generaliter agens de ipsis 2. 2. quæst. 10. art. 1. eam tractet; nihilominus quia cum hæreticis, & vsus est frequentior, specialisque ratio, & hinc etiam facilè potest ad cæteros infideles doctrina applicari, cõmunius propterea Doctores sub hæreticorum nomine solent hanc quæstionem excitare. Pro cuius intelligentia primum distinguendum est cum Caietano duplex disputationis genus, materialis videlicet, & formalis: prima est, quæ solum exercitij causa, ad acuenda ingenia, & comparandam in docendo facilitatem in scholis fit; altera autem ad persuadendam, vel propugnandam veritatem.

In præsenti non est sermo de disputatione materiali, quia non suscipitur cũ hæreticis, sed inter fideles ipsos instituitur, conceduntque omnes illam, quamuis sit de rebus per fidem certis, ex se loquendo licitam esse, ratio est, præter omnium fidelium vsum, quia nullam ex

obiecto

obiecto suo habet malitiam, & aliquãdo ex fine, & circumstantijs honestari potest; nec non etiam vtilis, & necessaria est ad acquirendum, tam doctrinam, quàm vsum eius: quemadmodum in alijs artibus, vt militari, & similibus præuium exercitium quasi fictum, & materiale necessarium esse videmus, ad veram artem perdiscendam. Vt hoc tamen honestè fiat suæ regulæ seruandæ sunt. Primò vt disputatio ex aliqua dubitatione non procedat; qui enim sic disputat, est dubius in sua fide, & conijcit se in periculum ab ea deficiendi; atque adeo peccat, vt dicetur inferius. Secundò ne errores contra fidem, etiam gratia disputationis, defendendi proponantur, quia hoc, & omnino prohibitum est, & per se malum videtur ratione scandali, & nocumenti, quod afferre potest: idemque consulendum est de tota materia quoquomodo damnabili, & etiam improbabili, præsertim ad mores spectante. Tertiò cauendum est, ne huiusmodi disputationes fiant publicè coram vulgari, & indocta plebe, maximè in lingua vernacula; cum enim difficultates facilius intelligantur, quam solutiones, vnaque res interdum pro altera sumatur, multi inde possent decipi, & in errores labi. Quartò denique seruandus est modus, per cuius excessum sæpe in his disputationibus non minus physicè, quàm moraliter peccatur. De quo videri potest Gregorius Nazianzenus orat. 28. de moderatione in disputationibus tenenda.

Rursus cum disputationis formalis, seu veræ, duplex sit veluti modus, primus, vbi suscipitur ex dubitatione, ita vt res tanquam dubia in controuersiam adducatur, indeque per disputationem veritas eruatur; secundus autem, quando re certa & quæ pro tali habetur, disputatio instituitur, vt apud alios veritas confirmetur, & persuadeatur; priorẽ, hæreticorum proprium, fatentur omnes Doctores Catholici intrinsecè malum esse; qui enim sic disputat, aut hæresim supponit, & tunc dubium non est, quin peccet; aut de fide dubitat, & veritatem fidei pro certo non supponit, sed argumentis experiri intendit; & tunc etiam grauiter delinquit, cum enim dubius in fide sit hæreticus, non potest non esse peccatum disputatio procedens ex tali dubio, confessioni fidei contrarium; propterea que talis disputatio, per quam nimirum res certæ iam ab Ecclesia definitę in controuersiam iterum vocantur, omnino est per sacros canones vetita, vt sumitur ex Concilio Chalcedonensi act. 5. in secunda definitione fidei, & clarius ex S. Leone Papa epist. 48. alias 50. ad Martianum Augustum, vbi hæc habentur: *In eam fidem, quam Euangelicis, & Apostolicis prædicationibus declaratam per antiquos Patres nostros accepimus (nulla penitus disputatione cuiusquam retractationis admissa) omnium corda concurrant, ne per vanam, fallacemque versutiam, aut infirma videantur, aut dubia, quæ in Christo firmata sunt, & sine fine mansura.* Multa docet similia epist. 73. 75. & 78. ad Leonem Augustum; 76. ad Anastasium; nec non Gelasius epist. 2. ad Episcopos Dardaniæ. Hæc tamen nonnulli Doctores, vt Bannes, & Valentia 22. quæst. 10. intelligenda putant de eo, cui fides Catholica sufficiẽter proposita est, ita vt teneatur credere. Nam si esset aliquis cui fides nondũ sufficienter esset proposita, & solum eo fine disputaret, vt posset inuenire veritatem, non peccaret disputando.

Totum ergo difficultatis pondus reducitur ad secundum modum, scilicet, quando de re per fidem certa, & quæ pro tali habetur, disputatio suscipitur contra hæreticos, vt apud alios veritas confirmetur, vel persuadeatur, an, & quomodo sit licitus, pro cuius explicatione sequentes conclusiones pono.

I. Conclusio. Disputatio cum hæreticis pro fide tuenda, & eorum erroribus impugnandis, de se licita est, valdeque laudabilis. Hæc conclusio, in qua omnes conueniunt Doctores, colligitur primò ex Sacra Scriptura, epistola ad Titum 1. vbi ait Diuus Paulus de Episcopo,

ſcopo, *eſſe oportere amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſacra, & eos, qui contradicunt, arguere.* Et 1. Petri cap. 3. in qua etiam prælatos potiſſimum monet, vt ſint parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti eos rationem de ea, quæ in ipſis eſt, ſpe, vbi alij legunt fide, & alij vtrumque: hæc enim omnia fieri non poſſe ſine diſputatione ſatis conſtat. Item Act. 6. dicitur; *Surrexerunt autem quidem* &c. *diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere Sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.*

Secundò hoc idem Sancti Patres nedum verbo docuerunt, ſed etiam exemplo; cum plures ex illis ſæpe cum hæreticis acriter diſputauerint pro fide tuenda, & eorum erroribus impugnandis, vt paſſim Eccleſiaſticę teſtantur hiſtoriæ.

Tertiò probatur ratione, quoniam illa actio de ſe eſt licita, quæ de ſe non eſt mala, nec aliquo iure prohibita, ſed diſputatio cum hæreticis modò in concluſione intento, & explicato, nec de ſe eſt mala, nec etiam iure aliquo vetita: Ergo de ſe eſt licita. Maior cum ſit certa, probatur minor quoad primam partem, quia in illa actione non ſolum nulla eſt malitia, ob quam dici poſſit illicita, ſed potius, cum ſit quædam cōfeſſio fidei ex parte diſputantis, item de ſe ad optimos ordinetur fines, nimirum ad honorem ipſius fidei, & maiorem notitiam eius, ad hæreticorum conuerſionem, & Catholicorum confirmationem, honeſta cenſenda eſt, atque laudabilis; Altera autē pars minoris patet, quia nullū inuenitur decretū Eccleſiaſticum talem prohibitionē continens, imo ſunt aliqua, quæ certum modum ſeruandi in tali diſputatione præſcribunt, atque adeo illam eſſe licitam manifeſtè ſupponunt. Quod autem in iure ciuili habeatur L. *Nemo* cod. de Summ. Trinit. quę diſputationem hanc etiam Clericis interdicit; reſpondent aliqui legem illam eſſe ciuilem, & in materia Eccleſiaſtica, ideoque vim non habere obligandi, præſertim Clericos; quæ quidem reſponſio, licet generaliter loquēdo ſit vera, nihilominus aliqui exiſtimant non rectè applicari ad citatam legem, quę ſolum prohibet diſputationes per ſe illicitas, quibus, vt ſtatim diximus, res certæ, & ab Eccleſia definitę in dubium reuocantur cum perturbatione fidelium. Vnde potius credendum eſt legem illam fuiſſe legitimè latam a Martiano Imperatore Catholico ex cōſenſu Leonis Papæ, qui de illa re ad ipſum ſcripſerat. Quia verò præter circūſtantias generaliter requiſitas in quocumque actu honeſto; nimirum, vt opportuno tempore, loco apto, & modo, ac intentione debita fiat, aliquæ adhuc in particulari deſiderantur, vt dicta actio diſputandi cum hæreticis ritè exerceatur, ſcilicet ex parte fidelis diſputantis; ex parte hęretici cum quo certamen initur; ex parte eorum, coram quibus diſputatur, ac tandem ex parte modi, ſequentibus declarabuntur concluſionibus, vnde ſit.

Secunda concluſio. Attento iure naturæ, qui cum hæreticis diſputaturus eſt, rectam intentionem, ſeu firmitatem in doctrina fidei debet habere, nec non ſufficientem ſcientiam. Iſta concluſio, quo ad primam partem patet ex dictis, qui enim non habet bonam intentionē, ſiue qui diſputat, tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non ſupponens, ſed argumentis experiri intendens, non ſolum peccat, ſed ipſemet hæreticus cenſetur; qui autem infirmitatem in ſe timet, peccat quoque, coniijciendo ſe in periculum deficiendi à fide. Probatur altera concluſionis pars, ſcilicet neceſſarium eſſe, vt cum hæreticis concertaturus ſit ſufficienter doctus, ex citato loco epiſt. ad Titum cap. 1. vbi Diuus Paulus non tantum fidem, ſed etiam doctrinam fidei exigit in diſputante, *vt poſſit eos, qui contradicunt, arguere*; & ratio eſt per ſe manifeſta, primò quia in omni munere tenetur vnuſquiſque habere ſcientiam, vel artem neceſſa-

cessariam ad tale munus conuenienter exercendum; ergo multo magis in tam graui, tantique momenti actione, cuiusmodi est disputatio cum hæreticis pro fide tuenda, & eorum erroribus confutandis. Secundò quia alias, & se, & honorem fidei, & proximorum salutem periculo exponit: vnde etiam facilè ex hæc parte mortaliter peccare poterit, si disputatio grauis est, qui ad illam ineundam sufficientem non habet doctrinam.

Quanta autem, & qualis debeat esse hæc doctrina, lex generalis assignari non potest, sed considerandę sunt circumstantiæ; nam si de rebus Theologicis agatur, disputantem Sacræ Theologiæ potius, quam Canonum scientia præditum esse oportet; insuper ad disputandum cum hæretico indocto, vel vulgari, minor doctrina in Catholico sufficit: item minor in re clara, & aperti iuris, quam in difficili, & ambigua: sique fiat disputatio tantum per modum concionis, seu simplicis persuasionis; etsi enim in debito, & proportionato gradu necessaria etiam tunc sit doctrina, haud tamen requiritur tanta, ac quando disputatio est propria, & cum concertatione inter duos, vel plures; dici etiam posset tantam non requiri scientiam ad priuatam, ac ad publicam, & solemnem coram populo disputationem.

Quod interdum contigerit viros Sanctos magis, quam doctos, non tam humanę sapientiæ verbis, quam virtute spiritus, magno fructu cum hæreticis dimicasse, simplicemque illorum fidem plus valuisse ad vincendos hæreticos, quam multam aliorum doctrinam; vt nonnulla in historia Ecclesiastica habētur exempla, apud Athanasium, & Hieronymum in vita Antonij, Ruffinum lib. 1. cap. 3. Socratem lib. 1. cap. 5. Sozomenum lib. 1. cap. 17. & Nicephorū lib. 8. cap. 15. nihil nostræ officit conclusioni; cum ea quasi miraculosa fuerint, et ex speciali instinctu Spiritus Sancti, proindeque imitanda non sint, sed ordinaria lex, & regula posita est seruanda, qua ad disputationem cum hæreticis, diximus necessariam esse ex natura rei, attentoque ordinario illius cursu sufficientem in disputante doctrinam.

Tertia Conclusio. Ex iure positiuo requiritur insuper, vt persona pro fide disputans sit Clericus. Nam in cap. *Quicunque.* §. *inhibemus quoque* de hæreticis in 6. laicis sub excommunicatione ferendæ, non latæ sententiæ, de fide prohibetur disputare; & quamuis Glossa ibi, licet dubitanter, per *laicos* intelligat *indoctos*, vel *illiteratos*; nihilominus talis interpretatio est omnino improbabilis. Primò quia est contra proprietatem verbi. Secundò quia distinctio quę versatur inter Clericos, & laicos, nō fit ratione doctrinæ, sed ratione ordinis, seu status iuxta cap. *Duo sunt* 12. quæst. 1. Ratio autem huius prohibitionis tam priuatæ, quàm publicæ, significatur in dicto Canone his verbis; *Sed oportet ordini à Domino dato cedere, iuxta illud Pauli ad Ephes. 4. quosdam dedit Pastores, & Doctores*; iuxta quæ cum munus disputandi, & docendi ex officio pertineat ad statum Clericalem, merito illi reseruatur. Nec refert quod aliquando nonnulli sunt laici doctissimi; leges enim attendunt, & respiciunt ad id, quod frequentius, & vt plurimum accidit; quia igitur Clerici vt plurimum solent esse magis instructi, & periti in doctrina sacra; laici verò è contrario, regulariter non sunt docti; ideo omnibus laicis in communi merito prohibita est disputatio formalis de fide; nec in prefato Canone per laicos intelligi possunt indocti tantum, siue sint laici, siue sint Clerici; aut per Clericos, docti, siue sint pariter laici, vel Clerici. Et certè cum eadem ratio, imo maior sit in hac disputatione, quam in simplici prædicatione, si sacri Canones istam prohibent omnibus laicis, vt habetur cap. *Cum ex iniuncto.* cap. *Sicut in vno* de hęreticis in 6. in Concil. Carthag. 4. cap. 98. in epist. 62. Leonis Papæ cap. vlt. primam quoque illis prohibuisse fatendum est, vsusque ipse comprobat.

Sed

Sed iterum est difficultas, qui sint in hac prohibitione intelligendi, *laicorum*, & *Clericorum* nomine; aliqui enim ex hoc, quod in ampla significatione hæc vox *Clerici*, solet accipi pro religiosis, quamuis nullum ordinem habeant, in hoc quoque textu ad illos fauorabiliter eam esse ampliandam docent; quam sententiam satis probabilem existimat Suares tract. de fide disp. 20. sect. verum in hac re quicquid sit de alijs, distinctione vtendum puto, & sub nomine clericorum comprehendi illos duntaxat religiosos, qui litteris vacant, sacrosque ordines participant; sub laicis verò, qui in suis ordinibus laici sunt, in illis enim ratio legis ordinariè locum habet, quia non sunt docti, nec sufficientes ad disputādum: ideoque Leo Papa epist. superius citata ait: *Præter eos, qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi ius docendi, & prædicandi audeat vendicare, siue sit Monachus, siue laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur*: ibi enim Summus Pōtifex nomine *Monachi* eos potissimum significare voluit, qui iuxta morem sui temporis, licet religiosi essent, regulariter tamen non ordinabantur, nec litteris operam dabant: si aliquis tamen reperiretur inter illos cum sufficienti doctrina, Suares loco citato asserit, quod sine peccato cum hæreticis disputare posset, presertim à suo Prælato iussus, tum, inquit, propter opinionem probabilem docentem, sub nomine *Clerici* intelligi debere quoscumq; religiosos, etiam nullum ordinem habētes, tùm quia, si sub laicis comprehēdantur, idem de his religiosis ferendū est iudicium, ac de ipsis laicis, qui vt mox dicetur, id interdum facere possunt.

Inquiri igitur potest circa præfatam prohibitionem, an illa non obstante, possit laicus si in diuinis litteris sufficiēter sit edoctus, sine peccato cum hæreticis disputare. Aliqui partem affirmatiuam tenent, quia tunc cessat finis legis, verum hanc rationem non valere communiter asserunt Doctores, quia cessante fine legis solùm in particulari, & negatiuè non cessat obligatio legis; sed in hoc, de quo agimus casu, dicto duntaxat modo cessat finis legis, ergo ni aliquid aliud addatur, aut si adhuc maneat in suo robore præfata lex, non cessat eius obligatio, nec per se loquendo licet laico, quantumuis doctissimo, de fide disputare. Quamobrē, in tantum in Germania, alijsque similibus locis vbi grassantur hæreses, possunt sine peccato laici docti cum hæreticis de fide disputare, in quantum lex in contrarium adducta iam censetur per consuetudinem abrogata, nam cōsuetudo potest ius humanum abrogare, vt docent Valentia, Iannerus, & alij 22. quæst. 10. Vbi autem adhuc viget, id etiam laico sufficienter instructo liceret, aut quando propria authoritate tale munus non vsurparet, sed iussus, vel rogatus à Clericis, ad quos illud pertinet, eo fungeretur, ita enim Leo Papa verbis superius relatis significasse videtur: aut quando necessitas vrgeret; nam tunc habet locum, quod ex Chrisostomo homil. 25. in Math. refertur in cap. *Nolite timere*. 15. q. 3. scilicet obligari laicum aliquando ad docendam, & defendendam liberè veritatem, quam à Deo audiuit, vt si E.g. esset aliquis hæreticus, qui peruerteret fideles, & nullus Ecclesiasticus, vel religiosus adesset, qui posset illi resistere. Imo hoc multi extendunt ad casum magnæ vtilitatis, quia hæc est quædam moralis necessitas, & benigna legis interpretatio, quę fundari potest in alio principio, quod nimirum *cessante fine, aut ratione legis contrariè, etiam in particulari, cessat tunc obligatio legis*; in tali igitur casu magnæ vtilitatis, disputationis laici cum hæretico, iudicandum esset inhibitionem illi factam contrariè cessare, quia tunc obseruare illam, esset contra bonum fidei, & contra salutem proximorum.

Porro quale sit peccatum in laico, disputare de fide cū hæreticis, & qualis eius

eius censura. Quo ad primum respondent vnanimiter Doctores peccatum esse ex suo genere mortale, colliguntq; ex ipsa lege prohibente hanc actionẽ sub pœna excommunicationis, quæ nõ fertur, nisi pro culpa mortali. Ratio verò est, quia materia est grauis, spectans ad bonum fidei, & religionis, & quodammodo ad iustitiam, quatenus prohibet laicis vsurpare ius, ac potestatem Clericorum, proindeque tollit dissensionum occasiones, & perturbationum in Ecclesia; igitur, cum grauitas culpæ ex genere suo pensanda sit ex materia, dicendum est hanc disputandi cum hæreticis esse ex genere suo grauem, seu mortalem, quæ habet materiam grauem. Hinc sequitur tam laicũ, quam Clericum indoctum peccare disputando de fide cum hęreticis, sed laicum contra legem naturalem, & Ecclesiasticam: Clericum verò contra alterã tantum; sicut etiam dici posset laicum non peccare contra ius naturale pertinens ad virtutem fidei, qui haberet doctrinam sufficientem pro illa tuenda, & hæreticorum erroribus impugnandis. Deinde laicus, siue sit doctus, siue indoctus excommunicatur, non autem Clericus. Hanc tamen excommunicationem non esse latæ sententiæ, sed ferendæ; vel quod idem est, non incurri ipso facto, sed esse comminatoriam, vnanimiter etiam docent authores, colliguntque ex ipso loquendi modo, quo Summus Pontifex Alexãder vsus est: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laica personæ liceat publicè vel priuatim de fide Catholica disputare. Qui verò contrafecerit excommunicationis laqueo innodetur*. Non enim dixit *innodatur*, sed in imperatiuo *innodetur*, quod vi sua nihil de præsenti, seu statim operari in hac materia, sed per hominem fieri iuberi asserunt doctores, & ibi Glossa: dixi in hac materia, quia in multis aliis verbum in imperatiuo habet etiam vim præsentis.

Quarta conclusio. Habita ratione personæ cum qua disputatur, Catholici peccant disputando de fide cum hæreticis pertinacibus, præsertim si aliũdè non appareat vlla vtilitas. Ista etiã conclusio est cõmunis inter doctores, videturque illam docere Diuus Paulus epist. ad Titum c.3. dum ait: *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*. Et in hoc etiam sensu plures loquuntur Patres, quando prohibent disputationes cum hæreticis, *Non disputationem*, inquit Augustinus lib.15. contra Faustũ c.12. *amant hæretici, sed quoquomodo superare impudentissima pertinacia, vt congregẽt, quæ non pepererunt*. Chrisostomus seu author oper. imperfecti super Mat. homil.12. vbi argumento sumpto ex pertinacia Pharisæorum ait: *Audi homo fidelis, qui contra hæreticum libenter contendis, si Pharisæi victi non sunt, tu certando contra hereticum poteris eum placare cum viceris*; & Bernardus serm.66. in Cantica de iisdem hæreticis dicit: *Nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt, nec authoritate corriguntur, quia non recipiunt, nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt*. Ex quibus habetur ratio ad probandam nostrã conclusionem, illicita enim est actio, ex qua nullus speratur fructus, sed quando hæretici sunt pertinaces, & obdurati, nulla est spes fructus ex disputatione cum ipsis, siquidem nec facilè conuertuntur, nec tam pugnant firmitate argumentorum, quam contentione vocis, & acerbitate verborum, ex qua potius pacis perturbatio, quam vnio, & concordia sequi potest: illicitum est igitur, siue peccatum disputare cum hæreticis pertinacibus, nõ quidem mortale, sed veniale tanquam actus otiosus, per se loquendo, nam per accidens, seu ratione nocumenti poterit esse peccatum graue, & communiter saltem hoc nocumẽtum timeri potest, quod hæreticus disputans, & fit obduratior ipsa contradictione, & pręterea in ipsa disputatione multa, quæ alias

alias non faceret, peccata committit, quibus proindè occasio cum disputatione dari non deberet, præsertim si aliundè nulla appareret vtilitas. Quod dico, quia vbi aliquis fructus saltem in aliis audientibus speraretur, siue ille esset, quod aliqui hæretici conuerterẽtur; siue quod fierent minus audaces, vel timidiores; siue quod inde Catholici magis in fide confirmarentur, tunc quodcumque horum, vel simile sufficeret, vt disputatio otiosa non esset, sed honestissima, & laudabilis.

Quinta conclusio. Vt disputatio de fide cum hæreticis sit licita, ratio quoque habenda est audientium. In hac conclusione, quæ, vt patet ex terminis, procedit de publica disputatione vt distinguitur ab omnino occulta, atque adeo tali, etiamsi vel vnus tantum illi interesset, sicut & in præcedentibus conueniunt vnanimiter Theologi sequentes Diuũ Thomam 22. q. 10. art. 7. Cum autem hæc disputatio dupliciter fieri possit, vel coram doctis, vel coram indoctis, & simplicibus, si coram primis fiat, certum est eam esse licitam, attenta personarum audientium circũstantia, in illis siquidem tunc moraliter nullum est peruersionis periculum, nulla errandi occasio, sique fortè ipsi illam sumant, eis, non verò disputanti imputari debebit. Docti autem hoc loco intelligendi sunt, non solum perfectè litterati, sed omnes qui capaces sũt illius de qua disputatur doctrinæ, & illi aliquo modo studuerunt; hoc enim sufficere videtur, vt ex auditione disputationis periculum illis non creetur. Si autem illa fiat coram simplicibus, & indoctis, rursus cum D. Thoma loc. cit. distinguendum est, nam vel illi in sua fide quieti sunt, & ab hæreticis non sollicitantur, & tunc nullo modo licet coram eis de fide agere cum hæretico, præsertim in eo quod intelligunt idiomatè, quia sine causa coniiciuntur in periculum errandi; simplices namq; vt facilius percipiunt plausibilia hæreticorum argumenta, quam ipsamet fidei, quæ ab illis oppugnantur mysteria, eorumque rationes, inde quoque facile in errorem induci possunt, vel saltem concipere rem illam esse dubitabilem, ac merito controuersam; Aliqui tamẽ cum Caietano excipiunt casum, quãdo Catholicus, qui disputat cum hæreticis, est vir non solum doctus, sed etiam clarus, & perspicuus, qui possit se accomodare ad captum singulorum, & ita res suas explicare, vt omnes quantumuis rudes, & indocti, facilè eas percipiant, tunc enim licitè coram ipsis disputari posse docent.

At si fideles simplices ab hæreticis sollicitantur ad defectionem, & periculum est ne succumbant, aut vacillẽt, tunc non modo licitum est coram talibus de fide disputare, sed etiam hoc præstare debent illi, qui vtiliter possũt; quia tunc taciturnitas, vel timor disputationis magis posset nocere, errantes in errore confirmando, dubitare incipientes magis infirmando, & hæreticos ipsos audaciores reddendo: atq; huius quidem officii extat exemplum Eliæ 3. Reg. 18. redarguentis coram populo Prophetas Baal; Sancti Stephani *act. 6. & 7.* nec non Diui Pauli *ibid. c. 9. corã* Iudæis disputantium. En quæ habenda est audientium ratio, vt licita sit ex hoc capite disputatio de fide cum hæreticis habenda.

Sexta Conclusio. Ex parte modi disputandi plura etiam requiruntur, vt disputatio de fide cũ hæreticis sit fructuosa, ac subindè licita. Primò enim hæretici cum nõ eodem modo omnes affecti, ac dispositi sint, sed 1. aliqui in suo errore sunt pertinaces. 2. Alii zelosi. 3. Alii frigidi. 4. Alii dubii, ac fluctuantes; non eodem quoque modo cũ illis omnibus agendum esse rectè docet Martinus Becanus præludio 1. Manualis cõtrouersiarum. Nam cum pertinacibus, vbi admittendi sunt ad disputationem de fide, ac religione propter vtilitatem aliorum, tria seruari debent. Primò coercendi sunt intra limites certæ materiæ, ne ex vna in aliam dila-


dilabantur. Secundò restringendi ad formam syllogisticam, vt vis argumēti appareat. Tertiò palam confundendi, & increpandi sunt; Sicut Sadducei, Scribæ, & Pharisæi leguntur fuisse à Christo Domino confusi, & increpati Math.22.& 23. debet tamen esse confusio rationabilis, quæ non fiat per cōuicia, & maledicta, sed per iustam reprehensionem, aut apertam victoriā. Cum zelosis, qui non ex superbia, & obstinatione, sed ex quadam ignorantia falso persuasi sunt, contrario modo id est modestè, ac beneuolè agendum est. Cum frigidis, qui neque ex superbia, neque ex ignorantia manent in suo errore, sed propter suas prætensiones politicas à quibus ægrè abstrahuntur, serio, ac seuerę agendum est, tum ostēdendo prætensiones, & excusationes ipsorum esse frigidas; tum inculcando, vt saluti suæ consulant: neque propter humanos respectus, fauores, & sæcularia negotia, patiantur se ab æterna, & cœlesti gloria exludi. Cum dubiis denique, qui simplici, ac recto corde quęrunt veritatem; et quia per se, seu suopta ingenio, ac industria non possūt eam inuenire, petunt ab aliis se doctioribus iuuari, ac instrui, fraternè, & ad cuiusque captum tractandum est; & aliter docti, & ingeniosi, aliter rudes, & idiotæ instruendi sunt: tantùm ex pręfato authore de modo disputandi cum hæreticis accommodate ad diuersas eorum conditiones, vbi multę tam morales, quam doctrinales continentur regulæ.

At loquendo de regulis moralibus disputandi cum hæreticis in generali, de quibus in præsenti agimus; Prima est, vt sententiis potius, & rebus, quam verbis agatur, vt ait D. Thomas 2.2. q.10. art.7. ad 1. ita exponens verba Diui Pauli 2. ad Timot. c.2. v. 14. *Noli contendere verbis*; quæ tamen moderatio non excludit ex eodem D. Thoma q.38. de contentione, vbi opus est, *debitum acrimoniæ modum*. Secunda, maximè cauendum est à verbis cōtumeliosis, & iniuriosis, non solùm quia hoc per se malum est, & indecens homini Catholico, tam graue munus exercēti, verum etiam impedire potest fructū disputationis, vt præclarè docuit S. Chrisostomus homil.6. in 2. ad Timotheum, quia vt verbum fructificet, necesse est, vt alter gratè audiat, *gratè autem affici eum, qui iniuriis afficitur, vix contingere potest*, inquit Chrisostomus: Tertiò, cum incredibilis sit hæreticorum in disputando tergiuersatio, asyllogia, & audacia, opus est insigni patientia, simul & constantia ei, qui cum ipsis disputare debet; nā alioqui, vt loquitur Tertullianus de Præscript. facilè *simul & cerebri, & stomachi subuersio ineatur*. Quartò ita agendū est; vt non contra personam, sed contra errorem; nec ad confundendum disputatorem, sed ad veritatem illi ostendēdam agatur, seu non tam cupiditate victoriæ, quàm amore veritatis disputetur, vt rectè dixit Hieronymus lib. 1. contra Pelagium circa medium; *non de aduersario victoriam, sed contra mendacium quærimus veritatem*. Quintò Gregorius Nazianzenus orat.26. monet ea moderatione procedendum esse, *vt nec nimia tarditate, nec nimio feruore agatur, ex vtroque*, inquit, *extremo sumendo quod vtile est, ex priori mansuetudinē, & ex secundo zelum*. Sexto, non in proprio ingenio, sed in auxilio diuino, & ipsius causę bonitate fiducia collocanda est, reuocato ad memoriam illo, quod *nemo corrigere potest, quem Deus despexerit*.

Ex dictis tria colliguntur, primum est, disputationem de fide cum hæreticis licitam esse, vt prima conclusione ostendimus, secundum, eam aliquando posse sub obligationem cadere, quia interdum potest talis actio esse necessaria ad bonum fidei, & proximorum salutem, tunc ergo erit debita, vel ex iustitia respectu Pastorum Ecclesię, vel ex charitate respectu eorum, qui sufficientes ad talē actionem vires habuerint; nā vt ait Diuus Ambrosius lib. 1.

officior. cap. 3. *Si pro otioso verbo ratio petitur, videndum ne pro otioso silentio etiam reddatur*; Nec non S. Leo epist. 93. c. 15. *Qui alium ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.* Et Diuus Gregorius 2. par. Pastor. cap. 4. *Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit.* Tertium est sæpe etiam posse in hac disputatione peccari, quia malum ex quocumq; defectu, igitur cum ex dictis tot ad eam, vt sit licita, requirantur cōditiones vna ex illis deficiente, sufficit vt reddatur peccaminosa, & illicita. Quocirca in hac re magna opus est prudentia, nec cum hæreticis disputandum promiscue, nisi aliqua inde vtilitas consequutura speretur; vt nimirum vel ipsi, cum quibus disputatur, vel alij, qui disputationem audiunt, conuertantur ad fidē, vel in illa confirmentur; ita vt proindè minimum venialiter peccet, qui absque omni spe piæ vtilitatis cum hereticis de fide contendit; mortaliter autem si periculum grauis nocumenti proximi intercedat.

Quæ dicta sunt huc vsque, licet potissimum spectent ad publicam disputationem, ex illis nihilominus facilè monita quædam deduci possunt, obseruanda ab ijs, qui in priuatis congressibus, conuersioni eorum, qui ab hereticis seducti sunt, operam nauare debent; de quibus etiam quia prolixe agit Possèuinus lib. 7. Bibliothecæ Selectæ, nec non noster Thomas à Iesu lib. 8. de conuersione omnium gentium, hoc breuiter adnotasse sufficiat.



SECTIO

SECTIO DECIMA.

Præcipuæ refelluntur hæreses in partibus Orientis primum ortæ, & in illis adhuc vigentes, iuxta ordinem à Diuo Thoma in Summa obseruatum.

CAPVT PRIMVM.

Statuitur aduersus Armenos, & alios, in beata, & immortali vita Deum non solum ab intellectu creato, nempè ab Angelis, & hominibus videri posse, sed etiam reipsa conspici prout est in se immediatè quo ad suam diuinam substantiam.



VOD vera Christi Ecclesia credit, suaque authoritate credendum fidelibus proponit, tanquam diuinitus reuelatum, pro tali habendum est, ob singulare quo cælitus donata est, infallibilitatis priuilegium in rebus ad fidem spectantibus: Sed vera Christi Ecclesia, qualem solam esse Romano-Catholicam ostendunt omnes, quibus ornata est, propriæ veræ Christi Ecclesiæ notæ, credit, fidelibusque credendū proponit, Deum in æterna beatitudine, sic videndi suam copiam facere, vt eius intimam naturam, & substantiam Angeli, & homines clarè cognoscant, tanquā quid diuinitus reuelatum, id igitur pro tali firmiter tenendum est; habendique pro hæreticis omnes illi, qui oppositū docent. Tales sunt Armeni teste Richardo Radulpho Archiepiscopo Armacano in lib. 14. de quæst. Armen. c. 1. quibus tamen huiusmodi erroris, vt & cæterorum ferè nonnullos Græcos authores fuisse dubium non est; cuius apud eos vindex, & propugnator acerrimus fuit Gregorius Palamas, qui inter alia falsa dogmata, lucem quamdam esse dixit increatam, & oculis aspectabilem, velut manantem ex Deo fulgorem: qualem in Thabore monte viderunt Apostoli; cuius aspectu fruerentur in cælo beati: in eoque spectaculo velut summa felicitatis, acquiescerent: quod natura ipsa Dei, qualis in se est, à nemine intuitiuè conspici posset. Huius autem erroris originem sic se habuisse refert Demetrius Cydonius libro contra Palamam. Hesychastę quidam Monachi dęmonis, vt apparet, illusi præstigijs, mysticum nescio quid vsurpabant: affirmātes se ad certum corporis habitum conformatos mirifica quędam cernere. Cum enim ad pectus, vel vmbilicum caput ac mentum appressissent, & oculos contorsissent, suppresso spiritu mirabilem se lucem intueri, & inexhausta voluptate affici. Istius ergo stolidi, absurdique commenti post Simeonem monasterij cuius-

cuiusdam præfectum, magni inter suos nominis, ac nouum propterea dictum Theologum, insignis patronus Gregorius, quem dixi Palamas extitit, primũ Monachus in monte Sancto, deinde Thessalonicensis Episcopus; qui vixit circa annum Domini 1328. & sequentibus; quibus, auctore Nicephoro Gregora lib. 11. & Ioanne Cantecuzeno Imperatore, Barlaamus Monachus ex Calabria oriundus Constantinopolim venit, vt Palamam, eiusque dogmatis fautores refelleret; quos Euchitas, & Omfalopsuchos, & Massalianos vocabat, quod orationis, & contemplationis genus vsurparent inusitatum, & absonum: quo nomine infames erant Massaliani, de quibus Epiphanius: Omfalopsucos verò nominabat; quod ad vmbilicum, vt retulimus supra ex Demetrio, appresso capite, diuinam quandam, & increatã lucem videre se, ardoremque Sancti Spiritus concipere, ac per nares efflare dicerent. At præfatum errorem tam his, quàm Almarico, Arnoldo Brixiensi, Petro Abailardo, quibus illum tribuunt Alphonsus de Castro verbo *Beatitudo* heresi 1. & Gabriel Vasques 1. p. q. 37. cap. 2. multo antiquiorem esse, iamque temporibus Diui Gregorij viguisse patet ex hoc quod in illũ inuehitur lib. 18 Moral. cap. 28.

Nonnullos etiam Sãctos Patres huic errori fauisse, imo in illo apertè fuisse contendunt aliqui Theologi, vt Vasques 1. p. quæst. 37. cap. 2. & Fernandius lib. de visionibus Veter. Testam. visione 7. sect. 1. sed merito ab alijs reprehenduntur, reuerentia enim, quæ Sanctis Ecclesiæ proceribus debetur maxima, cogit existimare, tot tamque illustres, quos citant, Patres in re alioqui certissima, non errasse, sed aliquid verissimum asserere voluisse, vt explicabimus infra.

Igitur cum maior, & minor propositio huius nostri argumenti, secundum quod in eo habetur ratio, vel modus vniuersalis probandi quascumque fidei veritates aduersus hæreticos, sufficienter pateant ex dictis sectione superiori, nunc, quod attinet ad modum particularem agendi cum illis, explicandum est, vndè proposita veritas pro reuelata habeatur ab Ecclesia. Et quia diuinam reuelationem adęquatè contineri verbo Dei tùm scripto, tùm tradito aliàs ostendimus tom. 2. primum proferemus loca Scripturæ, deindè traditionem ipsã in dictæ veritatis probationem.

Exodi 33. v. 11. cum prius dictum fuisset: *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*; eidem postea Moysi petenti; *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te*, respondente Domino, *Non poteris uidere faciem meam, non enim uidebit me homo, & uiuet*; satis significari videtur Deum pro vt est in se, siue facie ad faciem videri posse, dũ id Moysi postulanti Deus non pręcisè negauit, neque id absolutè fieri non posse respõdit: immo post hanc vitam obtinendum de facto esse docuit, dum de huius tempore duntaxat excepit: *non enim*, inquit, *uidebit me homo et uiuet*.

Psalmo 33. v. 11. vbi dicitur: *Quoniam apud te est fons uitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: insinuatur quoque in beata, & immortali vita facialis diuinæ essentiæ visio; ita enim dicitur lucem habitare inaccessibilem oculis corporeis absolutè, ipsique intelligentię creatæ, attẽtis naturalibus duntaxat eius viribus, vt tamen accedente, quo perfundatur, & illustretur, lumine gloriæ supernaturali, in eo diuinitus collato videant beati lumen ipsum diuinæ essentiæ, siue in lumine lumen. Cui non obstat, quod lumen illo in loco Christũ ipsum interpretentur Augustinus, & alij; vna siquidem interpretatio non excludit, sed potius confirmat aliam; quatenus sicut in præsenti vita, vbi tantum per speculum, & in ęnigmate Deum cognoscimus, eum tamen non cognoscimus, vt est author supernaturalis, nisi Christo nos per fidem illuminante, ita nec in altera redditur beatis intuitiuè, & clarè

clarè visibilis, nisi mentis acies per se imbecilla, nec ad Deum intuendum satis virium habens prius perficiatur, vel ab insita potius caligine, ac tenebris ad cælestem quandam lucem, splendoremque supernaturaliter transferatur. Quocirca idem Augustinus, vel alius author soliloquiorum cap. 36. de eadem luce, quæ in beatæ immortalitatis statu videtur, & est Deus, & per quam videtur Deus, & sine qua non videtur, loquens præclara hæc habet verba: *Videbimus*, inquit, *in lumine tuo lumen tuum. Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. Quale autem lumen? lumen immensum, lumen incorporeum, incorruptibile, incomprehensibile, lumen indeficiens, lumen inextinguibile, lumen inaccessibile, lumen increatum, lumen veridicum, lumen diuinum, quod illuminat oculos Angelorum, quod lætificat iuuentutem Sanctorum, quod est lumen luminum, & fons vitæ: quod es tu Domine Deus meus. Tu es quippè lumen, in cuius lumine videbimus lumen: te scilicet in te, in splendore vultus tui, quando te videbimus facie ad faciem. Quid est videre facie ad faciem, nisi quod ait Apostolus, cognoscere sicut & cognitus sum? cognoscere veritatem tuam, & gloriam tuã, hoc est cognoscere faciem tuam. Cognoscere Patris potentiam, Filij sapientiam, Spiritus Sancti clementiam, ipsius Summæ Trinitatis vnam, & indiuiduam essentiã.* Eodem sensu locuti sunt Irenæus lib. 4. cap. 37. & Epiphanius hæresi 70. inferius citandi.

Ex noui testamenti locis præclarissimum est illud Matthæi 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deũ videbunt:* & aliud cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Vt enim Angelos videre Deum indè constat: sic de hominibus beatis idẽ est consequens tum paritate rationis, tum ex eo quod eiusdem Matth. 22. dicitur: *quod erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Videbunt igitur & ipsi faciem Dei.

Quod disertis verbis confirmat Apostolus 1. Corinth. 13. dum ait nos Deũ nunc *videre per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem;* vbi, vt ait Augustinus lib. 22. de Ciuit. cap. 29. *Facies Dei manifestatio eius intelligenda est, non aliquod membrum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus:* talem autem manifestationem, claram, & intuitiuam fore, seu videre faciem Dei, esse visionem eius sicuti est, vt idem asserit Augustinus epist. 112. c. 8. demonstrant verba illa quæ subsequuntur loco citato prioris ad Corinthios; *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum:* illa enim de perfecta cognitione, & manifesta dici perspicuum est, cum ei sit opposita, quæ est adumbrata, & per ænigma, alienamque speciem obijcitur.

Cui etiam mirificè consonat, imo rem totam euidentissimè declarat illud 1. Ioannis cap. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est:* Nam quomodocumque videbitur à nobis, & cognoscetur Deus in æterna beatitudine, nisi clarè, & manifestè illum intuebimur, hoc est eius naturam, & essentiam immediatè; non eum videbimus *sicuti est*. Non enim est nisi in essentia, & per essentiã suam, quæ proindè si non videtur, sed aliquid tantùm ab ea dimanans, aliter atque est videtur Deus.

Hæc sunt præcipua pro veritate Catholica sacræ Scripturæ loca, seu testimonia, quæ propriè accipienda esse, & non ad metaphoram detorquenda, cum nullum indè sequatur absurdum, vt dicetur in solutione argumentorum, diuina insuper traditione constat, cuius irrefragabiles sunt testes vniuscuiusque sæculi Patres tum Græci, tùm Latini: priorum dicta primùm audiamus.

Sanctus Ignatius in epist. ad Romanos, significans ideo se ex corpore migrare optasse, vt Deum videre posset, vtitur his verbis, *Sinite me puram lucem aspicere*, id est Deum ipsum, vel in se ipso, qui solus pura lux appellari potest; ideoque ibidem ait: *Miserabilis sum nunc, donec Deum merear adipisci*; quod dice-

dicere non potuisset, si per puram lucẽ intellexisset aliquam lucem extra Deũ, productam à Deo, non autem ipsummet Deum sibi adipiscendum, qui cum sit lux per essentiam, meritò solus pura lux, vt & purus actus vocari debet.

Irenæus lib. 4. cap. 37. *Quoniam viuere sine vita impossibile est: subsistentia vitæ autem de Dei participatione euenit: participatio autem Dei est, videre Deum, & frui benignitate eius. Homines igitur videbunt Deum, & viuent per visionem, immortales facti, & pertingentes ad Deum.* Vbi de clara & intuitiua Dei cognitione loqui Irenæum, ex ijs quæ toto illo capite disserit, constare videtur. Nam paulò ante, nec non post citata verba docet in hac quidem vita antiquos Prophetas, quos Deum vidisse Scriptura testatur, non ipsam Dei substantiam aspexisse, verum in altera diligentibus se diuina visibilem virtute reddendum fore: *Secundum magnitudinem quidem eius*, inquit, *& mirabilem gloriam, nemo videbit Deum, & viuet. Incapabilis enim pater, secundum autem dilectionem, & humanitatem, & quod omnia possit, etiam hoc concedit his, qui se diligunt, id est videre Deum, quod & prophetabant Prophetæ. Quoniam quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum. Homo etenim à se non videt Deum. Ille autem volens videtur ab hominibus, à quibus vult, & quando vult, & quemadmodum vult. Potens est enim in omnibus Deus.*

Et lib. 5. cap. 7. *Facies*, inquit, *nostra videbit faciem Dei viui, & gaudebit gaudio inenarrabili, videlicet cum suum videat gaudium.*

Clemens Alexandrinus lib. 5. strom. cum Platonis sententia ex Epinomide, qua paucos homines felicitatis compotes ait fieri, conferens illud Exod. 33. *Nemo videbit faciem meam, & viuet*, habet hæc verba: *Perspicuum est enim, nullum vnquam vitę suæ tempore posse Deũ perspicuè comprehendere*; id est percipere vel attingere, sumpto verbo comprehendere larga quadam significatione nam si in stricta accipiatur, neque in hac, neque in altera vita vlli creaturæ competere potest Dei cõprehensio: postea subdit: *Qui autem sunt mundi corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint*; id est in futura vita claram, & perspicuam Dei perceptionem obtinebunt; eam enim ibi concedit futuram Dei comprehensionem, vel cognitionem, quã in præsenti mortalitatis statu negat haberi.

Origenes lib. 7. contra Celsum columna circiter 15. illum mendacij reprehendens, quod diceret Christianos sperare Deum visuros oculis corporeis, & auribus vocem eius audituros, &c. ait: *Ad cognitionem Dei nullo habemus opus corpore, nam id quod Deum noscit non est oculus corporis, sed mens videns, facta ad conditoris imaginem, & facultatem videndi Deum nacta per diuinã prouidentiam: & id quod videt Deum, est cor mundum, &c. quapropter dicitur Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Deindè vna pagina inferius; *Itaque cum dicamus Dominum Deum nostrũ esse mentem, aut quiddã etiam mente, omniq; substantia præstantius, simplicẽ, inuisibilẽ, incorporeum, non ab alio comprehensibilem fatemur, quam à mente facta ad ipsius imaginem: nunc quidem, vt verbis Paulinis vtamur, per speculum, & ænigma, tunc autem facie ad faciem.* Quę sanè Origenis verba clarè sonant intuitiuam Dei cognitionem.

Basilius Magnus orat. 20. de principatu, & potentia: *Facie*, inquit, *ad faciem, & perfecta cognitio incomprehensibilis maiestatis Dei in futuro sęculo dignis exhibenda promissa est; nunc verò siue Paulus quis sit, siue Petrus cernet ea verè quæ videt, nec errat, neque imaginatur; per speculum tamen, & veluti in ænigmate cernit: & id, quod nunc ex parte assequitur, grato animo suscipit: perfectam autem cognitionem in futurũ magno cum gaudio expectat.*

Gregorius Nazianzenus orat. 11. quę est in laudem Gorgoniæ sororis: *Equidem non dubito, quin ijs, quę oculis cernuntur, multo pręstantiora sint ea, quibus nunc*

nunc frueris, nempè sonus epulantium, Angelorum chorea, cælestis ordo, gloriæ contemplatio, supremę Trinitatis purior, & perfectior illuminatio, non iam vinctam mentem, ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam sese toti menti contemplandam, & tenendam prabentis. Quod absque immediata Dei cognitione fieri nō posse satis patet ex ipsis terminis. Idem docet Orat. in laudem Basilij, in fine.

Gregorius Nyssenus orat. 6. de Beatitudinibus, nec non oratione funebri in Magnum Meletium: *In adytis, ac penetralibus Sacerdos est, in interioribus veli, quo præcursor pro nobis ingressus est, Christus, reliquit carnis tegumentum; non amplius signo, & umbra cælestium seruit: sed in ipsam rerum imaginem intuetur: nō amplius per speculum, atque per transennam, & ænigma: sed ipse facie cum facie collata intercedit apud Deum*.

Epiphanius hæresi 70. Deum quidē ait *inuisibilem, & incomprehensibilem esse. Sed eundem rursus posse quicquid velit facerè. Non enim quemquam voluntati eius obsistere. Natura igitur inuisibilis est, & eius comprehendi non potest gloria. Verùm cum producto à se homini apparere voluerit, nihil eius voluntati refragatur*, &c. Postea, *Deum quidem videre, maximè humanę naturæ impossibile est: neque quod visibile est id intueri potest quod est inuisibile. Sed inuisibilis Deus per philantropiam, & potentiam suam, id quod imbecillum est corroborans, id ei dignatur concedere, vt quod est inuisibile videat. Porrò cum inuisibile illud, & infinitum aspicit, non, vt in se est, infinitum illud videt: sed quantum eius, quod imbecillum est, natura capere potest, ita corroborata, vt ad potentis illius notitiam pertingere possit*. Quibus profectò verbis visionis Dei intuitiuæ natura clarius explicari non poterat, quam fides Catholica cuicumq; creaturæ intellectuali, secundum proprias vires spectatę impossibilem tantum esse docet, secus autem attenta diuina potentia eam corroborante: qua tamen adhuc fieri non potest, vt Deum, vt in se est infinitus, cognoscat, sic enim eum comprehenderet, sed finito dumtaxat modo iuxta mensuram virtutis acceptæ illum cognoscit, & intuetur. Quamobrem licet Epiphanius ibi de claro Dei intuitu sermonem habere non videatur, sed potius loqui de illa Dei visione, quæ Prophetis, & Patriarchis concessa legitur, quod minimè cum alijs Scripturæ locis pugnare demonstrat, in quibus Deus videri non posse dicitur: eo quod natura quidem sua inuisibilis est: verum in potestate habet vt videatur: nihilominus aliter illius & mens habet, & oratio. Primum enim Prophetas perspicuè diuinam vidisse substantiam existimat, vt & alij quidam veteres. Secundò de illa quoque Dei visione agit, qua Angeli vident faciem Patris, quæ est clara, & intuitiua Dei cognitio. Vnde hanc etiam in potestate esse Dei non minus, quam figuratam illam, adumbratamque putauit Epiphanius. Immo de illo potius, quā de isto Dei conspectu locutum fuisse non leuis coniectura est, quod ad summam Dei potentiam confugerit. Si quidem non amplissimæ potestatis est, sub imagine, ac figura videndi sui copiam facere sed vulgaris facultatis: quam habent etiam Angeli, qui varijs formis apparere possunt.

Ioannes Chrisostomus serm. 3. in epist. ad Philipp. *Peccatores vbi sunt? procul à Rege sunt; propterea lachrymis digni. Iusti autem siue hic, siue ibi cum Rege sunt, atque ibi quidem multò magis, ac propius, non quasi quodam interiecto vestibulo, non per fidem, sed facie, inquit ad faciem*. Item homilia 10. in epist. 2. ad Corinth. & epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Quid dicemus*, inquit, *quando rerum veritas aderit? quando regijs cubiculis adapertis contueri licebit ipsum Regem, non per ænigma, nec per speculum, sed facie ad faciem; non amplius inquam per fidem, sed per speciem*. Quod igitur Diuum Chrisostomum, obijciunt ali-

qui de claro Dei intuitu, haud satis rectè existimasse, soluetur infra, ostendeturque eius verba, nec non aliorum nonnullorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, cum vero, & Catholico dogmate facilè conciliari posse.

Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Ioannem cap. 8. *Futurus est*, inquit, *ille dies, quando gloriam Dei apertè conspiciemus, & scientiam eius absolutè habebimus: quando prophetia omnis euacuabitur, & omnis cessabit cognitio, vt ait Paulus; omnis ea scilicet, qua nunc ex parte, & in speculo videmus: euacuatur enim quod ex parte est, cum perfectio venerit.* Et paulò post ait: *Nam modo per exempla nonnunquam, atque similitudines, quasi per vmbras, propter imbecillitatem mentis nostræ docemur: tunc autem non ita, sed nuda, vt ita dicam facie, ac mente nullo modo impedita naturæ Deitatis Patris pulchritudinem intelligemus.*

Ioannes Damascenus historię Barlaam cap. 40. *Cum ad hunc modum vixisset: & vsque adeo dignam vocatione sua operam ei, à quo vocatus fuerat, reddidisset, mundumque sibi ipsi, ac seipsum mundo crucifixisset, ad Deum pacis in pace migrat, atque ad Dominum, cuius perpetua cupiditas eum tenuerat, proficiscitur, vultuique Domini purè, ac sine vllius rei interpositu apparet, eaque iam ipsi præparata gloriæ corona exornatur.*

Gennadius Scholarius de Sanctorum fruitione sect. 3. *Age nunc officiosius adhibitis Ecclesiæ doctoribus orationem exordiamur, & quæ Sancti rectè super hac sententia protulerunt, in medium afferamus; vt liquidò cognoscatis iustos omnes, quatenus animæ sunt, esse in Dei gloria, Deumque in faciem videre, & huius visione lætari: nam nihil aliud est Sanctorum fruitio, quam Dei visio, primumque quod Sacris Apostolis Christus dixit, in medium prodeat: Vado parare vobis locum, vt vbi sum ego, & vos sitis*, &c. Hactenus Patres Gręci.

His consonant Latini, Cyprianus in libro de Exhort. Mart. cap. vlt. Hilarius in commentarijs super Matth. cap. 4. Ambrosius in commentarijs ad Lucam, relatus ab August. epist. 111. vbi Deum videri clarè, & vt est, hoc est naturam illius in æterna beatitudine sentit, *non corporalibus oculis*, sed *mundo corde*; quod ex Matth. cap. 5. probat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: sique ibidem asserere videtur Deum quoque in seipso menti inuisibilem esse, *quia Deum nemo vidit vnquam*; satis explicat, de qua visione hic Scripturæ locus, & alia similia sint intelligenda; illis nimirum haud negari simpliciter Deum videri mente, id est clarè perspici: sed ita videri, vt tota ipsa plenitudo diuinitatis comprehendatur: *Ideò*, inquit *nemo vidit vnquã, quia eam quæ in Deo habitat, plenitudinem diuinitatis nemo conspexit: nemo mente, aut oculis comprehendit*.

Idem docet Hieronymus in cõment. ad primum Isaiæ caput ab eodem Augustino citatus: *Homo*, inquit, *Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiã minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, & potuerimus cum Apostolo dicere: Nos autem omnes reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur à gloria in gloriã, quasi à Domini Spiritu. Licet faciem Domini iuxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura: tamen tunc mente cernitur, quando inuisibilis creditur.* Vbi Hieronymus per vltima verba non negat Angelis, ac cęteris hominibus beatis claram, & immediatam diuinæ naturæ perceptionem, vt obiiciunt aliqui, sed post illam assertam tantum limitatiuè ait eam non esse comprehensiuam; siue Deum plenè, atque ex toto videri non posse; neque cum infinitate illius adæquari posse intelligentiæ nostræ cognitionem.

At omnium clarissimè, & fusissimè eamdem asseruit veritatem Augustinus

pluribus in locis, præcipua sunt, tractatu 21. in Ioannem, vbi formam Dei à Beatis visum iri luculenter affirmat: lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 26. lib. 3. contra Maximinum cap. 9. item lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 29. vbi videre Deum, sicuti est Angelos omnes ostendit, & *sicut illi vident*, inquit, *ita & nos visuri sumus; sed nondum ita videmus*; &c. *Præmium itaq; fidei nobis visio ista seruatur.* Tum deniq; epist. 111. in qua illud, quod scribit Apostolus 1. Timoth. cap. 1. *Regi sæculorum inuisibili, incorruptibili*, sic enarrat: *Incorruptibili quidem in sæcula sæculorum: inuisibili autem nō in sæcula sæculorum, sed tantùm in hoc sæculo. Verum quia nec ista testimonia falsa esse possunt, Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt. Et scimus quia cum apparuerit similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est: negare non possumus filios* Dei *visuros Deum, sed sicut videntur inuisibilia, &c. vnde autem inuisibilia videntur nisi oculis cordis?* & in epistola 112. sæpè id ipsum confirmat; atque eius argumentum desumit cap. 3. ex piorum, Sanctorumque desiderio.

Prosper Aquitanus lib. 1. de vita contemplatiua cap. 4. *Quod hic crediderant*, inquit, *ibi videbunt, sui Creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes*. Et cap. 13. Tam rerum omnium notitia, quam ipsa Dei substantia, plenè, & perfectè videbitur.

Gregorius Magnus lib. 18. Moral. cap. 28. *Sciendum vero est quod fuere nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minimè videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici, & incommutabili essentia aliud est claritas, & aliud natura: sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est. Quia enim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quandoque ostenderet, ipse pollicetur dicens: Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi. Ac si patenter dicat: qui in vestra me cernitis, restat vt in mea me natura videatis.* Tum varia subiungit Sacræ Scripturæ loca, quibus illa videndi perspicuitas significatur.

Hincmarus in vita S. Remigij: *Nam vt taceamus de Apostolis, Martyribus, Cōfessoribus, & cæteris arctioris & perfectioris vitæ viris, qui mox corruptione carnis soluti Cœlos penetrant, & quem in sua carne cognouere mortalem, iam in natura diuinitatis Patri, & Spiritui Sancto videre possunt æqualem.*

Bernardus sermone 4. in festum omnium Sanctorum: *Tripliciter*, inquit, *in æterna illa, & perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis: habentes eum in nobis ipsis: & quod his omnibus ineffabiliter iucundius sit, atque beatius, ipsam quoque cognoscentes, in semetipsa Trinitatem, & gloriam illam sine vllo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna, & perfecta, vt cognoscamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, & videamus Deum sicuti est: id est, non modo sicut inest, nobis videlicet, aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso.* Et sermone 1. de verbis Apostoli, *Non est regnum Dei esca, & potus*, ait *Beatos nudis oculis diuinitatis intueri essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione deceptos*. Videri etiam potest sermo 31. in Cantica.

En quæ per Ecclesiæ Patres diuina ad nos peruenit traditio, veraque Scripturæ interpretatio, pro clara, & intuitiua Dei visione, qua mota Ecclesia hanc veritatem tanquam diuinitùs reuelatam semper tradidit, fidelibusque credendam proposuit in suis definitionibus: Euaristus Papa in 1. sua epistola decretali docet, *Dei substantiam à Beatis videri, vt est in se*, adducto testimonio epistolę diui Ioannis superiùs citatæ. Concilium Francofurdiense in epistola ad Episcopos Hispaniæ in fine: *Prædicamus*, inquit, *Deum verum, vt ad eius beatissimam visionem perueni-*

re mereamur. Benedictus Papa XI. in Extrauaganti, *Benedictus*, quam referunt Suarez lib. 2. cap. 7. & Vasquez 1.p. disput. 37. *Videbunt*, inquit, *diuinam essentiam, immediatè se benè, clarè, & apertè illis ostendentem*. Tandem Concilium Florentinū in litteris vnionis ait: *Definimus illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem erutæ corporibus sunt purgatæ, in Cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum, Trinum & Vnum sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius*.

Etsi autem non possit naturali ratione probari, claram, & intuitiuam Dei visionem esse possibilem; dicente Apostolo 1. Corinth. 2. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum*. Si quidem visio clara, & intuitiua Dei nostra est beatitudo, quam Deus nobis præparauit. Nihilominus supposita semel fide huius veritatis non desunt congruentię, rationesue probabiles illius persuasiuæ, cuiusmodi est illa, qua vtitur Diuus Thomas 1. p. q. 12. art. 1. desumpta ex naturali appetitu hominis. Inest enim illi naturale desiderium cognoscendi causam cum intuetur effectum; vnde si non posset intellectus noster pertingere ad primam causam, remaneret inane desiderium naturæ: Talis est alia, quod Deus, vtpotè summè bonus, debeat esse summè etiam sui communicatiuus in ordine intelligibili; nec non illa, quam adducit Scotus in 4. dist. 49. q. 8. Deum videlicet cōtineri sub obiecto adequato intellectus: vnde sicut intellectus potest intuitiuè cognoscere alias res, poterit etiam ipsum Deum. Et cognitio intuitiua est omnino perfectior, imo conuenit sensui respectu obiecti sensibilis; multo igitur magis debet competere intellectui respectu obiecti summè intelligibilis.

Præfatas verò rationes non esse demonstratiuas, sed meras congruentias satis patet, quia ad primam, & secundam facilè responderi potest, appetitum naturalem hominis non tendere vltra id quod possibile est, nec diuinam quoque communicationem: quare adhuc remanet probandum claram, & intuitiuam Dei visionem esse possibilem. Ad tertiam pariter dicitur, verè quidem Deum cognosci posse ab intellectu creato: sed non per hoc probatur, posse cognosci intuitiuè ab illo, sicut cognoscuntur aliæ res, & sicut sensus intuitiuè percipit suum obiectum. Imò si hæ rationes efficaces essent, probare viderentur Deum posse ab intellectu creato naturali virtute videri, nec non etiam comprehensionem Dei esse illi possibilem; quæ falsa esse supponimus.

Attamen assumpta vna propositione naturali lumine nota, & altera de fide posset in hunc modum efformari demonstratio Theologica: Possibilis est beatitudo creaturæ intellectualis; sed clara, & intuitiua Dei visio, est beatitudo creaturæ intellectualis; illi igitur possibilis est clara, & intuitiua Dei visio. Vel aliter; Beatitudo creaturæ intellectualis in altissima eius operatione consistit: sed altissima eius operatio, est clara visio Dei per essentiam: ergo possibilis est illi huiusmodi visio; quibus in argumentis, & similibus, cum maiores propositiones sint lumine naturali notæ, minores autem diuinitùs reuelatæ, manifestè constat ea esse demonstrationes Theologicas. Quidquid sit enim de illa difficultate inter Catholicos an scilicet beatitudo essentialis creaturæ intellectualis consistat causaliter in actu intellectus, & formaliter in actu voluntatis; an verò formaliter in actu intellectus, & completiuè consequenter in actu voluntatis, aut quid simile; omnes tamen Docto-

res

res Catholici fatentur, requiri necessario ad beatitudinem visionem Dei, & aliquo tandem modo in illa consistere.

Vltimò tandem hæc possibilitas, nec non de illa intelligi debere propriè, præallata tum Scripturæ, tum Patrum testimonia probari potest negatiuè, quia nulla contra illam apparet repugnantia, aut in Scriptura, aut in ratione fundata; vnde sic arguo. Si quæ pro possibilitate claræ, & intuitiuæ visionis Dei adduximus Scripturæ, & Patrum loca, non propriè, sed metaphoricè essent intelligenda, de aliqua extra Deum claritate, vt contendunt aduersarij; vel esset quia talis visio repugnaret eiusdem Scripturæ, & Patrum authoritati; vel quia manifestam aliquam in se inuolueret contradictionem; Sed veritas Catholica à nobis asserta de clara, & intuitiua Dei visione in æterna beatitudine, nec diuinæ Scripturæ, nec Patribus repugnat, nullamque implicat contradictionem; Non igitur pro ea à nobis allata tam ex Scriptura, quàm ex Patribus testimonia ad metaphoram detorquenda sunt, sed in sensu proprio accipienda. Maior huius argumenti est certa, fundata in communi Patrum regula, quod verba Scripturæ in sensu proprio semper sũt intelligenda, vbi nullum ex illo sequitur absurdum, qualia sunt allata. Minor autem ex argumentorum solutione constabit.

Primò enim aduersarij obijciunt nonnulla Scripturæ loca: Exodi 33. vbi Moysi desideranti diuinum conspectum respondet Dominus: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*. 1. ad Timoth. 6. dicitur de Deo, *qui lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. 1. Petri cap. 1. *Spiritu Sancto misso de Cælo, in quem desiderant Angeli prospicere*. Si autem Angeli beati Deum, totamque Trinitatem in se viderent, non desiderarent prospicere in Spiritum Sanctum, quia quod habetur non desideratur. 1. Ioann. 4. *Deum nemo vidit vnquam*; verum cum his, aut alijs similibus Scripturæ locis minimè pugnat veritas nostræ assertionis, sed illa adhuc salua, multipliciter intelligi possunt. Primo de visione in hac vita secundum legem Dei ordinariam, vt explicat Diuus Gregorius lib. 18. Moral. cap. 36. secundo de visione comprehensiua, id est, tàm perfecta, quàm est illa cognitio, qua Deus videt seipsum, vt communiter interpretantur Patres. Tertio ex solis viribus naturæ. Quarto de visione corporea, qua Deum nonnulli Gentiles existimauerunt esse visibilem, vt illis exprobrat Athanasius in orat. contra idola, *irrationali*, inquit, *vecordia vsi, rem visibilem Deum esse finxerunt*; item Antropomorphitæ hæretici, vt apparet ex Epiphamo hær. 7. 70. Celsus quoque, vt notauimus supra ex Origene, qui aduersus eum octo scripsit libros, hunc eumdem errorem per calumniam affingebat orthodoxis.

Primo itaque loco Exodi 33. prima solutio, vel interpretatio adaptari potest; si enim Moyses claram, & intuitiuam Dei visionem impossibilem esse credidisset, illam à Deo non postulasset; quod & ipse Deus confirmauit, dum illam præcisè non negauit, neque id absolutè fieri non posse respondit, sed de huius vitæ tempore duntaxat excepit; vt diximus supra; vnde etiam Diuus Augustinus epist. 112. cap. 8. ex hoc Moysis desiderio, & oratione id probat: *Ipse ergo*, inquit, *erat in ea specie, qua apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat. Ea quippe promittitur Sanctis in alia vita. Vnde quod responsum est Moysi verum est, quia nemo potest faciem Dei videre, & viuere: id est, nemo potest eum in hac vita videre viuens, sicuti est*. Et in cap. 9. *Eo autem modo, quo videtur sicuti est, non fortasse videtur à quibusdam Angelis: à nobis autem*

tem tuæ ita videbitur, cum eis facti fuerimus æquales. Vbi à quibuſdam Angelis non videri ait, quod vllum bonorum excipiat: ſed vt malos excludat.

Secundò, ex 1. ad Timoth. loco competit ſecunda ſolutio, diciturque Deum lucem inhabitare inacceſſibilem, quia incomprehẽſibilis; vel etiam iuxta tertiam ſolutionem, quia naturaliter inuiſibilis eſt, viderique non poteſt ab homine, vt homo eſt, id eſt, niſi exuat conditionem humanam, & ex natura rei induat immortalitatem ſtatumque perfectum, quem proprijs viribus habere non poteſt.

In tertio ex 1. Diui Petri deſumpto loco non eſt ſermo de proprio deſiderio, cuius obiectum eſt bonum abſens, ſed tali phraſi, vel modo loquendi, vt alias ſæpiùs in Scriptura, ſignificatur magnum Angelorũ gaudium, & quomodo abſque vllo vnquam faſtidio perfruuntur claro Spiritus Sancti conſpectu. Immo Diuus Gregorius lib. 18. Moral. cap. 28. ne alioqui vanum in Angelis ſit deſiderium proſpiciendi Deum, ab Apoſtolo quomodocumque ſignificatum, inde probat eum ab illis clarè, & intuitiuè videri. *Si enim hi videre deſiderant*, inquit Gregorius, *& effectu ſui deſiderij minimè perfruantur; deſiderium ſine fructu anxietatem habet, anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longe ſunt, quia nunquam ſimul beatitudo, & pœna conueniunt.*

Quartò denique loco 1. Ioann. 4. applicari poſſunt omnes ſupradictæ interpretationes, magis tamen genuina eſt prima, ſermonem videlicet in eo eſſe de ſolis hominibus in hac vita, ita vt ſenſus ſit, Deum vt eſt in ſe à nemine illorum ab exordio mundi ad incarnationem vſque viſum fuiſſe, ſaltem per modum permanentis, aut de lege ordinaria, niſi à Chriſto Domino etiam vt homine, cui debebatur ratione vnionis hypoſtaticæ; non autem agit de Angelis, nec de hominibus poſt aduentum, & mortem Chriſti Domini, iam meritis eius beatis, æternaque fœlicitate gaudentibus.

Secundò obijciunt aduerſarij plura veterum Patrum teſtimonia, quibus videntur negare Deum poſſe videri, aut de facto videri à beatis ſicuti eſt in ſe. Inter eos autem potiſſimum recenſetur S. Ioannes Chryſoſtomus, propter & authoritatem illius, quæ ſumma merito dicitur, & quod ſæpius id ipſum cæteris, ac manifeſtius expreſſiſſe videatur, alijque deinceps Græci præſertim nominis eius loquendi modum ſecuti fuerint; ſed vt inſinuauimus ſupra, nequaquam admittendum eſt tam ſanctos, ac doctos Patres fuiſſe in hoc errore, immo cum præcitatis locis illi potius clarè aduerſentur, intuitiuam, ac facialem Dei viſionem locatis in Cœlo concedentes, neceſſario interpretandi ſunt aliquo ex præfatis quatuor modis, vbi interdum aſſerunt Deũ videri non poſſe; vel primò, quod loquantur de oculis corporeis: vel ſecundo, quod Deus non poſſit videri in hac vita ſaltem de lege ordinaria, & per modum permanentis: tertiò vt non poſſit ita videri, quod comprehendatur, aut perfectè videatur, ſicuti eſt in ſe, aut ſicuti ipſe ſe perfectiſſimè videt: quartò, quod non poſſit videri naturalibus viribus vllius intellectus creati.

His autem modis, licet vt plurimum loquantur dicti Patres, vbi poſſibilitatem viſionis Dei negare videntur, vt ex eorum diſcurſu, ſubiectaque materia facilè colligi poteſt, duobus tamen vltimis potiſſimum vtuntur; cum enim diſputarent contra Anomæos hæreticos, eorumque ſequaces, *qui ſtultè* dicebant Deum, vt eſt *in ſe*, viribus naturæ poſſe etiam comprehendi ab intellectu creato, & adequatè cognoſci; nihil illis ſine dubio cordi magis fuiſſe credendum eſt, quam aduerſus dictos hæreticos argumentari, & oſtendere

dere ex infinitate essentiæ diuinæ, & eius altitudine supra omnem intellectũ creatum impossibilitatem visionis Dei talis, qualem illi ponebant; siue Deum, solis naturæ viribus non esse intuitiuè cognoscibilem, quodque supernaturaliter ad huiusmodi cognitionem beatæ mentes eleuarentur, non propterea sequi illam esse comprehensiuam, vt inferre poterant aduersarij, eo enim quod Deus est indiuisibilis Spiritus, & actus purè intelligibilis, difficilè videtur, quod intuitiuè, ac in sua substantia intimè cognoscatur, & tamen non comprehendatur, vt in solutionibus argumentorum dicetur.

Vbi igitur Chrysostomus in orat. 3. contra Anomæos de incomprehensibili, & alibi Deum eiusmodi esse dicit, *quem nec inuestigare possunt Angeli, nec scrutari Archangeli, nec videre Seraphim, nec Cherubim percipere, nec videre Principatus, & Potestates, & Virtutes: vno verbo quem nulla creatura intueri potest; sed quem solus filius, ac Spiritus Sanctus cognoscant*: visionem illam Dei intelligit, quæ est plena, & ex toto perfecta illius cognitio: cuiusmodi & illa est, qua se Deus ipse cognoscit: & hæreticorum stolidissimi iuxta & arrogantissimi Anomæi sibi sumpserant: nihil vt eorum quæ Deus habet in substantia sua, vel virtute, & efficientia videntem effugiat; vt satis se explicat, dum mox præfatis verbis subiungit, *ab nulla re facta, & creata comprehendi posse*, id est, *acatalipton esse Deum* docet, & in commentarijs, ad Euangelium Ioannis, eiusque verba hæc 1. epist. 1. *Deum nemo vidit vnquam*; & illa Matth. 27. *Nemo nouit Patrem nisi filius*, tandem concludit; *Quorsum istud? an omnes in ignorantia versamur? absit. Sed nimirum nemo nouit vt filius. Quemadmodum ergo multi illum viderunt, pro eo ac videndi capaces erant, eius verò essentiam nemo vidit illorum; sic multi Deum nouimus; huius autem essentiam nemo scit, hoc est quid tandem ea sit, præter illum solum qui ab ipso genitus est. Nam cognitionem illic vocat accuratam contemplationem, & comprehensionem, ac tantam, quantam filij notitiam habet Pater*. Quibus sanè verbis, nihil ad intentum, clarius dici potest. Quamobrem velut idem significantia, & synomina Chrysostomus citata 3. oratione contra Anomæos ista ponit, imperuestigabilem, inscrutabilem, inuisibilem, imperceptibilem, non aspectabilem; Epiphanius verò hęresi 70. Deum ait *oraton*, id est *aspectabilem* esse, & simul *aoraton*, id est *minimè aspectabilem*. Vt si quis, inquit, mare se ex edita specula vidisse dicat, non mentiatur, si quidem viderit. Sed neque mentietur qui eum vidisse negauerit. Vidit enim, & non vidit; quia totum non vidit, ac secundum dimensiones omnes. Quod in Deo multo magis valere debet, ad cuius infinitatem, quia quantalibet nostra cognitio etiam intuitiua, vtpotè infinitè distans ab illa, semper est imperfecta, parua, obscura, & debilis, sicut etiam si comparetur ad increatam Dei visionem, inde præfati Patres, & alij, vt magis directè se opponerent Anomæorum hæresi, plerumque locuti sunt de illa secundum limitationem, virtutemque finitam intellectus creati, etiam eleuati per lumen gloriæ; atque adeò tanquam de visione diminuta, quantumuis intuitiua. Veruntamen vt rem magis declarem ex trito illo in scholis effato Philosophorum, quod modus cognoscendi sequitur modum essendi, quemadmodum, quod apud aliquos Patres antiquos, Dionysium præsertim legatur, creatas res non esse; vel apud Isaiam cap. 40. v. 17. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputata sunt ei*; nullus statim serio dici arbitrabitur ab Isaia, populos omnes nihil esse pœnitus, ac nullam existentiam, aut substantiam habere, & esse non ens. Sed nimirum tale dictum, & huius similia multa prudenter accipiet, vti non absolutè, sed figuratè

ratè intelligat: videlicet si cum Deo illorum essentia, vis, potestas, scientia, ac reliqua, quæ sunt in eis, omnia componantur. Sic enim nihil sunt, quoniam infinito ab illo interuallo distant. Ita quoque licet cognitio illa; qua Deum vtcumque noscimus, non solum in hac vita, de qua & Chrysostomus, & alij, qui sibi Anomæos impugnãdos sũpserant, magna ex parte locuti sunt, sed etiam qua fruuntur Angeli, ac beati homines, si cum illa conferatur, qua vel semetipsum videt Deus, vel totus Ipse comprehenditur: hoc est omnia, quæ in eo sunt, & ab eo fieri possunt, perfectè capiuntur, neque clara dici cognitio debet, nec omninò visio. Vt hac ratione videri Deum ab creata intelligentia possit negari, negauerintque nonnulli Patres: quia sic videtur, quasi nullus videatur: hoc est nihil ipsa cognitio sit, tam vt res est aliqua, quam vt certa res est, nempe cognitio. Nihilominus absolutè non est nulla, sed aliqua; & in illa quoque fœlicitate pro modulo suo clara, atque distincta: vt visionis nomen obtineat: illique etiam tribuerint Patres.

Propterea que etiam D. Thomas 1. p. q. 12. art. 6. ad 1. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. ad 14. art. 4. ad 4. & q. 8. de verit. art. 1. ad 1. rectè aduertit, quod scilicet dici potest Deus à beatis videri aliquo modo, sicuti est in se, & aliquo modo non videri sicuti est in se: nam, si particula ista, *sicuti est in se*, teneat se ex parte obiecti, & referatur ad modum, quo Deus est in se, ita vt sensus sit, beati vident Deum ipsum, & modum ipsum, quo ipse est in se, vera est propositio, & huc vsque ita à nobis intenta, & probata; si verò teneat se ex parte visionis, ita vt significet adæquationem rei visæ ad visionem creatam, vt videant tantùm, quantum visibilis est, vt sensus sit, vident beati Deum *sicuti est in se*, id est quantùm ipse visibilis est in se, vt talis sit modus visionis, qualis est modus obiecti, sic est falsum; nam solus Deus hoc modo videt seipsum, sicuti est in se, at intellectus creatus videt illum suo modo, id est limitatè, & finitè; atque adeo non tantum non videt, quantùm ille est in se; aut videt finitè infinitum, & limitatè illimitatum: sed etiam videt hunc infinitum defectum, & infinitam distantiam inter suam visionem, & diuinam essentiam: atque hoc modo interdum asserunt Patres Deum ab intellectu creato, etiam Angelico, non videri sicuti est in se.

Quod si aliquibus Patrum minoris momenti dictis nulla ex præfatis interpretationibus ita facilè adoptari posset, dicendum esset eos re nondum definita, minus cautè locutos fuisse, vel dicto errori fauisse; sicut etiam notandum est nonnulla illis opera supposita fuisse, in quibus contineri videtur; talis est homilia de Sanctissima Deipara, necnon dialogi de Sancta Trinitate, quæ Athanasij nomen præferunt, cuius tamen illa non esse certò constat.

Porrò quamuis quæ in Cantico Dominicæ Natiuitatis, & in alijs precibus ac lectionibus Armena canit Ecclesia, dicens: *Qui cælestibus Choris incognoscibilis es, hodie occultum mysterium manifestasti terrestribus: benedictus Dominus Deus Patrum nostrorum, qui cum esses perspicacissimis illis Cherubin inuisibilis sub nostra forma è Sancta Virgine prodijsti*. Et iterum: *Qui in throno gloriæ à superis non videtur, hodie de Sancta Virgine carnem sumpsit*. Et rursus: *Ob Angelicum nuncium abeuntes; viderunt paruulum factum, quem Seraphim videre non possunt*; etsi, inquam, hæc, & similia de visione comprehensiua intelligi possent, forsanque tali mente ab Armena proferantur Ecclesia; quia tamen simpliciter sic prolata & scandalum alijs præbent Ecclesijs, & locum arguendi illam erroris, veluti confirmando, quod aliqui Armenij peruersè docuerunt, hæreticum dogma de impossibilitate claræ, & intuitiuæ visionis Dei

satius

satius esset illa corrigere, quòd aptè fieret, si vbi dicitur *Incognoscibilis*, & *inuisibilis*, dicatur *incomprehensibilis*, aut *imperuestigabilis*; & vbi, *non videtur*, & *videre non possunt*, dicatur, *non comprehenditur*, & *comprehendere non possunt*.

Tertiò tandem, & vltimo aduersarii nonnullas proferunt implicantias, quibus veritatis Catholicæ impossibilitatem ostendere conantur. *Prima* desumitur ex summa distantia, qua Deus, vt est in se clarè visibilis, magis distat ab intellectu creato, quam Angelus ab oculo corporeo: sed propter hanc distantiam oculus corporis nequaquam pertingere potest ad videndam substãtiam Angeli, vt est in se: multò ergo minus poterit videri Deus ab intellectu creato. *Secunda*, quæ ferè in idem recidit, fundatur in insufficientia intellectus creati, qui vt naturaliter, seu viribus naturæ nequit videre Deum, vt est in se, quia Deus ita consideratus est prorsus extra obiectum adæquatũ, naturale potentiæ intellectiuæ creatæ, ita nec supernaturaliter, & vt eleuatus id posse videtur; talis siquidem eleuatio non facit, quod Deus, vt est in se, contineatur intra obiectum adæquatũ illius. *Tertia* tandem implicantia est, quod admissa semel intuitiua Dei visione, necessario sequi videtur ex illa cognitio eiusdem comprehensiua. Illud enim comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem, sed si Deus per essentiam videtur, totus videtur, & nihil eius latet videntem, cum Deus sit simplex: ergo à quocumque videtur per essentiam, comprehenditur. Si dicatur, quod videtur totus, & non totaliter. Contra: totaliter vel dicit modum videntis, vel modum rei visæ; sed ille qui videt Deũ per essentiam, videt eum totaliter, si significetur modus rei visæ, quia videt eum sicuti est, vt supponitur. Similiter videt eum totaliter, si significetur modus videntis, quia tota virtute sua intellectus Dei essentiam videbit; qualibet igitur videns Deum per essentiam totaliter, etiam eum comprehendit. Verum hæ, & similes implicantiæ nõn obstant veritati nostræ assertionis, vt patebit ex earum solutionibus.

Ad primam enim respondetur primo, non solum per illam tolli claram, & intuitiuam, verum adhuc omnem cognitionem ex intellectu creato respectu Dei, cum ab illo semper infinitè distet. Secundo respondetur ad hominem sequi ex hac implicantia, quod nec etiam videretur Claritas Dei, quã dicunt aduersarii esse obiectum visionis beatificæ, cum inter claritatẽ Dei, & intellectum creatum sit distantia quoque infinita, & sic nulla proportio, talis namque claritas Dei est ipsamet natura Dei, vt diximus supra ex Diuo Gregorio, constatque ex ipsa scriptura, vbi Deus dicitur lux in recto, 1. Ioann. cap. 1. *Deus lux est*: Igitur si hac non obstante infinita distantia, possunt beati iuxta aduersariorum sententiam intueri lucem, seu claritatem diuinæ essentiæ, intueri etiam possunt essentiam ipsam diuinam. Si dicant huiusmodi claritatem esse quid à Deo realiter distinctum, increatum tamen, hoc non solum repugnat infinitæ simplicitati Dei omnem compositionem realẽ excludentis, quaque proinde Deus dicitur actus purus, & quicquid est in Deo, est substantialiter ipse Deus; verum etiam gratis admissum non soluit nostram instantiam ad hominem, quãdoquidem cum tali distinctione adhuc esset claritas infinita, æterna, immensa, &c. vt pote claritas æternæ, immensæ, & infinitæ essentiæ. Si dicatur esse quid finitum, ac proindẽ creatum, adhuc non satisfacit, negari enim non potest saltem esse proprietatem naturæ increatæ, intellectum verò proprietatem naturæ creatæ, atque adeo inter ipsa semper infinitam esse distantiam. Eadem enim proportio, quæ concipitur esse inter naturas, concipi etiam debet inter proprietates illarum; quia tan-

tantùm proportionaliter crescit in perfectione proprietas, quantum crescit natura, cuius est illa proprietas. Igitur quomodocumque sit, inter claritatem Dei, & intellectum creatū nulla quoque erit proportio secundū commensurationem perfectionis, atq; adeo nec illa posset ad hoc videri, contra id quod ab aduersarijs asseritur. Præterquam talis responsio, ad quam tamen vltimo confugere debent, innumera inuoluit absurda. Nam talis claritas finita, & creata vel esset substantia, vel accidens, repugnat autem reperiri in Deo substantiam aliquam finitam, & creatam, multoque magis accidens, cum quicquid est in Deo sit Deus: insuper talis claritas vel esset ab æterno in Deo, vel in tempore producta, primum dici non potest, cum nihil pręter Deum sit ab æterno; nec etiā secundum, quia indè realis aliqua mutatio esset admittenda in Deo. Beatitudo denique creaturæ intellectualis consisteret in aliquo creato, & finito, non autem in possessione ipsiusmet Dei summi, & infiniti boni, contra id, quod vbique Sacræ testantur Scripturæ: ergo quam talia sunt illis dissentanea, tàm absurda est implicantia allata, ex qua sequuntur; quodque præfata claritas assignetur ab aduersariis pro obiecto visionis beatificæ, in eoq; beatitudinem æternam creaturæ intellectualis collocandam esse doceant.

Tertiò tandem respondetur absolutè, & adæquatè ad argumentum, distinguendo maiorem, magis distat Deus ab intellectu creato, quam Angelus ab oculo corporeo, distantia perfectionis, & proportione veluti quantitatiua, concedo; nam Deus distat per infinitum simpliciter excessū ab intellectu creato, Angelus autem non distat ab oculo per infinitum simpliciter excessum, sed finitum simpliciter, & infinitum secundum quid, seu negatiuè; magis distat in ratione, & proportione, seu habitudine obiecti ad potentiam, nego. Nam Angelus est omnino extra obiectum adæquatum potentiæ visiuæ, cum non sit color, aut lumen corporeum; & consequenter ita distat ab oculo in ratione potentiæ cognoscentis, vt nullam habitudinem obiecti dicat ad illum, vt ad potentiam. At verò Deus non ita distat ab intellectu creato, qui est potentia vniuersalis, habens pro obiecto omne ens aliquo modo, inter quæ cum sit Deus, potest etiam habere aliquam comparabilitatem obiecti ad intellectum, vt ad potentiam cognoscitiuam; vnde naturaliter aliquo modo cognosci potest, licet imperfectè; perfectè autem, & sicuti est in se, si aliquo supernaturali eleuetur auxilio; cum ex alia parte, quantum est in se, sit maximè intelligibilis; cum tamen Angelus ex se non sit vllo modo visibilis visione corporea, cum non contineatur sub genere coloris, sicut continetur Deus sub genere entis, quod in tota sua latitudine est obiectum intellectus. Defectus autem prædicti argumenti constare potest à simili; si enim quis ita argueret; magis distat quantitas ab intellectu nostro, quam sapor à potentia visiua, nam potentia visiua, & sapor sunt in eodem prædicamento qualitatis, at verò intellectus, & quantitas sunt in diuersis prædicamentis, & intellectus est spiritualis, quantitas vero materialis) sed potentia visiua non potest percipere saporem, vt certum est, ergo neque intellectus percipere quātitatem: falsa est conclusio, & assignāda prædicta disparitas, & distinctio, quam docent communiter Theologi ex Diuo Thoma 1.p. q.12. art. 1. ad 4. in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. ad 7. quodl. 10. art. vlt. ad 1. & quæst. 8. de verit. art. 1. ad 6.

Igitur inter obiectum intelligibile, & potentiam intellectiuam non requiritur necessario proportio in ratione entis, seu perfectionis, alioqui nec posset potentia intellectiua creata, quæ est accidens, quidditatiuè cognoscere substantiam vllam. Et ratio est, quia intel-

intellectus cum cognoscit obiectum non tendit ad illud intrinsecè afficiendo, sed tantùm extrinsecè repræsentando; ad quod sufficit proportio quędam ordinis, seu specificationis, hoc est vt potentia cognoscitiua reperiat in ente cognoscibili rationem sui obiecti formalis, à qua ipsa tantum, & non alia specificatur potentia. Vnde cum obiectum formale potentiæ intellectiuæ sit ens sub ratione veri, quę maximè reperitur in Deo, non est cur hæc potentia, quæ naturaliter Deum cognoscit abstractiuè, non possit supernaturaliter eleuari ad illummet clarè, & intuitiuè videndum, vt docent scripturæ. Et vt rem exemplo declaremus simile quid habetur in oculo vespertilionis, qui eo ipso quod habet quodāmodo pro suo obiecto lumen solis, licet nequeat solis naturæ suæ viribus illum perfectè intueri, potest supernaturaliter, si nimirum qualitate aliqua supernaturali à Deo confortaretur. Sicut è contra, quia tam eius, quam quilibet alius oculus corporeus, non reperit in ente spirituali rationem sui obiecti formalis, scilicet colorati, aut luminosi corporei, non potest, non solùm naturaliter siue mediatè, siue immediatè videre spiritum, sed nec etiam eleuari supernaturaliter, aut per diuinam potentiam ad illum videndum.

Quamuis inter exemplum vespertilionis allatum respectu luminis solis, & intellectum creatum respectu Dei sit hoc discrimen, vt tacitæ satisfiat obiectioni, quod lux corporea solis, quæ tantùm potest supernaturaliter videri ab oculo vespertilionis, potest naturaliter videri ab oculo aquilæ, aut alio, si quis sit, perspicaciori: At verò Deus, vt est in se, nequit naturaliter ab aliquo intellectu creato videri, sed increato duntaxat. Ratio est, quia improportio, quæ est causa, cur vnum obiectum non potest attingi naturaliter à potentia, à qua potest supernaturaliter, fundari potest, primò in excessu obiecti ad obiectum, seu rei ad rem intra eumdem ordinem, immo intra eamdem speciem infimam excedētis, & excessi: Secundò in diuersitate ordinis vnius rei ad aliam intra eamdem communem rationem cognoscibilis. Vndè cum improportio, quam habet oculus vespertilionis ad magnū lumen solis; cum tamen sit proportionatus ad paruum lumen, sit primi generis, siue non oriatur ex eo, quod magnum lumen sit diuersi ordinis, aut speciei à paruo; sed solum quia sit perfectius intensiuè intra eamdem speciē, quam lumen paruum, & oculus vespertilionis imperfectus; at verò improportio, quam habet Deus clarè visus ad intellectum creatum, sit secundi generis, siue non proueniat ex eo, quod Deus sit ens perfectius, quam ens creatum illi intellectui proportionatum intra eamdem speciem, aut ordinem; sed quia in genere entis cognoscibilis ab intellectu, est altioris ordinis quocumque obiecto creato, cum sit actus purissimus; inde fit, quod licet in exēplo adducto vespertilionis, aut alio quocumque simili, vbi causa improportionis, propter quam aliquod obiectum non potest ab vna potentia attingi naturaliter, sed attingitur supernaturaliter, est excessus intra eamdem speciem, aut ordinem, debeat concedi, quod potest supernaturaliter attingi ab aliqua potentia, posse etiam attingi naturaliter ab alia perfectiori eiusdem speciei, aut ordinis, vt diximus lucem corpoream solis, quæ potest supernaturaliter videri ab oculo vespertilionis, posse naturaliter videri ab oculo aquilæ, quia sicuti intra eamdem speciem, & ordinem potest crescere obiectum, ita potest crescere potentia: Id tamen fieri nequit, vbi excessus est in alio ordine, vt est Deus clarè visus respectu intellectus creati; si quidem potentia, quæ naturaliter deberet ferri in tale obiectum, deberet esse in alio etiam ordine, vt sic proportionaretur naturaliter obiecto, quod quia repugnat cuicumque intel-

 lectui

lectui creato; non propterea sequitur, quod si Deus ab intellectu supernaturaliter eleuato mediante lumine gloriæ videri possit in seipso, naturaliter etiam videri queat ab alio intellectu perfectiori eiusdem ordinis, & naturæ. Ideoque etiam operatio, quę fit in hoc casu, est simpliciter supernaturalis, hoc est supra omnes naturæ vires, eiusque ordinem, at quæ fit in primo, est solùm talis secundùm quid, hoc est supra vires huius dũtaxat determinatę naturæ, & consequenter non tam supernaturalis, quam simpliciter naturalis dici debet.

Per quod patet quoque ad secundã implicantiam; & si enim Deus, vt in se clarè visibilis, sit extra obiectum adæquatum potentiæ intellectiuæ creatæ naturaliter operantis: non tamen ipse omnino est extra obiectum naturale talis potentiæ, cum aliquo modo sit ab illa cognoscibilis naturaliter, & contineatur vt species analoga sub ente cõmunissimè accepto, quod est obiectum potentiæ intellectiuæ etiam creatæ, vt diximus, indeque, supposita fide, collegimus non repugnare absolutè huiusmodi potentię videre Deum, siue quod idem est, repugnare quidẽ quod hoc fiat naturaliter, non autem supernaturaliter. Quod enim vt tali modo cognoscibile, nempe intuitiuè, sit extra obiectum naturale potentiæ intellectiuæ creatæ naturalis; non oritur ex eo, quod vt sic sit extra latitudinem entis vniueralissimè sumpti, atq; adeo obiecti ipsius, sicut ex dictis est substantia spiritualis respectu organi corporei oculi; sed quia intra latitudinem talis entis excedit proportionem intellectus creati sibi relicti, propter ordinis superioritatem ad quemcumque talem intellectum; quare si ad illam superiori auxilio supernaturali semel eleuetur, fit proximè aptus ad videndum, licet non adæquatè comprehendendum Deum: Nam ideo substantia spiritualis oculo corporeo attingi non potest, quia absolutè est extra rationem vniuersalissimam obiecti talis potentiæ, quæ est color, & lumen; non autem quia intra illam vniuersalissimam rationem habeat aliquem excessum supra oculum. Vndè si substantia spiritualis esset colorata, quamuis intra latitudinem colorati excederet potentiam visiuam infinitè, ita vt naturaliter videri non posset, posset tamen videri supernaturaliter; dicereturque non obstante tali distantia infinita, seu improportione in ratione entis quam Diuus Thomas vocat quantitatiuam, habere proportionem latitudinis, vel obiectiuam cum oculo corporeo, sicut diximus esse inter Deum, & intellectum creatum.

Neque hæc solutio, quã vtitur Diuus Thomas, & post eum omnes ferè Theologi, est petitio principij, quatenus posset aliquis replicare, hoc ipsum esse quod quæritur, an nimirum posita illa infinita improportione in ratione entis, possit esse proportio habitudinis inter Deum, & intellectum creatum; & consequenter an Deus clarè visus possit esse obiectum potentiæ creatæ intellectiuæ; præfata, inquam, solutio nullo pacto est petitio principij; non enim respondens petit principium, sed arguens, quando assumit id, quod esset inferendum: nos ergo asserimus posse dari hanc proportionem habitudinis obiecti ad potentiam, etiam inter res infinitè distantes in perfectione, quod dum affirmamus vtimur iure nostro, & esset ab aduersario *impugnandum*, neque verò id *gratis* affirmamus, sed probamus ex vniuersalitate potentiæ intellectiuę, cuius obiectum est aliquo modo omne ens, & ex infinitate diuinę virtutis, cui intellectus eleuatus peculiari modo subordinatur. Vndè hæc facultas, & capacitas ad videndum Deum, fundatur quidem aliquo modo in ipsa natura intellectuali, saltem quo ad hoc, vt ei talis visio non repugnet, sed proximè, & immediatè habetur ab auxilio diuino, quod Theologi vocant lumen gloriæ, & per quod asserunt intellectum

tellectum creatum sufficienter proportionari ad claram, & intuitiuam Dei visionem eliciendam. Sicut rectè Diuus Augustinus lib. de prædestin. Sanctorum cap. 5. in re non absimili dixit; *Posse habere fidem natura est hominum, habere autem gratia est fidelium*. Quæ potentia vocatur à Theologis obedientialis, estque propriè ipsa natura creaturæ cum non repugnantia ad formam v. g. intellectus ad lumen gloriæ in nostro casu: diciturque obedientialis, quatenus respicit formam supernaturalem, & indiget auxilio supernaturali; ad differentiam potentiæ naturalis, quæ respicit formam naturalem, nec indiget alio superiori auxilio in ratione potentiæ.

Ad tertiam implicantiam respondetur, minimè sequi, quod, si Beati videant Deum intuitiuè, necessariò quoque illum cognoscant comprehensiuè, quia huiusmodi cognitiones non connectuntur necessariò, aut ex natura rei, quasi omnis cognitio intuitiua simul esse debeat comprehensiua obiecti; nec etiam in Deo quantumuis clarè, & intuitiuè cognito: & si enim huiusmodi cognitio dici possit infinita extrinsecè, quia attingit obiectum tale, & inde esse in superiori specie, & ordine ad omnes alias visiones cuiuslibet obiecti creati in infinitum perfectiores, non tamen est intrinsecè infinita, siue quod idem est, stante finitudine luminis gloriæ magis tantum, vel minus intensi pro diuersitate meritorum in beatis, tendit in Deum infinitum finito modo, non autem infinito, vt requiritur ad cognitionem comprehensiuam illius, qua eo ipso, quod tantum cognosci debet, quantùm est cognoscibilis, necessariò modus cognitionis debet etiã adæquare modum cognoscibilitatis; atque adeò cum Deus infinitè, infinitaque claritate sit cognoscibilis, infinitè quoque, & infinita claritate cognosci debet, vt comprehendatur, non autem vt videatur.

Inter duos igitur extremos errores Anomæorum, quos postea quidam hæretici in Germania dicti Beguardi, & Beguinæ secuti sunt, asserentium intellectum humanum per solas naturæ vires Deum clarè intueri, eo pacto quo potest, & solet alia obiecta, quæ intuitiuè cognoscit, neque ad talem visionem Dei indigere superiori lumine, & auxilio eleuante intellectum; & illorũ, quos in præsenti controuersia refellendos suscepimus, negantium huiuscemodi visionis possibilitatem, etiam supernaturaliter, & cum diuino auxilio; inter hæc duo, inquam, extrema, in quibus omnes ferè hæretici, vti vitiosi versantur; media stat firma, & inconcussa veritas Catholica, Deum in beata, & immortali vita nedum ab intellectu creato Angelico, & humano supernaturaliter videri posse, sed etiam reipsa conspici prout est in se immediatè, quo ad suam diuinam substantiam, non tamen comprehendi, loquendo de comprehensione strictè sumpta. Quamuis autem, vt diximus supra, non possit solo lumine naturæ euidenter demonstrari possibilitas visionis beatificæ, qualis creditur à nobis per fidem, hoc est Deum clarè, & intuitiuè sicuti est cognoscendo, sed illa supposita probabiles duntaxat rationes adduci, ad ostendendum hanc veritatem fidei, sicut & alias congruere etiam rationi naturali; præter rationem tamen naturalem, siue irrationabiliter aliquo modo ageret, qui illis non acquiesceret, vt satis probabilibus: fide enim aliquã veritatem docẽte, præter rationem esse videtur, negare rationes probabiles illius persuasiuas, quando in contrariũ nihil obijcitur, quod rationes illas probabiles infringat, quodque euidenter negatiuè solui non possit; vt sect. 1. huius 4. libri notauimus. De hac materia Theologi agunt cum Diuo Thoma 1. p. q. 12. art. 1.

CA-

CAPVT II.

De processione Spiritus Sancti à Patre, & Filio aduersus Græcos, Armenos, Georgianos, & Cophtos.

OMissis hereticis Eunomianis, qui Spiritus Sancti diuinitatem negantes, asserebant eum à solo filio procedere tanquam facturam ipsius, vt refert Basilius lib. 2. contra Eunomium versus finem, vbi etiam eum reprehendit inconsequenter desipere, quia nihil esse potest à filio factum, quod non sit factum à Patre, cum vnica sit, & indiuisa vtriusque operatio, si eadem est, quod non negabat, vtriusque natura, & diuinitas, vt Basilij argumentum supponere videtur. Eodem modo productionem Spiritus Sancti separasse à Patre, solique filio concessisse, nonnulli asserunt Doctores, corrigentes litteram, quam Scriptorum negligentia corruptã esse putãt in epistola Iustiniani Episcopi Siciliȩ ad Petrum Episcopum Antiochenum, quam dicunt haberi in quinta Synodo generali. Nam quod legitur: *Macedonius spirat à Patre solo Spiritum Sanctum*, corrigunt, vt legendum sit, *separat*.

Nonnullis etiam omissis Semiarrianis, qui credentes solùm Patrem esse summum, & maximum Deum, atque adeo maioris virtutis, ac potentiȩ quam Filium, consequenter affirmabant, ad cũ nullatenus spectare Spiritum Sanctum producere, vt potè qui impari virtute, & inæquali prædictus esset. His annumerant Macedonium, qui incorruptũ præfatæ epistolæ locum volunt, vt legendũ sit, *spirat*, non autem, *separat*. Istis inquam, & similibus hæreticis, qui aut Filij, aut Spiritus Sancti diuinitatem negauerunt, in præsenti controuersia cũ illis duntaxat agimus, qui concedentes Spiritum Sanctum esse Deum, & à Patre procedere, negant procedere simul à Filio, etiamsi realiter personaliter distinguatur ab illo.

Huius autem erroris quisnam fuerit primus author inter Græcos (quorum proprius dicitur, non quia omnes prorsus in eo fuerint, sed quia ibi primum ortus, grassatusque vix Latium, aliasque occidentis partes attigit) licet plenè exploratum non habeatur, communiter tamen doctores cum Diuo Thoma 1. p. q. 36. art. 2. arbitrantur fuisse Nestorium, aut aliquem ex eius sequacibus; colligiturque ex quodam eorum Symbolo, seu confessione fidei, quæ extat in actis Concilij Ephesini, vbi admisso Spiritum Sanctum ex Deo procedere mox subiungunt: *Filium tamen non nominamus; neque per filium subsistentiam suam sortitum esse dicimus*: siue vt alij legunt, *substantiam*, vel *essentiam*. Iosephus verò Episcopus Methonensis in responsione ad libellum Ephesii posita post Concilium Florentinum expresse ait, auctorem istius erroris fuisse Nestorium; *Ex solo Patre*, inquit, *nemo dixit Sanctorum, vnus id affirmauit Nestorius hæreticus.*

Theodoretus Cyrorum Episcopus, qui floruit cira annum Domini 430. cũ initio controuersiæ Nestorio faueret contra Cyrillum Alexandrinum, inter alia libellum scripsit aduersus anathematismos eiusdem Cyrilli, vbi in responsione ad 9. in fine hæc habet: *Proprium Spiritum Filij, si quidem vt eiusdem natura, & à Patre procedentem, dixit* Cyrillus, *simul & nos confitemur. Si verò tanquam ex Filio, vel per Filium suam habere essentiam dicit* Cyrillus, *vt blasphemam hanc, & sicut impiam abijcimus.* Eum tamen postea resipuisse, & tam ab hac sententia, quam ab ea, quæ propria erat Nestorii, de duabus in Christo personis recessisse, patet ex hoc, quod illum inter hæreticos numerauit lib. 4. *de fabulis, heret.* & in Concilio Chalcedonensi admissus inter Catholicos fuerit, ibique act. 8. faustis, & honorificis acclamationibus præsens appellatus, Catholicus, & orthodoxus Ec-

clesiæ

clesiæ Pastor, & Doctor. Vndè re ita se habente, præfatus error, tunc extinctus fuisse videtur.

Inter eiusdem erroris sequaces reponitur quoque à nonnullis S. Ioannes Damascenus, qui vixit circa annum Domini 731. quod lib. 1. de fide orthod. cap. 11. propè finem, hæc habeat verba: *Spiritum per Filium esse dicimus, sed ex Filio Spiritum Sanctum non dicimus.* Verùm hic loquendi modus, quo vtitur Damascenus, & alii interdum Patres, non solùm nõ fauet huic errori, sed potius, si sumatur rigorosè, videtur significare, Spiritum Sanctum proximè à solo Filio produci, & remotè referri ad Patrem tanquam ad primum principiũ, à quo Filius ipse processit, virtutemque spirandi accepit: Vt enim argumentatur Diuus Thomas 1. p. q. 36. art. 3. qui procedit ab aliquo per aliquem, non procedit ab illo immediatè. Dicendũ igitur est Damascenum minimè laborasse Græcorum errore circa Spiritus Sancti processionem à solo Patre, vel à solo Filio proximè, à Patre autem remotè; sed, vt placet Bessarioni orat. 9. cap. 6. in fine Concilii Florentini, Gennadio, & aliis, tantum in modo loquendi, non autem in re dissentit à Catholicis, putans esse tutius dicere *per Filium*, quam *ex Filio*, de quo redibit sermo infra.

Circa idem tempus, hoc est anno Christo 767. hunc, qui si non totaliter extinctus, magna tamen ex parte sopitus fuerat, errorem iterum pullulasse colligitur ex Aimonio lib. 4. de gestis Francorum cap. 67. nec non Adone Viennensi, Sigeberto, & aliis in Chronicis; qui referunt tunc celebratam fuisse Synodum in Gallia in villa, Gentiliaco dicta, annuente Pipino Rege, vbi disceptatum est de cultu Sanctarum imaginum, & de quadam alia quæstione, de Sãctissima Trinitate inter Græcos, & Latinos; quam author compendii Adonis, docet fuisse de processione Spiritus Sancti, num videlicet dici posset, ipsum à Patre, Filioque procedere. Videant igitur Græci dum Latinos impugnant, à quibus eiusmodi quæstio primum fuerit mota, & agitata, nempè à Nestorianis, deindè renouata ab impiis Iconoclastis; quodque causam agant Constantini Copronymi, qui ipsorum, etiam sententia, omni ex parte fuit impius, & sceleratissimus Hagiomachus.

Eamdem rursus quæstionem excitatam fuisse Hierosolymis à quodam Ioanne Monacho sub annum 808. testatur idem qui supra Aimoinus lib. 4. cap. 95. cuius occasione missis prius Romam Legatis ad Leonem Papam III. coactum fuit Concilium Aquisgranense à Carolo Magno Imperatore. Verùm Cardinalis Baronius aduertit in eo non dubitatum, vel tractatum fuisse, nũ Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procederet, sed quod tum apud Gallos, tum apud Hispanos additæ fuerũt symbolo quatuor illæ syllabæ, *Filioque*: num id benè factum esset, vt & ita auctum Symbolum in Ecclesia caneretur, vt fusius infra explicabitur.

Omnium primus Photius Patriarcha Constantinopolitanus, Synodo in Græcia celebrata circa annum Domini 860. editoque libro defendit, Spiritum Sanctum à solo Patre, non à Filio procedere, teste Hugone Aetheriano lib. 2. de hæresibus cap. 15. Et quamuis nonnulli conentur ab hoc errore liberare Theophilactum, & Eutymium, qui vixerunt tempore Nicolai I. quadraginta circiter post Photium annis; aliorum tamen iudicio redditur primus, de illo vehementer suspectus, *primò* quod modum loquendi Latinorum acriter notat *secundò*, quod Ioannis cap. 3. versus finem, reprehensis Latinis, docentibus Spiritum Sanctum etiam procedere à Filio, dicat: *Cæterum esse ex Filio Spiritum Sanctum nulla scriptura testatur, vt ne duo principia introducamus Patrem, & Filium*. *Tertiò* quia Ioannes Diaconus Theophilacti contemporaneus narrat lib. 4. vitæ S. Gregorii cap. 75. tunc à translatis eius in linguam Græcam dialogis abrasam fuisse eam particulam

Filio-

Filioque; cum enim Theophilactus inter Græcos vir primariæ esset authoritatis, non leuis coniectura est, id nonnisi eo ita sentiente contigisse.

Postremò tandem eo res deuenit, vt tempore Constantini Monomachi Imperatoris, & Michaelis Patriarchæ Cõstantinopolitani, sub Leone IX. Græci aperto schismate defecerint ab Ecclesia Latina circa annum 1054. audente prefato Michaele proclamare Romanũ Pontificem cum suis excommunicatum esse, eo quod in Symbolo addidissent illud *Filioque* procedit, vt colligitur ex epistola Leonis ad vtrumque, nec non Anselmi de processione Spiritus Sãcti, narratque Sigebertus in Chronico ad dictum annum. Et quamuis in citatis Leonis epistolis, nulla fiat mentio expressa erroris de processione Spiritus Sancti à solo Patre excluso Filio, nec de excommunicatione, ob doctrinam de processione ab vtroque, lata à Michaele in Leonem, qui solùm meminit excommunicationis propter vsum azymorum: constat nihilominus ex appendice ad epistolas Leonis, quæ post eas habetur tomo 3. Concil. part. vlt. de gestis Constantinopoli ab Apocrisariis Leonis, excommunicatum fuisse Michaelem à Niceta dicto Pectorato tum ob alias hæreses, tum ob hanc etiam, quod negabat Spiritum Sanctũ ab vtroque procedere, particulamque *à Filio* expunxerat à Symbolo Constantinopolim misso à Leone, qui illam ei inseruerat, vti patet ex epistola data ad Petrum Episcopum, quæ est quinta. Durauit autem hoc schisma vsque ad Eugenium IV. cuius de causa Concilium Florentinum ab eo celebratum est anno 1439. Vbi licet Græci conuicti argumẽtis cessserint, postmodum tamen ad vomitum reuersi sunt, huncque errorẽ, inter alios, de processione à solo Patre excluso Filio, maior pars eorum vsque in hodiernum diem pertinaciter retinet, illi consentientibus Georgianis, Cophtis, & Armenis.

At contra hos omnes stat authoritas Ecclesię Romano-Catholicæ, quam solam esse veram Christi Ecclesiam, gaudereque consequenter supponimus priuilegio infallibilitatis in rebus fidei, quę semper oppositum credidit, videlicet Spiritum Sanctum proximè, & immediatè à Patre, & Filio procedere, fidelibusque credendum proposuit, tanquàm diuinitus reuelatum.

Prima huius veritatis definitio, vel explicatio, tribuitur Concilio Alexandrino in epistola, quam cum Cyrillo scripsit ad Nestorium, quem supra vidimus primò oppositum docuisse errorem, vbi paulò ante anathematismos hæc habentur verba: *Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est: sed & perindè quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit*. Quamuis enim aliqui interpretes verterint, *emittitur*, alij verò *effunditur*: Peltanus tamen transtulit, *procedit*: quemadmodum in antiqua Conciliorum compilatione habebatur; cęterum etiam si legendum esset, *emittitur*, vel *effunditur*, nihil interesset, talia enim verba de Spiritu Sancto dicta, significare eius processionem inferius ostendemus. Hec autem epistola, quia nedum fuit Concilii Alexandrini, sed insuper à multis aliis Concilijs Generalibus authoritate Sedis Apostolicæ cõfirmatis approbata reperitur, Ephesino, quod est Generale III. cap. 14. aliis 26. 2. p. tom. 1. Chalcedonensi, quod est Generale IV. act. 5. Constãtinopolitano II. quod est Generale V. act. 6. aliis collat. 8 & iterum can. 13. vbi anathematizantur defendentes ea, quę Theodoretus scripsit contra duodecim capitula Cyrilli, videlicet, quæ in eadem epistola continentur: Constantinopolitano III. quod est Generale VI. act. 17. Nicęno II. quod est Generale VII. act. 7. siue 8. Præfata, inquam, epistola à tot Conciliis Generalibus approbata, non potest non haberi pro definitione fidei Catholicæ. Et licet Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum III. Nicenum II. eius exemplar non referant, illud tamen refert, & approbat Constantinopolitanũ II. Ni-

II. Nicænum autem II. dicta act.7. quæ est vltima, referens, & approbans Symbolum Nicænum conscriptum in primo Generali Concilio, addit: *Qui ex Patre Filioque*, vel vt alii legunt, *per Filium procedit*. Cum tamen illud Concilium maxima ex parte fuerit Græcorum Patrum.

Nec refert, quod Græci recentiores in Concilio Florentino sess.6.& 7. dicebant in suis codicibus non ita haberi: cū Andreas Theologus Ecclesiæ Latinæ ibidem testificatus sit, se habuisse codicem vetustissimum manuscriptum, vbi ita legebatur, nullumque erat corruptionis vestigium. Parum quoque interest, quod asserunt aliqui, in Græcis exemplaribus dicti Concilii Generalis VII. legendum esse, *procedit ex Patre per Filium*; hunc enim modum loquendi, quo frequentius vtebantur Patres Græci, idē prorsus valere, quod apud Latinos *à Patre, & Filio*, demonstrabimus infra.

Hęc eadem veritas inter Latinos primùm à Leone Magno videtur definita, tum à Concilio Toletano II. eiusdem authoritate congregato recepta; cum enim in epist. 93. ab eo ad Patres eius scripta, in qua damnantur Priscillianistarum errores, hæc cap. 1. verba ponantur; *Primo itaque capitulo demonstratur, quam impiè sentiant de Trinitate diuina, qui & Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vnam, atque eamdem asserunt esse personam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur; nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de vtroque processit*, &c. tanti ponderis fuerunt æstimata, vt ea mox, tanquam sacrum diuinitus allatum oraculum receperint, superaddiderintque fidei symbolo de Spiritu Sancto, *à Patre, Filioque procedit*.

Idem præstitit Toletanū III. sub Pelagio II. anno Domini 589. præside eius nomine, S. Leandro Episcopo Hispalensi; vbi Patres in fidei confessione cap.2. dixerunt *Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere*; & iterum in alia fusiori confessione fidei, quæ incipit, *Præcipiente*, Can. 3. anathematizatur, *Quicumque Spiritum Sanctum non credit à Patre, & Filio procedere*. Toletanum IV. sub Honorio anno 633. cap. 1. VI. sub eodem, anno 636. cap. 1. VIII. sub Martino I. anno 653. XI. sub Adeodato, anno 675. in confess. fidei. Quæ omnia Concilia celebrata fuere ante sextam Synodum Generalem contra Monothelitas.

Eadem veritas in Concilio Anglicano anno Domini 679. confirmata est, sub præsidio Theodori Doruernensis Episcopi, hic enim Sanctus natione Gręcus, meritis insignis, Sanctis quibuslibet veteribus comparandus, atque doctrina clarissimus, in fidei professione ibi edita, æque cum vniuersa Ecclesia Catholica asseri voluit *Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere*; sicut non à Latinis tantum, sed & à Sanctis Orientalibus doctoribus affirmari certò sciebat.

Sequenti anno 680. Agatho Papa celebrauit Romæ Synodum 125. Episcoporum; in quarum epistola Synodali ad Constantinum Imperatorem, & ad fratres de fide Catholica contra Monothelitas, quæ habetur in sexta Synodo Generali act. 4. eodem anno Constantinopoli celebrata, expressè sancitum fuit Spiritum Sanctum ab vtroque procedere: *Credimus*, inquiunt, *& in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificatorem ex Patre, Filioque procedentem*. Quē tamen locum postea corruptum fuisse abrasa particula, *Filioque*, conquestus est Iulianus Cardinalis in ea disputatione, quam habuit cōtra Græcos in Concilio Florentino; idque ipsum longè ante ab Emmanuele Caleca Græco authore detectum fuerat.

In Concilijs Foroliuiensi anno 791. Francofordiensi anno 794. Adriano I. Pontifice, & Carolo Magno Imperatore, nec non Aquilgranensi authoritate Leonis III. congregato, anno Domini 809. missis in hunc finem ad eum Legatis ab eodem Carolo Magno, item Arelatensi sub ijsdem anno 813. defini-

ta quoque habetur processio Spiritus Sancti à Filio; tractatumque fuit in Aquisgranensi vtrum ad maiorem huius veritatis explicationem posset addi Niceno Symbolo, siue dixerimus Constãtinopolitano, particula *Filioque*, prout Franci illud cum tali additamento canebant. De quo vide Baronium ad præfatum annum. In Concilio etiam Vvormatiensi anno Domini 868. Adriano II. Pontifice, & Ludouico item II. Imperatore præclara eiusdem veritatis confessio reperitur.

Postea anno 1097. in Apulia celebratum est sub Vrbano II. Concilium Barense pro Græcis cum Romana Ecclesia conciliandis; vbi Sanctus Anselmus euidentissimis argumentis eos cõuicit, Spiritum Sanctum à Filio etiam procedere. Cuius concilii meminit ipse lib. de processione Spiritus Sancti c. 4. rem verò totam fusius narrat, vt testis oculatus author vitæ Anselmi lib. 2. Cõcilii enim acta non extant.

Cum circa annũ Domini 1215. Græci cum Latinis essent coniuncti, celebratum fuit Concilium Generale Lateranense, omnium vtique, quæ in Europa habita sunt, celeberrimum. Præfuit namque in eo Innocentius III. Papa: interfuerunt duo Patriarchæ Orientales, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus. Antiochenus morbo præpeditus, suos legatos misit. Idem quoque fecit Alexandrinus Patriarcha, qui ab Aegyptiis, ne proficisceretur, impeditus fuit. Archiepiscopi tum Græci, tum Latini 70. Episcopi 400. Abbates 12. Priores conuentuales 800. simul omnes Patres fuerunt 1285. Legati Romani, & Græci Imperatorum. Oratores Regum Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri. In hoc tam solemni Concilio, præsentibus etiam Græcis, & consentientibus, vt constat ex cap. 4. definitum fuit Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere. Vndè in cap. *firmiter* de SS. Trinitate, & fide Catholica sub init. decernitur: *Filius à Patre solo, Spiritus Sanctus pariter ab vtroque*, &c.

Quod magis adhuc fuit explicatum in Concilio Generali XIV. *Lugdunensi* II. sub Gregorio X. anno Domini 1274. in quo opera, & industria S. Bonauenturę Cardinalis cum Latinis Græci rursus coniũcti sunt, & conciliati super articulo de processione Spiritus Sancti. Definitum est enim *eum ex omni aeternitate à Patre, & Filio procedere, sed non tanquam à duobus spiratoribus, sed ab vno spiratore, & principio: neque duabus spirationibus, sed vnica tantum spiratione*. Græci enim putabant, Latinos asserere, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, tanquam à duobus spiratoribus, & principiis, duabus quoque spirationibus, non vna. Tum Græcis pręsentibus simul, & consentientibus, die Iunii 29. in festo Apostolorum Petri, & Pauli Papa Gregorius celebrauit missã, in qua cantatum est Symbolum primũ Latinè, deindè Græcè à Patriarcha Gręco, & Græcis, repetita ter illa particula, *Filioque*. Et post quartam sessionẽ, rursum bis à Græcorum Patriarcha, & aliis Græcis eadem particula fuit decãtata; vndè non ter Græcè, & ter Latinè id præstitum est, vt dicunt aliqui, sed bis Latinè, Græcè verò quinquies. Primum Cardinales Latini inceperunt. Secundum Papa inchoauit, & totum Concilium perfecit. Verum hæc concordia Græcorum cum Latinis decima tertia, procurante eam Palæologo VII. Imperatore Constantinopolitano, non diu perdurauit sicut nec præcedentes.

Tandem in Concilio Generali Florentino anno salutis 1438. cui præfuit Eugenius IV. interfuerunt autem Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus, qui postea Florentiæ obiit, Ioannes Palæologus Imperator Orientis, multique Latinorum, & Gręcorum Episcopi; post longas, & exactas disputationes Græci vltimò conuenerunt cum Latinis super quinque fidei articulos, quorum primus fuit de processione Spiritus Sãcti, videlicet, vt sicut Latini dicunt, *ex Patre Filioque procedere*, Græci more suo dicerent, *ex Patre per Filium procedere*,

eò quod

cò quod vnus, idemque esset sensus; quartus autem, quod Latini merito addidissent Symbolo particulam *Filioque*.

Totius autem rei series sic se habet. Ferrariæ act.3. incipiente Marco Ephesio, agitata est de Additaméto, sic enim appellauit particulam *Filioque* Symbolo adiectam, quæstio; respondente Andrea Rhodio.

Sessione 4. nihil sancitum fuit, sed tantum actum de modo præfati Additamenti, aut tollendi, aut retinendi.

Sessione, vel act.5. multa ab Ephesio dicta sunt pro auferendo additamento, adductis potissimum in medium omnibus Symbolis Synodorum, à I. Generali Nicæna, vsque ad VII. quæ fuit Nicæna II. in quibus, vt nunquam illa particula *Filioque* vel addita, vel permissa fuerat, ita nec deinceps admitti debuisse conabantur demonstrare.

Sessione 6. ostendit optimè Andreas Rhodius, præfatam particulam *Filioque* Symbolo adiectam, non tam esse additamentum, quam declarationem, vel explicationem, quod persona filii, cum omnia præter relationes, quibus opponuntur, sint vtrique communia, cómunem quoque habeat cum Patre spirandi virtutem necesse sit.

Sessione 7. continentur ea testimonia, quibus euidenter probatur, nedum licuisse, sed etiam necessarium fuisse illam particulam Symbolo inserere: recensenturque declarationes per nouas particulas Symbolo Nicæno additas, quæ in Constantinopolitano extant. Postea referuntur Patres tum Græci, tum Latini, qui *à Filio Spiritum Sanctum procedere* dixerunt. Sunt autem Græci Athanasius, Basilius, Gregorius Nissenus, Epiphanius, Chrisostomus, Cyrillus, Anastasius Sinaita, Maximus, Tharasius, Ignatius Patriarcha Constãtinopolitanus.

Sessione 8. & 9. impugnatur ab Episcopo Niceno responsio Andreæ Rhodii; multisque ab eo prætenditur licitã non fuisse illius particulæ *à Filio* additionem.

Sessione 10. Ioannes Foroliuiensis soluit obiecta Episcopi Nicæni; Sessione verò 11. Iulianus Cardinalis Ioannis dicta confirmat.

Sessione 12. Ex Symbolo imprimis Charisii lecto in Concilio Ephesino, declarationes fieri posse in Symbolo probat contra Ephesium Iulianus. Sequẽtibus sessionibus vsque ad 17. quæ 1. Florentiæ habita est, nulla expressa fuit disputatio.

Sessione 18. cæpit disputari ex instituto à Ioanne Theologo Latino de Processione Spiritus Sancti à Filio, contradicente Marco Ephesio; pręcipuaque fuit controuersia de mente Diui Basilii; de qua etiam sess.19. & aliis ad 24. disputatum est acerrimè inter eosdem.

Sessione 24. persuasum est à Ioanne multorum Patrum authoritate, procedere etiam à Filio Spiritum Sanctum. Tandem sessione 25. & vltima, præclara à Bessarione Nicæno habita est oratio ad Græcos suos, qua ijs demonstrauit veritatem istam Processionis Spiritus Sancti à Filio, hortatusque illos ad vnionem cum Latinis ineundam; pro vt secuta est, primum admittentibus Græcis Spiritum Sanctum emitti, & effundi ex Filio, & à Filio; tum procedere ex Patre, & Filio tanquam ex vno principio; ac demum in litteris vnionis ea veritas ab Eugenio IV. his definita est verbis: *Definimus vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteãtur, quod Spiritus Sãctus ex Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, et ex vtroque æternaliter tanquam ab vno principio, et unica spiratione procedit*. Ab eodem quoque Eugenio Symbolum cum hac particula *Filioque*, traditum fuit Armenis, vti habetur in decreto ad finem Concilii.

En quibus potissimum locis habetur Ecclesiæ Catholicæ definitio, circa processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio, præcipua autem Scripturę loca, quibus innititur, & hæc veritas, vt diuini-

uinitus reuelata habetur, sunt sequentia.

Ioannis cap. 15. v. 26. vbi Spiritus Sanctus dicitur mitti à Filio: *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittã vobis à Patre Spiritũ veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*: & cap. 16. *Cum abiero mittam eum ad vos*. Etsi enim Christus apertè, expressisque verbis non dicat Spiritũ Sanctum à se procedere, fortasse ne minus humiliter de seipso loqui videretur; vel quia id apud homines potius minuere, quam commendare poterat eius testimonium; nam cum de ipsomet ageretur; suspectum alta nõdum sapientibus Spiritus Sancti testimonium reddidisset, si expressè dixisset à se procedere. Attamen quia missio in personis diuinis denotat processionem, seu emanationem personæ missæ ab ea quę mittit, consequens est, vt Spiritus Sanctus non sòlùm à Patre, sed etiam à Filio, tanquam vnico principio producatur, cum ab vtroque in scriptura mitti dicatur.

Vndè mirum est, quomodo ex hoc loco Græci sui erroris occasionem acceperint, quod dictum sit, *à Patre procedit*; debuissent enim aduertere, non esse dictum à solo Patre, sed à Patre procedere, quod nos fatemur, sed vltra affirmamus, simul à Filio procedere, & hoc ipsum significatum est, dum dixit Christus, *quem ego mittam vobis*; non enim mitteret Filius Spiritum Sanctum, nisi ab ipso mittente ęternaliter procederet, sicut Filius mittere Patrem non potest, quia ab eo Pater non procedit; at Pater Filium mittit, quia ab ipso procedit. Et hæc etiam causa potest esse, cur non fuit necessarium dicere, qui à Patre, & à me procedit; iam enim ipsum esse, & procedere à Filio sufficienter indicauerat dicendo, *quem ego mittam vobis*; quare, vt eum etiam immediatè à Patre procedere ostenderet, adiecit, *qui à Patre procedit*, si quidem defuturi non erant hęretici, qui Spiritum Sanctum solius Filii esse spiritum proximè, & immediatè, non autem Patris affirmarent, vt de Eunomio referre Basilium lib. 2. contra eumdem iam supra notauimus. Vel insuper ex Augustino lib. 3. contra Maxim. cap. 14. Christus vsus est tali modo loquendi, specialiterque tribuit Patri productionẽ Spiritus Sancti, quia est author, seu principium in quo, & à quo est virtus spirandi; sicut à Dionysio cap. 2. de diuin. nominibus vocatur, *fons Diuinitatis*. Deindè vt aduertit Anselmus lib. de procesſ. Spiritus Sancti, per hæc verba; *qui à Patre procedit*, non excluditur Filius, quia in his, quæ non repugnant filiationi, quidquid attribuitur Patri, intelligitur attributum Filio. Quam responsionem prius dederat Cyrillus Theodoreto in defensione noni anathematismi dicens: *Procedit à Patre Spiritus Sanctus secundum Saluatoris vocem: sed non est alienus à Filio, omnia enim habet cum Patre, & hoc ipse docuit*. Hic ergo Ioannis locus, tantum abest, vt Græcorum errori faueat, quin potius eum redarguit, & conuincit Spiritum Sanctum nedum à Patre, verum etiam à Filio simul procedere.

Quod enim respondent Græci Spiritum Sanctum dici missum à Filio, non quod verè ab eo procedat, aut quantum ad personam ipsam mittatur, sed quia Filius largitur, & confert hominibus dona, & charismata Spiritus Sancti. Qua etiam ratione dicebant ijdem Græci in Concilio Florentino sesſ. 23. Spiritum Sanctum scaturire, hauriri, & effundi à Filio, non tamen procedere: quoniam per priora illa verba denotari tantum videtur largitio donorum eiusdem Spiritus Sancti. Refellitur primò ex illo Pauli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Quæ verba duo significant: primum, infusionem charitatis, vna cum aliis Spiritus Sancti donis eam concomitantibus: secundum verò, quod Spiritus Sanctus datus sit nobis, ac proindè Spiritus sancti persona data, & missa; quæ datio, & missio temporalis cum sit à Filio, necesse est, vt ab eo æternaliter procedat Persona Spiritus San-

Sancti. Nam cum Spiritus sanctus sit vnius, eiusdemque cum Filio naturę, ac proindè per omnia illi æqualis, vt libenter Gręci admittunt, si quando ipsi aliquid tribuitur, quod minoritatem quamdam à Filio denotare videtur, vt cum dicitur, mitti à Filio, loqui à Filio, & sic de cæteris, talia non possunt Spiritui sancto respectu Filii alia ratione tribui, aut de illo intelligi, nisi ratione originis, secundum quam est ab illo, & habet ab illo quæcumque habet. Authoritas enim, quam semper mittens dicitur habere supra missum, non est in diuinis nisi secundum originem. Vndè sequitur, quod Spiritus sanctus originetur à Filio, à quo dicitur datus, & missus. Prętereà sicut vbi Pater dicitur misisse Filium suum in hunc mundum, intelligitur missio ipsius personæ Filii, & non solum donatio sapientię, aut aliorum donorum, quæ ipsi per quamdam appropriationem attribui solent; ita etiã vbi scriptura dicit, Filium mittere Spiritum sanctum à Patre, intelligendum est, quod ipsa etiã persona Spiritus sancti ab eo mittatur. Tandem si Spiritus sanctus diceretur à Filio missus, non eo sensu, quod verè ab eo procedat, sed quia Filius largitur, & confert hominibus dona Spiritus sancti, ita vt ad missionis actum nihil aliud requireretur, quam societas, & communitas in operibus externis, sequeretur posse etiam Patrem dici missum à Filio, & vtrumque à Spiritu sancto; hoc autem esse falsum satis patet, necessum igitur est, vt missio, præter externum opus, includat adhuc realem emanationem ab alia persona mittente.

Si instent Græci, & dicant, quod etiã Filius dicitur mitti à Spiritu sancto. Isaię 48. *Nunc Dominus misit me, & Spiritus eius*: item 61. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me*; & tamẽ Filius non procedit ab illo. Respondetur hęc, & similia omnia intelligi de Christo Domino secundum humanitatem solum considerato, non autem secundum naturam diuinam; sic enim Filius Dei à solo Patre fuit missus ad incarnandum se; sed postquam incarnatus est, mittitur à Patre, & à Spiritu sancto, nec non etiam à semetipso ad prædicãdum, quatenus actiones sacrosanctæ humanitatis Christi dirigebantur à tota Trinitate. Cum ergo Spiritus sanctus mittatur à Filio, & non in natura hypostaticè assumpta, & vnita, quippè qui nullam sibi sic vniuit, dicendus est mitti in natura diuina; atque adeo procedere vt subsistens in eadem natura à Filio.

Alter locus ad comprobandam Spiritus sancti etiam à Filio processionem habetur eiusdem Sancti Ioannis cap. 16. ex persona filii de Spiritu sancto dicentis: *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Quo loco vt frequentius vtuntur Patres Græci, & Latini inferius adducendi, ita eo vehementius Gręcos impulit Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. & 19. ostendens idem esse apud Patres, *Accipere*, atque *procedere*. Constat autem, quod non accipit à Filio Spiritus sanctus, quasi non habens, quia sic esset mutabilis, & indigentis naturæ, vt existimarunt aliqui hęretici, quorum meminit Cyrillus lib. 13. Thes. cap. 4. asserentes Spiritũ sanctum participatiuè esse sanctum, nõ natura; nam quod, inquiunt, accipit ab altero participatiuè, non autem natura tale est: sed quod necessariò accipit ab ęterno; non potest igitur accipere aliquid à Filio, quod non sit eius essentia ab æterno, atque adeo quin procedat ab illo, sicut & à Patre. Quare illud futurum *accipiet* intelligendum non est, quasi tunc, quando hęc dicebantur à Christo, non accepisset, vel nondum acceperit, sed quia omnia tempora cõprehendit æternitas, pręsens, præteritũ, & futurum; & ita vnum tempus in ea exprimitur, vt alterum non excludatur; quoniam tamen Christus hic loquitur

de

de Spiritu sancto à se ad Apostolos mittendo, & tunc legati solent instrui, quãdo mittuntur, ideo dicit, *quacumque audiet*, &, *de meo accipiet*, in futuro, non in præsenti, aut præterito.

Similiter illa particula, *de meo*, non significat idem ac *de meo thesauro*, scilicet Patre, à quo etiam Filius accepit essentiam, vt interpretantur Euthymius, & Theophilactus; ita vt denotetur solũ, quod Spiritus sanctus accipiat, id quod est Filij, non tamen accipiat à Filio, siue quod accipiat essentiam diuinam, quæ est Filij à Patre. Hæc enim, aliæque similes interpretationes facilè conuincuntur falsitatis ex ratione, quam ipsemet Christus statim subiunxit dicens: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet*. Etenim genuinus horum verborum sensus est, Filium habere, ac vendicare omnia, quæcumque competunt Patri, ijs demptis, quæ ad Paternitatem spectant, seu ad oppositionem relatiuam Patris: habere denique omnia præter esse Patrem, vt explicant Diuus Cyrillus anathematismo 9. aduersus Theodoretum, Diuus Augustinus commentarijs ad hunc locum, nec non lib. 5. de Trinit. cap. 14. Si igitur omnia quæ sunt Patris modo dicto, sunt etiam Filii, oportet quod authoritas Patris, secundum quam est principium Spiritus sancti, sit etiam Filij, siue quod spiratio actiua sit communis Filio cum Patre: si quidem spiratio hæc à paternitate distinguitur, & alia est ab ea eminenter, seu virtute, nec constituit Patrem præcisè in ratione Paternitatis, sed tantùm Spiratoris. Sicut ergo Spiritus sanctus accipit de eo, quod est Patris à Patre, ita accipit de eo quod est Filij à Filio. Proptereaque etiam Christus dixit *de meo*, non *de me*, vt melius significaret, quod Spiritus sanctus accipit ab ipso non filiationem, ac proinde non totum quod est Filius, sed ea tantum, quæ sunt communia Patri, & Filio.

Tertiò eiusdem S. Ioannis c. 20. v. 22. habetur de Christo suos alloquente Apostolos; *Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum*: ex quo loco plures Sancti Patres inferius citandi deduxerunt processionem Spiritus sancti à Filio, quorum authoritas, graueque iudicium sufficit nobis, vt pro petulanti, & inepto habeatur Theophilacti risus, quo vnus omnium scriptorum veterum spernit desumptum ex illo argumentũ. Pro cuius maiori luce duo sunt prius adnotanda; primò quid per Spiritum, qui datus dicitur, intelligendum sit; secundo cur tali ritu, hoc est discipulis insufflando datus sit à Christo Domino. Circa primum nonnulli hac ratione moti, quod Spiritus sanctus promissus fuisset post ascensionem dandus Ioann. 16. v. 7. *Si ego non abiero Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero mittã eum ad vos*, docuerunt Christum tunc sanctum non dedisse Spiritum, sed gratiam, per quam Apostolos ad illum postea accipiendum idoneos efficeret, vt sit sensus, *Accipite Spiritum sanctum*, aptos, & idoneos ad suscipiendum Spiritum sanctum vos facio. Verum hæc interpretatio violenta est, verbisque accommodari non potest: accipere enim Spiritum sanctum, non est idoneos fieri, vt postea accipiant: sed tunc ipsum accipere, est tunc ipsum dari; impropria enim, contortaque locutio est, accipe hoc, id est, aptum te facio, vt postea accipias. Hæc igitur verba Christi Domini, *Accipite Spiritum sanctum*, intelligenda sunt de vera, ac reali datione personæ Spiritus sancti, atque adeò, quod æternaliter à Filio procedat. Argumentum autem in contrarium adductum ex authoritate S. Ioannis, nullius est roboris, non enim, respondent aliqui dixit Christus se non daturum Spiritum sanctum, antequam ad Patrem abiret; sed non missurum esse, hic autem non tam misisse, quam dedisse dicitur, *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum*: est enim differentia inter mitti, & dari Spiritum sanctum, quod tunc mitti dicitur, cum eius persona sub visibili apparet specie, vt cum baptizato Christo Domino columbæ specie descendit, & die Pentecostes

stes specie ignis, atque linguarum: dari verò, quando ipsius dona, & virtutes infunduntur, absque vlla prorsus figura externa. At quia posset aliquis contra hanc responsionem instare dicendo, Spiritum sanctum etiam in præsenti visibiliter Apostolis datum fuisse, sub signo, & forma exteriori flatus, vt per eum cognoscerent sibi interius Spiritum sanctũ infundi, cuius virtute peccata remissuri erant: dico secundò operationes Spiritus sancti multas, ac varias esse, nunc autem datum, seu missum esse, quantum ad vnam nempè potestatem dimittendi peccata: at in die Pentecostes secundum omnem suam plenitudinẽ, qua, vt Apostoli effecti sunt magistri, & rectores sufficientissimi, perfectissimique vniuersi mundi, ita quoque simpliciter promissus Spiritus sanctus loco Ioa. 16. indèque missus, cum complerentur dies Pentecostes. Hoc pacto Hieronymus epist. ad Hebid. quęst. 9. soluit istam dubitationem, & Augustinus lib. 4. de Trinitatem cap. 20. nec non Cyrillus lib. 12. cap. 56. vbi notat, Dominum quidem generaliter promisisse Spiritum sanctum post suam in cęlum Ascensionem, verum, vt se esse authorem, & eum qui mittit, & communicat etiam nobis Spiritum sanctum, significaret, voluisse, antequam ex hoc mundo ad Patrem discederet, illum aliqua ex parte dare, vel mittere, videlicet, quantum ad potestatem dimittendi peccata. Hinc aliud quoque soluitur dubium, quod copiosè Diuus Augustinus agitat tractatu in Ioannem 74. quomodo nunc Christus Spiritum sanctum Apostolis dederit, quem ante vtique iam habebant, nec enim sine illo Christum diligere potuissent, sine quo Apostolus 1. Corinth. cap. 12. v. 3. affirmat nedum posse dici *Dominum Iesum*. Quia scilicet nouo communicatur modo, nemini vnquam dato, hoc est, quantum ad facultatem remittendi peccata: potestatem enim hanc, quam prius sibi soli Deus reseruauerat, postquam Dei Filius homo factus est, liberaliter hominibus concessit. Meritò autem Christus Dominus nullum aliud nunc donum dedit Spiritus sancti, quam potestatem remittendi peccata, quia ipse solus mortuus fuerat ad tollenda mundi peccata; quam enim sua morte potestatem comparauerat, ipse eam tanquam Ecclesiæ caput, quibus vellet mẽbris impertiri poterat. At Spiritum sanctum in tota sua plenitudine, & abundantia, quia communis sibi cum Patre erat, noluit antequam rediret ad Patrẽ, dare, vel mittere, vt ab vtroque missũ, inde procedere appareret.

Quantum autem ad ceremoniam insufflandi, quam adhibuit Christus communicando Spiritum sanctum Apostolis; certum est flatum illum non fuisse Spiritum sanctum, vt voluit Rupertus existimans Christum reipsa non insufflasse: sed eodem modo insufflasse dici, quo Deus in corpus Adami recenter creati, inspirasse legitur *Spiraculum vitæ* Genes. 2. v. 7. non quod vllo corporeo vsus sit flatu, sed quod ita vitalem illi spiritum dederit, quemadmodum si ore corporis in illum inspirauisset: Certum est, inquam, ex communi interpretum sensu, flatũ hunc non fuisse ipsummet Spiritum sanctum, sed quid ab eo distinctum per modum signi illius, quo denotare voluit Christus Spiritum sanctum ex sua quoque procedere substantia, nam sicut flatus ille sensibilis ex intimo eius expirabatur corpore, ita Spiritus sanctus, quem dabat, à sua diuinitate procedebat; vel Christus sanctum daturus Spiritum insufflauit in discipulos, vt ipsam Spiritus Sancti, quem dabat, naturam declararet, suamque ab eo processionem tanquam ex ore Patris, sicut flatus ex intimo, & arcano sinu pectoris, tanquam ex vitali quodam receptaculo per os emittebatur. Quo etiam reuocari potest locus Psalmi 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*; vocatur enim spiritus oris, id est Spiritus Filii, quia os Dei, sicut & verbum Dei est Filius: eiusdemque generis videtur alter locus Ioelis 2. *Effundam de spiritu meo super*

omnem

omnem carnem, & rursus, *super seruos meos, & ancillas meas in diebus illis effundam spiritum meum*. Etenim, qui ibi loquitur prophetice, est Christus, totusque de illo contextus ad litteram intelligitur, vt ipsemet Diuus Petrus docet act. 2. interpretando præfatum locum de Spiritu Sancto, quem Christus iam sedens ad dexteram Patris misit die Pentecostes, sicut fuerat ante pollicitus. Si ergo Christus hunc spiritum dat, & effundit, vocatque illum spiritum suum, rectè sequitur ab eo realiter procedere, sicut à Patre, vt mox dicetur.

Postremo igitur pro Spiritus Sancti à Filio Processione, faciunt omnia illa noui testamenti loca, quibus Spiritus Sanctus vocatur. Spiritus Filij; Ioannis 14. & 15. *Spiritus veritatis*, id est Spiritus filii, siquidem filius propriè est veritas, eiusdem Diui Ioannis cap. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*; Actor. 16. *Tentabant ire Bythiniam, & non permisit eos Spiritus Iesu*: Romanorum 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*: ad Galatas 4. *Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba Pater*. Nam sicut Christus Dominus dicitur filius Patris, & Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Patris Math. 10. quia habent ab illo procedere; ita etiam Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Christi, seu filij, quia procedit ab illo, & in quantum procedit habet relationem ad illum. Ille enim modus loquendi per genitiuum inter diuinas personas, semper significat relationem procedentis, aut producentis, vt cōmuniter asserunt Doctores. Deinde sicut filius quidditatiuè respicit Patrem generantem, ita etiam Spiritus respicit quidditatiuè os viuentis spirantis. Igitur quemadmodum verbum non potest vocari filius, vel dici eius personæ, quæ non est Pater: ita Spiritus Sanctus non posset vocari Spiritus Christi, seu filij, si non esset persona spirans, vel spirator. Insuper non potest dici Spiritus Filij ea tantum ratione, quia procedit ab eodem principio, à quo procedit filius, nimirùm à Patre; neque quia Spiritus est similis filio. Nam hoc pacto posset etiam verbum appellari filius Spiritus Sancti, quod est absurdum. In tantum ergo Spiritus Sanctus dicitur Spiritus *Filij*, in quantum ad filium refertur, ad illum autem nullo modo referretur, si ab eo nō procederet. Tandem dum Spiritus Sanctus vocatur Spiritus Filij, aut dicitur esse absolutè eius; aut dicitur esse eius, vt Spiritus eius; Si primum, ergo oportet, quod sit aliqua authoritas Filij respectu Spiritus Sancti: & si enim apud nos possit dici aliquis esse alterius secundum quid, qui non habet authoritatem respectu ipsius; sicut cum dicitur, Petrus est socius Ioannis; tamen non potest dici Petrus, esse Ioannis absolutè, nisi sit quædam possessio eius; sicut seruus hoc ipsum quod est, dicitur esse domini. Cum igitur in diuinis non possit esse aliquid seruiens, aut subiectum, sed intelligatur ibi authoritas secundum solam originem, consequēs est, quod Spiritus Sanctus procedat à filio, cuius dicitur esse absolutè. Et idem sequitur, si asseratur Spiritus Sāctus esse filij, vt Spiritus eius: quia Spiritus, secundum quod est nomen personale, importat, vt diximus, relationem originis ad spirantem, sicut filius ad generantem, Vnde apparet nō posse præfata intelligi loca, vt quis posset respondere, quod Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus* Christi, secundùm humanitatem tantùm, quasi ipsum replens iuxta illud Lucæ 4. *Iesus plenus Spiritu Sancto regressus est à Iordane*: quia Spiritus Sanctus est alicuius hominis vt habentis, non autem vt dantis, Christi autem, seu filij est Spiritus Sanctus, vt dantis ipsum, secundum dicta, quibus addere possumus illud 1. Ioann. 4. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quia de Spiritu suo dedit nobis*: & Actor. 5. vbi dicitur, quod *dedit Spiritum Sanctum obedientibus sibi*: Non solum ergo Spiritus

ritus Sanctus dicitur interdum Spiritus Christi, quia Sacrosanctam eius humanitatem repleuit; sed multo magis, quia est ex diuinitate ipsius, siue quia procedit à filio, in quantum est diuina persona, simul cum Patre eum spirante.

Quam autem solidum sit, & efficax argumentum ex dictis, & similibus locis deductum, fidem facit Sanctorum, & veterum Patrum authoritas, qui, vt dicemus infra, illis vsi sunt ad probandam Spiritus Sancti processionem à filio; quodque magis est, Concilium Nicænum I. lib. 2. versus finem §. *Cum sit copiosa*; non quidem iuxta vulgatam dictę Synodi versionem, aut primi illius authographi exemplum: sed eius quod exscriptum, & editum in lucem fuit à Gelasio Cyziceno, latinitate verò donatum à Roberto Belforeo Scoto viro Catholico &c. vbi hæc habētur in responsione Patrum ad Philosophū per Leontium: *Admitte vnam Diuinitatem Patris Filium ineffabiliter generantis, & filij ex eo geniti, Spiritus Sancti ex eodem Patre procedentis, qui & proprius est filij, vt ait Diuus Apostolus Paulus. Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius*: quæ sanè verba cum loco Pauli coniuncta significant Spiritum Sanctum à filio etiam procedere.

Ad eiusdem veritatis probationem nonnullæ quoque suppetunt metaphorę, seu metaphorica nomina, quibus diuinæ Scripturæ interdum significant Spiritum Sanctum; huiusmodi est *digitus*, nam quod Math. 12. v. 28. dicit Christus Dominus: *Si ego in Spiritu Dei eijcio dæmonia*: idem omnino sic refertur Lucæ 11. v. 20. *Si in digito Dei eijcio dæmonia*. Indeque Patres cōmuniter asserunt, vbicumque scriptura nominat *Digitum Dei*, Spiritum Sanctum intelligi; Athanasius disput. contra Arium habita in Concilio Nicæno, & orat. 2. contra Arianos inter med. & fin. Basilius lib. 5. contra Eunom. sect. 15. Chrisostomus homil. 41. in Math. versus med. Ambros. in Psalm. 43. ad illud: *commotionem capitis in populis*, & lib. 7. in Lucam cap. *omne regnum*. Augustinus epist. 119. lib 2. de Trinitate cap. 14. lib. de Spiritu, & littera cap. 16. & in Exod. quæst. 25. Cyrillus lib. 13. Thesauri cap. 2. vbi ad nostrum intentum sic ponderat verba Christi Domini Lucæ 11. *Digitum hic Dei, Spiritum Sanctum nominat: modo enim quodam ex substantia Dei emanat, & naturaliter inde pendet, sicut ex humana manu digitus. Brachium enim, & Dexteram Dei, Filium Dei scriptura vocant. Saluauit enim, inquit, dextera eius, & brachium sanctum eius. Et rursus: Domine sublime est brachium tuum, & nescierunt. Quemadmodum igitur brachium toti corpori naturaliter coaptatur, omniaque facit, quæ menti videntur, iniungere quoque solet digito: sic filium Dei ex ipso, & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus. Ex filio autem naturaliter, ac essentialiter Spiritum sanctum sicut ex Patre prouenire credimus, per quem filius, omnia iniungens, sanctificat.* Eumdem habet discursum S. Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum c. 32. §. 31.

Hactenus ex verbo Dei scripto, nunc illi traditum accedat, in veterum Patrum libris contentum, qui de sæculo in seculum, tanquam dogma fidei processionem Spiritus Sancti à filio concorditer docuere, deque ille debere intelligi propriè, & ad litteram, superius adducta sacræ Scripturæ loca. Primum Græcorum, tùm Latinorum testimonia eo, quo vixerunt ordine proferemus.

Sanctus Marcus Euangelista in Liturgia orat. *hoc facite*, æternum alloquens Patrem hæc habet verba de Spiritu sancto: *Ex te filioque procedens*; quod autem in nonnullis editionibus parentesi concludatur (*filioque*) non debet intelligi, quasi interpres talem particulam, quam in authographo non reperisset, addiderit; sed potius; vt indiceret, tanquam quid notatu dignum, quod iam temporibus Apostolorum, hæc fidei veritas, quam moderni ne-

gant Græci, explicitè cognita fuerit, & credita.

S. Clemens Romanus lib. 6. constitut. Apostol. cap. 11. *Annunciamus vnu Deum, vnius filij Patrem, non plurium; vnius Paracleti per Christum*; hic enim modus loquendi, quod Pater sit principium Spiritus Sancti per Christum, idem valet, ac cum Christo, quodque ex illo consequenter procedat.

Sanctus Ignatius in epist. ad Ephes. alludens ad illa scripturæ loca, quibus filius à Patre, Spiritus autem sanctus dicitur à filio accipere, refert, filium de seipso ad Patrem dixisse: *Ego te glorificaui super terram, opus perfeci, quod dedisti mihi, vt facerem. De Spiritu sancto ait: Ille me glorificabit super terram, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Ergo vterque eorum ipsum glorificat, à quo & accepit, quod faceret, & ipsum prædicat, atque eius verba pronuntiat*. Tali enim illatione significari videtur, eiusque vis in eo posita, quod sicut filius accipit à Patre procedendo, vel procedit à Patre, quia ab eo accipit, ita etiam Spiritus Sanctus à filio.

S. Gregorius Taumaturgus in regula fidei diuinitus accepta, quæ extat in eius vita apud Gregorium Nyssenum, hæc habet: *Vnus Spiritus sanctus ex Deo ortum, & existentiam habens, qui per filium apparuit, imago perfecta filij perfecti*: vbi dum dicit Spiritum sanctum ortum ex Deo habere, significat, vel comprehendit Patrem, & filium, vt vnum principium illius; item, siue illis verbis *per filium apparuit*, denotetur relatio processionis, vt ex professo probat Card. Bessarion in orat. pro vnione cap. 6, talem vim habere verbum, *apparuit*; siue significetur eiusdem Spiritus sancti à filio visibilis missio, habetur veritas intenta, sicut ex hoc, quod vocetur, *imago filij*, non enim alia ratione talis dici potest (quamuis impropriè) nisi quia procedit ab illo, & similis est in natura, licet hanc similitudinem non habeat ex vi processionis formaliter, vt explicabitur tomo sequenti in tract. de Trinitate. Vnde S. Thomas opusculo citato, contra Græcos vtitur hoc argumento, vt probet eorum Patres tenuisse Spiritus sancti processionem à filio, quod eum *filij imaginem appellent*, vt Athanasius, Basilius, Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, & Damascenus, quorum loca, agendo de vno quoque, afferemus.

S. Athanasius in suis ad Serapionē epistolis nec nō alibi sæpius allatis locis, vbi Spiritus S. à filio mitti, & accipere dicitur, inde processionem ab eo probat, comparatione facta cū processione filij à Patre: *Istiusmodi*, inquit epistola quæ incipit *litteræ* versus medium, *ordinem, & naturam habet Spiritus ad filium, qualem filius habet ad Patrem*. Sed filius ad Patrem non habet alium ordinem nisi originis, ratione cuius ab eo accipit, & mittitur, venitque in eius nomine: ergo similiter Spiritus sanctus habet ad filium ordinem originis qua procedit ab illo. In epistola autem, quæ incipit *Admiraberis* subinit. adducto eodem loco ait: *Qualem proprietatem cognouimus filium habere cum Patre, camdem comperiemus*, & Spiritum sanctum habere cum filio: & quemadmodum filius dicit: *omnia quæ habet pater mea sunt, sic hæc omnia comperiemus esse per filium in Spiritu sancto*; Si igitur omnia, quæ habet Pater, sunt in Spiritu sancto, & in eo sunt per filium; manifestum est, à filio diuinitatem, & substantiam habere, ac subinde ab illo procedere. Confirmaturque ex eo quod in præfatis epistolis, nec non in serm. 3. Nicæni Concilii, Spiritum sanctum appellet, quamuis impropriè, *imaginem, bonum odorem, & formam filij*: postposito in hoc cū aliis Patribus rigore, & proprietate vocabuli, vt probaret euidentius Spiritum sanctum nedum Patri, & filio consubstantialem esse, verum etiam ab vtroq; procedere, vt importat nomen imaginis.

Insuper cum fontis nomen, alicui personæ Trinitatis, attributum, apud Patres

Patres significet processionis principium, Athanasius, vt ostenderet Spiritum sanctum à filio procedere, cum passim appellat *fontem Spiritus sancti*. lib. de humana natura suscepta versus medium; in serm. Nycen. Concilii, & de Incarnatione Verbi; vt refert Sanctus Thomas opusc. 1. contra Græcos cap 32. § 26.

Item orat. 4 contra Arianos, comparato Patre soli, filio splendori, Spiritu sancto luci, procedenti non à sole tantum, sed etiam à splendore, quæ est similitudo frequens, & familiaris aliis etiam Patribus, satis ostendit Spiritum sanctum ab vtroque procedere; hæc sunt eius verba: *Non enim tria principia, aut tres Patres introducimus quemadmodum Marcionistæ, cum nõ tres soles ad comparationem adducamus, sed vnicum solem, eiusque splendorem, vnicamque ex ambobus lucem.* Rursus serm. vel orat. de Concilio Nyceno: *Mitto*, inquit, *Apostolos in Mundo, non in virtute hominis, sed in virtute Spiritus sancti ex mea essentia profluentis &c. Credẽdum est Spiritui sancto, quod sit veritas Patris, & filij, coessentialis vtrique de essentia eorum profluens*. Et in refutatione contra hypochrisim Meletii ait: *Impossibile Trinitatis gloria Spiritumsanctum glorificari nisi ex Deo per filium progrediendi modo naturam habeat*. Sed omne dubium tollit de mente Athanasii illud Symboli eius ab Ecclesia ipsa Catholica testimonium habentis: *Spiritus sanctus à Patre, & filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Quod enim aliqui respõdent hoc symbolum verè non esse Athanasii, aut si est, particulam *& filio* fuisse additam à Latinis; vtrumque falsum esse ostendit Genebrardus lib. 3. de Trinitate, nec non opusculo de hac re edito, aduersus Valentinum Gentilem, & alios hæreticos.

Primum constat, quia Gregorius Nazianzenus orat. 21. in laudem Athanasii expresse scribit eum, *Imperatori donum verè regium, & magnificum obtulisse, scriptam nimirum fidei confessionem aduersus nouum dogma &c.* Et Sanctus Augustinus variis in locis ex illa tanquam in Ecclesia notissima varias citat sententias, seu versiculos lib. 2. de Trinitate cap. 8. in Enchirid. cap. 36. Psal. 120. epist. 174. ad Pascentium, & serm. 295. de tempore. Secundum autem arguitur, tùm ex eo, quod in Græco etiam Athanasii simbolo legitur eadem particula, *& filio*; tùm quia versiculus, quem refert Diuus Augustinus Psalmo citato: *filius à Patre est, non factus, nec creatus, sed genitus*, indicat in sequenti versiculo particulam, *& filio*, fuisse ab eodem Athanasio positam. Nam exclusiua dictione non debuisset vti circa processionem filii, vel debuisset etiam illa vti circa processionem Spiritus sancti, versu proximè sequenti, nisi mens Athanasii fuisset ostendere discrimen vtriusq; processionis, non solum in eo, quod Spiritus sanctus non est genitus, sed etiam quod non procedit a solo Patre, sed à Patre simul, & filio. Tum denique quia Concilium Toletanum, quod IV. appellatur, Honorio I. Pontifice celebratum anno Christi 633. ante Græcorum Schisma exhibet idẽ Athanasii Symbolum, seu fidei confessionẽ cum particula *à Patre, & filio*, his verbis: *Spiritum sanctum nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre, & filio profitemur*. Eiusdem modi est adhuc in VI. Toletano sub eodem Honorio anno Christi 638. celebrato testimonium cap. 1.

Ita igitur clarè, & apertè constante de mente Diui Athanasii circa processionem Spiritus sancti *à filio*; consequens est; nihil huic veritati contrariũ accipi posse ex nonnullis subobscuris eius verbis in quæstionibus *Quid est Deus*, si tamen inter legitima eius opera computari debeant, vbi quæstione 11. & 12: sæpe repetit, *Solum Patrem esse vnicam causam, quæ emittit Spiritum sanctum: filium autem esse causatum, & non causam*; nomine enim causæ significare

ficare tantum voluit primum principium, non ducens originem ab alio principio, seu primum fontem, cuiusmodi solus Pater est, etiam respectu Spiritus sancti, si quidem filius est principium de principio. Vnde, licet Ioãnes Theologus Latinorum nomine in Concilio Florentino sess. 24. profiteretur, *Patrem unicam filij sanctique Spiritus causam esse*. Quod etiam ex Latinis Græci repetunt sess. 25, hoc tamen non obstante Spiritum sanctum etiã à filio procedere, fuit pręcipua conclusio totius disputationis hac de re in præfato Concilio, tàm acriter, ac diligenter habitæ; vnum enim minimè aduersatur alteri, de quo etiam redibit sermo inferius.

Dydimus Alexandrinus lib. 2. de Spiritu sancto, qui extat inter opera Sancti Hieronymi, quoniam illud opus latinitate donauit, hæc habet: *Saluator qui & veritas, de spiritu ait: Non enim loquetur à semetipso, hoc est, non sine me, & sine Patris arbitrio, quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate: quia non ex se est, sed ex Patre & me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit, & loquitur, ex Patre, & me illi est. Ego veritatem loquor, id est inspiro, quę loquitur; siquidem spiritus veritatis est &c. Licet à Patre procedat spiritus veritatis, & det illis Deus Spiritum sanctum petentibus se: tamen quia omnia, quæ habet Pater, mea sunt, & ipse spiritus Patris meus est, & de meo accipiet*.

Sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus Catechesi 17. *Diuersæ quidem sunt spiritus appellationes, sed ipse vnus tantum est, atque idem Spiritus sanctus, viuens, & subsistens, qui vbique Patri, & filio adest: non qui ab ore, & labijs Patris, & filij eloquendo formetur, vel effletur, aut in aerem diffundatur, sed substantialis, loquens ipse, & operans, administrans, & sanctificans: sed per stabilem tamen & consonam vnius existentis salutaris administrationis in nos, quæ fit à Patre per filium cum Spiritu sancto.*

Diuus Basilius lib. 2. contra Eunom. versus finem ait: *Illud verò cui non patet, quod nulla filij operatio à Patre diuisa est? Nec est aliquid in rebus, quod filio insit, & à Patre alienum sit. Omnia, inquit, mea tua sunt, & tua mea. Quomodo ergo spiritus causam, & originem Vnigenito soli attribuit, & ad eius accusandam naturam, huius creationem accipit?* Videlicet Eunomius, qui asserebat spiritum esse creaturam solius Vnigeniti; quem Basilius refellit, non solum quia Spiritus sanctus non est creatura, sed etiam quoniam originem ducit non à filio tantùm, sed etiam a Patre, quia omnia, quę filius habet, habet etiam Pater, ac vice versa, iis duntaxat in quibus relatiuè opponuntur exceptis. Vnde postea ponderat Euangelii, & Apostoli verba, quibus Spiritus sanctus appellatur non modo Spiritus Dei, sed etiam Spiritus Christi, vel filii, vel veritatis.

Rursus lib. 3. contra eumdem respondens ad ipsius consequentiam, *Cur inquit, necesse est, si dignitate, & ordine tertius est Spiritus sanctus, natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate namque ipsum secundum esse à filio, cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit: natura vero tertium, neque ex sanctis scripturis didicimus, neque ex prædictis possibile est colligere* Græcis autem in Concilio Florentino causantibus hunc Basilii locum fuisse à Latinis corruptũ, quod in nullis codicibus Græcis illa verba, *cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat*, haberentur; Latini protulerunt Græcum codicem ante 600. annos scriptum, in quo continebantur. Atque illa fuisse à Græcis Schismaticis abrasa postmodum in aliquibus exemplatis, probat contextus ipse, inde enim arguit Basilius, spiritum esse dignitate, & ordine secundum à filio, non tamen natura; quia sicut filius est secundus à Patre, quoniam ab illo habet esse, ita quoque spiritus est secundus à filio, vbi nisi subintelligatúr, quod prius dixerat, nimirum Spiritum

sanctum

ſanctum *ab ipſo eſſe habere*, *& omnino ab illa cauſa dependere*, ſumpta cauſa more Grecorum largo modo pro principio; claudicat argumentum, vel diſcurſus Baſilii, & comparatio diſcrepat. Illius verba ſunt: *Nam quemadmodum filius ordine quidem à Patre ſecundus eſt, quoniam ab illo eſt: & dignitate, quoniam origo atque cauſa eſſendi Pater ipſi eſt, & quoniam per ipſum acceſſus, & adductio ad Deum Patrem: natura verò nullo modo ſecundus, quoniam in vtroque vna eſt Deitas: ita videlicet & Spiritus ſanctus, & ſi dignitate, & ordine ſecundus à filio eſt, non tamen veriſimiliter aliena ipſum eſſe natura inde conſequitur:* Confirmaturque ex eo, quod iuxta communem Theologorum ſententiam, ſi Spiritus ſanctus non procederet a filio, non haberet ordinem ſecundi reſpectu illius; recteque proinde Baſilius hic apertè docet, dignitatis ordinem, eſſe originis ordinem.

Id ipſum non minus clarè tradit lib. 5. tit. 6. vbi ait: *Chriſtus eſt imago inuiſibilis Dei, imago verò filij ſpiritus*: & titul. 11. *Quod ſicut filius ad Patrem ſe habet, ſic & ſpiritus ad filium. Propterea & Dei quidem verbum filius eſt, filij autem verbum ſpiritus*. Etſi enim impropriè verbum, & imaginem appellauit Spiritum ſanctũ, vt minimùm tamen intendit aſſerere Spiritum ſanctũ procedere à filio, quemadmodum filius procedit à Patre. Colligiturque euidenter ex ſequenti titulo 12. vbi propoſita quæſtione; *Cur & ſpiritus filius filij non dicitur?* reſpondet: *Non quia non ex Deo per filium*. Quod enim ſupponit quæſtio, videlicet Spiritum ſanctum à filio procedere, id magis expreſsè affirmat ſolutio concedens Spiritum ſanctum eſſe à Deo Patre per filium. Ni autem id queſtioni præſuppoſitum fuiſſet omnino nulla fuiſſet ratio dubitandi. Manifeſtum namque eſt, nullam perſonam eſſe filium alterius, à qua non procedit. Tandem lib. de ſpiritu ſancto cap. 17. repetit quod *Quemadmodum ſe habet filius ad Patrem, ita ad filium ſe habet ſpiritus*; & cap. 18. *Natiua bonitas, & naturalis ſanctimonia, & regalis dignitas à Patre per Vnigenitum ad Spiritum ſanctum permanat*.

Vndè Baſilio ita perſpicuè docenti Spiritum ſanctum ex filio procedere, fruſtra opponitur, quod habet in epiſt. 43. ad Gregor. Nyſſenum: *Nullam, ſecundum propriam notionem, communionẽ habet filius cum Patre*: in quantum negatiua huiuſmodi vera non eſſet, ſi filius Spiritum ſanctum produceret: foret enim vnus ſpirator cum Patre, & communem conſequenter cum eo notionem haberet. Reſpondetur enim in iiſdem Baſilii verbis contineri obiectionis ſolutionem, nullam nimirum communionem habere filium cum Patre, ſecundum propriam notionem rigoroſo ſumptam, hoc eſt, pro illa, quæ vni duntaxat perſonæ conuenire poteſt; cuiuſmodi Patri eſt ſola paternitas, & innaſcibilitas, filio autem ſola filiatio, non autem ſpiratio actiua, quã Baſilius ex locis adductis ſupponit non eſſe propriam Patris, ſed communem illi, & filio, dum tam clarè in illis aſſerit Spiritum ſanctum procedere ab vtroque. Poteſt etiam dici huiuſmodi notionem Spirationis actiuè eſſe propriam Patris, filiumque in ea communionem non habere, quod ſolus Pater eſt etiam reſpectu Spiritus ſancti primum principium, non ducens originẽ ab alio principio, filius autem eſt principium de principio, virtute ſcilicet ſpiratiua à Patre vna cum eſſentia accepta; vt iam notauimus ſupra.

Gregorius Nazianzenus orat. 32. ad quinquaginta Epiſcopos, nomine principii multoties diſtinguens perſonam filii à perſona Patris, & Spiritus ſancti, ſubiungit hæc verba: *Nomen principij experti Pater, principio filius, ei autem, quod cum principio eſt, Spiritus ſanctus*: filius autem nullam peculiarem habet principii rationem, quæ nõ competat Spiritui ſancto, niſi eſſe principium ipſius, in quo etiam, ex ſtatim dictis diſtinguitur à Patre, quia eſt princi-

principium de principio, & non expers principij, vt Pater, igitur dicendum est Spiritum sanctum à filio procedere;nec ibi filium vocari principium,id est conditorem creaturarum, vt responderi posset; tali siquidem proprietate,siue per nomen principij hoc modo ad extra sumpti, filius non distinguitur à Spiritu sancto(quod Nazianzenus intendit) sed tantum vna cum illo à rebus creatis, quarum etiam est principium.

Item orat. 37. quę est quinta Theologię,explicans quomodo Filius,& Spiritus sanctus sint eiusdem naturæ cum Patre, nihilque deficiat illis, licet eam diuerso habeant modo, vtitur sequenti exemplo; *Quid tandem Adamus erat? Dei figmentum. Quid Eua? figmenti figmentum, & fœtus. Quid Seth? vtriusque soboles.* Quo sanè exemplo licet in aliquibus claudicante, supponitur Spiritum sanctum à Patre filioque procedere, sicut Seth ab Adamo, & Eua. Nam Adamum Patri comparat, quoniam à nullo homine procedit, Euam autem filio, quia à primo tantum homine procedit. Confirmaturque ex eo, quod ibidem versus finem obseruat à Christo dictum fuisse, *mittam eum*, scilicet Spiritum sanctum, *vt propriam authoritatē ostenderet*, id est, quod sit author, & principium Spiritus sancti. Hoc enim *authoritatis* nomen significat in Trinitate, vt docent omnes Theologi.

Tandem orat: 43. seu tractatu de fide: *Misit*, inquit, *nobis Christus Spiritum sanctum de propria sua, & ex vna eademque substantia, protectorem, signatorem,& ductorem in vitam æternam &c.* orat. verò 50. seu tract. de fide Nicænę Synodi, *Spiritum sanctum*, ait, *Patris,& filij semper in Patre, & filio coeternum esse*: at nec esset filii, nec in filio, nisi procederet ab illo, vt dictum est supra ponderando loca sacræ Scripturæ.

Sanctus Epiphanius hæc habet hæres. 62. *Ex eadem essentia, ex eadem Deitate, ex Patre & filio, cum Patre & filio semper in substantia Spiritus sanctus.* hęres.69. *Quo ostendat*, Christus Dominus, *lumen Patrem, & lumen Patris esse filium, & lumen Spiritum sanctum,& fontem ex fonte ex Patre, & Vnigenito Spiritum sanctum, flumina enim ex aluo ipsius fluent*. hęres. 76. respondens ad cap.1. Aetii dicit, *in substantia esse Spiritum sanctum ex Patre,& filio*; ad caput autem 34. *à Patre per Vnigenitum est Spiritus sanctus*. Cumque Græcorum nomine Marcus in Concilio Florentino sess. 18. assereret in Epiphanio non haberi verbum *est*, à Ioanne Latinorum nomine primùm conuictus est de contrario; quamque postea dabat explicationem, vt esse ex Patre, & Filio, nihil aliud significaret,quam esse de substantia illorum, hoc est, eiusdem cum illis substantiæ, merum esse figmentum ad eludendam Epiphanij mentem, quam locis citatis tam clarè aperuit, nec non insuper in Ancorato, vbi hæc habentur verba: *Spiritus sanctus non genitus,non creatus, non filius, sed ex eadem essentia Patris, & filii, &c. Spiritus Dei, & spiritus filii, non iuxta aliquam compositionē, quemadmodum in nobis corpus, & anima, sed in medio Patris, & filij, ex Patre, & filio tertius nomenclatura, &c. Vita est totus Deus. Igitur vita ex vita est filius. Ego enim sum*, inquit, *veritas, & vita. Spiritus autem sanctus ab vtrisque spiritus ex spiritu, &c. Spiritus sanctus, spiritus veritatis est, lux tertia à Patre, & filio &c. sanctus Spiritus solus appellatur à Patre, & filio spiritus veritatis, & spiritus Dei, & spiritus Christi, & spiritus gratiæ &c. Si itaque à Patre procedit, & ex meo, inquit Dominus, accipiet, quemadmodum nemo nouit Patrem nisi filius; neque filium nisi pater: sic ausim dicere, quod neque spiritum, nisi pater, & filius, ex quo procedit, & à quo accipit: & neque filium, & patrem, nisi Spiritus sanctus, qui verè glorificat, qui docet omnia, qui testificatur de filio, qui ex patre,& filio, solus est dux veritatis.*

Philo Carpathius à S. Epiphanio Episcopus ordinatus comment. in Cantica versus principium; *Verbum*, inquit, *condit, conseruat vna cum diuino illo*

spiritu

spiritu, qui à Patre filioque procedit; & paulo ante finem: *Ipse enim dixit: non relinquam vos orphanos, sed vado, & venio ad vos; vado corpore, venio spiritu, qui à me semper Patreque procedit, derivatur, & spirat.*

Gregorius Nyssenus lib. de eo, quod non sint tres Dij, postquam docuit idẽtitatem diuinæ naturæ in personis, earũ distinctionem ita explicat: *Eam, quæ circa causam, & causatum consideratur differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa, & ex eo, quod ex causa est. Ac rursum aliam differentiam consideramus. Nam aliud quidem continenter, & sine medio ex primo est, aliud verò per id, quod immediatè, & ex continenti est.* Quibus sanè verbis nihil ad nostrum intentum præclarius dici potest, si perpendatur primò particula, *per quod solum*, qua apertè significatur, etiam filium, & Spiritum sanctum ab inuicem non posse realiter distingui, nisi quoniam alter est *causa*, seu principium, alter *ex causa*, seu ex principio; propterea que additur, *ex eo, quod ex causa est*, hoc enim de Spiritu sancto alia ratione non verificatur, nisi quia procedit ex filio, tanquam ex principio, quod est ab alio sui principio, videlicet Patre. Secundò cum eodem discrimine necessariò connexum est, quod subiungitur de mediatione, videlicet, quia persona Spiritus sancti non est à Patre continenter, & sine medio sicut filius, sed per filij personam.

Gennadius de processione Spiritus sancti cap. 1. & 2. refert ex homil. 3. super Pater noster eiusdem Gregorij Nysseni sequentia verba: *Filius Spiritus neque est, neque dicitur; neque hæc relatiua consequentia conuertitur: sed spiritus filij dicitur, quia ab eo accipit, ab eoq; procedit, & ex eo est, quemadmodum ex Patre:* Ex homilia verò 4. *Vnigenitus filius ex Patre à sacra Scriptura nominatur, & huc vsque verbum suam constituit proprietatem, sanctus autem Spiritus, & ex Patre dicitur, & ex filio præterea esse ostenditur. Si quis Spiritum Christi, dicit, non habet, hic non est eius.* Quæ verba, ex eodem Gennadio, etsi quidam aduersus propriam salutem ingeniosi ex quibusdam libris stylo ferreo adhibito deleuerunt, quosdam tamen codices reperiri asserit, qui aduersus adulterantium audaciam clamant. Quod autem Nyssenus lib. de differentia essentiæ, & hypostasis versus medium loquens de filio ait: *Nullam quantum attinet ad propriam notam, & peculiare insigne communionem habet, vel cum Patre, vel cum Spiritu sancto*, eodem modo, quo supra Basilij dictum explicandum est, ab eo nimirum ibi notionem, siue notam propriam summo rigore proprietatis sumi, quæ conuenit omni, soli, & semper.

Diuus Chrisostomus homil. 1. in Symbol. Apostol. versus finem ait: *Iste est spiritus procedens de Patre, & filio, qui diuidit propria dona singulis pro vt vult*: & homil. 2. *Istum Spiritum sanctum dicimus Patri, & filio esse coæqualem, & procedentem de Patre, & filio &c. Ecce & in Spiritum sanctum credimus, qui Spiritus sanctus, procedens de Patre, & filio, charitate coniungitur.* Item serm. de Trinit. versus finem ait: *Si ex Patre procedit, & à filio sumit, non alterius substantiæ est Spiritus. Spiritus Dei, Spiritus Christi, Spiritus veritatis.* Hactenus Patres Græci, qui floruerunt ante suscitatam per Nestorium hæresim de processione Spiritus sancti à solo Patre, excluso filio, vt habetur in confessione fidei Nestorianorum, quę extat in actis Concilij Ephesini cap. 31. cuique primum etiam fauit Theodoretus, sed postea resipuit; nunc sequuntur, qui post illam vixerunt, primusque occurrit.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, qui pluribus in locis oppositum expressè docet; primùm in anathematismis, quos edidit, & declarauit hortãte Concilio Ephesino, c. 1. anathem. 9. *Vnigenitum*, inquit, *Dei verbum homo factum est, mãsit tamen Deus, omnia, præter solam paterni-*

ternitatem, cum Patre æqualia, & communia habens; vnde Spiritum sanctum, qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest, tanquam proprium peculium possidens diuinæ potentiæ signa operabatur.

Lib. 1. de recta in Deum fide, ad Theodos. Imperat. *Immittit*, inquit, *Christus Spiritum baptizatis, non alienũ, sed eum qui ex illo, & per illum est.* & lib. 2. de eadem fide ad Reginas, pluribus adductis testimonijs ad probandũ, quod Spiritus sanctus proprius sit filij, sicut & Patris, demum concludit: *procedit autem per vtrosque & viuificus quoque spiritus.*

Insuper lib. 13. Thesauri cap. 1. ait: *Quoniam igitur vita secundum naturam filius est, & Spiritus etiam sanctus, quem ipse largitur, viuificat: necesse est omnino conferri Spiritum sanctum ex substantia Patris, & filij esse, totamque ipsius virtutem, atque operationem habere*: cap. 2. *Ex filio naturaliter, ac essentialiter Spiritum sanctum, sicut ex Patre prouenire credimus, per quem filius omnia inungens sanctificat.* Capite etiam 3. & 4. nec non lib. 6. dialogi cum Hermia, adductis scripturæ locis, quibus Spiritus sanctus à Christo accipere & mitti dicitur, nec non esse spiritus eius, vel veritatis inde concludit processionem ipsius à filio, *esseque illius proprium, sicut est proprius Patris.*

Quod idem docet lib. 9. in Ioannem cap. 44. & lib. 10. cap. 13. *Cum*, inquit, *spiritum veritatis, id est, suum (ipse enim veritas est) Paracletum appellauerit, ex Patre ipsum procedere ait, nam sicut filij spiritus est naturaliter in ipso manens, & per ipsum procedens: sic certè* Patris *quoque spiritus est. Quibus autem spiritus communis est: ij profectò substantialiter dissepatari non possunt. Nemo enim impiorum nos ad ea, quæ intelligere nefas est, verbis suis impellere conetur. Nemo, inquam, spiritum* Patris *per filium, vt per ministrum mitti ad creaturas credat. Credere namque debemus, quoniam spiritus sic proprius filij est, sicuti sanè ipsius quoque Dei* Patris: *idcirco ad sanctificationem suorum discipulorum ab eo mitti.* Vndè quando in epist. ad Anastasium Alexandrinum, explicans Symbolum Nicenum propè finem de Spiritu sancto dicit: *Profunditur quidem, hoc est egreditur, sicut à fonte, Deo* Patre: *conceditur autem creaturę per filium*; tali distinctione noluit excludere filiũ à productione Spiritus sancti cum Patre; sed tantum ostendere solum Patrem esse fontem supersubstantialem Deitatis, vt loquitur Dionysius c. 2. de diuin. nom. & consequenter Spiritus sancti. Fontis enim nomen, summo rigore sumptum, non cõuenit nisi primo principio, quod ab alio non profluit, & deriuatur, vt in diuinis solus est Pater, cui propterea non tantum à dictis, sed ab alijs etiam Patribus huiusmodi nomen frequentius tribuitur; sicut etiam in eodem sensu filius cõparatur flumini, quod deriuatur à fonte, & à quo deriuatur stagnum; Spiritus autem sanctus stagno, quod deriuatur à fonte, & flumine, verum ab ipso non deriuatur aliud. Quia autem minus etiam rigidè, quandoque fons appellari solet, quodcumque principiũ, vndè manat aliquid, quamuis illud prius ab alio manauerit principio, inde Athanasius varijs in locis vocat Filium, *fontem Spiritus sancti*, Epiphanius verò hær. 69. *fontem ex fonte*, quia etiam ab eo procedit Spiritus sanctus, sicut ipse originatur à Patre.

Theodoretus quidem nullibi professus est expressis verbis Spiritum sanctũ etiam à filio procedere; id tamen sufficienter significasse videtur Roman. 8. ad illud, *Propter inhabitantem spiritum eius in nobis*: & 1. Corinth. 2. ad illud, *spiritum qui ex Deo est*; dum ait, illum, *à Patre procedere*, nimirum tanquam à primo principio, *& per filium dari*; eumque ita sensisse satis colligitur ex eo, quod cum fauerit Nestorio in principio controuersiæ, postea resipuit, Concilioque Chalcedonensi cum Catholicis interfuit; in quo lecta est epistola Cyrilli, & Patrum Synodi Alexãdrinæ scripta Nestorio, vbi manifestè

habetur

habetur processio Spiritus sancti à filio, vt vidimus supra.

Anastasius Synaita Episcopus Antiochenus, cuius honorifica fit mentio in sexta synodo, lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus, sequentia habet verba, contra Græcos allata ab Andrea Colossensi Episcopo in Concil. Florent. act. 7 *A corpore quasi exemplari proprietate accepta, diuinorum connexionem ostendimus per membrorum proportionem, ac similitudinem: sic & spiritus oris eius Spiritus sanctus dicitur, cum os sit Vnigenitus, & spiritus rursus ex eo procedens, non solùm à Patre, sed etiam à filio missus: atque Dominus semet esse ostendens discipulis insufflans dicebat: Accipite Spiritum sanctum.*

Sanctus Maximus, non Taurinensis Episcopus, sed Martyr Constantinopolitanus anno 660. illius contra Pyrrhū Monothelitam disceptationis, seu cum eo dialogi author, varijs in locis hanc eamdem veritatem processionis Spiritus sancti à filio docuit. Bessarion in orat. 6. recitata, & posita in sess. 25. Cōcil. Florent. citat illum in cap. 4. Zachariæ; *Maximus*, inquit, *in medium prodeat, qui exponens, quid velit illud Zachariæ Prophetæ, Aurea lampas, & quod supra eam*, sic dicit, *filij est essentialiter spiritus, non aduentitius, & deforis, nec temporaliter illum accipientis, sed ab æterno essentialiter illum habentis, quemadmodum & Pater. Cuius ratio est, quod ex Patre per eum essentialiter procedit*. Alterum locum profert Diuus Thomas opusc. 1. contra Græcorum errores cap. 32. quem etiam adducit Gennadius Scholarius de processione Spiritus sancti, *ex lib. de Candelabro, & septem Lucernis*. Tertius denique habetur in epistola ad Marinum, cuius ambiguitas, & obscuritas, licet dederit occasionem acriter disputandi in Concilio Florentino de mente Maximi, vbi producta, & lecta est sess. 23. Nihilominus si consideretur attentè, qua fuit occasione scripta, quoue argumento huiusmodi epistola, queue in illa continētur verba perpendantur, veritati Catholicæ suffragantur potius, quam repugnant: Cum enim in synodalibus Latinorum Patrum institutis plura essent, quę à Græcis Constantinopolitanis reprehendi dicebantur. Negat hoc Maximus affirmans de duobus tantum capitibus examen factum. Primum erat Spiritum sanctum ex filio etiam procedere: alterum Christum, qua homo erat, caruisse peccato originali. De primo, in quo versatur quęstio, hæc scribit Maximus: *Consonas Romanorum Patrum attulere sententias: nec non Cyrilli Alexandrini ex sacris eius commentarijs in Ioannem, per quas demonstrarunt (nēpe synodales Patres Latini) se se nequaquam asserere filium esse causam spiritus, vnam quippe norunt causam filij, & Spiritus Patrem, illius quidem secundum generationem, huius autem secundum processionem, sed significare, quod per ipsum etiam procedat, eaque ratione ostendere eiusdem essentiæ nulla cum varietate communionem.*

Quibus sanè verbis constat, Maximū eamdem cum Patribus Latinis sententiam tenuisse, atque adeò Spiritum sanctum à filio etiam procedere, cum nullus eorum id vnquam negauerit, imo hic apertè dicant, *eum per filium procedere*. Ita vt quæstio reduceretur solùm ad modū quo procedit, concederentq; *per filium*, negarēt autem eum esse causam, hoc est principium primum, seu causam, sine causa, quem vnum Patrem esse volunt, vt rectè hanc controuersiā componit Ioannes Theologus sacri Ordinis Prædicatorum sess. 24. Concilij Florentini. Quod igitur ibi Patres Latini producta huiusmodi epistola, & Gręcis vrgentibus, vt ex eius doctrina res decideretur, minimè tali voluerint acquiescere petitioni, in causa non fuit, aut quod illam respuerent epistolam, aut in ea de mente Maximi dubitarent; sed quod non vnius duntaxat authoritati, verum vnanimi Patrum consensui de aliquo fidei dogmate diuina innitatur traditio, iuxta quam Conciliares fieri

ri debent definitiones in rebus ad fidem spectantibus.

De Sancto Ioanne Damasceno, licet aliqui dubitent, an rectè de hac Spiritus sancti processione senserit, ducti authoritate Diui Thomæ 1. p. quæst. 36. art. 2. ad 3. Bessarion tamen orat. 6. pro vnione, Gennadius Scholarius tractatu in quinque capita Concilij Florentini cap: 1. Iosephus Episcopus Methonensis in responsione ad libellum Marci Ephesij; Gregorius Hieromonachus in disputat. aduersus eumdem, alijque plures post ipsos, eum liberant ab hac nota prolatisque alijs locis, & collatis cum illo desumpto ex lib. de fide c. 11. ostendunt Damascenum eiusdem prorsus cum Maximo statim citato, & alijs Patribus fuisse sententiæ, eumque dixisse non esse ex filio, nequis Principalem causam Spiritus putaret filiū, quasi non à Patre accepisset, quod per eum Spiritus sanctus procederet. *Communis*, inquit Bessarion loco citato, *Linguæ Græcorum vsus, cum per præpositionem, ex, principalem significet causam, & Damascenum coegit non ex filio sed per filium dicere, procedere Spiritum sanctum: & Maximum, quod à Romanis dicitur ex filio procedere, idem significare sentire, ac si dicant per filium procedere. Quanquam enim, ait, Ex filio Spiritum sanctum prodire Romani asserant; præpositio autem, Ex, principalem significet causam, non tamen ideo dicunt, vt talem causam significent filium esse. Damascenus etiam, ex filio quidem Spiritus, inquit, minimè est, per filium autem conceditur, solus namque Pater est causa talis videlicet, qualem ipsa præpositio, Ex, significat. Quare talem quidem causam negant filium esse. Præpositionem autem, Per, attribuunt filio, per quam simul cum Patre causam, siue principium Spiritus sancti esse significatur.* Proptereaque eodem lib. 1. de fide cap. 18. *Imago*, inquit, *Patris est filius, & filij Spiritus sanctus*; quod dici non posset, nisi vt minimum Spiritus sanctus à filio procederet: & infra, *Deus Spiritus sanctus medius Ingeniti, & Geniti per filium Patri coniunctus est*. Deinde Gennadius tractatu citato sect. 3. aliū profert locum ex cap. 13. rerum Theologicarum, vbi ait: *Ipse quidem mens est Pater videlicet filij abyssus, filij genitor, & per filium manifestatiuè spiritus productor*; & paulo post: *Spiritus verò sanctus manifestatina occultæ diuinitatis potentia Patris, ex Patre per filium procedit, vt ipse scit*. Quid verò dictio per causam, seu principium significet iam patet ex dictis.

Athanasius Syrus de passione imaginis Christi cap. 4. *Vnus est Deus pater, et ipse ingenitus; vnus filius, & ipse Vnigenitus: vnus Spiritus sanctus ab vtroque procedens, per quem nos veraciter credimus esse saluandos*.

Tharasius Constantinopolitanus in epistola ad Patriarchas Orientis in professione fidei sub initio, quæ habetur in 7. synodo Act. 3. *Credimus*, inquit, *in Spiritum sanctum, qui ex Patre per filium procedit*.

Quia autem eodem ferè tempore hoc est anno 791. celebratum est in Italia Concilium Foroiuliense sub Paulino Episcopo Aquileiensi, sub cuius Metropol. Foroiulium continebatur; vbi hæretici nominantur, *negantes Spiritum sanctum à Patre, filioque procedere*; Vndè posset alicui suboriri dubiū, quod modus loquendi, quo statim citatus Tharasius, & alij Patres Græci vsi sunt, improbatus fuerit, nimirum quod Spiritus sanctus ex Patre per filium procedat. Notandum est hæc valdè inter se diuersa esse, scilicet, *negare, Spiritum sanctum à Patre, filioque procedere*, & simpliciter dicere, *Spiritum sanctum a Patre procedere*, non negando tamen ex filio procedere, aut asserendo, a *Patre per filium procedere*. Prima enim propositio, cum sit negatiua, atq; adeo malignantis naturæ, destruens omnem sensum, etiam illum, quo secundum fidem filius simul cum Patre virtute ab eo accepta producit Spiritum sanctum, meritò censeri debet hæretica, quique illam asserunt vocari hæretici; secus autem

tem aliæ duæ, quibus absolutè non dicitur, Spiritum sanctum non procedere à filio, sed tali modo loquendi tantum significatur, quod filius non sit aliud cum Patre principium, & quidem Patri par, aut non virtute ab eo communicata, ne duo æqualia, & prima ponerétur principia, quod verissimum est. Propterea Hadrianus Papa, sub quo præfatum Concilium celebratum fuit, in responsionibus ad Carolum Magnum datis aduersus Synodi secundæ Nicænæ detractores, Tharasium ab illo reprehensum, quod *Spiritum sanctum ex Patre per filium procedere*, non autem, *ex Patre, & filio*, diceret, ita defendit, vt dicat perinde esse *per filium*, ac ex filio; recitatis nonnullorum Græcorum, & Latinorum Patrum sententijs Tharasij assertioni consentientibus, quod scilicet Spiritus sanctus à Patre procedit per filium; vt etiam docent omnes Theologi cum Diuo Thoma 1.p. quęst. 36.art.3. Hactenus Patres Græci, qui scripserunt ante apertum Græcorum Schisma sub Photio Patriarcha ad annum 860. post quod Leo Imperator cognomento Philosophus, qui vixit circa annum Domini 880. in epistola ad Omarum Regem Saracenorum hæc habet: *Dixit: ne timeas Moses. Ego sum Dominus Deus tuus, Creator tuus, lumen de lumine, Verbum de Patre, ex quibus Spiritus Sanctus procedit.*

Simon Metaphrastes in Martyrio Dionysiij Areopagitæ cap. 1. *Et ne dicam singula, finem accepit corporeus aduentus, incipit clara manifestatio veritatis, & in cęlum ascendit meus Christus, & ad sedem paternam reuertitur, & qui ex ipso procedit, spiritum demittit discipulis, vt essent duces Gentium infidelium.*

Plures alij vsque ad Concilium Florentinum, eamdem veritatem scriptis etiā de illa integris tractatibus, & opusculis docuerunt, quos Leo Allatius in suis de Græcia Orthodoxa libris, nec non opusculo aduersus Hottingerum refert, habenturque nonnulli editi in volumine inscripto *Opuscula aurea Theologica, Petro Arcudio Corcyreo Collectore, & Interprete.* Tum in fine Concilij Florentini.

Hi *duodecimo sæculo* fuere Alexius Arestenus, quem Georgium alij vocāt; Nicetas Thessalonicensis Archiepiscopus, antea Maroniæ; *Decimo tertio*, Nicephorus Blemmida Monachus, qui orationem vnam de processione Spiritus sancti ex filio Patrum testimonijs refertum scripsit ad Iacobum Bulgariæ Episcopum; & alteram ad Ducam Lascarim Imperatorem, magna ex parte in eodem argumento versantem: Ioannes Veccus Patriarcha Constantinopolitanus, qui primum cōtra Spiritus sancti processionem à filio senserat, & postea mutata sententia à Latinis aduersus Græcos stetit, nullusque pro illa plura scripsit, & solidiora, orat. de vnione Ecclesiarum veteris, & nouæ Romæ; in opusculo duodecim capita appellato; in epistola ad Agallianum &c. Andronicus Camaterus; Constantinus Meliteniota, & Georgius Metochita. *Decimo quarto*, Simon Constantinopolitanus, Ordinis Prædicatorum Cretensis, cuius affert Leo Allatius in opusculo aduersus Hottingerum egregiam hac de re scriptam epistolam ad Ioannem Nomophylacem: Demetrius Cydonius, cuius est egregia exercitatio aduersus Palamam, & tractatio de processione Spiritus sancti tredecim capita complectens. Esaias Cyprius, in epistola ad Nicolaū Sclengium. *Decimo quinto*, Gregorius Protosyncellus, in tractatu ad Imperatorem Trapesuntium, cuius etiam sunt illę contra Ephesium disputationes post Concilium Florentinum collocatæ; Georgius Trapesuntius in tractatu ad Ioannem Cuboclesium, & in epistola ad Cretenses Hieromonachos, & sacerdotes. Cardinalis Bessarion varijs in locis, & Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus, qui interfuit, & orauit in Concilio Florentino, in defēsione quinque capitum ibi definitorum, quorum primum est, *De processione Spiritus sancti à filio. Decimo sexto*, Ioannes Archi-

Archipresbyter Plusiadenus, in disceptatione de differentijs inter Græcos, & Latinos, & de sacrosancta Synodo Florentina; Maximus Chrisoberga in orat. de eadem materia. Zaga Zabo in confessione fidei Aetyopicæ: *Spiritus Patris, Spiritus sanctus, Spiritus filij, Spiritus S. est; Spiritus autem sanctus Spiritus sui sine vlla diminutione, aut augmentatione. Is etenim Spiritus sanctus Paracletus, Deus viuus, qui ex Patre, & filio procedit.*

Moses Mardenus Assyrius in professione fidei: *Credo in Spiritum sanctũ procedentem ex* Patre, *& filio, absque vlla diuisione in substantia ipsorum.*

Siud, siue Sulaka, Nestorianorum Patriarcha: *Credimus etiam in Spiritum sanctum Deum perfectum, qui ex* Patre, *& filio procedit, & cum* Patre, *& filio adoratur, & gloriosus pradicatur.*

Gabriel Patriarcha Alexandrinus in confessione fidei: *Spiritus sanctus à Patre filioque æternaliter procedit, non sicut, à duobus principijs, aut duabus spirationibus; sed ab vtraque tanquam ab vno principio, & vnica spiratione.*

Tandem in hoc nostro decimo septimo sæculo Petrus Arcudius, & Leo Allatius eamdem veritatem suis libris contra aduersarios ita illustrarunt, vt eorum diligentiæ, & labori non modicum debeatur. Græcis Patribus vbique concinunt Latini, de quorum mente, quia nunquam dubitatum fuit, circa processionem Spiritus Sancti à Filio, ideo sufficiet præcipua indicare loca, quibus illam docent. Tertullianus aduersus Praxeam cap. 4. & 8. Cyprianus, vel quicumque alius sit author, in libro de operibus Cardinalibus Christi. Hilarius lib. 2. & 8. de Trinitate, nec non sermone de eadem, quem citat Gennadius. Damasus in confessione fidei ad Paulum Antiochenum. Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto ad Gratianum cap. 10. & & lib. 2. cap. 12. item in Symbolo Apostolorum cap. 1. & lib. de dignitate humanæ conditionis c. 2. Philastrius Brixiensis cap. 45. de hæresi triformem Deum faciente. Hieronymus dialog. 2. aduersus Pelagianos, & in epistola ad Hedibiam. Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 20. vbi id probat ex illo Ioannis 20. *Insufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum*: lib. 15. cap. 26. Tractatu 90. in Ioannem; lib. 3. aduersus Maximinum Arianum cap. 14. alibique passim. Paulinus Nolanus natali 9. Leo Magnus serm. 1. de Pentecoste cap. 3. & serm. 2. cap. 2. potissimum autem in epistola 93. ad Turibium cap. 1. Prosper Aquitanicus lib. 1. de vita contemplatiua cap. 18. & lib. sententiarum sentent. cap 103. Arnobius Iunior in libro, cui titulus Conflictus Catholici cum Serapione de Deo Trino, & Vno. Ferrandus Diaconus regula 5. Paschasius Diaconus Cardinalis lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 8. Fulgentius respons. 3. ad Ferrandum Diaconum, & lib. de fide ad Petrum cap. 11. Boetius Seuerinus lib. de Trinitate ad Symmachum Socerum. Aurelius Cassiodorus in psal. 50. & 58. Hormisda Papa epist. 76. ad Iustinum Imperatorem. Agnellus Episcopus Rauennatensis in epist. de ratione fidei ad Arminium. Gregorius Magnus in Confessione fidei, homil. 26. in Euangel. & lib. 2. Dialogor. cap. 38. *Isidorus Hispalensis* lib. 7. Etymolog. cap. 3. & 4. Hildephonsus Toletanus lib. de Virginit. Mariæ cap. 8. Aponius lib. 3. & 4. in Cantica. Venerabilis Beda ad cap. 8. Ioannis, & homil. in Dominica Exaudi. Alcuinus lib. 1. de Trinitate cap. 6. Ambrosius Ansbertus lib. 9. in Apocalyps. Paulinus Aquileiensis aduersus Felicẽ Vrgelitanum. Carolus Magnus epist. ad Elipandum Toletanum. Haymonius homil. in Octaua Paschæ explicans illud Ioannis 20. *Insufflauit, &c.* Angelonius lib. 1. Regum cap. 13. Hincmarus in vita S. Remigij. Rabanus Maurus lib. 1. de vniuerso cap. 3. lib. 2. de institutione Cleri cap. 57. & lib. 6. in Eccles. cap. 2. Ioannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorij cap. 75. Remigius Antisiodorensis ad Psalm. 32. Enricus homil. de Trinitate. Radulphus Flauiacensis in Leuiticum lib. 7. cap. 1. Smaragdus ad cap. 15. Ioãnis

nis, & in epistola de Sabbatho Pentecostes. Pelegrinus Laureacensis in Symbolo. Leo IX. in epistola ad Venetiarum, & Histriæ Episcopos, nec non ad Petrum Antiochenum Episcopum. Radulphus Ardens Dominica I. post Ascēsionem. Guitmundus Auersanus lib. de S. Trinitate: Meginardus tractatu de fide. Anselmus Cantuariensis lib. de processione Spiritus Sancti, & in Monologio cap. 55. Hildebertus Cenomanensis epist. 21. ad Anselmū, & in Hymno de S. Trinitate. Iuo Carnotensis sermone de Pentecoste. Rupertus Tuitiensis lib. 1. de operibus Spiritus Sancti cap. 28. lib. 2. de glorificatione Trinitatis, & de processione Spiritus Sancti c. 17. Honorius Augustodunensis lib. 3. de Philosophia mundi. Bernardus ser. 3. de Pentecoste, & serm. 20. paruorum sermonum. Richardus Victorinus lib. 6. de Trinitate cap. 8. Petrus Lombardus lib. 1. distinct. 11. litt. A. Hugo Etherianus lib. 2. de processione Spiritus Sancti cap. 13. Adam Victorinus prosa de SS. Trinitate. Hactenus Patres Latini primorum duodecim sæculorum pro Spiritus Sancti processione ab vtroque; qui deinceps ad hæc vsque tempora idem docuere, tum S. Scripturæ Interpretes, tum Theologi cum Magistro, & cum Diuo Thoma, innumeri sunt.

En ergo quomodo per vniuscuiusque sæculi Patres, ac Doctores, tum Græcos, tum Latinos, diuina semper habita est traditio de processione Spiritus Sancti à Patre, & Filio, tanquam de fidei Catholicæ dogmate, adeò vt non nisi summæ Græcorum pertinaciæ tribui possit, qui in opposito errore adhuc detinentur, quod post illum præsertim à suis maioribus toties eiuratum, non resipiscant.

Vt autem ex communi Theologorū consensu, naturalis ratio, quæ supernaturalem fidei reuelationem nō præsupponit, adduci nulla potest, quæ Trinitatis mysterium, atque adeo processionē Spiritus Sancti à Patre, & Filio demonstret; illo tamen supposito, quodque vt etiam concedunt Græci dentur tres Diuinæ personæ realiter inter se distinctæ in vna, & eadem numero essentia, vel natura; non desunt plures congruētiæ, quibus dicta persuadeatur processio, imò nec demonstrationes Theologicæ. Talis est illa, quæ fundatur in reali distinctione Spiritus Sancti à Filio prout diuina nos docet fides; si enim semel ex eiusdem principijs, vel etiam ratione naturali certo ostendatur, talē distinctionem realem esse non posse, absque eo quod Spiritus Sanctus à Filio procedat, adeo vt si per impossibile ab eo non procederet, minimè ab eo realiter distingueretur, vt maior, & sanior Theologorum pars asserit, indè manifestè sequitur demonstratione à posteriori Spiritum Sanctum necessario procedere à Filio.

Altera desumitur ex hoc, quod, vt ait Diuus Thomas 1. p. qu. 36. art. 4. ad 1 Spiritus Sanctus procedit vt amor mutuus, & vnitiuus inter Patrem, & Filiū, vel vt alii loquuntur, tanquam nexus Patris, & Filii; indè enim processio Spiritus sancti non potest non requirere per se, & necessariò ipsas duas personas producentes; non solum realiter, & ex immutabilitate Diuinæ Essentiæ, qua ea, quæ in Deo sunt ad intra, variari non possunt; atque adeò simpliciter quoque necessarium est, quod Spiritus sanctus tam à Filio, quàm à Patre procedat, ita vt aliter procedere non potuerit; verum etiam formaliter, ex vi ipsius Spirationis, in tantum vt si per impossibile supponeretur vna sola persona diuina, per se ac intrinsecè Spiritus sanctus non posset ab ea sola prodire, aut si prodiret, qualis nunc est, talis non esset, hoc est mutuus amor Patris, & Filij. Quare tota huius rationis vis, & efficacia fundatur in hoc, an Spiritui sancto ratione processionis suæ ista proprietas ita conueniat, vt quarto modo, ac veluti characteristica sit: hoc enim admisso, quod ille ita procedit amor, vt non sit nisi duorū mutuus, & nexus amborū, quemadmodum ex Scriptura vnanimiter docent

cent Patres Græci, & Latini, demonstrat. . sequitur veluti à priori contra Græcos, Spiritum sanctum non posse non ex Patre, Filioque procedere; siue non satis esse ad illius constitutionem solum Patrem, cum is non sit satis ad rationem mutui, vel reciproci amoris: qui nonnisi inter duos exerceri potest: de quo videndus est Diuus Thomas loco citato, & ibi Theologi cum illo.

Aliæ rationes minus principales, quæque non tam formaliter, quam materialiter, seu de facto probare videntur, sunt sequentes. Primò, quia Filius non minus, quam Pater est persona subsistens, habens eamdem voluntatem, eumdemque amorem cum Patre communem, prius origine, seu ratione, quã Spiritus sanctus procedat: sed in voluntate, & amore consistit virtus spirandi, sicut in intellectu, & cognitione virtus dicendi: Igitur Spiritus sanctus communiter tam à Patre, quàm Filio procedit. Ista consequentia videtur esse certa, supposita veritate antecedentis; si enim intellectus in Filio non est fœcundus ad aliam productionem, quia iam terminum suum produxit, quod est verbum, ipsequemet Filius; à contrario voluntas, & amor, in quibus consistit virtus spirandi, si semel sint in Filio, suumque actum, & terminum haud produxerint, non possunt non esse in illo ad producendum fœcunda, & prona, atque adeo non potest non procedere ab illo Spiritus sanctus, qui est huiusmodi amoris terminus. Antecedens igitur probatur, quo ad primam partem, ex sacra Scriptura Ioannis 16. & 17. *Omnia quæ habet Pater mea sunt*: Et rursus, *Omnia tua mea sunt*: Quod, vt vidimus supra, à Sanctis vnanimiter intelligitur, Patri, & Filio omnia esse communia, præter ipsas relationes Patris, & Filij, in quibus habent oppositionem originis; Igitur cum in hoc, quod est habere voluntatem, & amorem, atque adeò esse principium spiratiuum Spiritus sancti, minimè opponantur; quem Pater habet amorem fœcundum, necesse quoque est vt illum habeat Filius: nam cur sterilis erit amor in illo? ac proindè imperfectus, minimèque diuinus? repugnat quippè illa carentia fœcunditatis, cum perfectione diuina, quando hæc est cõmunicabilis, vt est spiratio actiua Filio, defectu oppositionis relatiuæ. Altera eiusdem antecedentis pars, Filium scilicet, habere dictum amorem, prius origine, seu ratione, quàm Spiritus sanctus procedat; patet; quia Filius prior est origine, vel ratione, quàm Spiritus sanctus, siue eorum processiones non se habent hoc modo concomitanter; prius igitur origine, seu ratione, quam procedat Spiritus sanctus, habet etiam Filius voluntatem, seu amorem sibi à Patre iam cõmunicatum, nedum essentialem, verum etiam notionalem, seu fœcundum, quia vt est certum, non habuit actum in Filio, is enim non voluntatis, sed actus est intellectus. Tantum pro rei veritate.

At quia nonnulli illam admittentes, hoc est Spiritum sanctum à Filio etiam procedere, nihilominus dicere possent, Nicæno Symbolo, vel Constantinopolitano adijci non debuisse particulam *Filioque*, eo potissimum argumento ducti, quod in Concilijs Generalibus Ephesino I. act. 6. Chalcedonensi act. 6. Constantinopolitano II. collat. 6. & III. act. 18. Nicæno II. act. 7. expressè statuitur præfatorum symbolorum formulam inuiolatam esse conseruandam, nihilque illis adimi, nihilque addi debere. Secundò asserimus iure optimo dictam additionem, siue declarationem ab Ecclesia factam fuisse. Quod certè, supposita semel reimet fide, rationabiliter negari, aut in dubium reuocari non potest; eadem enim, quæ prius erat, tunc etiam fuit Ecclesia, eademque authoritate prædita, quando talis facta est additio; si igitur primum Ecclesia, authoritate sibi à Deo collata declarandi res fidei, iustis de causis, vrgenteque necessitate sedandi exortas hæreses, vel impediendi imminentes, potuit in Concilio Nicæno nouum condere symbolum, & in Constantinopolitano illud magis explicare

care pluribus adiectis, nata iam de nouo hæresi Macedonij; potuit etiam in aliis Concilijs ob easdem rationes præfatæ particulæ *Filioque* additionem statuere.

Quamobrem in superius adductis Conciliis, vel aliis, prohibetur quidem mutatio, vel additio contraria doctrinæ in dictis symbolis Nicæno, & Constantinopolitano contentæ; nequaquam autem explicatio consentanea eorumdem Conciliorum menti, & virtualiter implicitèque habita in verbis symboli; sicut, vbi Diuus Paulus ad Galat. 1. anathematizat eos, qui docuerint præter id, quod ipse prædicauit, sub tali censura non comprehenduntur, qui docent alia dogmata fidei conformia doctrinę Pauli. Imò præcedentia Concilia nullam in hoc sequentibus, aut summis Pontificibus obligationem imponere valuerunt; omniumque proindè morem fuisse legimus, exigente necessitate, præsertim propter subortas hæreses, magis declarare, vel explicare, quæ in prioribus Conciliis nondum fuerant examinata, quia temporis nondum patebat necessitas.

Nec obstat, quod, cum tam apud Gallos, quàm apud Hispanos additæ fuissent symbolo quatuor illæ syllabæ *Filioque*, dubitatum fuerit, vel tractatū in Concilio Aquisgranensi sub Leone III. anno Christi 809. num id benè factum esset, vt & ita auctum symbolum in Ecclesia caneretur; acceperant enim licentiam à Leone ipso Franci, vt possent Nicęnum symbolum, siue dixerimus Constantinopolitanum in Ecclesia canere. Sed cum ipsi illud canerent cū eo additamento: indè oborta est controuersia, num licitè illis appositis syllabis, legitimè in Ecclesia cani posset, cum alioqui de ipsa processione Spiritus sancti à Filio minimè dubitaretur. Super quo præfatus summus Pontifex Leo III. consultus, missis ad eum à synodo Legatis, dictum videtur additamentum improbasse, provt colligitur ex actis cum eo relatis à Card. Baronio tom. 9. propter eaque in Basilica S. Petri ex Anastasio, non autem Pauli, vt asseruit Magister sentent. lib 2. dist. 11. c. 2. duas tabulas argenteas, pensantes argenti libras nonaginta quatuor, & vncias sex ad confessionem eiusdem S. Petri affigendas curauit, in quarum altera symbolum Latinè scriptum legeretur, in altera verò Græcè, absque aliquo illius particulæ additamento *Filioque*.

Hoc, inquam, nostræ non obstat assertioni: summus enim Pontifex Leo in citatis actis non improbat absolutè huiusmodi additamentum, aut negat illud fieri posse, sed tantùm Legatos reprehendit, quod absque Romani Pontificis; vel Concilij Generalis authoritate, quorum est symbola fidei condere, particularis Ecclesia id præstare tentasset, dictum additamentū faciendo, publicèque illud in Ecclesia canendo. Ideoque Leo Papa, nedum vt seruaretur memoria Symboli Constantinopolitani, quæ poterat obliterari noua explicatione illius: vel vt constaret nihil contrarium antiquitati doceri, sed integram retineri fidem antiquam, solis explicationibus denuò positis; verùm etiā vt omnibus innotesceret, absque consensu Sedis Apostolicæ, tales quantumuis veras additiones minimè licere, duas dictas tabulas ad confessionem S. Petri affigi voluit.

Quando autem hæc additio particulæ *Filioque*, primùm ab Ecclesia vniuersali facta fuerit Symbolo Nicæno, aut Constantinopolitano varia sunt Doctorum placita, quæ refert Didacus Ruis disp. 67. de Trinitate sect. 5. & nouissimè Franciscus Macedo Schola 4. Theolog. positiuę cap. 4. Aliqui enim illam tribuunt Concilio Constantinopolitano I. alij Summo Pontifici Damaso in Romano eodem tēpore ab eo celebrato: alij, alteri Romano Pontifici, qui inter sextam, & septimam Synodum vixit, quos sequitur Ruis; alii denique septimæ Synodo Nicænæ II.

Verùm quicquid sit de tali additiòne facta, aut aliquibus fidei confessionibus

nibus extra Symbolum Nicænum, aut eidemmet, authoritate Conciliorum particularium, de quo modò non curamus, qui de sola Symboli propria additione, nec non Ecclesiæ authoritate facta in aliquo Cōcilio Generali agimus. Tertiò tanquam probabilius assero, eam non reperiri factam ante annum Christi octingesimum, sed primum in Concilio Generali XIV. Lugdunensi II. sub Gregorio X. anno Domini 1274. primum in Missa decantatum fuisse symbolum expressa illa particula *Filioque*. Prima huius assertionis pars, omissis aliis probationibus, apertè videtur constare ex statim dictis de Concilio Aquisgranensi, & his, quæ cum Legatis eius, ac Leone III. acta sunt anno Domini 809. Si enim ante illud tempus hęc additio contigisset, non erat, cur in illo Concilio de illa dubitatum fuisset, Summusque Pontifex Leo ob illam à Synodo factam ita acriter Legatos eius reprehendisset: Igitur, supposita huiusmodi actorum veritate dicendum est, ante tale tempus, hanc additionem non fuisse factam ab aliquo Summo Pontifice, vel Concilio Generali.

Altera etiam pars assertionis ex eo patet, quia in nullo Concilio Generali ab eo tempore celebrato, talis additio reperitur, vsque ad Lugdunense II. vt diximus supra: quod postea secutum est Tridentinum, in quo symbolum cū ea quoque particula *Filioque* recitatum habetur. Et quamuis dubitari non debeat, quin alia etiam Concilia Generalia intermedia idem symbolum ediderint, præsertim Florentinum sub Eugenio IV. in eorum tamen actis non extat.

Superest iam, vt aduersariorum obiectionibus contra processionem Spiritus sancti à Filio, breuiter satisfaciamus; Prima fundatur in nonnullis sacræ Scripturę locis, quibus ipsemet Christus Dominus, nulla sui mentione facta, asserit Spiritum sanctum à Patre procedere Ioannis 14. & 15. Respondetur, ita in aliquibus Scripturæ locis haberi Spiritum sanctum à Patre immediatè procedere, per quæ excluduntur hæretici illud negantes, vt in aliis significetur etiam eius processio à Filio, contra hęreticos illam pariter negaturos; talia sunt à nobis superius adducta, quorum legitimum sensum stare non posse ostēdimus, sine vera, & reali procesione personæ Spiritus sancti à Filio. Vnde nusquam in scriptura legitur Spiritum sanctum à solo Patre procedere excluso Filio. Quod igitur Christus Dominus interdum asseruerit Spiritum sanctum à Patre procedere, nec addiderit *à Filio*, id non fuit, vt indicaret eum à solo Patre, non autem à Filio suam originem ducere, quemadmodum malè inferunt aduersarii; sed vt pro more suo hoc quoque referret ad Patrem, tanquam ad primum principium, à quo ipse etiā Filius habet virtutem, seu potentiam producendi; ostenderetque, principium esse vnicum, à quo procedit Spiritus sanctus; quoniam Filius, licet sit persona distincta à Patre, non alia tamen ratione potest producere Spiritum sanctum, nisi quia ipse etiam Filius procedens à Patre, accipit ab eo eamdem potentiam. Hanc solutionem tradit Diuus Augustinus tract. 99. in Ioann. & lib. 15. de Trinit. cap. 17. *Non frusta in hac Trinitate non dicitur, de quo procedat principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater. Ideo autem addidi principaliter; quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit.* Quod adhuc fusius explicat c. 27. & lib. 3. contra Maximinum cap. 14. Sed estō, quod Christus Dominus dixisset Spiritum sanctum à solo Patre procedere, non propterea ipse excludi deberet ab eadem authoritate, non solum quia exclusiuæ dictiones additæ vni personæ Diuinæ, nōn excludunt alias personas nisi prædicatum illis opponatur relatiuè, cuius exemplum est illud Matth. 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater*; vt rectè notauit Diuus Anselmus de process. Spiritus sancti cap. 7. & D. Thomas opusc. 1. cap. 32. §. 29. verum etiam,

etiam, quia, ex dictis supra, solus Pater est primum omnino principium, quodque ab alio non deriuatur, in processione Spiritus sancti, secus autem Filius, qui à Patre procedit, virtutemque ab illo producendi Spiritum sanctum accipit: stantibus ergo tot scripturæ locis, quorum genuinus sensus saluari non potest, absq; reali processione Spiritus sancti à Filio, multò minus ab ea debet ipse excludi, eo quod in aliquibus aliis id non exprimatur; manifestèque patet ex similibus locis, in quibus mentio fit vnius personæ, duabus aliis non expressis, quas tamen excludi, affirmare non possunt aduersarii; vt dum Matth. 16. dicitur: *Caro, & Sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus:* Ioan. 6. *Nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: & cap. 15. *Ille vos docebit omnia*.

Secunda obiectio, vel argumentum desumitur pariter ex variis Sanctorum locis, vbi asserunt Spiritum sanctum à Patre procedere, non facta mentione Filii; quin imo nonnulli videntur eum excludere, vt Diuus Dionysius lib. de Diuinis nominibus cap. 2. vbi ait, quod *Solus fons supersubstantialis Deitatis est Pater*. Responderur eodem modo, ac præcedenti, nimirum Patres multoties sacræ Scripturæ verba referre, non addita eorum explicatione, quam licet omittant, non propterea negare putandi sunt; præsertim si aliis in locis illam habeant. Satis enim supra ostendimus Sanctos, ac veteres Patres expressè docuisse, Spiritum sanctum non à solo Patre, verum etiam à Filio, vel per Filium procedere; siue quod idem est, existere, spirari, emanare, profluere, scaturire, emitti, effundi, &c. nam quod aliqui concedunt, Spiritum sanctum esse quidem à Filio, vel profluere ab illo, nō autem procedere: *Videtur*, inquit Diuus Thomas 1. p. quæst. 36. art. 2. *vel ex ignorantia, vel ex proteruia esse*. Sanctus autem Dionysius, aliique Patres soli Patri nomen fontis attribuunt, summo rigore sumendo illud, pro primo scilicet principio, quod à nullo prorsus alio originem ducit; quo etiam sensu notauimus supra, eos filium comparare flumini, quod deriuatur à fonte, & a quo deriuatur stagnum; Spiritum verò sanctum stagno, quod deriuatur à fonte, & flumine, sed ab ipso non deriuatur aliud. Dicitur hoc nomen fontis ita acceptum soli Patri conuenire; quia si minus rigidè sumatur, & prout interdum fontem appellare solemus, quodcumq; principium, vnde manat aliquid, quamuis illud prius manauerit ab alio principio, sic Athanasius varijs in locis vocat filium *fontem Spiritus sancti*; Epiphanius hæresi 69. clarius adhuc explicans hanc acceptionem, *fontem de fonte*; & Cyrillus Alexandrinus relatus à Diuo Thoma opusc. 1. cap. 32. §. 28. ait Spiritum sanctum ex filio profluere, *tanquam ex fonte*.

Tertium argumentum, quodque in Concilio Florentino potissimum vrserunt Græci, deducitur ex silentio primorum sex Conciliorum Generalium, in quorum definitionibus, vel canonibus nulla fit mentio processionis Spiritus sancti ab vtroque. Respondetur primò, id quidem in primis sex Concilijs Generalibus non reperiri expressè definitum, secus autem virtualiter, eo quod in illis, demptis duobus primis, approbata est epistola Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ ad Nestorium, in qua expressis verbis docetur Spiritum sanctum à filio effundi, aut emitti, aut procedere, vt dictum est supra. Secundò respondetur, esto quod in præfatis Cōcilijs tacita, aut virtualis huius veritatis definitio habita non fuisset, sed illam omnino siluissent, non propterea sequitur, eam tunc ad fidem non pertinuisse, suoque tempore Symbolo à subsequentibus Concilijs addi non potuisse; quēadmodum enim, quod in Concilio Niceno expressè diuinitatis Spiritus sancti mentio non habeatur, tunc nondum exorta Macedonij hæresi id apertè negantis, colligi non potest, haud ita rem se habuisse, quodque ad confutandam illam hæresim, maioremque mysterij San-

Sanctissimæ Trinitatis explicationem, non potuerit Concilium Constantinopolitanum addere Symbolo Nicæno, *Credo in Spiritum sanctum ex Patre procedentem*; sicut ipsum Concilium Nicęnum iam symbolo Apostolorum addiderat has particulas, *Genitum non factum, consubstantialem*, seu, *homousion*; quantumuis reclamantibus in contrariũ Arrianis; ita quoque malè infertur à Græcis ex primorum Conciliorum silentio, circa processionem Spiritus sancti ab vtroque, aut illam veram non esse, aut à Concilijs Generalibus in præfatis symbolis explicari non potuisse. Ipsi enim negare non possunt in Ecclesia esse potestatem disponendi symbolum, ac declarandi formam fidei, addendo aliquid iuxta temporum varietatem, rerumque in illis occurrentium necessitatem, vt satis patet ex statim adductis exemplis. Cur verò id Ecclesia non fecerit in aliis rebus, quas de fide definiuit; vt aliquis posset instare. Respondetur nostrum non esse de eius facto iudicare, sed id, quod semel decreuit reuerenter suscipere, rationabiliterque factum esse credere. Certè in symbolo fidei non omnes res ad fidem pertinentes comprehendi debent; sic enim cresceret in immensum, cum tamẽ symbolum breuitatem exigat, eaque præcipuè continere, quę circa ipsum Deum, ac mysterium Trinitatis, & Incarnationis versantur. Quocirca in iis duntaxat articulis, qui diuinas concernunt personas, legimus Ecclesiam huc vsque nonnulla adiecisse, secundũ quod variè contra illas subortæ sunt hæreses; vt circa Patrem addidit, quod sit creator visibilium, & inuisibilium propter hæresim Manichæorum, qui negabant Deum esse creatorem rerum corporalium; circa filium, quod sit consubstantialis Patri, genitus non factus, contra Arrium; circa Spiritum sanctum, quod ex Patre procedat, simulque cum illo sit adorandus, & conglorificandus, contra Macedonium; ac tandem quod ex Patre filioque procedat aduersus Græcos. Eoque magis hoc vltimum ab Ecclesia fieri necesse fuit, quo illi inde negabant huius mysterii veritatem, quia non reperiebatur in symbolo expressum, asserebantque insuper illud in symbolo explicari ab ea non potuisse; ne tali ipsorum argumento, inaniq; querelæ cedere videretur.

Quarta denique, & vltima obiectio conglobatur ex variis rationibus, quæ videntur mysterio Trinitatis repugnare, præcipua fuit in Concilio Florentino, quod si admitteretur Spiritum sanctum ex filio procedere, concedi etiam deberent duo spiratores, duoque principia eiusdem, nec solum duo principia, sed ęque immediata, & non vnum ex alio, hoc enim sonarè, ac significare videtur illa particula *Ex*, dum dicitur Spiritus sanctus procedere ex filio, eum scilicet primũ esse principium, non ab alio accipiens, vt producat Spiritum sanctum. Hoc autem repugnare mysterio Trinitatis, ex eo satis patet, quod quidquid habet filius, non à semetipso, sed à Patre habet: Igitur ne oppositum dicere cogamur, duoue esse principia Spiritus sancti; fatendum est eum ex filio non procedere; aut saltem, quod pertinet ad modum loquendi, si procedat, id malè exprimi per particulam Ex, ob rationem allatam, in modo eius significandi fundatam, sed potius dici debere procedere à Patre per filium.

Respondetur ad hanc obiectionem minimè sequi ex processione Spiritus sancti ab vtroque inconueniens ab ea intentum, aut aliud simile; vt in litteris vnionis expressè habetur, quod *Latini affirmauerunt non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex filio procedere, vt excludant* Patrem, *quin sit fons, & principium totius Deitatis, scilicet filij, et Spiritus sancti, aut quod id, quod Spiritus sanctus procedit ex filio, filius à* Patre *non habeat, siue quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes, sed vnum tantùm asserant esse principium, vnicamque spirationem Spiritus sancti prout hactenus asseruerunt.* Igitur quemadmodum

tres

tres diuinæ personæ in opere creationis, aut aliis ad extra, minimè dicuntur tria, sed vnum absolutè principium, quia per vnam & eamdem indiuisibilem essentiam, ac omnipotentiam cuncta operantur; ita licet Pater, & filius ad productionem Spiritus sancti concurrant tanquam duæ personæ realiter distinctę, idque petat Spiritus sanctus ex sua characteristica proprietate, quia tamen id præstant per vnam, & eamdem numero virtutem spiratiuam, quæ est ipsamet actio voluntatis, & notionalis, seu vt modificata relationibus paternitatis, & filiationis, propterea non duo, sed vnicum principium, vnicusque spirator in processione Spiritus sancti absolutè dici debent.

Iam quod attinet ad modum loquendi, vel significandi hanc processionem ab vtroque, quamuis non dubitetur eam posse exprimi per hoc, quod dicatur Spiritus sanctus procedere à Patre per filium, sicut & ipsamet processio, per hoc, quod sit cum ab illis profluere, emanare, scaturire; adeo vt ex Diuo Thoma quæst. 1. de potentia, si quis rectè consideret dicta Græcorum pręfatis loquendi modis vtentium, *inueniet*, inquit, *quod à nobis magis differunt in verbis, quam sensu.* Verbum enim procedēdi, vt docet idem Sanctus Doctor 1. p. quęst. 36. art. 2. communissimum est inter omnia, quæ ad originem pertinent. Vnde qui concedunt à filio, vel per filium profluere, aut quomodocumque oriri Spiritum sanctum, necesse est quod ab ipso procedere fateantur. Talis nihilominus processio melius explicatur per hoc, quod in symbolo dicitur, qui ex Patre, filioque procedit. Primo quia ly *procedere ex alio*, ex se non dicit, quod illud principium ex quo procedit, non possit etiam ex alio esse; vt clarè patet in diuinis personis, quarum duæ vltimę dicuntur principium creaturarum, easque ab illis procedere, quamuis sint principium de principio, hoc est habeant essentiam diuinam sibi ab alio communicatam. Secundò, quia licet duæ vltimæ diuinæ personæ non sint principium creaturarum, nisi per virtutem à Patre acceptam, non proterea tamen necesse est dici eas fieri à Patre per filium, & Spiritum sanctum, sed ab illis tribus simul fieri, vel produci rectè dicuntur; ita quoque, licet filius non sit principium Spiritus sancti, nisi virtute sibi à Patre communicata, non id circo fit, quod ab illo, vel ex illo simul cū Patre dici non possit procedere. Tertiò, quoniam illa particula *Ex*, Patri filioq; præmissa, melius significat vtrumque esse vnicum Spiritus sancti principium, per vnam, & eamdem indiuisibilē virtutem, atque adeo æqualem, æqualitatem enim nō tollit, quod ea filio communicetur à Patre, vt patet in essentia; quam si dicatur Spiritum sanctum procedere à Patre per filium; eo quod talis modus loquendi, siue particula *per* interdum significet modum operandi causæ instrumentalis, quam à principali distingui, nec eadem cum illa virtute operari certum est. Quartò quia dicta particula *Ex* Patri filioque præposita, significat vtrumque esse ęque immediatum Spiritus sancti principium, vbi si diceretur procedere à Patre per filium, posset alicui suboriri dubium, quod Pater tantum esset principium eius remotum, filius autem proximum, vt aliqui dixerunt hęretici. Sed de his satis, ex quibus clarè, vt puto, habetur, nonnisi summæ Græcorum pertinaciæ tribuendum esse; quod post tot Concilia, in quibus ipsis pręsentibus, consentientibusque, omnia prædicta tam diligenter examinata, discussaque, ac tandem concordata fuerunt, ad pristinum errorem redierint, in eoque adhuc perseuerent; sub iugo duræ, & iniquę Mahumetanorum seruitutis, quam illis inde in pęnā diuinitus obuenisse credibile est, expugnata à Mahumete II. Constantinopoli Imperij Græci Metropoli, ipsomet Pentecostes die Spiritui sancto potissimam sacro, anno Domini 1454, vt communiter refertur.

CAPVT III.

Statuitur aduersus Iacobitas, Abyssinos, et Armenos, animas rationales non gigni à parentibus, sed à solo Deo creari, quando infunduntur corporibus.

EX varijs, quæ olim fuerunt, partim hæresibus, partim falsis sententijs de origine animarum rationalium. *Primò* quod nequaquam fierent, sed essent particulæ quædam diuinæ naturę, vel aliquid de ipsamet Dei substantia, vt opinati sunt ex Philosophis illi, qui existimauerunt Deum esse animam mundi, omnes eius partes, atque adeo hominem etiam motu, & ratione gubernantem; ex hæreticis Gnostici apud Augustinum hæresi 6. Cerdon apud Theodoretum lib. 1. hæret. fabul. Manichæi apud Augustinum lib. contra Fortunatum, & Priscillianistæ, vt habetur in Concilio Bracharensi I. c. 5. *Secundò*, quod crearentur ab Angelis ex igne, & spiritu, vt Seleucus, & Hermias arbitrati sunt teste Philastrio in Catalogo hæreticorum. *Tertiò*, quod gignerentur per traducem ab animabus parentum, sicut corpora à corporibus, atque adeo ab anima Adami propagarẽtur omnes, vt sensit Tertullianus, ex Hieronymo in epistola ad Marcellinũ, & Anapsychiam, vbi etiam hunc errorem tribuit Apollinario, & ex Diuo Augustino hęresi 86. qui eiusdem erroris sequaces facit Luciferianos hæresi 81. *Quartò*, quod animæ quidem crearentur à Deo, sed multo ante quam corpora gignantur, creatas esse omnes simul, & propter peccata illarum detrudi in corpora, vt ex Philosophis cẽsuit Plato, cuius postea figmentum secutus est Origenes lib. 1. de princip. c. 7. & in Hieremię cap. 24. & 28. nec non Priscillianus, & alij.

Ex præfatis, inquam, erroribus circa animæ rationalis originem, Iacobitę, Abyssini, & Armeni, si non omnes, saltem aliqui duos postremos amplexi sunt; præcipui ex illis fuere Mekhitarius, & Vartanus, quorum primus affirmauit animas rationales traduci ex parentum origine, prout in libello, quem Benedictus Papa XII. ad Armenum Patriarcham transmisit, quique extat in M.S. Archi. Vat. refertur his verbis c. 5. Quidam *Magister Armeniorum, vocatus Mekhitarius, qui interpretatur Paraclitus, de nouo introduxit, & docuit, quod anima humana filij propagatur ab anima Patris sui, sicut corpus à corpore, quia cum animæ rationales sint quædam lumina spiritualia, ex seipsis propagant alia lumina spiritualia. Et in hoc sequuntur eum quasi omnes de Prouincia Argiciensi, quæ est magna Prouincia, continens septem dietas. Alij verò Armeni non dicunt hoc, sed quod Deus omnes animas creat.* Et *Armeni de dicta* Prouincia *habent illum MeKhitarium pro sancto.* Hæc ibi. Secundus autem Vartanus docuit, omnes quidem animas rationales à Deo creatas fuisse, sed simul ab initio vna cum Adami anima, vt suis postea vnirentur corporibus, vt patet ex confutatione cuiusdam epistolæ ad Haytonem Armeniæ Regem datæ à Romano Pontifice, vbi sic ait: *Error est eorum, qui dicunt animas à Deo semper de nouo creari. Nam mendacem faciunt Moysen, asserentem Genes. 1. Deum cessasse ab omni opere suo.* Vndè propter hanc, & alias hęreses, huius Vartani nomen ad Clementem Papam VI. delatum, & ab eo damnatum fuit, vt constat ex eiusdem Clementis epistola ad Consolatorem Armeniæ Patriarcham, quæ habetur tomo 10. epist. secret. vbi sic illum interrogat: *Scire volumus, si credidistis, & creditis tu, & Armeni, qui tibi obediunt, Vartanum, quem (prout nobis à pluribus est relatum, & assertum) Armeni pro speciali Doctore habuerunt; & qui multos de Armenia Minori labe hæresis infecit, docens, & scribens, quod spiritus omnium hominum fuerint insimul à Deo creati; &c. fuisse hæreticum, & hæresiarcham pessimum.* Quorum

rum pseudomagistrorum perniciosi codices erroneis huiusmodi doctrinis referti, quia adhuc inter Armenos extāt, licet vniuersa eorum natio non sit illarum rea, nec desunt plures, qui ad eas sectandas discipulos incitent, vndè etiā multi dubitant, ignorantque in quam debeant ire sententiam, ideò non fuit hæc de animæ origine prætermittenda controuersia, eiusque ad regulam fidei decisio, pro qua sit.

Prima conclusio. Animæ rationales, neutiquam vi seminis propagantur aut gignuntur à parentibus. In hanc conclusionem tanquam de fide conueniunt omnes Theologi Catholici post Magistrum sententiarum in 2. dist. 18. vbi sic ait: *Catholica Ecclesia animas in corporibus seminatis, atque formatis infundi, & infundendo creari docet.* Ac Diuum Thomam 1.p. quæst. 118. art. 2. asserentem; *hæreticum esse dicere: quod anima intellectiua traducatur cum semine.* Prima huius veritatis definitio habetur in epistola decretali Leonis I. ad Turibium Asturicensem Episcopum, exprefsè statuentis cap. 10. animas rationales à nullo incorporari præterquā à Deo ipsarum creatore: Quæ renouata demum fuit in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. vbi statuitur, *animas singulas singulis hominibus creari, & infundi à Deo.* Vndè quod aliqui inter quos Gregorius de Valentia 1.p. disp. 6. quæst. 8. puncto 2. asserunt propter Augustinum, & Eucherium lib. 2. in Genes. cap. 2. non esse hanc conclusionem ita de fide exploratam, vt contraria opinio sit aperta hæresis, non videtur audiendum. Etsi enim Diuus Augustinus primum de hac quęstione dubitarit, nec tam sibi persuaserit, quam optarit, veram esse sententiam, quæ docet non per traducem gigni à parentibus, sed per creationem à solo Deo fieri animas, vt ipse in epistola 28. ad Hieronymum sæpe indicat; nihilominus postea re melius discussa; iamque senex in epistola 157. ad Optatum refellit sententiam de propagatione animarum ex parentibus dicens: *Itaque illi, qui propaginem animarū inconsiderata temeritate defendunt, &c.* & ibidem de Tertulliani in hac parte opinione agens ait: *Qui animas ex illa vna propagari asserunt, quam Deus primò homini dedit; atque ita eas ex parētibus trahi, dicunt; si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendunt: quo quid peruersius dici potest?*

Loca autem scripturæ, & Sanctorū Patrum, quibus huius veritatis fides innititur, & Ecclesia ad eius definitionem mota est, illa eadem sunt, quibus conclusione sequenti probabimus animas à solo Deo creari, eo enim ipso, quod fides hoc affirmat, illi quoque apertè repugnat, quicumque alius productionis animarum modus, quàm per creationem, & consequenter opinio illum docens, pro hæretica habenda est.

Prima nostræ conclusionis ratio desumitur ex ipsamet natura animæ, quā spiritualem substantiā esse, atque adeo immortalem supponimus, iamq; probauimus superiori sectione, cui proindè repugnat, quod per agens naturale gignatur; omne enim quod ita fit, ex aliqua materia fit, ex cuius potentia educatur, cum iuxta commune Philosophorum axioma; *ex nihilo nihil naturaliter fiat*; cui etiam fauet experientia; qua omni actioni naturali videmus prępsupponi aliquod subiectum in quo, & ex quo fiat effectus; sed anima rationalis non fit ex aliqua materia, ex cuius potentia educatur; neutiquam ergo animæ rationales vi seminis propagari, aut gigni à parentibus, dicendę sunt. Maior huius argumenti constat; Minor autem probatur; quia si ita fieret anima, & consequenter in suo esse penderet à materia, hoc enim significat educi ex potentia materiæ, vt docent peritissimi quique Philosophi; iam nec esset substantia spiritualis, nec per se subsistens independenter à corpore, nec etiam immortalis, vel incorruptibilis, vt patet

tet in animabus sensitiuis brutorum, quæ quoniam de materiæ potētia educuntur, indè materiales esse colliguntur, independenterque à corpore non subsistere, sed eo pereunte, illas quoque perire; quod cum aduersarij de anima rationali minimè affirment, necessariò fateri debent eas ex parentibus non trahi, seu non fieri ex propagine; sed à solo Deo creari ex nihilo, vt dicetur conclusione sequenti; si quidem ex Diuo Augustino loco statim citato, & alijs Patribus, dicere, animas ex parentibus trahi, idem est, ac eas non spiritus, sed corpora esse, contendere, ob rationem allatam.

Secunda ratio est, quia si animæ rationales fierent ex traduce, vel id contingeret, quia fierent ex corpore parentis, illiusve corporeo semine, vel ex anima, illiusve spiritali semine, vt quis forsan fingere, & dicere posset, quod quemadmodum corpora ex corporibus, ita animæ ex animabus propagantur, sed neutrum dici potest; non primum, quoniam nulla virtus actiua agit vltra suum genus: anima autem rationalis excedit totum genus corporeæ naturæ, cum sit substantia spiritualis; nullum igitur corpus, nullaq; eius virtus potest eius effectionem attingere. Deindè cum generatio alicuius est causa, cur aliquid fit; eius dissolutio causa item est, cur id pereat; sed dissolutio corporis non affert interitum animæ rationali, nam ab hoc separata perseuerat adhuc in esse: alioquin non esset immortalis: ergo neque corporea generatio erit ei causa, vt esse incipiat, sine causa uon erit generationis animæ. Secundum etiam asseri non potest, nā semen illud animæ spirituale, quod aduersarij ad sui erroris defensionem fingere possent, vel esset solum accidens, vel etiam substantia; si solùm accidēs, virtus scilicet seminalis; iam semen animæ non esset materia, ex qua alia fieret anima, cum tamen modo inquiramus quænam sit illa, sed tantum instrumentum agentis, quo vna anima aliam crearet ex nihilo, quod ab ea naturaliter fieri non potest, quia creare, siue ex nihilo producere soli competit Deo. Si esset etiam substantia, sicut est semen corporeum, ex quo fit corpus; quæri vlterius posset, vtrum huiusmodi spiritualis substantia seminis produceretur ab anima genitoris ex nihilo, an ex alia substantia spirituali, sicut semen corporum producitur ex substantia corporali alimēti superflui. Si ex nihilo; ergo crearetur à creatura; si ex alia substantia spiritali, aut ex ipsa substantia animæ, de hac iterum idem peti posset, & sic daretur processus in infinitum, rediretque etiam prima ratio: Nulla igitur ratione dici potest animas rationales fieri ex traduce; sed aliam habere originis suæ causam, scilicet Deum illas ex nihilo creantem.

Quod egregiè Diuus Chrisostomus homil. 13. in Genes. cap. 2. colligit ex diuersitate modi, quo vsus est Deus in producendo animam primi hominis, & animas brutorum: *De illis enim inquit: producant aquæ reptilia animarum viuentium: & prodierunt ex aquis animantia animata; Sic & de terra: producat terra animam viuentem. De homine autem non sic: sed prius de puluere corpus formatur; & vitalis illi virtus datur, quæ scilicet anima est substantia. Et idcircò de brutis dicebat Moyses: sanguis eius anima eius est: in homine autem substantia quædam est incorporea, & immortalis.*

Ad quod etiam Procopius Gazæus in Genes. cap. 2. ad illa verba; *hoc nunc os de ossibus meis, & carne mea*, rectè obseruat Adamum non dixisse; *& anima de anima mea*; vt intelligeretur corpora, sicut & animas brutorū, eo quod sint materiales, & ex materia ipsa eductæ, propagari quidem ex traduce per generationem, secus autem animas rationales, spirituales, ac per se independenter à corpore subsistentes, sed ab ipso Deo creari ex nihilo.

Contra hanc conclusionem primò obiiciunt aduersarii nonnulla Scripturæ

ræ loca, quibus habetur animas ex parentibus generari; nam Genes. 46. dicitur, quod *genuit Iacob sexdecim animas*; & rursus ibidem, *quod omnes animæ, quæ egressæ sunt de femore Iacob, fuere sexaginta sex*. Sed facilè respondetur in his, & similibus locis animam pro homine accipi, seu partem pro toto; sicut Leuitici cap. 5. dicitur: *Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, &c. rea est, & deliquit*: item, *Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs suis*, &c. *agat pœnitentiam*. Nisi velimus asserere scripturam sibi contradicere, dum alibi expressè ait de anima pro parte hominis sumpta, quod sit à Deo creata; non autem ex traduce facta.

Secunda obiectio est, quia animæ secundum fidem contra Pelagianos trahunt ex Adamo peccatum originale; sed nisi traherentur ex eodem per naturalem generationẽ, non videtur possibilis talis contractio peccati, eas igitur non à Deo creari, sed ex traduce generari asserendum est. Respondetur ad hanc obiectionem, quę difficilis olim visa est Augustino, vt ipse indicat citata epistola 28. ad Hieronymum, duo præfata minimè inter se connecti, imo nec propagationem animarum ex anima Adami conducere si daretur, vt originale peccatum transfunderetur in posteros. Si quidem Adami anima iustificata à peccato fuit, antequam ille filios procrearet, ex anima autem iusta, non potest iniusta trahi. Igitur non quia anima fit ex anima, traducitur peccatum in prolem: maximè cum filii peccato originali infecti, gignantur etiam à parentibus sanctis; sed ad aliã rationem recurrendum est, vt saluetur propagatio, vel transfusio originalis peccati, quia nimirum Adam per generationem fuit omnium hominum primus parens, & caput, in cuius voluntate posita fuit à Deo supremo omnium Domino, nostra voluntas: vndè quod tunc ipse egit, & comedit contra diuinum imperium, omnes nos censemur egisse, & comedisse, proptereaque cõtraxisse defectum iustitiæ originalis, in quo peccatum originale consistit, reddens nos meritò exosos Deo, & damnationi obnoxios, quatenus poteramus alioquin, & debebamus per voluntatẽ primi parentis, quæ quodammodo nostra fuit, habere perfectionem iustitiæ oppositam illi defectui; vndecumque sit anima vel ex traduce, vel à Deo per creationem; satis est enim, vt communiter docent Theologi cũ Diuo Thoma 12. qu. 81. art. 1. ad 2. ad contractionem peccati originalis, quod quis verè accipiat naturam humanam à parente descendẽte ex Adamo, siue quod homo ipse, cuius pars est anima, ab homine generetur; verè autem, ac propriè dicitur homo hominem generare, tametsi anima non producatur ab homine, sed inspiretur à Deo: si quidem generatio non terminatur ad productionem formę, vel materiæ, sed compositi; vndè qui animam cum carne componit, quod præstat homo, cum per generationem, materiam ita disponit, vt anima infallibiliter consequatur is verè hominem generat. Quoniam, etsi non sit causa immediata ipsius animæ, tamen est immediata causa vltimę dispositionis, vt supponimus, ex qua naturaliter sequitur vnio substantialis animæ, & corporis, per quam homo constituitur, vt mox magis explicabitur.

Tertiò obijcitur, fuitque argumentum Apollinaris, & aliorum hæreticorum, quod si Deus ipse infunderet corporibus animas, indè sequeretur, eum quoque fætibus ex adulterio, vel fornicatione, conceptis eas largiri, quod cum sit absurdum, imo impossibile, sic enim Deus peccato adulterorum, & fornicariorum cooperari videretur, dicendum est illas non à Deo creari, sed potius traduci ex parentum propagine.

Respondetur ad hoc argumentum cum Diuo Hieronymo lib. 3. Apologię contra Ruffinum, illis ipsis fœtibus Deum benè vti, neque esse peccatum adul-

adulterij in ipsis fœtibus, quos Deus animat, sed in hominibus adulterinè, & fornicariè generantibus: vt neque est peccatum furti in seminibus segetum furtiuè sublatis, quæ à Deo in terra confouentur, sed in ea furantibus. Hæc sunt Sancti Doctoris verba: *Si dixero illud Ecclesiasticum: quotidiè Deus operatur animas, & in corpora eas mittit nascentium: illicò magistri tendiculas profers: & vbi est iustitia Dei, vt de adulterio incestuque nascentibus animas largiatur? ergo cooperator est malorum hominũ, & adulteris seminantibus corpora, ipse fabricatur animas? Quasi vitium sementis in tritico sit, quod furto dicitur esse sublatum: & non in eo, qui frumenta furatus est, idcircò terra non debeat gremio suo semina confouere; quia sator immunda ea proiecit manu?* Igitur, vt in alijs peccatis, ita quoque in adulterio, vel fornicatione duo considerari debent: & actio naturalis generationis humanæ, & malitia transgredientis legem Dei in actione illa perficienda. Quorum primum bonum est physicè, eiq; Deum cooperari dici potest, cum in materiã, ad generationem hominis vltimò præparatam, infundit animam; quod sanè, vt causa prima, & vniuersalis est, tenetur præstare; ne naturę peruertat ordinem. Secundum autem malum est moraliter, cui proindè Deus non cooperatur, sed solùm illud permittit, volens hominem in sua libertate relinquere.

Quarta, & vltima obiectio fundatur in nonnullis rationibus naturalibus, ob quas animarum rationalium productio videtur debere fieri ex traduce. Primò quia nisi anima gigneretur à parente sequeretur hominem non verè generare hominem; si quidem per animam constituitur homo; hoc autem est absurdum, si enim cætera animantia excitant suæ soboli formas è potentia materiæ, concedi etiam debet homini, vt potè perfectiori agenti naturali, vt anima humana ab ipso producatur; Deindè causa attingens vltimam alicuius formæ dispositionem habet vim eiusmodi formæ productricem, cum forma, vt docent philosophi, sit finis generationis, & omne agens, quod vi propria confert media ad finem, possit finem per se obtinere. At homo attingit vltimam dispositionem ad introducendam animam rationalem, ergo. Tertiò, in materia est naturalis potentia ad recipiendam animam rationalẽ, siquidem anima est proprius, ac naturalis actus corporis; sed iuxta doctrinã philosophorum, cuilibet potentiæ naturali passiuæ respondet aliqua actiua etiam naturalis. Ergo datur aliquod agens physicum, quod animam rationalem producat, videlicet parentes vi seminis eam progignentes.

Respondetur ad hanc obiectionem, nihil in ea contineri, quod conclusionis nostræ veritatem euertat. Ad primam enim rationem dicitur, hominem verè generare hominem, quatenus est immediata causa vltimæ dispositionis, ad quam sequitur naturaliter vnio animæ, & corporis constituens hominem. Neque solùm homo tali modo censetur verè generare hominem, sed etiam leo leonem, & aliæ quæque res generare sibi similes. Leo enim non producit totum illud quod est leo genitus; si quidem non producit materiam, quę est quoque pars substantialis leonis; licet producat quidem leonis formam, quæ tamen ipsa non est leo: sed leonẽ generare leo dicitur, quia est causa immediata vltimæ dispositionis ad vnionem animæ, & corporis leonis, ex qua resultat leo. Quod autem homo cum cæteris animantibus suam formã non efficiat, id non ex illius imperfectione, sed ex animæ intellectiuæ nobilitate prouenit, quæ eo ipso quod est spiritualis, independenterque à corpore subsistens, alio fieri non potest modo, quam à Deo per creationem.

Ad secundam rationem respondetur, maiorem esse veram, quando forma eiusdem est ordinis cum suis dispositionibus, qualis anima rationalis nõ

est

est, vt potè substantia spiritalis, independens quo ad suum esse à corpore. Ac licet eadem anima suo modo sit finis generationis humanæ; quia tamen præcipuus finis est ipsum compositum, siue homo, qui gignitur, sufficit, ne generans dicatur frustrari fine, si producat totum compositũ, quamuis formam ipsam non generet, sed eius tantùm cum materia vnionem attingat. Quod etiam satis est, vt homo dicatur absolutè, & simpliciter gignere sibi simile secundum speciem.

Ad tertiam, maior itidem est vera, sed distinguenda est minor, & concedenda, si intelligatur, quod potentiæ passiuæ debeat correspondere actiua naturalis, quæ formæ saltem introductionem, nexumq; cum materia attingat, secus autem quæ formam semper producat; vt enim verificetur dicta correspondentia, abundè sat est, dari in agente naturali talem potentiam, quãdo forma eius vires superat, vt eam naturæ auctor stata, ac definita lege producat, vbi primùm agens naturale materiam congruenter, perfectèque disposuit, quemadmodum in animæ rationalis creatione contingit.

Secunda Conclusio. Animæ rationales à solo Deo creantur, & infunduntur corporibus. Ista conclusio est de fide, præcipua scripturæ loca, quibus habetur, & vndè Ecclesia vniuersalis illam semper credidit, credendãque proposuit Leo I. nec non Concilium Lateranense, vt supra diximus, sunt sequentia. Genes. 2. vbi cum ad hominem venitur, eius animam à Deo creari, & infundi, significatur his verbis: *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*. Iobi cap. 31. *Nunquid non in vtero fecit me, & formauit me in vulna vnus?* quod cùm intelligi non possit de formatione hominis quo ad corpus, cùm illud etiam formetur à parẽte virtute seminis, debet intelligi de illa quo ad animam, quam solus Deus creat, & infundit.

Psalmo 32. *Qui finxit sigillàtim corda eorũ*; id est, inquit Hieron. *nõ ex Adam vt quidam dicunt, animam ex anima*. Ecclesiastes cap. 12. *Et reuertatur puluis in terram suam, vndè erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Sapient. 15. *Quoniam ignorauit, qui se finxit, & qui inspirauit illi animam, quæ operatur*. Zachariæ cap. 12. *Dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo*. Epistolæ ad Hebreos c. 12. v. 9. *Deindè patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus?* Vbi patres carnis vocat parentes, qui nos tantummodo secundum carnẽ generant: Deum autem patrem spirituũ, id est animarum; vt indicet, nos non habere eas à parẽtibus, sed à Deo creari, & creando infundi humanis corporibus.

Verbo Dei scripto accedit traditum in Sanctorum Patrum libris conseruatum, qui nostram conclusionem vnanimi docent consensu, nec non de illa intelligenda esse ad litteram præfata Scripturæ loca. Athanasius in quæst. de anima, & mente. *Quapropter*, inquit, *anima quoque ductu intellectus imaginatur superna, & quæ illic sunt, quærit appetit, & desiderat: quoniam illinc habet creationem suam*.

Hilarius Pictauiensis lib. 10. de Trinitate ante medium: *Anima hominis opus est Dei; carnis verò generatio semper ex carne est*.

Gregorius Nazianzenus carm. de anima.

En quæ primigeni fuerit structura parentis.
Post autem in reliquis carnes ex carnibus ortum
Ducunt: exterius Mens verò illapsa, latenter
Pulvereæ moli se se coniungit: vt ille
Nouit, qui primum effigiem cum carne ligauit.

Ambrosius Mediolanensis lib. de Para-

Paradiso cap.11. *Considera, quia de corpore costam sumpsit, non de anima portionem; hoc est, non anima ex anima, sed os de ossibus, & caro de carne.* Item libro de Noe, & Arca cap. 4. *Plerumque Angelos, filios Dei Scriptura vocat; quia ex nullo homine generantur animæ*; & tract. in Symb. Apost. cap. 18. *Quotidiè Deus Maiestatis in plasmatis iā corporibus animas facit, & infundit.*

Gregorius Nyssenus disputatione de anima, & resurrectione, & fusius lib. de opificio hom. cap. 6. errorem hunc de propagatione animarum ex parentibus refellit ex professo.

Hieronymus in cap. 12. Ecclesiastes, perpendens citata verba: *Et Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, hæc habet, *Ex quo satis ridendi sunt, qui putant animas cum corporibus fieri, & non à Deo sed à corporum parentibus generari: Cum enim caro reuertatur in terram, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum; manifestum est, Deum patrem animarum esse non homines.* Item in epistola ad Pammachium contra errores Ioannis Hierosolymitani ita scribit: *Omne humanum genus, quibus animarum censetur exordijs? Vtrum ex traduce, iuxta bruta animalia, aut quomodo corpus ex corpore, sic anima generetur ex anima, &c. an certè quod Ecclesiasticū est iuxta eloquia Saluatoris. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor; Et illud Zachariæ, Qui format hominis spiritum in ipso: Et in Psalmis, Qui fingit per singulos corda eorum: quotidiè Deus fabricatur animas, cuius velle fecisse est, & conditor esse non cessat.* Tandem in libro 3. Apologiæ aduersus Ruffinum reprehendens illum, quod inter cætera asseruisset, se nescire vtrum animæ essent ex traduce nec ne; *Mireris*, inquit, *si contra te fratrum scandala concitentur, cum id nescire te iures, quod Christi Ecclesiæ se nosse fateantur.*

Chrisostomus homilia 1. de incomprehensibili Dei natura; *Animæ*, inquit, *inspirantur, & corpora effinguntur*: & homil. 33. in cap. 19. Matthæi: *Anima neq; generat, nec generatur; & nullum cognoscit patrem, nisi eum cuius voluntate creata est; nullam cognoscit matrem nisi Ecclesiam, quæ illam regenerauit in fide.*

Augustinus, vt vidimus supra, licet prius dubitarit de origine animarum, postea in epist. 157. ad Optatum apertissimè refellit eas fieri ex traduce.

Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioānem c. 9. *Opportunè*, inquit, *ac iustè non peccare in carne iubemur; quoniam eo capimus esse tempore, quo vna cum corpore in hunc mundum venimus; ac quasi à loco quodam, à nihilo ad esse peruenimus.*

Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui extat inter opera D. Augustini tomo 3. hæc habet cap. 13. *Dicimus creationem animæ solum Creatorem omnium nosse, & corpus tantùm per coniugij copulam seminari, Dei vero iudicio coagulari in vulua, & compingi, atque formari, ac formato iam corpore animam creari, atque infundi, vt viuat in vtero homo ex anima constans, & corpore, & egrediatur viuus ex vtero, plenus humana substantia.* Hoc idem, qui deinceps secuti sunt, tum Patres, tum Theologi docuerunt, sufficiunt autem ad nostrum intentum prææallati, quorum authoritatem admittunt Armeni.

Porro nedum hæc veritas diuinitùs reuelata habetur, verùm etiam Philosophi illam agnouerunt, cum possit naturali ratione probari. Nam Aristoteles lib. 2. de generatione animaliū cap. 3. de anima humana sic loquitur: *Restat vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit*; hoc est, à solo Deo fiat; vel aliter fiat, quàm ordinario modo generationis naturalis, nimirum per creationem, ita exigente, qua omnibus formis physicis præstat, naturæ dignitate; vt enim discurrit D. Thomas lib. 2. contra gentes cap. 87. Omnis substantia, quæ producitur, aut generatur per se, aut per accidens, aut creatur: sed animæ rationales non generantur per se, cum non constent ex materia, & forma, sed sint formæ simplices:

plices: neque per accidens, quia cum sint formæ corporum, orirentur per eorum generationem ex virtute seminali; quod substantijs spiritualibus, independenter à corpore subsistentibus repugnare superiori cõclusione ostendimus: superest ergo vt per creationẽ esse accipiant; & consequenter à solo Deo. Quia cum creatio sit productio ex nihilo, id est, nullo supposito subiecto, & omnes causæ secundæ prærequirant subiectum in quod agant, fit vt creare sit solius primi agentis, cuius virtus vt est infinita, ita nec ad subiectum, nec ad certum agendi modum restringitur.

Tertia conclusio. Animæ hominũ non fuerunt prius à Deo creatæ, quam gignantur corpora, sed nunc simul creantur, & infunduntur corporibus humanis, cum ea formantur. Hæc etiam conclusio est de fide; nam Leo I. epist. 93. ad Turibium Asturicensem cap. 10. ita de Priscillianistis contrariũ sentientibus pronuntiat: *Eos Catholica fides à corpore suæ vnitatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus non fuere*. Loca Scripturæ, quibus id nobis fuit reuelatum, sunt eadem, quæ pro superiori cõclusione fuerunt adducta, præsertim ex Zachariæ 12. vbi, dum asseritur Deũ *fingere hominis spiritum in eo*; apertè significari videtur, animam in corpore ipso, & non extra, nec ante corpus, à Deo formari. Addendus est ille Ioannis 15. *Pater vsque modo operatur, & ego operor*: ex illo enim, nec non ex alio Psalmi 42. *Qui finxit sigillatim corda eorum*, Diuus Ambrosius in Symb. Apostolor. & Diuus Hieronymus epist. 61. ad Pammachium probant, singulorum hominum animas recenter à Deo creari, infundique suis corporibus. Quæ Scripturę loca si non haberentur, adhuc sufficeret traditio, quàm expressè Patres cõsignarunt, vt mox videbimus; At quia oppositi erroris authores duplici modo illum explicabant; primò omnes animas rationales vna simul initio creatas à Deo fuisse in cælo, sed ante infusionem in corpora peccasse, atque in pœnam peccati in ipsa corpora tanquam in carceres, fuisse detrusas; secundò nunc vnam, nunc aliam ad ea mitti, non quia peccauerant; sed ne cogamur asserere, Deum post diem septimum aliquid noui creasse, contra illud Genes. 2. vbi dicitur, *Deus in illo requieuisse ab vniuerso opere quod patrarat*; indèque Patres illos impugnauere, modò in eo, quod conueniebant animas ante corpora extitisse, modo verò, secundum quod in huius explicatione differebant; propterea etiam nos maioris distinctionis, & claritatis gratia, primùm adducemus eorum loca, quibus absolutè dicitur animas nullo modo extitisse ante corpora; tum illa quibus in specie asseritur, non intrusas fuisse in corpora in pænã alicuius præcedentis peccati.

Clemens Papa lib. 5. Constit. Apost. cap. 8. ait: *Qui in vtero hominem de pusillo semine fingit; animamque illi, nondum existentem creat: & vt ipse ait quodam in loco Ieremiæ, antequam te formarem in vtero, noui te: & alio in loco, ego Dominus, firmans Cælum, & fundans terram, & formans spiritum hominis in eo*.

Irenæus lib. 2. aduersus hæres. c. 58. probans animas, antequã humanis infunderenrur corporibus, nullatenus extitisse hoc vtitur discursu: *Si enim hoc, quod in breuissimo tempore visum est, vel in phantasmate conceptum est, & ab ea solùm per somnium, postquam commixta sit corpori, commemoratur: multò magis illorum reminisceretur, in quibus tantis temporibus, & vniuersa præterita vitæ sæcula immorata esset*.

Athanasius in tract. de Definit. vbi quid sit vnitas: *Non enim ante Verbum, quod Deus est, substantialiter ibi fuit corpus, vel anima; sed simul caro, & Deus, qui Verbum est, simul in eo fuere: quemadmodum de nostra quoque conceptione videtur, quod anima per se subsistens simul concurrat cum corpore. Nam corpus*

per se consistere non potest; nec anima subsistit ante corpus.

Gregorius Nazianzenus orat. 31. *Vereor ne absurda etiam, ac præpostera cogitatio cuipiam obrepat, tanquam anima alibi vsquam versata sit, ac deindè corpori huic astricta fuerit.* Et paulò post: *Sed quoniam hoc existimare, nimis stultum, & absurdum est, atque ab Ecclesiastica fide, & doctrina alienum, &c.*

Ambrosius in Symb. Apost. cap. 17. *Sed videamus,* inquit, *quidnam hæreticis respondendum sit, qui animam Adæ, aut portionem Dei esse volunt, aut ante eam actam, quam eius corpus de terra fingeretur, quod prorsus alienum à fide Catholica, & extraneum est;* quo ex Scripturis probato demum concludit: *Quotidie ergo Deus Maiestatis in plasmatis iā corporibus animas facit, & infundit.*

Gregorius Nyssenus lib. de hominis opificio cap. 28. & 29. hunc ex instituto errorem refellens sic ait: *Cum vnus, & idem homo sit, qui corpore, & animo constat; vnum esse, communeque tribuendum ei dicimus existendi principium: nc parte hac seipso prior, altera iunior sit, ac posterior.* Et infra: *Animus adeò quemadmodum ante corpus non existit; sic hominis initio sine animo corpus esse, dici verè nequit: vnum est vtriusque principium.* Idem docet disput. de anima, & resurrectione post medium; nec non homil. 7. in Cantica.

Hieronymus locis superius citatis, tùm etiam in epistola ad Marcellinum, & Anapsychiam, vbi vocat oppositam sententiam, *stultam persuasionem.*

Chrisostomus homil. 13. exponens illud Genes. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ,* &c. hæc habet: *Sicut enim cælum, & terra, & Sol, & Luna, & cætera omnia formata sunt, & irrationabilia animalia; & post hæc homo, horum principatum suscepturus: ita & in hac hominis formatione prius corpus producitur, & postea anima, quæ dignior.* Si enim Adæ anima non fuit creata vnà cum Angelis, nec in cælo, nec ante, sed post formationem corporis ipsius Adæ; id quoque asserendum est de aliorum hominum animabus; nulla siquidem esse potest maior ratio de his, quàm de primi hominis anima, quæ vel in Scriptura, vel in authoritate Patrum aliquod solidum habeat fundamentum. Etsi enim Diuus Augustinus lib. 7. de Genesi ad litterā cap. 24. dubitarit, an anima primi hominis singulariter paulò ante corporis formationem fuerit producta; nihilominus in oppositam sententiam magis inclinat lib. 12. de ciuitate Dei cap. 12. quam vnanimiter docent Patres, Gregorius Nyssenus in lib. de opificio hominis, Hieronymus epi. 61. ad Pammach. & 139. ad Cyprianum, Ioannes Damascen. lib. 2. de fide c. 12. & alij.

Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioānem cap. 9. *Non ergo,* inquit, *carni coniunguntur animæ, quia peccauerimus antea, quippè qui ante corpus non fuimus.* Et infra: *Si ergo pro operibus, quę perperam, aut contra cum corpore gessimus, retributio fiet, nec vlla erit mentio eorum, quæ ante corpus probè, vel contra fecerimus; quomodo ante corpus fuisse animam audent dicere?*

Theodoretus in diuinorum decretorum Epitome, cap. de homine: *Ecclesia autem diuinę Scripturæ credens, dicit animam vnà cum corpore fuisse creatā.* Et postea: *Rursus autem etiam in legibus idem Propheta Moyses nos apertè docuit, quod corpus prius formatur, deindè procreatur, & inseritur anima.*

Quamuis adducta huc vsque Scripturæ, & Patrum loca efficaciter probent, animas rationales non intrusas fuisse in corpora, in pœnam alicuius præcedentis peccati; nam vt loco statim citato Diuus Cyrillus arguit: *Carni non coniunguntur animæ, quia peccauerimus antea, quippè qui ante corpus nō fuimus;* nullus enim peccare, & ob peccatum promeritam pænam recipere potest, nisi prius existat; addo tamen alia, quibus id expresè docetur: Rom. c. 5. *Per vnum hominem peccatū in hunc mun-*

mundum intrauit, & per peccatum mors; anima autem homo non est, vt rectè docet Diuus Thomas 1. par. quęst. 75. art. 4. Igitur si ex Apostolo per vnum hominem, primum scilicet parentem Adamum, peccatum in hunc mundum intrauit, dici non potest animam eius, nec alias consequenter, prius aliquod peccatum commisisse, quàm inspirarentur corporibus, in cuius pœnam debuerint in ea tanquam in carcerem confici.

Item ibidem dicitur: *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinē prævaricationis Adæ, qui est forma futuri*; & cap. 9. de Iacob & Esau, quod, *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei &c.* Tandem 2. Corinth. 5. habetur: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; vt referat vnusquisque propria corporis, sicut gessit, siue bonum, siue malum*. Quæ omnia, & similia Apostoli loca profectò vera non essent; si animę antequam corporibus inspiratæ fuissent, aliquam peccati labem admisissent, & ideo damnatæ fuissent ad corpora. Eamdem tamen veritatem magis expressè tradiderunt ex Patribus, Clemens Alexandrinus lib. 4. strom. *Non huc*, inquit, *de cœlis anima ad ea, quæ sunt deteriora, demittitur. Deus autem fecit omnia ad ea, quæ sunt meliora*. Methodius apud Epiphanium hæresi 63. *Fabula est, & tragica cantilena, dicere, animas ex cęlis deiectas esse*; Epiphanius epist. ad Ioannē Hierosolymit. & lib. 2. de hæresibus, hæresi 64. Hieronymus epist. sæpius citata ad Pammachium, Theophilus Alexandrinus epist. 1. Paschali: Augustinus epist. 28. ad Hieronymum, omniumque fusissimè Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem cap. 9. vbi viginti tribus argumentis oppositum errorem penitus profligauit: Indeq; damnatus fuit in Concilio Bracarensi 1. c. 6. *Si quis animas humanas dicit prius in cęlesti habitatione peccasse, & per hoc in corpora humana in terram deiecta fuisse, sicut Priscillianus dicit, anathema sit.*

Quantum ad rationes pro hac tertia conclusione, nullam afferri posse existimo, quæ sit illius demonstratiua, vel omnino necessaria; nullam si quidem videtur inuoluere contradictionem, quod animę rationales potuerint creari à Deo ante corpora, sicut modo in statu separationis sine illis subsistunt: supposita igitur fide, seu reuelatione contrarij, nonnisi congruentias, probabilesue illius rationes habemus, quæ tamen id efficaciter persuadent, attento naturali rerum cursu, diuinæque prouidentiæ suauitate, quam se illi, vbi oppositum non reuelatur, accommodare in omnibus videmus.

Prima desumitur ex hoc, quod vnicuique formæ naturale est vniri corpori; alioqui constitutum ex illa, & materia aliquod esset pręter naturam: sed prius tribuitur vnicuique, quod ei secundum naturam, quam quod præter naturam competit; quod enim alicuī conuenit præter naturam, inest ei per accidens, & quod secundum naturam; inest per se; quod autem per accidens inest, posterius est eo, quod est per se: Supposito igitur quod vnio animæ rationalis cum corpore sit secundum naturam; credendum est, eam non fuisse prius creatam à corpore abiunctam, seu antequā illi vniretur, talem verò vnionem secundum naturam esse, & non contra, patet tùm ex eo, quod secundū Philosophos, id quod est præter, & cōtra naturam, non fit semper nec vt plurimum, sed rarò; tum quia separatio animæ à corpore est violenta, & contra naturam; vt potè quam homo naturaliter fugiat, perhorrescat, & cum maximo doloris sensu sustineat; est enim mors vltimum, summum, grauissimum, & acerbissimum omnium terribilium.

Secunda ratio est, quia ex communi Doctorum assensu, anima habet natiuā propensionem ad corpus, atque adeo propriam perfectionem non obtinet, nisi

nisi dum corpori coniuncta est; sed Deus, cuius perfecta sunt opera Denter. 32. in prima rerum molitione procreauit res secundum statum cuiuscunque naturæ congruentem, ac debitum; vndè & cuncta, quæ fecerat, comperit esse valde bona. Non igitur omnes simul animas extra corpora creauit. Alias nedum fecisset aliquando opus suum imperfectum; verum etiam illud in eius esse imperfecto tandiu conseruasset. Quod autem anima non sit perfecta natura, siue propriam non habeat perfectionem, nisi suo copuletur corpori, probatur *Primò*, quia anima non est totus homo, sed pars hominis essentialis; vel, vt definiuit Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 3. *est per se, & essentialiter forma humani corporis*, cum quo, tanquam cum sua materia, vnam perfectam hominis naturam constituit. Secundò quia si anima sine corpore perfecta natura esset, peti posset, vtrum sua voluntate cum corpore vniretur, an aliena? si aliena, certè cogeretur à superiori potestate in pęnam alicuius pręcedentis peccati; qui est error Platonis, Origenis, Priscilliani, & aliorum supra refutatus; vel saltem violenter maneret in corpore; nec tam beneficium, quàm pœna videretur esse vita humana. Si sua voluntate: iam tria sequerentur absurda: *Primùm*, quod frustra velit vniri cum corpore, dum in se perfecta natura est, nec indiget eius consortio, & opera. *Secundùm*, quod nunc, quasi mutata, vel saltem prioris suspensa sentētia, velit esse in corpore, cum tot sæculis sine eo fuerit. *Tertium*, quod casu, & per accidens fiat, vt vno eodemque tempore concurrat voluntas hominis, generantis corpus, seu disponentis materiam, cum voluntate animæ, descendere cupientis in illud, informandi causa.

Tertiò si animę rationales ante corpora à Deo creatæ fuissent, cum natura in mundo nihil otiosum, ac sine propria operatione esse patiatur, vt post Philosophum lib. 10. Eth. cap. 8. communiter asserunt Doctores, vtique habuissent dictæ animæ in eo statu aliquam rerum scientiam, & notitiam: sed non ita esse plane constat, ex longo studio, & labore, quo scientiæ à nobis comparantur: ergo animæ non fuerunt creatæ ante corpora. Nec satisfacit, quod aliqui dicunt de reminiscentia Platonica, quam Aristoteles multis locis, sed præsertim lib. 3. de anima cap. 4. ipsaque experientia improbat; aut alii, quod vbi animę in corpora deiiciuntur, propter coniunctionem cum hac terrena fece, quasi hausto obliuionis poculo, omniū rerum memoriam amittant, vndè mirum non est si tantus in acquirendis scientiis labor sentiatur. Nam cum naturale sit animę corpori coniungi, non debuit ex copulatione cum propria, & naturali materia tale detrimentum capere. Si dicatur hoc contingere in pœnam pręcedentis peccati; non solum repugnat fidei, vt vidimus supra, sed & ipsi lumini naturali; si quidem sequeretur primò vnionem corporis, & animę, non esse bonum naturæ, sed potius malum quidpiam, sicuti est omnis pœna. Quod tamen impossibile est, cum nullum malum per se, siue ratione sui intendatur, & tamen natura vnionem animę, & corporis, seu hominis generationem per se intendat. Secundò, cum ex statim dictis; anima seorsim à corpore non sit perfecta natura, siue debitam non habeat perfectionem, donec suo vniatur corpori, si illa ante corpus creata fuisset, propterea que in illud intrusa, quod in eo statu aliquam peccati labem admisisset, sequeretur, quod nō peccando, vt ipsi liberum foret, malum reportasset, quippe quæ maneret perpetuò in suo esse naturali imperfecta, semper exigens corpus, peccando autē præmium, siue bonum, nimirum perfici in suo naturali esse, & operari per corpus, quod est naturę maximum beneficium; vel quod idem est, sequeretur bonum debere vocari pænam, & suppliciū malum verò præmium, ac mercedem; quę omnia, & similia, de quibus vidēdus est Cyrillus loco citato, sunt magis

absurda

absurda, quam vlteriori impugnatione indigeant.

Iis tandem, quę huc vsque diximus, de quotidiana animarum humanarum productione, non ex traduce à parentibus, sed ex nihilo per creationem à solo Deo, nihil penitus officit, quod Genes. 2. dicitur *Deus requieuisse die septimo ab vniuerso opere quod patrarat*; talia enim verba non significant, animas rationales, aut fieri quotidie ex traduce, aut simul omnes in principio, vel cũ Angelis, vel cum Adamo creatas fuisse, vt malè inferunt aduersarij, ne, inquiunt, cogamur admittere contra prę fatum locum, Deum aliquid noui facere post septimum diem, quotidie nouas animas procreando; Hoc inquam nihil obstat, primum, quia non dicitur Deus absolutè requieuisse; sed requieuisse ab opere, quod patrarat, videlicet illis primis sex diebus, vt patet ex textu: *Compleuitque Deus die septimo opus suũ, quod fuerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat*. Adeo vt sit sensus, Deum mundi opificium absoluisse sex diebus, atque ita die septimo destitisse mundi machinam condere; cum quo benè stat, quod in superius citatis sacræ Scripturæ locis habetur, de quotidiana animarum rationalium creatione, iuxta vnanimem Sãctorum Patrum interpretationem.

Secundo, quia iidem Patres, potissimũ Hieronymus, Augustinus, & Diuus Thomas docent, Deum dici cessasse die septimo ab omni opere suo secundum speciem, siue à nouis speciebus condendis, non autem à nouis indiuiduis, quorũ similia secundum speciem pręcesserint; quia deinceps nouam aliã rerum speciem non creauit, sed tantùm gubernauit eadem opera, multiplicando indiuidua specierum, à principio conditarum, quæ aliter, quam per creationẽ fieri non poterant. Quare cum omnes animæ intellectiuę, omnesque homines sint vnius, & eiusdem speciei athomæ, cum Adamo sexto die creato; non facit nunc Deus aliquid noui secundum speciem, creando reliquas animas successiuè, sed tantùm indiuidua eiusdem speciei multiplicat: maximè cum id non pręstet nisi vt causa naturalis, & vniuersalis ad exigentiam naturæ, sic ab initio constitutę. Quando enim principia generationis humanę produxit, hoc est, virum, & fæminam, eisq; dixit Genes. 2. *Crescite, & multiplicamini*, tunc naturę ordinem ita pręfixit, vt quotiescumque corpus humanũ fuisset in vtero matris sufficienter dispositũ, continuò ad illud animandum procrearetur anima: adeo vt pro miraculo habendum esset, si anima corpori ita disposito aliquãdo deesset. De hac materia tractant Theologi cum Diuo Thoma 1. p. q. 90. & 118. & cum illa absoluimus controuersias inter nos, & hæreticos Orientales, ad eamdem partem spectantes.

CAPVT IV.

Statuitur aduersus Armenos, verè esse aliquod peccatum originale, quod Adæ posteri in ipsa generatione contrahant.

CVm nomine peccati originalis nihil aliud communiter à Theologis, & aliis intelligatur, quam labes quędam, siue defectus, qui hominem naturali via generationis ab Adamo descendentem, ipso suæ originis momento ita inquinet, vt tanquam veri nominis peccatum, eundem hominem exosum Deo reddat, & variis huius vitæ miseriis obnoxium, tum etiam à cœlesti beatitudine, nisi deleatur, excludat. Quæstio est in præsenti vtrum notio hæc nominis vera sit, id est, vtrum Posteri Adæ naturam generatione accipiant contaminatam, ab quo eiusmodi defectu, cui ratio peccati verè competat.

Quam quęstionem ex Diuo Augustino lib. 3. de peccator. merit. & remiss. cap. 6. & 7. vt primus in Ecclesia mouit Pelagius, ita quoque primus in ea turpiter errauit. Nam ante huius tempora con-

constans fides cum esset sic homines natura esse filios iræ, vt vi peccatum aliquod per generationem x parentibus traherent, primus id ne uit Pelagius, eiusque discipuli, asse tes, peccatum Adami soli ipsi nocu non autem posteritati. Quare ide Augustinus lib. de hæresibus, hære 88. ait: *esse proprium errorem Pelagia rum, negare peccatum originis*. Que tamen postea fecerunt sibi commune n plures hæretici; inter quos Alphon s Castro lib. de hæres. verbo *peccatum*. Thomas à Iesu lib. 7. de conuers. om ium gentium recensent Armenos. E i enim fateantur baptisma necessa um esse ad vitam æternam consequ dam, non tamen ad deletionem pec ati originalis. Indèque paruulos absque baptismo decedentes asserunt in paradisum terrestrem migrare, si filii sint fidelium; si autem infidelium cum suis parentibus in infernum descendere.

Verum contra hos, & alios, de quibus, nec non & de variis suum errorem explicandi modis videri potest Cardinalis Bellarminus tom. 4. lib. 4. cap. 1. stat Ecclesiæ Romano Catholicę authoritas firmiter credentis, ac docentis: Adæ præuaricationem non sibi soli, sed toti eius propagini nocuisse: nocuisse autem non solùm transfusione mortis, & pęnarum corporis, sed transfusione peccati, quod mors est spiritualis animæ, vt pote qui acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam non sibi soli, sed & nobis perdiderit, qui in eo tanquam in capite, fonte, & seminario eramus contenti, & quasi radicaliter conclusi. Vbi quatuor refutantur errores, primus asserentium, Adamum suo peccato nullum prorsus damnum nobis intulisse: secundus eorum, qui illum ea tantum ratione nocuisse fatentur, quod post peccatum mortalis factus, mortales etiã filios, pęnisque corporis obnoxios genuerit; tertius docentium, nocuisse quidem etiam peccati infectione, sed non transfusione per originem, seu generationem, verum per solam imitationem, quatenus eum imitati sunt omnes, qui postea peccauerunt; quartus denique illorum, qui concedunt, nocuisse quo ad peccati transfusionem, etiam per originem, sed per peccatum debere intelligi radicem peccati, scilicet concupiscentiam, quæ motus quidam est animi, vndè tanquam ex radice peccata pullulent.

Prima huius veritatis Catholicę definitio habetur in variis Summorum Pontificum decretalibus epistolis, Siricij ad Himerium cap. 2. Innocentii I. ad Concilium Mileuitanum, in qua confirmat eius Concilii decreta, cuius etiã meminit Diuus Augustinus lib. 1. contra Iulianum cap. 2. & epist. 157. Zozimi ad Episcopos totius orbis, cuius verba idem recitat Augustinus eadem epist. 157. ad Optatum. Cælestini ad Gallos; Leonis I. ad Nicetam Aquileiensem; & Gregorij item I. ad Secundinum lib. 7. epist.

Tum in variis Conciliis Prouincialibus, Palæstino, cuius meminit Diuus August. lib. 1. contra Iulianum cap. 2. lib. de peccato origin. cap. 15. & epist. 106. Mileuitano in Africa, can. 2. Arausicano II. in Gallia can. 2. Carthaginensi item in Africa, Episcoporum 217. can. 77. quod post confirmationem à Zozimo Summo Pontifice obtentam, à toto orbe receptum fuit, vt testatur S. Prosper in Chronico ad annum 420. Toletano VI. in Hispania can. 1. & 12. can. 2. Moguntino in Germania can. 5. Demũ eamdem renouarunt definitionem duo Concilia vniuersalia, Florentinum in litteris vnionis, & Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato origin. vbi ad verbum repetit decreta Conciliorum veterum Mileuitani, & Arausicani.

Præcipua autem sacræ Scripturæ loca, quibus hęc vniuersalis Ecclesiæ fides innixa semper fuit, sunt sequentia: Genes. 17. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Illo vtitur Diuus Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 27.

Iobi 14.

Iobi 14. V. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* vbi septuaginta Interpretes legunt: *Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram*. Illum vrget idem Diuus Aug. in Psal.50. nec non author libror. Hypognosticon lib.5. apud eumdem Aug. tom.7.

Psal.50. *Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; vel iuxta Hebraicum fontem *in iniquitate, & in peccato*. De quo Augustinus in Enchirid. cap.44. & 45. lib. de peccato origin. cap.25. & lib.1. de peccat. merit. & remiss. cap.24.

Sapientiæ 12. v. 11. *Semen enim erat maledictum ab initio*: apud Augustinum lib.2. de nupt. & concupiscentia c.8.

Ecclesiastici 40. v. 1. *Iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum*: vtitur August. in Enchirid. cap. 66. & author Hypognosticon lib.5.c.3.

Oseę cap. 6. v. 7. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me*. Vide Hieronymum in comment. super hunc locum. Tantùm ex veteri testamento.

Loca noui testamenti sunt: Ioannis 3. v. 36. *Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*: vbi vrget Augustinus lib.1. de peccat. merit. cap. 20. & lib. 6. contra Iulianum cap. 12. non dici, *ira Dei veniet super eum*, sed manet super eum, quia nimirum ex origine est.

Roman. 3. *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*; quo vtitur Augustinus lib. 2. de nat. & gratia cap.4. & author Hypognosticon lib. 2.

Roman. 5. *propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccarunt*: & infra *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi*. Quem pręcipuè locum D. Augustinus vrget aduersus Pelagianos lib. de nat. & grat. cap. 39. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 9. & 12. lib.4. contra duas epistolas Pelagij c. 4. lib.6. contra Iulian. cap. 12. & alibi.

Secundę Corinth. cap.5. v. 14. *Quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus*. Vnde Augustinus lib.6. contra Iulianum cap.4. ait: *Nega Christum pro paruulis mortuum, vt eximas eos de numero mortuorum, de contagione peccatorum*. Eumdem locum citat lib. 1. de peccat. merit. cap. 27. & lib. 20. de Ciuit. Dei c. 6.

Ephes. cap.2. v. 3. *Et eramus natura filij iræ, sicut & cæteri*: id est, origine, siue natiuitate prima; vel simul atque communem naturam generatione accepimus: vt interpretatur Diuus Augustinus lib. 6. contra Iulianum cap. 4. & 10. tract. 44. in Ioannem: *Quomodo*, inquit, *natura filij iræ, nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inoleuit*. Qui etiam lib. 3. de peccatorum merit. docet adeo esse apertam in præfatis Scripturæ locis doctrinam de peccato originali, vt etiamsi aduersariorum solui argumenta non possent, nihilominus ei firmissimè inhærendum sit.

Sed verbo Dei scripto accedit insuper traditum apud Sanctos, ac veteres Patres eamdem doctrinam tanquam fidei dogma vnanimiter testificantes. Ante exortam Pelagij hæresim ex Gręcis habemus Dionysium Areopagitam lib. de Eccles. Hierarch. cap. 2. & 7. part. 3. vbi *per habitum*, siue *statum dissimilitudinis ingenitum*, intelligit peccatum originale: Ignatium epist. ad Trallianos, vbi peccatum originale vocat *antiquam impietatem*: Iustinum in dialogo cum Tryphone, vbi ait Christum Crucifixum esse, *Humani generis causa quod per Adam in mortem, & fraudem, seductionemque serpentis conciderat*: Irenæum lib. 3. cap. 20. & lib.5. c. 17. nec non 34. vbi ait: *hominem initio fuisse in Adam inobedientem*. Origenem homil. 8. in Leuit. *Quæcumque anima*, inquit, *in carne nascitur, iniquitatis, & peccati sorde polluitur, propter quod dictũ* est,

est, nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram: idem habet in cap. 5. epist. ad Roman. Athanasium serm. in illud: *Omnia mihi tradita sunt*: Basilium in Psal. 32. Cyrillum Hierosolymitanum Cathechesi 2. Gregorium Nazianzenum orat. 3. de pace, & orat. 2. in S. Pascha: Gregoriū Nyssenum disput. de resurrect. & anima; nec non lib. de beatitud. orat. 6. *ex homine*, inquit, *homo nascitur, ex peccatore peccator*. Chrisostomum homil. si eius sit, de Adam, & Eua, homil. ad Neophytos: homil. 10. in epist. ad Rom. & 40. in priorem ad Corinth. quicquid in contrariū nostra ætate noui obganniant Pelagiani, cum enim iam olim Iulianus Pelagij sectator primarius S. Ioannem Chrisostomum ad patrociniū suæ hæreseos aduocaret, illum acriter defendit August. lib. 1. aduersus eumdem Iulianum cap. 2. præfataque, & alia Chrisostomi profert loca, quibus ostendit eum de peccato originali nihil aliud sensisse, quam tot eius Coepiscopi senserāt.

Ex Latinis sunt Tertullianus lib. de anima cap. 40. *Omnis anima*, inquit, *eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem quia immunda*. Cyprianus lib. 3. epist. 8. ad Fidum: Ambrosius in Apologia Dauid c. 11. & lib. 1. de pœnitentia c. 2. Hieronymus in cap. 6. Oseæ, & Micheæ; item lib. 3. aduersus Pelagianos in fine, *Quare*, inquit, *infantuli baptizantur*, respondet, *vt eorum peccata dimittantur*, *&c*. Ruffinus in comment. Psalmi 50. *Nemo nascitur, nisi trahens culpam, & culpæ pœnam*. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 1. & 2. quem scripsit ante Pelagianæ hæreseos ortum, vt patet ex retractationibus. His addi debent Reticius, & Olympus duo veteres Patres, quorum opera non extant, sed eorum testimonia, nec non præfatorum maiori ex parte citat S. Augustinus lib. 1. in Iulianum cap. 2. Ea qui futuram [illegible] sim Pelagianam de peccato origi[illegible] [illegible]eteilendo præue-

nerunt Patres, quibus subscripserunt sequentes; adeò vt semper habiti sint hæretici cum Pelagianis, omnes illi, qui deriuari ex peccato Adami in posteros aliquod veri nominis peccatum negauerunt.

Ad huius tandem veritatis probationem non desunt plures rationes Theologicæ, tales appello in quibus aliqua supponuntur fidei principia, cum quibus existentia peccati originalis necessariam habet connexionem. Prima ducitur ex necessitate circumcisionis in veteri lege, Genes. 7. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima eius de populo meo*. Talia enim verba intelligenda esse de damnatione æterna, per quam delemur de libro vitæ, fusè probat Augustinus lib. 2. de peccat. origin. cap. 30. Igitur cum ipsa paruulis octauo die ab eorum natiuitate conferretur, indicio est, eos mortem animæ per peccatum incurrisse, & reos damnationis æternæ extitisse. Dici enim non potest, infantes incircumcisos esse peccati, & damnationis reos, ob non obseruatum circumcisionis præceptum, non autem propter peccatum originale præexistens; cum infantes nullius sint præcepti capaces, nec possint dici rei, ratione talis præcepti forsan à parentibus non seruati, alias sequeretur, quod aduersarii tantoperè abhorrent, & est contra Scripturam Ezechiel. 18. & alibi, quod filius portaret iniquitatem patris. Ergo cum asseratur eos, non recipiendo circumcisionem, delendos esse de libro vitæ; & alia ex parte non peccauerint, nec proprio, nec parentum peccato, non recipiendo circumcisionem, signum est manifestum, Deum voluisse ostendere ipsos infantes peccato aliquo ante hoc præceptum circumcisionis inquinatos fuisse, propter quod damnandi erant, si remedium illius per circumcisionis Sacramentum non accepissent.

Secunda ratio, eaque inuicta, qua veteres passim vsi sunt, fundatur in necessitate Sacramenti Baptismi, in statu

Legis

Legis Euangelicę, ob quam infantes continuò baptizandi sunt, si periculum sit, ne in ea moriantur ætate, vt ex Apostolica traditione docent Patres; & semper in Ecclesia summa fuit sollicitudo, ne quis omnino, siue adultus, siue infans absque baptismo decederet; quare Pelagiani nunquam ausi fuerunt negare paruulos esse baptizandos, vt sæpius testatur Augustinus, dicente Domino Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei*: certum est autem, Sacramentum Baptismi conferri ad remissionem peccati; nam qui baptizantur, vt ait Christus, renascuntur, item moriũtur peccato, & resurgunt, vt in nouitate vitæ ambulent: Roman.6. rursus mũdãtur, & lauantur. Ephes.5. Tit.3. Actor. 22. tandem ex ritu Ecclesiastico exsufflantur, & exorcizantur; quæ omnia, & similia satis patet verificari non posse, nisi præsupposito in suscipiente baptismum aliquo peccato; dubitari igitur nõ potest, quin infantes, quibus necessarium esse baptismum ex verbo Christi, & Apostolica traditione constat, peccatum habeant, quod secum ex vtero matris adduxerint, & hoc est, quod originale vocamus.

Hoc argumentum, quod sæpius D. Augustinus vrget aduersus Pelagianos, epist. 105. ad Sixtum Præsbyterum; lib.1. de peccat. merit. & remiss. c. 34. lib.3. cõtra Iul. c.5. serm.10. de verbis Domini, sic teste eodem Augustino hæresi 88. eludebant, vt dicerent paruulos, non ideo baptizari, quoniam absque baptismo sint obstricti peccato, & ratione illius nequeant adipisci vitam æternam, sed ob id solum, vt tanquam hæredes Dei, & cohæredes Christi in Regnum Cœlorum recipiantur. Quam vim tantum habere dicebant præfatum S. Ioannis locum: *Nisi quis renatus fuerit &c.*

Verum hæc Pelagianorum euasio facile refelli potest. *Primò* quia ex Diuo Augustino, cæterisque Patribus, sacra Scriptura de regno cęlorum, & vita æterna ita indifferenter vbique loquitur, vt ista duo nullo inter se modo separari queant; fictitium est igitur affirmare, non esse necessarium paruulis baptismum, vt beatam vitam consequãtur, esse autem, vt recipiantur in Regnum Cęlorum. *Secundò*, quæ adduximus ex scripturis, vbi per baptismum mori peccato, renasci, lauari, & mundari dicuntur illum suscipientes, quod & ipsa ratio, & forma baptismi declarat, vt argumentatur Diuus Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 34: tum cæremoniæ eiusdem antiquissimæ, & in Ecclesia vniuersa celebratę, abigendi spiritum immundum ab infantibus baptizandis per exorcismum, & exsufflationem, quas ipsimet Pelagiani nec poterant, nec audebant reprehendere, vt ait idem Augustinus lib. 2. contra Iulianum cap. 2. *Id tu commemorare timuisti, tanquam ipse à toto orbe exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua princeps mundi à paruulis eijcitur foras, contradicere voluisses*. Hæc, inquam, & alia similia clarè demonstrant baptismũ nemini conferri nisi in remissionem peccati; proindeque vanum esse, quod Pelagiani aiebant, quodque renouarunt eorum sequaces, paruulos baptizari ab Ecclesia non vt liberentur à peccato, sed solum vt adipisci possint regnum cælorum. *Tertiò* tandem, allata corruit euasio, quia æque vanum est existimare, paruulos beatam vitam obtinere posse sine baptismo, non solum quia beata vita, & regnum cęlorum coincidunt, verum etiam, quia licet distinguerentur, beata vita nemini contingit, nisi beneficio Christi, qui vt in sequenti ratione ponderabimus est vniuersalis omnium Redemptor, iuxta illud Apostoli 1. Corint.15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur*: ex qua sentẽtia, vt ait D. Augustinus epist. 28. ad Hieron. manifestè sequitur, *neminem vitam æternam consecuturum nisi per Christum, sicut nemo etiam moritur nisi per Adam*; Neminem autem beneficio Christi consequi beatitudinem, nisi susci-

ſuſcipiat baptiſmum, in re quidem, vel in voto, ſi eſt adultus; aut ſi eſt paruulus in re, vel ratione æquiualente, patiendo videlicet propter Christum martyrium, vt habet Eccleſiæ traditio, ſatis oſtendunt, quæ eadem, nec non diuinæ Scripturæ docent de neceſsitate baptiſmi in ſtatu legis Euangelicæ reſpectu hominum, quibus ita ſanguis, & meritum Chriſti proſunt ad conſequendam ſalutem, vt præterea opus habeant baptiſmo, quo tanquam inſtrumento vim meritorum Chriſti participent, qui vt ait Apoſtolus ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis*, & ad Epheſ. 5. *Dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret mundans eã lauacro aquæ in verbo vitæ*: Nullus igitur ex paruulis abſque baptiſmo beatã vitam adipiſci poteſt, vt ſomniant Pelagiani, & in hoc eis conſentientes Armeni.

Tertia ratio Theologica deſumitur ex eo quod Chriſtus Dominus venit, vt omnino homines redimeret, vt habetur ex ijs Scripturæ locis, quibus generalis omnium hominum abſque vlla exceptione redemptor aſſeritur 2. Corint. 5. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*; & 1. ad Timoth. 2. *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*; Indè enim neceſſariò ſequitur, vt arguit Diuus Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. & & remiſſ. cap. 23. ipſos etiam paruulos tanquam per peccatum mortuos ab eo redemptos fuiſſe; Chriſtus enim non dicitur omnium redemptor, quia gratiam iuſtificantem vtcumque confert, ſed quia per illam nos à peccato, & pęnis illius liberat, vt verbum ipſum redemptionis apertè ſignificat; & propterea, quę diuinæ Scripturæ Chriſtũ pro omnibus, eædem tanquam pro iniuſtis, & impiis mortuum eſſe tradunt: ad Rom. 5. *Chiſtus ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt*: & 1. Pet. 3. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis*: Igitur paruuli, vt verè dicantur à Chriſto redempti, non minus quam adulti peccato detinentur; quod cum non ſit actuale, debet eſſe originale, hoc eſt ab Adamo in eos tranſmiſſum per generationem naturalem.

Quarta demum, & vltima ratio deducitur ex hoc, quod infantes iiſdem pœnis, quas Deus primis parentibus inflixit, ſint obnoxij, vt morti, ægritudinibus, & ſimilibus aliis incõmodis; cum enim in diuinis habeatur Scripturis, illa eſſe peccati pęnas, Geneſ. 2. *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*, & cap. 3. *Maledicta terra in opere tuo*. Sap. 3. *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum*. Rom. 5. *Et per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit*. & c. 6. *Stipendia enim peccati mors*. Manifeſtum eſſe videtur nonnullis argumẽtũ, quod paruuli quoq; ſint obnoxii alicui peccato, ſiue quod illis inſit quoddã peccatum, quod non committitur propria voluntate; ſed ipſa propagatione à parentibus trahitur.

Sed vt fatear verum, iſtud argumentum deſumptum præcisè ex incommodis corporalibus, humanæque vitæ calamitatibus, ſiue ſeorſim à pænis ſpiritualibus, v. g. mortis animæ, per gratiæ priuationem, indèque ſubſequentis æternę damnationis, non mihi videtur omnino efficax. Quamuis enim repugnet filios puniri huiuſmodi pænis ſpiritualibus, ob ſola parentum peccata, & quin aliquo modo in illis participent: vndè Ezechiel. 18. habetur: *Anima, quæ peccauerit ipſa morietur; filius non portabit iniquitatem Patris, neque Pater iniquitatem Filij, &c.* nihilominus, ſi loquamur de pænis, aut incõmodis purè temporalibus, poſſunt filii propter peccata parentum illis affici, iuxta illud Exodi 20. vbi legitur Deum viſitare ſolere *iniquitatem parentum in filios vſque ad tertiam, & quartam generationem*. Et illud Ierem. 32. *Qui reddit iniquitatem patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos fortiſſimè*. Igitur, quia omnis

nis pœna, si iusta est, pœna peccati est, & supplicium nominatur, inquit D. Augustinus lib. 1. retract. cap. 9. potest quidē argüi ex pænis temporalibus filiorum, vel in illis, vel in parentibus aliquod esse delictum, non tamen semper determinatè, quia filii ob sola parentum peccata temporaliter puniri possunt, vndè vt hæc postrema ratio plenā vim habeat, pænis temporalibus simul debent coniungi spirituales, mortis animæ, & damnationis æternæ, quibus omnes Adæ posteri sunt obnoxii, atque adeo dicuntur ab Apostolo nasci filii iræ, cum enim huiusmodi pænæ nō ob sola parentum peccata à diuina infligantur iustitia, consequitur paruulos illas non pati, ob solùm Adæ peccatū, sed peccato etiam ipsos obstrictos nasci, propter quod iustè eas incurrant. Hæ sunt præcipuæ rationes Theologicæ, quibus existentia peccati originalis apertè videtur demonstrari.

Vtrum autem illa eadem probari etiam posit lumine naturali cōtrouertunt doctores, & pro parte affirmatiua citari solent Guillelmus Parisiensis in tract. cur Deus homo; Sanctus Bonauentura in 2. sent. dist. 1. q. 2. & Ambrosius Catharinus in opusc. de casu hominis, contendentes posse euidenter demonstrari, hominem non fuisse à Deo creatum, in eo statu, quem nunc habet, sed in eam, quam experimur naturę corruptionem, per aliquod peccatum lapsum fuisse; cum autem hæc corruptio in infantibus statim à natiuitate, quin imo quando adhuc in vtero materno degunt, reperiatur, & ipsi per proprium actum peccare non potuerint, debuit eorum principium, seu caput, in quo continebantur, actualiter peccasse, & propter illud in hanc corruptionem incidisse.

Sed opposita sententia verior est, & communior; quia autem duobus modis aliquem fidei articulum posse demonstrari, concipi potest: Primò simpliciter, & absolutè, fide nullo modo supposita: secundò illa iam supposita, quatenus nempè fide semel imbuti reperire possumus rationes ita apertas, vt aliquis fidei articulus, dicatur posse naturaliter demonstrari; vtroque modo asserimus, non posse naturaliter demonstrari hominem esse subiectū peccato originali, aut naturam humanam esse, & fuisse ab origine corruptā. Ratio est, quia talis demonstratio multa supponit, quę naturaliler cognosci nequeunt, sed tantùm per fidem, aut reuelationem diuinam; vt primum parentem fuisse creatum in gratia, & iustitia originali; nam cū peccatum originale in priuatione huiusmodi iustitiæ situm sit, & priuationes aliter quā per habitus, quorum sunt priuationes cognosci non posint, necesse est ad illius notitiam, iustitiam hanc originalē cognoscere, quæ tamen cum sit supernaturalis, & ex mera diuinæ voluntatis dispositione dependens, nullis naturalibus rationibns attingi potest, sed per diuinam duntaxat reuelationem innotescere; sicut, & quod idem primus parens, qui fuit totius naturæ caput, peccauerit, & contra mandatū sibi à Deo impositum abierit; & insuper illius transgresio fuerit, & sit totius naturæ humanæ, quæ in illo, tanquam in capite, continebatur, transgresio; hoc enim soli diuino innitebatur pacto; Quàm igitur tria præfata ad notitiam peccati originalis necessaria, sunt omnino lumini naturali imperuia, tā certum est illius existentiam naturaliter demonstrari non posse.

Sicut etiam naturam humanam esse & fuisse ab origine corruptam naturaliter ostendi non potest ex defectibus hominis, & pręcipuè ex rebellione partis inferioris contra superiorem; quamuis enim admittamus ea dę facto esse effectus peccati originalis, proptereaque dici eius pænas, quia tamen id illi conuenit per accidens tantùm, quatenus scilicet ademit gratiam, & iustitiam originalem, tales defectus impedientem, qui aliàs prouenire possunt ex principiis, seu potentiis naturalibus,

vt

vt ægritudo, & mors ex quatuor quàlitatibus sibi repugnantibus; rebellio autem ex propensione appetitus sensitiui ergà delectationes corporeas, atque ex apprehensione phantasiæ, quæ in hominibus fortior est, ac subtilior, quam in brutis; siue ex eo quod homo ex corpore, & spiritu, quæ in obiecta aliquando inter se contraria feruntur, coalescit, quę etiam obiecta cum vel sint obscura, vel nimium intricata, vel aliter, quam à parte rei sint, appareát sensibus, & intellectui, fit vt aliud iudicium, quam oportet, rationalis potentia ferat de rebus ipsis; idemq; affirmandum est de parte irascibili propter bona, quæ apparent nimis ardua, & mala, quæ nimium commouent appetitum: atque etiam de concupiscibili, propter apparentiam, & vehementiam delectationum sensibilium; indè sequitur hos, & similes defectus in homine, nec peccatum originale, nec naturæ corruptionem, in quam de statu suo, quem habebat ab initio, lapsa sit, euidenter arguere, sed in principia naturalia commodè referri posse; quare si Adam creatus, & conseruatus fuisset in puris naturalibus, sine gratia, & sine peccato, tam benè fuissemus illis defectibus subiecti, ac nunc sumus, propter compositionem naturæ nostræ, & contrarietatem appetitus.

Vnde qui veteres Philosophi dicūtur humanæ vitæ calamitates, & ærumnas cognouisse, indeque conquestos fuisse hominem non vt à matre, sed vt à nouerca natura editum in vitam, rem quidem viderunt, siue effectus peccati originalis in statu naturæ per illud de facto corruptæ perceperunt, sed causā nescierunt, vt ait D. Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 12. Sique aliqualem illius notitiam habuerunt, minimè ascribenda est soli rationis naturalis indagini, sed ijs illam viis comparare potuerunt, quibus tom. 1. lib. 2. sect. 5. cap. 18. ostendimus Philosophos potuisse plura fidei nostræ mysteria cognoscere, inter quæ sine dubio peccati originalis existentia, indeque secuta humanæ naturæ corruptio reponenda sunt: nam vt ait idem August. lib. de peccato origin. cap. 24. *In causa duorū hominum, quorum per vnum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Christiana consistit.*

Cæterum licet id lumine naturali euidenter, ac demonstratiuè cognosci non possit, supposita nihilominus fide, quod de facto Deus protoparentem Adamum non creauerit in puris naturalibus, sed in Sanctitate, & iustitia, vt probabiles non desunt rationes ad hoc persuadendum, ita nec consequenter, quod infinitæ quibus homines subiecti sunt miseriæ, non in naturæ humanæ conditionem, vt est à Deo creata, sed in peccatum, vel in corruptionem, quę post primum hominis statum accidit, sunt referendæ. Prima ratio desumitur ex immortalitate animæ, si enim anima est immortalis, vt etiam lumine naturali compertum est, probabile est, eam debuisse sortiri corpus, seu organum immortale, si non ex natura sua, saltem ex vi primæ suæ conditionis; vndè cum videmus omnes homines mortem subire, argumento est, eam ex peccato, vel ex aliqua indè secuta corruptione proficisci.

Altera ratio fundatur in querimoniis, quibus, vt mox dicebamus, nonnulli veteres Philosophi naturam respectu hominis non communem matrē sed nouercam causati sunt, vtpotè subiecti multis miserijs, quæ eum deterioris conditionis, quam bruta animantia reddere videntur, nam vitam suam à fletu incipit, nudus in illam ingreditur, & sic de aliis, vndè Plinius lib. 6. proœm. ait: *Itaque feliciter homo natus, iacet manibus, pedibusque deuinctus, flens animal cæteris imperaturum, & à supplicijs vitam auspicatur, vnam tantum ob culpam, quia natum est:* Cum enim Deus absque præcedenti peccato neminem consueuerit affligere, verisimile est præfatas, & similes alias ærumnas

nas haud prouenire à natura, saltem vt est à Deo condita; sed ab illa vt corrupta, seu à statu, in quo a Deo creata est, per peccatum excisa.

Vltimò tandem probari potest hæc eadem fidei veritas euidenter negatiuè, hoc est, vt sect. 1. huius libri diximus, ostendendo ex solutione argumẽtorum, nihil eam continere sacræ Scripturæ, aut rationi naturali repugnans.

Primum igitur aduersariorum argumentum desumitur ex c. 18. Ezechielis, vbi dicitur: *Filius non portabit iniquitatem Patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Respondetur primò, hunc locum potius pro nobis, quam contra nos esse: si enim filius non punitur pro patris peccato, aut quouis alieno, sed pro suo tantùm; certum autem sit ex aliis Scripturæ locis, paruulos varias pænas nedum temporales, sed insuper spirituales, mortis animæ, & damnationis æternæ exoluere: sequitur à natiuitate habere singulos proprium sibi inhærens quoddam peccatum, quod à primo parente traxerunt; & in ipso peccasse, ne pœnam contraxisse videantur sine culpa. Etsi enim, vt notauimus supra, nihil prohibeat, interdumque contingat filios ob peccata parentum pœnis temporalibus puniri, *nunquam tamen*, inquit Augustinus, *spiritualibus pænis propter ipsa afficiuntur.*

Secundò respondet Diuus Augustinus lib. 6. in Iulianum cap. 12. filios nõ portare iniquitatem patrum quando regenerati sunt; qui eodem lib. cap. 4. prius dixerat, etiam ante regenerationem filios non portare aliena peccata, sed propria. *Parentum*, inquit, *peccata modo quodam dicuntur aliena, & rursus modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena quippe proprietate sunt actionis, & nostra sunt contagione propaginis. Quod si falsum esset, profectò graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, nullo modo iustum esset.* Infantes igitur naturaliter ex Adamo prognati, non portant simpliciter iniquitatem eius, sed suam; cum peccatum originale, vt supra vidimus, verè & realiter in ipsis infantibus, quando nascuntur, existat.

Tertiò respondetur cum D. Thoma infantes non puniri propter iniquitatem patris præcisè, quando cum peccato originali nascuntur, sed puniri propter iniquitatem capitis, cũ Adam non tantum fuerit pater, sed caput omnium hominum, qui ab eo erant naturaliter descensuri, & in cuius voluntate omnes omnium suorum posterorum voluntates interpretatiuè continebantur: ideoque hoc titulo collata ei fuit gratia, & iustitia originalis, tam pro se, quam pro omnibus suis posteris, proindèque eo peccante, & huius iustitiæ originalis iacturam faciente, omnes simul præuaricati sunt, & iustitiam originalem amiserunt: vt fusius infra explicabitur soluendo rationes aduersariorum. Et sic iste Ezechielis locus facilè concordantur cum altero Exod. 20. *Ego Deus zelotes visitans iniquitatem patrum in filios*; si quidem ibi sermo est de pœnis temporalibus, quibus filii pro peccatis parentum puniri possunt; propereaque supra notauimus ex illis præcisè, separatimque à spiritualibus colligi non posse transfusionem peccati Adami in posteros: Ezechiel autem loquitur, vel de pœnis spiritualibus mortis animę, damnationisque æternæ, quas filii solùm propter scelera propria, & non parentum suorum, subeunt; & quibus cum ex sacris litteris paruuli etiã dicantur obnoxii, indè supra ostendimus, eos debere esse aliquo peccato coinquinatos non actuali, vt satis patet, ergo originali, quod ab Adamo in suos posteros est transfusum per generationem naturalem: vel de peccatis parentũ, quibus filii nequaquam sunt obstricti, nec in eos vllo modo transfunduntur, sed in eorum persona sistunt; & manent; quale non esse peccatum protoparentis Adami fides Catholica, quam defendimus, expressè docet.

Quar-

Quarto dico hunc Ezechielis locum esse contra ipsos aduersarios, dū enim Armeni, quos hic impugnamus, asserunt, paruulos sine baptismo decedentes in paradisum terrestrem migrare, si filii sint fidelium: si autem infidelium, cum suis parentibus in infernum descendere, coguntur, vel admittere in illis peccatum originale, quod sit causa damnationis eorum, vel quod portent iniquitatem parentum; sicut qui migrant in Paradisum terrestrem fidelium filii, portare debent eorum iustitiam, qua vel à peccato originali mundentur, vel per quam à damnatione æterna liberari mereantur; quæ omnia sunt absurda & maiora continent inconuenientia, quam quæ ipsi aduersus peccati originalis existentiam adducere possunt.

Alter Scripturæ locus, quo Pelagiani abutebantur, habetur Rom. 5. *Sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, &c.* Si enim, inquiebant, non imitatione, sed propagatione peccatores constituerētur homines ob inobedientiam Adami, non diceret Apostolus, multi, sed omnes. Respondet Diuus Augustinus lib. 6. in Iulian. cap. 12. nec non in nouissimo opere, quod imperfectum reliquit, sed nuper impressum fuit, concertationis inter ipsum, & Iulian. lib. 2. cap. 144. per multos intelligi debere omnes, qui nascuntur ex Adamo, qui verè sunt multi. Dicit enim *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem,* propterea Augustinus loco citato. cum nonnulla protulisset Scripturæ loca, quibus ponit aliquando pro omnibus multos, quod etiam docet lib. 20. de ciuit. Dei cap. 23. sic aduersus Iulianum concludit: *Quid habet virium argumentatio tua, quia propterea omnes non vis omnes intelligi, quoniam ijdem ipsi dicti sunt multi, quandoquidem qui verè sunt omnes, ideo nonnunquam dicuntur & multi, vt discernantur ab eis, qui cumque ita sunt omnes, vt sint etiam pauci. Capilli quippe hominis omnes, etiā multi sunt; digiti verò etiam omnes pauci sunt.* Apostolus igitur non solùm ad eamdem vocem retinendam in antithesi, verùm etiam valdè propriè dixit, multos constitui per Adamū peccatores, & multos iustos per Christū; quia omnes, qui nascuntur ex Adamo constituuntur peccatores, & illi sunt multi, non tamen omnes simpliciter, & absolutè, cum Heua fuerit homo, & tamen non fuerit per Adamum iniusta constituta, & Christus etiam sit homo & tamen nec sit ex Adamo, nec peccator: & similiter omnes, qui renascuntur in Christo constituuntur iusti, & hi sunt multi, sed non omnes simpliciter, quia non omnes renascuntur in Christo.

Quamuis multò plures sint, quibus nocuit inobedientia Adami, quam hi quibus profuit obedientia Christi; etsi enim Christus Dominus pro omnibus sit mortuus, & in hoc saluari possit antithesis, seu comparatio, quod *sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ,* quia quòt homines Adā suo peccato perdidit, tot Christus sua morte redemit, vel pro illis redimendis mortem subijt: Nihilo minus loquendo de facto dispar est ratio vtriusq; eo quod omnes, qui per seminalem propagationem descendunt ab Adamo, nascūtur obnoxii peccato, sed non omnes regenerantur in Christo; in eoque tantùm stat similitudo, quod vt inobedientia Adami nocuit omnibus, qui ab eo nascuntur, sic obedientia Christi prodest omnibus, qui in eo renascuntur, quamuis illi omnes sint in minori numero, quam alii omnes, qui ab Adamo nascuntur. Quare dum ait Apostolus, obedientiam Christi superare inobedientiam, seu delictum Adami, hoc non debet intelligi, quod, si obedientia Christi non omnibus sed duntaxat multis de facto prodest, à fortiori peccatum originale debeat esse solùm in multis, nempè in adultis ad imitationem

nem Adami peccantibus; Verùm arguit tantùm gratiam, quæ ob merita Christi confertur, esse multò maiorem in ratione beneficij, quam sit peccatum Adami in ratione nocumenti, ita vt ipsa nos Deo gratiores reddat, quam peccatum Adami ingratos effecerit; vel alio simili modo.

Tertiò obijciunt ex eodem Apostolo ad Rom. 4. v. 15. *Vbi enim non est lex nec præuaricatio*; ac proindè neque peccatum, cum illud propriè sit defectio à lege; sed respectu paruulorum non est lex, cum defectu cognitionis, non sint illius capaces; ergo nec in ipsis præuaricatio, & consequenter nec peccatum reperitur.

Respondetur primò ad hoc argumẽtum concedendo maiorem, & negando minorem, malè enim in ea probatur, ibi non esse legem, nec legis præuaricationem, vbi non datur eius cognitio; non enim Apostolus ait, vbi legis cognitio non est, nec præuaricatio est; quæ est nouorum in hac re Pelagianorum illatio, sed vbi lex non est, nec præuaricatio est; quod verissimum est, fingi siquidem non potest prȩuaricatio, nisi sit lex; quæ prȩuaricando violetur; falsum autem, eam non esse, nisi detur legis cognitio; cum sæpe fiat, vt aliqui legem ignorent, & tamen eam verè præuaricẽtur, vt patet in peccatis ignorantiæ, quȩ etiam lethalia esse possunt, si ignorantia sit voluntaria, qualis est eorum, de quibus dicitur psal. *Noluit intelligere, vt benè ageret*. Vndè ipsemet Zuinglius, cuius est hoc argumentũ apud Bellarminum tom. 4. lib. 4. cap. 8. explicans verba Apostoli Rom. 2. *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt*, ait ibi per sine lege esse, intelligendum esse, legem ignorare: nam alioqui nemo est sine lege.

Respondetur secundo, concedendo rursus maiorem, & negando minorem, quia licet paruuli vsu rationis carentes, non sint quidem in se capaces legis, per propriam præuaricationem illam transgrediendo, ob quam damnentur, in eo tamen illius capaces sunt, in quo, vt ait Apostolus, omnes peccauerunt, id est in primo parente, per communem quãdam toti humano generi prȩuaricationem. Vt docet Diuus Augustinus lib. 16. de ciuit. Dei cap. 27. vbi explicans, tanquam præceptum etiam ad paruulos attinens, testimonium illud Gen. 17. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*: ait: *Etiam paruuli non secundũ suæ vitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo vno testamentum Dei dissipauerunt, in quo omnes peccauerunt*. Nam hoc ipso quod intelligitur, Adæ, vt principio, & capiti generis humani datum fuisse prȩceptum, vt obedientia sua & sibi, & posteris conseruaret perfectionem illam, in cuius defectu consistit peccatum originale, intelligi etiam debet, præceptum id ad posteros quoque pertinuisse, non quidem taliter, quod illi voluntate propria exequi debuerint, sed quod potuerint certè, ac debuerint adimplere voluntate communi generis humani, nempè Adæ, vt erat principium illius totius specifici, vel vt loquitur Diuus Augustinus lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap. 7. quatenus ratione communis naturæ humanæ, omnes veluti vnus ille homo erant. *Peccauerunt*, inquit, *in illo omnes, quoniam in illa natura insita, quȩ omnes generare poterat, adhuc omnes vnus ille homo erant*. Quare tota aduersariorum hallucinatio in eo est, quod solam putent legis, vel præcepti præuaricationem, quæ est actuale peccatum, vel propria voluntate committitur, esse propriè peccatum, quod homines damnare potest. Id enim Catholici omnes negant, ostenduntque ex peccato originali, cuius existentiam testimonijs multis Scripturarum apertissimè demonstrant, sufficere si talis præuaricatio sit propria, aut communis: ipsi autem probant ex illis, per legem cognosci peccatum, & vbi lex non est, non esse præuaricationem, quæ duo ex-

tra controuersiam sunt; sed, vbi non est præuaricatio propria voluntate actualiter commissa, nullum esse absolutè peccatum, nullam damnationem, quod vnũ eis probandum est, nequaquam probant, sed assumunt, vt certum, quod est petere principium.

Ex hac eadem doctrina sequitur, paruulos ante vsum rationis in peccato originali decedentes, in die iudicij non iri iudicandos, iudicio discussionis, siquidem cum nulla vnquam opera exercuerint, nec peccatum originale voluntarium illis fuerit voluntate propria formaliter, aut expressè, non debebunt de ijs examinari antequam iudicentur; ideoq; iudicabuntur tantum in illa die iudicio approbationis, quo hæc Christi sententia, *Qui non credit, iam iudicatus est*, ab omnibus Sanctis approbabitur: paruuli enim, cum defectu baptismi, fidem neque actu, neque habitu habeant, sunt ad instar eorum, qui in ignorantia, seu infidelitate puræ negationis versantur, & sic dicuntur esse ad instar eorum iam iudicati. Quo fit, vt locus Apostoli 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, sicut gessit siue bonum, siue malum*; debeat intelligi de fidelibus adultis, qui malè, aut benè egerunt, illis enim scribit, non paruulis; aut de infidelibus, qui cum sua infidelitate multa mala opera exercuerunt; non autem de paruulis non baptizatis, nec de infidelibus puræ negationis, qui non obstante hac sua infidelitate nulla mala opera cõmiserunt, si tamen huiusmodi infideles sunt dabiles. Sicut etiam adultis, non autẽ paruulis accõmodatur descriptio iudicij, quæ est Matth. 25. nõ enim paruuli arguuntur, aut cõmendantur de non præstitis aut præstitis misericordię operibus in membra Christi.

Quod si quis importunè vellet pręfatum Apostoli locum, paruulos etiam comprehendere, nihil indè sequeretur contra sententiam Catholicam, quasi nimirum significaret, vt intendebant Pelagiani, neminem damnandum nisi propter peccatum mortale personale, quod in corpore suo gessit; atque adeo paruulos non esse damnationi obnoxios; nam sine tali peccato, etiam paruuli, vt ait Augustinus epist. 107. in die iudicij rectè dici possunt, reportare propria corporis, id est, quod circa ipsos in corpore existentes gestum, vel omissum est, quando propter baptismum sibi per alios applicatum vocantur ad regnum, & occasione baptismi circa ipsos omissi, propter originale peccatum mittuntur in damnationem. *Propria enim corporis sui dixit*, inquit August. lib. 6. in Iulianum c. 10. *quod ad vnumquemque in seipso iam viuentem pertinet*. Corpus enim intelligitur tẽpus, quo sumus in corpore. Neque enim condemnantur homines propter peccata, quæ eorum animæ ante corporis informationem gesserunt, vt Origenes putabat, aut propter illa, quæ acturi erant, si superuixissent, vt Pelagius; aut propter ea quæ in inferno sũt perpetraturi, aut denique propter illa sola, quę per corpus gesserunt; sed propter illa, quæ existentes in corpore contraxerunt, etiam sola origine carnali, aut sola mentis cogitatione.

Meritò igitur Diuus Augustinus ex præfatis duabus interpretationibus, vel responsionibus vnam componens, hoc dilemmate vtitur aduersus Iulianum loco citato: Paruulos nimirum vel manifestandos iri ante tribunal Christi, vel non manifestandos. Si non manifestabuntur, argumentum ex loco Apostoli nullum sumi potest in proposito. Si manifestabuntur; vel bonum reportant, vel malum. Si bonum, vtique illud, non quod ipsi gesserunt, qui nihil gesserũt, sed quod circa ipsos gestum est, quando baptizati sunt. Si malum ergo reportent, non mirum erit eos istud reportare, non quod propria actione, sed quod alterius peccato contraxerunt, vel omissa alterius circa ipsos actione non eluerunt.

Quæ solent obiici ab aduersariis Patrum testimonia, non affero, cum nullũ sit

sit clarũ,quodq; facilè aliquo ex sequẽtibus modo explicari non possit. *Primò*, quod Patres ita interdum dicunt ex Adamo mortis necessitatem nos contrahere, vt tamen non dicant eam solam nos ex ipso habere, adeoque non propterea negent originalis peccati existẽtiam. *Secundò*, intendunt illos reprimere, qui,quo se excusent, nimii erant in primorum parentum accusatione, vt videbimus sectione sequenti Lutherum, & Caluinum cæterosque nouatores fecisse, qui prodigiosis etiam loquendi formulis, neque minus falsis, ac impiis, originale peccatum supra modum exagerauerunt. *Tertiò*, hoc agunt,vt persuadeant hominibus, per Adamum nos non incurrisse damnationem prorsus ineuitabilem, ita vt omnes relicti simus sine remedio, & spe salutis. *Quartò*, non omnes, sed baptizatos tantum asserunt in statu legis Euangelicæ carere isto peccato. *Quintò*, denique, non de originali, sed de actualibus loquuntur peccatis propria voluntate commissis, si quando paruulos affirmant esse à peccato immunes, aut ex inobedientia Adami non constitui peccatores. Neque enim fieri potest, vt pręcisè quia vnus peccat, alius peccare dicatur, siue vt peccatum vnius sit alterius peccatum. Quibus sensibus potissimum Chrisostomum homil. 10. in epist. ad Roman. & alibi locutum fuisse ostendit Cardinalis Bellarminus tom. 4. lib. 4. c. 9.

Quantum ad rationes, quæ possunt veritati Catholicæ opponi, illas breuiter reduco ad duas, prima erit ex parte paruulorum, altera ex parte Dei. Ad rationem peccati propriè dicti, quale ex fide asserimus esse peccatum originale, requiritur quod sit voluntarium; sed in paruulis ante vsum rationis, non reperitur voluntarium: ergo nec peccatum propriè dictum; sed in adultis tantùm: proindeque, vbi sacrę Scripturæ omnes homines in Adamo peccasse asserunt, sunt intelligendæ de imitatione, non autem de propagatione, quia scilicet cũ omnis homo semper in vita sua peccatum aliquod committat, in eo se imitatorem Adami, qui similiter peccauit reddit.

Respondetur ad hoc argumentum, omne quidem peccatum debere esse voluntarium, sed cum discrimine: actuale, voluntate propria: originale verò, voluntate aliena primi parentis; quia licet illa formaliter non sit propria posterorum, nihilominus talis virtualiter, ac interpretatiuè dici potest, quatenus non fuit tantum voluntas istius personæ, sed cum Adam esset pater orbis terrarum, dedit illi Deus virtutem continendi omnia, Sap. 10, ita vt voluntas ipsius nostra tanquam membrorum specificorum eiusdem hominis esse censeretur. Quod sufficit, vt ita paciscente Domino, peccatum originale dicatur paruulis voluntarium, non quidem proprietate voluntatis, sed origine. *Omnis homo enim terrenus*, inquit Augustinus lib. 1. retract. cap. 15. *quid est origine nisi Adam*. Quia quemadmodum membra corporis cum animo vnum hominẽ indiuiduum efficiunt, sic etiam, vt Diuus Thomas ex Porphyrio ad hoc propositum annotauit, posteri omnes vna cum Adamo eorum capite, ac principio, sunt participatione speciei velut vnus homo, vt quod voluntate Adæ voluntarium est, id in posteris ipsis volũtarium esse non absurdè credatur: sicut etiam defectum, quem in actione manus, vel alterius membri conspicimus, voluntarium, atque adeo peccatum esse censemus, etiam si voluntarius non sit aliqua voluntate, quæ in manu insit, & eius propria sit, sed tantum voluntate illa, quæ est in totius indiuidui principio, nempe in anima: vt fusius explicant Theologi 12. quæst. 81. art. 1.

Vndè satis apparet, quod iidem docent, vbi peccatum in communi definitur esse defectus voluntarius, rationem etiam voluntarii communiter, & abstractè in ea definitione concipiendam esse, secundum voluntatem nempè principii alicuius totius, siue id totum fuerit indiuiduum, siue specificum; hæc enim diffe-

differentia ſolummodo ſpectat ad diſtinctionem peccatorum nempe actualis, & originalis. Hoc autem rectè dici conſtat ex ipſa ratione nominis peccati ſignificantis ſolum defectum aliquem, qui hominem Deo reddat exoſum, & impediat à conſecutione beatitudinis, quamdiu non deletur. Quod totum cerni poteſt etiam in defectu voluntario voluntate communi generis humani, quale peccatum originale eſse nos fides edocet. Quare ſicut ſuppoſita fide Incarnationis, & Euchariſtiæ, aſserimus non eſse de ratione ſubſtantiæ creatæ propriam ſubſiſtentiam habere, nec de ratione accidentis actualiter ſubiecto inhærere; ita quoque, ſuppoſita, quam fides docet, peccati originalis exiſtentia, tanquam veri proprieque dicti peccati, haud reſtringenda cogitatio eſt ad propriam rationem, & differentiam peccati actualis; latius enim vera propria ratio peccati ſe extendit, quam ad illud, nimirum ad originale: ſiue ad peccatum, tàm propria voluntate formaliter, quàm aliena, virtualiter ſolum & interpretatiuè propria contractum. Minuſque admittendum eſt, quod dicunt aliqui, omne peccatum habituale perſonale dicere quidem eſsentialem ordinem ad præcedens aliquod actuale; adeo vt ſit impoſſibile eum eſse peccatorem habitualiter, qui actualiter nullo modo peccauit; id autem non eſse neceſſariũ in originali; ſi quidem in eo nõ minus id requiritur, quã in perſonali peccato, cum etiã originale propriè ſit peccatũ habituale, de cuius ratione eſt voluntarium; voluntarium autem peccatũ eſse non poſsit ſine reſpectu ad voluntatem actu peccantem. Illud tamen eſt diſcrimen, quod in perſonali eadem voluntas ſit ſubiectum peccati habitualis, quæ fuit efficiens peccati actualis illi reſpondentis; in originali verò alia ſit, atque alia: paruuli enim voluntas eſt ſubiectum peccati originalis, ſed actualis peccati illi reſpondentis non eſt ipſa formaliter, aut per ſe efficiens, verum Adæ voluntas, quæ virtualiter ſolum, & interpretatiuè dici poteſt paruuli propria; quatenus cum ille peccauit, totius naturæ perſonam geſsit. Ideoque etiam peccatum originale, quamuis hoc modo nobis ſit voluntarium, tamẽ inter omnia peccata minimum habet de voluntario, & conſequenter in tali ratione minus graue eſt, quam quodlibet veniale, licet in ratione mali ſit grauiſsimum, cum priuet hominem gratia Dei, ac ſempiterna felicitate; vt docet S. Thomas 3.p.q.1. art.4. in 2. ſentent. diſt.33. q.2. art.1. ad 2. & de malo q.5. art.1. ad 9.

Altera ratio ex parte Dei, eſt, quia aſsertio noſtra videtur *Primò* repugnare infinitæ Dei benignitati, à quo peccata propria cum facillimè condonentur, credibile non eſt imputari aliena, vt originale: *Secundò* eum facere perſonarum acceptorẽ, aliquos paruulos a peccato originali ſoluendo, alios verò non, quamuis omnium ſit par cauſa, & conditio; *Tertiò*, eiuſdem peccati authorem, anima enim non eſt ex traduce, id eſt, non producitur à parentibus per generationem, ſed creatur à Deo ex nihilo; igitur ſi infans naſcendo contrahat peccatum originale, *illud à Deo*, & per Deum contrahere dicetur.

Reſpondetur ad hoc argumentum minimè ſequi ex veritate Catholica, abſurda, & inconuenientia in illo contenta, aut alia ſimilia. Primò enim iam ſatis oſtendimus, peccatum originale haud eſse abſolutè alienum, *tanquam omnino ad paruulos non pertinens*, inquit Auguſtinus lib. 3. de peccat. merit. & remiſs. cap. 7. *Si quidem in Adam omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa inſita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes vnus ille homo erant, ſed dicuntur aliena, quia nondum ipſi agebant vitas proprias, ſed quicquid erat in futura propagine vita vnius hominis continebat.*

Cur autem Deus voluerit vt peccatum Adami ad poſteros omnes tranſmitteretur, ſicque illis imputaretur, ac ſi omnes idem peccatum patrauiſsent: Reſpon-

Respondit idem Augustinus lib. 5. aduersus Iulianum cap. 3. nec non Diuus Bernardus serm. 1. de Dominica 1. post oct. Epiphaniæ, iusto hoc Dei iudicio, sed occulto tribuendum esse. *Nostra est*, inquit Bernardus, *Adami culpa, quia etsi in alio, nos tamen peccauimus; & nobis iusto Dei iudicio imputatur licet occulto.* Id autem Deum potuisse absque vlla prorsus crudelitatis nota, patebit consideranti, eum neque Adæ, neque posteris eius aliquid supernaturalium munerum absolutè debuisse; & tamen, cum totum genus humanum in vno homine creasset, indebitam naturę iustitiam originalem isti homini dedisse, non pro se tantum, sed pro tota posteritate, adeo vt si ipse in iustitia perseuerasset omnes posteri nascerentur iusti, Deoque accepti ad supernaturalis beatitudinis hæreditatem. Vt docet B. Anselmus libr. de conceptu Virginis cap. 10. *Dedit*, inquit, *Deus Adæ gratiam, vt sicut quando illum condidit, nulla propagandi operante natura, aut voluntate creaturæ, simul eum fecit rationalem, & iustum: ita simul cum rationalē haberent animam, iusti essent, quos generaret, operante natura, & voluntate, si non peccaret.*

Voluit enim totū genus nostrum in primo illo homine quo ad supernaturalia, benedictionem suam accipere; sicut generabilia omnia quoad naturalia suam benedictionem sortita sunt in primis illis creaturis sui generis; si quidē generant, & multiplicantur v. g. pisces virtute primæ benedictionis diuinæ, qua dictum est eis, *Crescite, & multiplicamini*; cum hoc tamen discrimine, quod cuncta animantia reliquam primæuam suam benedictionem integram retinuerunt, secus autem homo, qui cū natura sua liberi esset arbitrij, consentaneum erat benedictionem ipsius præcipuè supernaturalem illi committi, indeque magis periclitari, quam benedictionem reliquorum animantium, prout de facto illam amisit. Vt igitur nec ad crudelitatem spectaret, si pari ratione princeps aliquis erga subditos, & eorum filios se se gereret, si aliquo modo simili cum illis pactus esset circa largitionem aliquorum bonorum; multo magis id asserendum est de Deo supremo omnium Domino; quique in particulari magis est voluntatis nostræ dominus quam nos ipsi; vnde si nostram nos voluntatem possumus collocare in alterius siue parentis, siue prælati voluntate; Deus quoque in voluntate Adæ, qui non tantum fuit naturæ humanę indiuiduum, sed illius stirps, & principium, fuit enim, vt Sap. 10. dicitur, *Pater orbis terrarum*, potuit omnium hominum voluntates concludere; atque ita constituere, vel pacisci de gratuitis donis suis supernaturalibus, vt quo ad eorum amissionem rei omnes Adæ posteri censerentur, ipsius primi parentis voluntate fortissima præuaricante. Qui enim potuit singulis dare voluntatem, qua tàm actualis, quàm habitualis propriæ iustitiæ aut iniustitiæ capaces essent, etiam potuit generalem omnibus voluntatem præficere, qua peccante omnes peccarent, & contraherent in anima, & voluntate sibi propria singuli habituale peccatum, quod diceretur originale, sicut propria voluntate peccante contrahunt singuli peccatum habituale personale.

Secundo personarum acceptor non est Deus per hoc, quod aliqui paruuli saluantur à peccato originali, alij verò non; nam vt respondet Diuus Augustinus lib. 1. de peccat. merit. cap. 21. talis quoque foret in sententia Pelagianorum, qui dicebant, illos infantes, qui baptizantur admitti ad regnum, non autem illos, qui sine baptismo decederent, quamuis forent similiter innocentes, parque omnium causa, & conditio. Verum cum vtrique, tàm Pelagiani, quàm Catholici admittant, parem esse causam omnium paruulorum, & ipsa experientia fateri cogantur valdè disparem esse sortem quo ad pænas huius vitæ, cum vnus non tantum morbos, sed etiam diaboli patiatur in infantia incursus, alius sanus, & ab omni vexatione

tione sit immunis; manifestum est, vtramque partem debere eiusmodi disparitatem reijcere in alta, & inscrutabilia Dei iudicia, non quod clarum nō sit in sententia Orthodoxa, disparitatem illam non esse ex parte Dei iniustam, sed quod ininuestigabile sit, quare inter illos potius huius, quam illius Deus misereatur, quos omnes iustè perdere, & similiter affligere poterat.

Tertio, Deus non est author peccati originalis, eo quod sit creator animarū, vt superiori capite explicuimus, per vnionem ad corpus illo inficiendarum; Sed in Adami inobedientiam, vt in propriam causam referri debet: Vndè obijcienti olim Iuliano, non peccare istum qui nascitur, non peccare illum, qui genuit, non peccare illum qui condidit, *per quam ergo rimam, inter tot innocentiæ præsidia peccatum in paruulū fingis ingressum*? Scitè respondet Augustinus lib. 2. de nuptijs, & concupiscentia cap. 28. *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam ianuam? Per vnum hominem, ait Apostolus, peccatum in hunc Mundum intrauit*. Cum prius cap. 26. eiusdem libri dixisset: *Voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati*. Siue non alia de causa infantes peccatum contrahunt, quam quia ab Adamo, per generationem naturalem descendunt, non quod Adamus, aut parentes eorum, eos procreando, per se peccauerint, sed quia infantes, quando concipiuntur, etiam virtuosè & ex parentibus peccato originali non amplius, propter baptismum susceptum, laborantibus, fiunt filij naturales Adami, & per consequens illius maledictioni obnoxij; parentes enim generant sibi similes in specie, seu in natura, non autem in indiuiduo, seu in persona: ideoque communicant suis filijs naturam, quantum ad ea, quæ sunt communia toti naturæ, non autem quātum ad ea, qua sunt personæ suę propria, cuiusmodi est regeneratio spiritualis per baptismum. Propterea etiam, iuxta illud Apostoli Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ*, peccatum originis aliquo modo naturale dici potest, non quasi sit pars naturę, aut ex ea profluxerit, quam Deus initio bonam condidit, & nunc quod in ea bonum est propagat, sed quia à natiuitate trahitur, & est vitium naturæ potius, quàm personæ, per Adamum corruptæ. Quare, dum peccatum illius, quod est accidēs, dicitur transfundi in posteros, non fit accidētis de subiecto in subiectum migratio, vt ineptè obiiciebant Pelagiani apud Augustinum lib. 2. contra Iulianum cap. 9. cum illud sit accidens naturæ, seu speciei, non autem personæ, & indiuidui; etsi enim in Adamo fuerit actuale, nihilominus macula illa, quæ in eo remansit post actum ipsum vitiosum, fuit eiusdem rationis in specie, cum ea, quæ est in infantibus, quādo concipiuntur, & nascuntur, nimirū priuatio gratiæ, & iustitiæ originalis, quam ipse habebat, quæque, si nō peccasset, ad posteros transmittenda erat; ex vi pacti à Deo cum illo initi, quo promiserat perseueranti iustitiam originalem pro se totaque posteritate, præuaricanti autem statuerat non tantum ipsi, sed toti naturæ mortem corporis, & animę, quando dixit Genes. 2. *Quocumque die comederis, ex eo morte morieris*: vt docet Diuus Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 2. & lib. 2. de nuptijs, & concupisc. cap. 11. nec non Diuus Hieronymus in illud Osee cap. 6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*. Ob eamdem denique causam, peccatum illud primum, quod iustitiæ originali fuit oppositum, seu transgressio pacti de illa ab Adamo ad posteros traducenda, si imposito pręcepto obediuisset, fuit quidem illi, quatenus erat personale, per pœnitentiam, quam postea egit, remissum, & fortè antequam vllum filium generaret; sed non quatenus erat peccatum totius naturæ, quæ in eo tanquam in capite continebatur; cum Adam sua pœnitentia pro toto humano genere satisfacere non posset: hoc enim soli Christo Domino reseruabatur,

uabatur, qui debebat, vt ait textus Gręcus Ioannis 1. *tollere peccatum Mundi*: nam ex Tertulliano superius citato, *Omnis anima eo vsque censetur in Adam, donec in Christo recenseatur*.

Et hæc dicta sufficiant pro existentia peccati originalis, contra Armenos illam negantes in statu legis Euangelicæ, seu post Christi Domini Passionem, quasi per illam totaliter fuerit ablatum, dum enim, vt superiori Sectione vidimus, aiunt, omnes homines ante illam, etiam si ipsi in se nullum haberent peccatum, fuisse damnatos ob proprium primorum parentum peccatum, velint, nolint fateri coguntur eos aliquod peccatum nascendo contraxisse, quod esset damnationis eorum causa. Porro quę ad huius peccati naturam, modumque propaginis illius pertinent, fusius explicabuntur Sectione sequenti contra nouatores, qui quidem illud non negant, sed pluribus, vt alias etiam erroribus hanc fidei veritatem admiscuerunt. De hac materia agunt Theologi cum Diuo Thoma 12. quæst. 81.

CAPVT V.

Ostenditur aduersus Armenos, peccatum non esse simpliciter à dæmone, sed à libera hominum voluntate.

INter alios errores, qui tribuuntur Armenis, hic etiam refertur, quod nullum fuisset factum peccatum, si dœmones non fuissent, qui homines ad tẽtationes impellerent, vnde inferunt, peccatum esse simpliciter à dœmone, & nullo pacto à libero arbitrio. Pro quo errore citantur quoque Valentiniani ab Alphonso Castro lib. de hæresibus verbo peccatum.

Pro resolutione huius controuersiæ, pręnotandum est, dupliciter intelligi posse, diabolum esse homini causam peccandi, vel directè, seu per se, voluntatem eius mouendo, vel indirectè, seu per accidens, proponendo obiectum vitiosum, illudque persuadendo. Iterum, cum dubitari possit, an hoc secundo modo dumtaxat operando possit diabolus necessitatem inferre ad peccandum, omnique prorsus hominum peccata sint ex suggestione ipsius; singula breuiter explicabimus sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio, etiam si dœmones non fuissent, non propterea nullum in mundo peccatum fuisset commissum. Ista conclusio videtur esse certa; nam ea ratione, qua Angeli, nullo præexistente dœmone, qui eos tentaret, aut ad peccatum prouocaret, de facto tamen grauissimè peccauerunt; imò à fortiori dicendum est de hominibus, quod si nullus Angelus præuaricatus fuisset, nullique consequenter dæmones fuissent, absolutè adhuc peccare potuissent, multique de facto peccassent, attenta naturæ defectibilitate, nisi aliundè impedita à Deo fuisset.

Secunda conclusio. Diabolus directè, & per se non est causa peccati, sed voluntas peccatoris; vel quod idem est, peccatum non est simpliciter à dœmone, & nullo pacto à libero arbitrio. Ista conclusio est de fide aduersus Armenos, habeturque ex omnibus illis Scripturæ locis, vbi monet nos resistendum esse diabolo, Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli*: Iacobi 4. *Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet à vobis*: 1. Petri vlt. *cui resistite fortes in fide*: tum ex alijs, vbi *peccata homini, seu voluntati eius, tanquam primæ causæ expressè attribuuntur*; Genes. 4. dictum est Cain, *Nonne si bene egeris, recipies, si autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit*: & Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur*.

Accedit authoritas Patrum, Hieronymi in cap. 15. Mathæi: *Diabolus*, inquit, *adiutor, & incensor malarum cogitationum esse potest, auctor esse non potest*: nec non epist. ad Demetriadem, vbi explicans præfatum Diui Iacobi locum, resistendi diabolo modum docet esse, vt non consentiamus, nec cum

nostro

nostro vti sinamus consensu, ac sic nostro nos gladio iugulare.: infirmum hostem esse, qui non potest vincere nisi volentem.

Augustini lib. 50. homil. in 12. tradentis: quod suadere diabolus, & sollicitare potest, non cogere: in potestate nostra esse, vtrum consentiamus diabolo à sinistris nostris constituto ad seducendum, an Deo, qui à dextris præcipit. Immo etiam serm. 197. de tempore ait; à Christo alligatum fuisse diabolum tanquam innexum canem catenis, neminemque posse mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit: stultum esse, quem canis in catena positus mordet: nullum se illi per voluptates, & cupiditates sæculi coniungere debere; illum verò ad eum non præsumpturum accedere: latrare posse, mordere omnino non posse, nisi volentem: quia non cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.

Cassiani collat. 7. cap. 8. docentis, diabolum iugiter insidiari, sed ita vt tantummodo incantor malorum sit, non etiam impulsor; & sicut illi est instigationis copia, ita & in nobis virtutem respuendi, siue acquiescendi libertatem esse attributam: neminem posse ab illo decipi, nisi qui præbere illi maluerit suæ voluntatis assensum.

Prosperi ad 11. obiectionem Vincentij, vbi ait: *Etsi diabolus delectatus est furore peccantium, probaret tamen se non intulisse vim criminum.*

Venerabilis Bedæ ad illud Matth. 4. *Mitte te deorsum. Hic ostenditur*, inquit, *quod diabolus, qui omnes cadere vult, persuadere potest, præcipitare non potest*, & in Psal. 91. *Quidam dicunt: Satanas hoc persuasit mihi, quasi habeat potestatem cogendi. Ipse quidam habet versutiam vocandi, potestatem verò non habet cogendi.*

Diui Bernardi serm. 85. in cant. & serm. 3. de dedic. & serm. 13. in Psal. 90. vbi vinci se à diabolo sinentem cõfert cum bestijs, quę ad solum Leonis rugitum sternuntur. Quæ omnia, & alia similia testimonia passim obuia in Sanctis Patribus manifestissimè ostendunt veritatem nostrę conclusionis.

Quæ etiam probatur sequenti ratione desumpta ex Diuo Thoma 1. p. qu. 105. art. 4. 12. quęst. 9. art. 9. lib. 3. contra Gentes cap. 88. & alibi docente: Impossibile esse, motum naturalem, aut voluntarium effectiuè, ac directè causari à tali principio externo, quod non causet ipsam naturam, aut potentiam voluntatis; ideo enim grauia, & leuia à solo generante tanquam externo principio directè in suis motibus naturalibus moueri dicuntur, quia saltem ab illo formam, qua fit motio, accepere: sed Angeli non sunt causa efficiens voluntatis, nec consequenter essentia sua illi intimè præsentes, aut illabentes: Ergo nec directè, ac per se dici possunt dæmones causa peccati, sed solus homo sibi directè est talis causa, liberè peccando. Deus enim ad hoc non mouet, vt dicetur sectione sequenti aduersus Nouatores, etsi enim, vt aliquod externum principium moueat effectiuè directè voluntatem, requiratur, quod sit causa illius efficiens, non tamen, quod est tale principium, quale solus est Deus, debet concurrere effectiuè ad illud, in quo est liberè deficiens, ac peccans.

Tertia conclusio: indirectè, & per accidens Diabolus est homini causa peccandi; ista conclusio non videtur minus certa, quam præcedens; colligiturque primò ex Scriptura, nã psal. 108 vbi dicitur: *Constitue super eum peccatorem*; Diuus Augustinus, per peccatorem, Diabolum peccati suis suggestionibus authorem intelligendum esse docet. Idem significatur Ioann. 8. v. 44. dum Christus Pharisæis ait: *Vos ex patre Diabolo estis*: & 1. Ioann. 3. dicitur: *Qui facit peccatum ex Diabolo est*: cui propterea Matth. 4. v. 3. tentatoris nomen absolutè tribuitur. Vndè etiam canon ille de eo, qui suadente Diabolo Clericum percussit, cap. si quis 17. qu. 4. Ex Patribus Origenes lib. 3. Periarchon,

chon. cap.2. latè de hoc discurrit: Basilius quæst. breui 75. Prudentius etiam in Hamartigenia ita cecinit:

Inuentor vitij non est Deus; Angelus illud
Degener infami conceptum mente creauit.

Eusebius apud Damascenum 1. parall. cap.9. quemadmodum Dei, si quid boni agatur, benignitati tribui voluit; sic si quid mali, diaboli peruersitati ascribi, & sic de alijs.

Ratio conclusionis est, quia, vt modo in ea dicto diabolus sit homini causa peccandi, nihil aliud requiritur, nisi quod se habeat per modum proponentis obiectum peccaminosum, vel per modum suadentis, & allicientis, nimirum vna cum obiecti propositione excitando, & mouendo adhuc appetitum sensitiuum per passiones, aut phantasiam per prauas imaginationes; quibus obiectum reddit valdè conueniens, & optabile, & consequenter rationibus quibusdam apparentibus, depromptis ex phantasia, intellectum decipit: Quę omnia cum diabolicam non excedant potestatem, nil mirum, si Deo ita permittente, indirectè,& per accidens dæmon sit homini causa peccandi.

Quarta conclusio: ita dæmon modo superiori conclusione explicato, potest esse homini causa peccandi, vt tamen illi vim, aut necessitatem inferre non possit. Ista etiam conclusio est certissima,& ad fidem pertinens; etsi enim, iuxta Diuum Thomam, possit dæmon, Deo permittente, necessitatem inferre homini, ad aliquem actum ex suo genere malum; ita scilicet commouendo phantasiam, eamque perturbando, vt omnino impediatur vsus rationis, quo semel impedito, potest hominem, tanquam brutum, ad quemlibet actum ex genere suo malum impellere, vt patet in energumenis, qui multa horrenda committunt: non propterea tamen necessitatem peccãdi potest eidem inferre: Hoc primùm probant omnia, quæ pro secunda conclusione fuerunt adducta; nec non ipsum tentatoris nomen, quod superiori conclusione dęmoni cõuenire diximus, tentator enim ideo vocatur, si Guillelmo Parisiensi credimus lib. de tent. cap. 1. quod solùm possit tentare, non autem pro voto suo vincere, vel deijcere viribus suis, vt accideret, si posset necessitatem inferre ad peccandum.

Secundò, in tantum de facto dæmon talem posset necessitatem inferre, in quantum hominem supra vires eius tẽtaret, sic enim non posset ei tunc resistere: Deus autem istud de facto nunquam permittit; prioris enim ad Corinth.10. habetur: *Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis*: ideoque in Apocalips. dicitur esse *ligatus Sathanas vsque ad finem mundi*, quatenus scilicet Deus non permittit eum cum totis suis viribus hominẽ adoriri, non præstitis illi ad resistẽdum sufficientibus diuinæ gratiæ auxilijs: Igitur dæmon inferre non potest homini necessitatem peccandi.

Tertiò, dæmon ex dictis non aliter hominem tentationibus suis vrget, indeque author peccati dicitur, nisi per modum proponentis obiectum, aut per modum allicientis, & suadentis; atqui nullum bonum creatum,& delectabile, quamuis cũ rationibus validissimis ab eo proponatur, & suadeatur, potest voluntati necessitaté inferre, saltem supposito Dei auxilio, sed hoc tantùm competit bono increato clarè, & intuitiuè cognito, vt contingit in patria; nequit ergo dæmon, qui alia bona, quam creata,& vt plurimum corporea, & sensibilia suggerere non potest, impellere, & necessitatem peccandi homini imponere, provt à Deo adiuuatur.

Quartò, implicat necessitatem inferri homini ad peccandum, & hominem ipsum ita necessitatum de facto peccare, quia vbi quis ad agendum necessitatur, secundum quod necessitatur, vel physicè, vel moraliter, non potest peccare, cum peccatum essentialiter debeat esse voluntarium,& liberum, adeo

vt si tale non sit, peccatum esse non possit: Ergo etiam implicat, quod diabolus possit homini necessitatem peccandi inferre; & ille dicatur formaliter peccare.

Quæ argumenta probant de facto, nec non de necessitate morali; quia licet non solùm de facto, verum etiam de possibili dæmon physicè nequeat inferre necessitatem humanæ voluntati, nihilominus aliqui doctores notant, tantam esse dæmonis potestatem, vt si Deus sineret eum agere iuxta integram virtutis suæ extensionem, & hominem suæ naturæ, absque vllis gratiæ auxilijs, iusto iudicio relinqueret, posset dæmon moraliter loquendo, illi inferre necessitatem exercendi malam aliquã actionem; dicente enim Apostolo Ephes. 4. *Non esse nobis colluctationẽ aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates tenebrarum harum*; denotari videtur potestatem dæmonis superiorem esse potestate hominis, per carnem, & sanguinem significata, si Diuino prorsus destitueretur auxilio: huiusmodi tamen mala actio, per accidens propter hanc necessitatem ei in peccatum non imputaretur, si quidem nemo ad impossibile obligatur, cuiusmodi tunc esset resistere diabolo tentanti. At quia de facto Deus pro immensa sua bonitate nunquam permittit homines supra vires tentari: indè patet eos à peccatis perperam se excusare, quod maleficijs, incantationibus, aut etiam grauissimis tentationibus, aliquod peccatum perpetrauerint, quia hæc supposito Dei auxilio, quod nulli vnquam, fiducialiter præsertim ac humiliter petẽti denegatur, necessitatem inferre non valent. Ideo, & admoniti sumus tanquã ab Imperatore milites exhortante Marci 14. v. 38. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*; nam, vt Bernardus ex hoc loco probat serm. 85. in Cant. homo quãtumuis à dæmone tentatus, est præcipuus impulsor sui ad malum, qui suo, sine alieno impulsu cadere potest; alieno, siue diaboli, siue mundi, absque suo cadere non potest: impellere diabolum, sed nõ euertere, si quidem tuum illi negaueris assensum.

Quinta Conclusio; non omnia hominum peccata sunt actualiter ex suggestione diaboli, sed originariè tantum, vel occasionaliter. Ista etiam conclusio est certa inter doctores; etsi enim maior pars peccatorum, quæ in mundo committuntur, sint actualiter, & immediatè ex suggestione diaboli, plura tamen alia abundè suppetunt, quibus homines per semetipsos nonnunquam labantur, ab illo minimè sollicitati, & inducti; huiusmodi sunt innata sibi libertas, qua ad malum, vt & ad bonum possunt se flectere, tum etiam immodica rebus sensibilibus, & delectabilibus adhæsio, vt optimè docet Basilius opusculo, quod rebus sæcularibus non sit adhærendum; ibi enim expressè ait; *Res ipsas sæculares, absque vlla dæmonis suggestione, propter innatam sibi delectationem, ad peccatum pellicere*; & Gregorius Nazianzen. tetrast. senten. 52. hoc modo canit:

> *Quid culpam in hostem semper vertimus.*
> *Cum nostra præstent robur ipsi crimina*
> *Te criminare prorsus, &c.*

Omnia tamen peccata, omnisque tentatio originariè à diabolo dici potest, quatenus videlicet primum parentem ad peccatum induxit, ex quo reliqua omnia quotquot sunt peccata suam habuerunt originem, vt suo dicetur loco; nunc ista sufficiant pro refellendo Armenorum errore, nec non explicando modo, quo dæmon homini causa peccandi esse potest: de qua materia agunt Theologi cum Diuo Thoma 1. 2. q. 80. vbi quatuor articulis illam absoluit.

CA-

CAPVT VI.

Ostenditur aduersus Iacobitas, Abyssinos, nonnullosque etiam Armenos, legem veterem omnino esse iam abrogatam, & mortiferam, proindèque esse illicitum Sacramenti Circumcisionis vsum.

PRo intelligentia controuersiæ, primum suppono Legem veterem Mosaicam, nō fuisse ipsius Moysis tanquam legislatoris, vt opinati sunt aliqui; nec à principio malo, vt olim Simon Magus, Marcion, Valentinus, & Manichæi dixerunt, sed à solo vero Deo, eoque summè bono fuisse traditā Moysi, per Angelos tamen, vt habetur ad Galat. 3. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris*: ad Hebr. 2. *Qui per Angelos dictus est sermo*. & Actor. 7. 8. de Moyse dicit Stephanus: *Qui accepit verba vitæ dare vobis*. & ver. 53. *Quia accepistis legem in dispositione Angelorum*. Potuit autem Angelus illi dicere tanquam Legatus verba Dei deferens, & in persona eius loquens: *Ego sum Deus*.

Eamdem consequenter legem fuisse bonam, nulloque modo superstitiosam, etiam in suis cæremonijs, non negant aduersarij, aliquarum adhuc vsum retinentes, Diuinarumque Scripturarū Veteris Testamenti authoritatem recipientes, quibus passim asseritur, eius cæremonias à Deo esse mandatas, & præceptas; indè enim manifestè sequitur, eas non fuisse superstitiosas; si quidem verus Dei cultus cōsistit in ijs cæremonijs, quas ipse in hunc finem instituit. Propterea Ezechielis 20. Dominus dicit: *Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, viuet in eis*. Lex namque bona est eam facienti, sed non facienti mala, quia irā operatur, vt eodem capite idem Dominus dicit: *Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent*; vt omittā plures alias huius loci interpretationes, scilicet præcepta dici *non bona*, vel quia propter eorum multitudinem difficulter seruabantur, adeò vt *non bona*, idem sit, ac difficilia seruatu, erat enim iugū, quod portare non poterant, Actor. 15. vel quia non faciebant bonos, nec gratiam conferebant, etiamsi seruarentur, vel quia non erant perfecta, nec ad perfectionem adducentia, vel denique, quia erant nimis rigida. Quamuis probabilitate non careat interpretatio eorū, qui cum Diuo Hieronymo putant ibi per præcepta *non bona*, intelligi idololatrica, tyrannica, & impia Gentilium nimirum, quæ in captiuitate Iudæi subibant, & imitabantur abominando propria, & legitima. Dicitur autem Deū talia præcepta dedisse, quia tradidit populum suum in captiuitatem, ex qua, Deo iusto iudicio permittente, secutū est, quod dicitur in psalmo 105. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorū, & factum est illis in scandalum: & immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis*. Sicut ad Rom. 2. idem Deus dicitur tradidisse aliquos in reprobum sensum.

Porrò huius legis suo tempore bonitas, vel vtilitas multiplex fuit: primò enim Iudæi per illam cognoscebant se esse peccatores; ad Rom. 7. *Peccatum non cognoui nisi per legem*; & cap. *per legem cognitio peccati*. Quæ cognitio non potuit non esse illis multo proficua: sicut enim via ad recuperandam sanitatē est cognitio suæ infirmitatis, ita via ad gratiam iustificantem, est cognitio sui peccati. Secundò per legem cognouerunt Israelitæ se indigere mediatore, & Saluatore, eaque de causa eum summoperè desiderasse, & expectasse dicuntur in Scriptura. Tertiò per illam disponebantur, & erudiebantur, ad Christi doctrinam suscipiendam, ideoque ad Galat. 3. habetur: *Lex Pædagogus noster fuit in Christo*; præsertim verò, quia omnia, quæ in lege Euangelica tradenda erant, in veteri, tanquam in vmbra, & figura precedebant. Quartò habebat quamdam efficaciam ex opere operato ad iustificationes legales; ad iusti-

tiam vero coram Deo ex opere operantis per gratiam fidei in Christum venturum, & ex meritis eius; vndè præcepta, quæ sic implebantur, quique illa implebant, etiam tunc ad nouam legem pertinebant: & sic de alijs.

Secundò supponendum est, legem Mosaicam ita fuisse suo tempore bonā, & vtilem, vt tamen non fuerit perfecta, & sufficiens ad salutem: gratiam enim iustificantem, in qua perfectio, & efficacia ad æternam salutem consequendam posita est, non conferebat Ioan. 17. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*; & ad Hebr. cap. *Nihil ad perfectum adducit lex*: Quippè cum Iudæis ostenderet quid agendum, & fugiendum esset, non tamen per se vires, nempè gratiam, ad illud executioni mandandum suppeditabat; sed per relationem ad Christum alio tempore venturum, atque adeò ad aliam legem, cuius Christus erat futurus auctor; Quare Diuus Augustinus lib. 3. contra duas epistolas Pelagian. cap. 4. animaduertit, eos, qui tempore Veteris testamenti iustitiam adepri sunt, catenus quidem non ad vetus Testamentū, sed ad nouum pertinuisse, quia scilicet, vt in gratiam reciperentur, non fecit obseruatio illius legis, quatenus fuit obseruatio legis illius, promulgatæ per Moysem, & pro illo tempore, & illis circumstantijs, &c. sed quatenus coniuncta cum fide in Christum nouæ legis, ac testamenti auctorem; Quod insuper non ij solùm, qui ex circumcisione erant, & lege Mosaica tenebantur, sed etiam alij ex Gentibus iustitiam per fidem in Christum sunt consecuti, vt idem Augustinus docet, argumento est, obseruationem legis non habuisse vim conferendi iustitiam per se ex propria ratione sua, sed alio ex capite, quod potuerit illi esse cum obseruatione legis naturalis commune, atque adeo Gentibus etiam prodesse, nempè ex relatione ad Christum vniuersorum Redemptorem.

Tertiò sciendum est, Gentes quidem potuisse veterem legem recipere, eique se astringere: Exodi enim 12. præscribitur modus admittendi proselytos, seu aliquos ex Gentibus, qui in Iudæorum Religionem ascribi volebant: cæterum ad eam amplectendam minimè tenebātur, sed solis Abrahæ posteris, nempè Iudæis, talis obligatio incūbebat: ideoque, qui ex Abrahæ stirpe non descendebant, tempore legis Mosaicæ, per legem naturæ saluari poterant, eo modo, quo qui ante Abraham viuebant: ita tamen, vt illi per solum lumen naturale, aut vires liberi arbitrij naturales, sine diuina gratia saluati non fuerint, cū ad beatitudinem supernaturalem media ei proportionata, vt dona gratiæ, necessaria sint; sed vbi dicuntur per legem naturæ saluari potuisse, tantum excluditur lex vetus, seu scripta, non autem actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, quippè qui in quacumque lege omninò necessarii, & in illis per relationem ad Christum, eiusque merita concedendi, tanquam ad supremum vniuersalis Ecclesiæ caput, in quocumque statu illa consideretur. Quare licet lex vetus ad solos Iudæos tanquam ab illis obseruanda pertinuerit, non solum cum obligatione ad certas pænas, sed etiam in cōscientia sub peccato: tamen dubitari nō potest, quin ad omnes alios fideles etiam quodam modo pertinuerit, nempè tanquam figura quædam eorum, quæ per Christum eorum caput adimpleta sunt, vt rectè ostendit Diuus Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 7. & sequentibus omninò legendis.

Quartò obseruandum est præcepta veteris legis fuisse in triplici differentia primùm *Moralia*, quæ nimirum ad mores componendos spectabant, in Decalogo contenta; tali siquidem nomine, decem illa præcepta, quæ in duabus Tabulis lapideis digito Dei, siue immediatè, siue ministerio Angelorum descripta habentur Deuteron. 4. intelliguntur; itavt præcepta prioris Tabulæ ad Deum ipsum, posterioris verò ad pro-

proximum referantur. Secundò fuere *Ceremonalia* ritus, qui ad externum Dei cultum ordinabantur, præscribentia. Etsi enim cultus, & veneratio Dei, in vniuersum sit legis naturalis, modus tamen, & determinatio huius cultus, per has, scilicet, aut illas ceremonias à Moyse tanquã præcone à Deo specialiter delegato promulgata fuit legis supernaturalis. Talia autem præcepta ad quatuor potissimum genera reuocabãtur: alia enim erant de sacrificijs, seu oblationibus, alia de Sacramentis, quędam de rebus sacris, vt Tabernaculo, Templo, Arca fœderis, Propitiatorio, &c. quædam verò de obseruantijs, quæ partim ad esum referebantur, vt abstinentia à suffocato, sanguine, pinguedine, carne suilla, ab animalibus, quæ non haberent vngulam diuisam, sed solidã, & vnitam, quæque etiam non ruminarent, & manducatio panum azymorum, lactucarum, & cæterorum id genus: Porrò Genebrardus sub finem Cronologiæ, tàm ex Paulo Burgensi, quam ex alijs doctoribus refert hæc præcepta in vniuersum ascendisse vsque ad numerum sexcentorum tredecim: ex quibus erant ducenta quadraginta octo affirmatiua: tot nimirum, quot in homine esse membra, & ossa dicuntur: & trecenta sexaginta quinque negatiua, quot in anno dies numerari solent. Ob quã fortè causam, vt alias omittam, Diuus Petrus in Concilio Hierosolymitano asseruit legem Mosaicam fuisse durissimam, & quasi obseruatu impossibilem; id est difficillimam, quia, quæ difficilia sunt, nonnunquam appellari solent impossibilia. Tertiò tandem fuere præcepta *Iudicialia*, quibus ostendebatur rectus ordo iustitiæ, qui ordo, cum ad principem, ad ciues inter seipsos, ad extraneos, & ad domesticos eiusdem familiæ, referatur, indè quoque, iuxta hæc quatuor capita, quatuor fuere horum præceptorum genera, maiori ex parte in Deuteronomio contenta, sicut in Leuitico Ceremonialia.

His prænotatis, quantum sufficit ad præsentis instituti rationẽ, maior enim illorum notitia repetenda est ex Diuo Thoma, eiusque interpretibus 1. 2. qu. 92. & sequentibus, primo certum est, præcepta moralia in lege Euangelica non cessasse; etsi enim quod dicitur legem veterem antiquatam esse, intelligi etiam possit, vt aduertunt doctores, quo ad dicta præcepta, vt erant pręcepta illius legis in veteri testamento tradita, non tamen quoad eorum materiam; nam cum mores seclusa quacũque lege positiua, suaptè natura mali sint, aut boni, saltem physicè, fit vt eorum compositio, ad quamcumque legem, tum naturæ, tum Euangelii pertineat, consequenterq; obligentur sub illis viuentes, ad materiam eiusmodi præceptorum, quamuis non ex illorum vi, seu vt soli populo Hebræo fuerunt conscripta, & promulgata, quatenus erant legis diuinæ positiuæ; sed modo, ex vi legis naturæ, & Euangelicæ Christiani, sicut Gentiles olim, ex vi legis naturæ, quæ est conscripta in mente, tenebantur, vt docet Diuus Thomas 1. 2. q. 98. art. 5.

Secundò cum legem veterem ex aliquo tempore cessasse dupliciter concipi possit: *Primò* sic, vt ex eo tempore fuerit mortua, id est, vt neque obligauerit, neque etiam ad salutem profuerit eius obseruantia, eo modo quo antea valebat: *Secundò* sic, vt etiam fuerit mortifera, id est vt illam seruare non licuerit citra peccatum ex suo genere mortale: communiter quoque docent Theologi cum Diuo Thom. 1. 2. q. 104. art. 3. præcepta iudicialia nunquam secundo desiisse modo. Etsi enim mutata forma, & statu populi Hebræi, qui erat finis eiusmodi præceptorum, sic illa cessauerint, vt à morte Christi fuerint mortua, id est, vt amiserint obligandi vim; quia tamen principaliter, aut per se non referebantur ad significationem Christi venturi, mysteriorũque eius, adeoque nec pertinebant propriè ad cultum sacrũ illius populi proprium; idcircò non fuit post Christi mor-

mortem, nec eſt iam illorum vſus mortiferus. Quin imò ſi leges aliquæ iudiciales nunc ſtatuerentur illis præceptis ſimiles, poſſent licitè ex eodem Diuo Thoma, & deberent obſeruari, non eo quidem modo, quo in veteri lege, ſed ſimpliciter, quatenus iam conferrent ad ordinem iuſtitiæ ſeruandum, ſecundum conditionem præſentis ſtatus Eccleſiæ, vel Reipublicæ; ſiue non obligarent, quia in veteri lege ſancitæ fuiſſent, ſed quia vel ab Eccleſia, vel à Regibus, aut ſupremis Magiſtratibus aſſumptę fuiſſent.

Tota igitur præſentis controuerſiæ difficultas reducitur ad Pręcepta Ceremonialia, an nimirum vtroque ex dictis modo ceſſauerint, vt non ſolùm ſint mortua, id eſt, non proſint ad ſalutem & gratiam, ſed etiam ſint mortifera. Pro cuius reſolutione iterum notandũ eſt, hæc præcepta quadrifariam vſurpari poſſe. *Primò* formaliter, eumve in finem, vt per ſignificationem myſteriorum Chriſti, quaſi futurorum colatur Deus: *Secundò* prorſus materialiter, id eſt, nequaquam in ordine ad cultum, ſed ob aliquem alium finem; vt ſi quis, exempli gratia, ſanitatis cauſa ſe ſe circumcideret: *Tertiò*, ſi vſurparentur ad cultum quidem Dei, non ſecundum Chriſti venturi ſignificationes, ſed qui conſiſteret in quadam proteſtatione diuinę excellentiæ illo ritu, & modo; adiũcta ſimul opinione, quod talis cultus eſſet ad ſalutem neceſſarius: *Quartò* Si ad eumdem ordinarentur cultum diuinum, quo non Chriſti futuri ſignificatio, ſed proteſtatio intenderetur excellentiæ diuinæ, nõ tamen ex illa opinione neceſsitatis ad ſalutem, verùm in eum duntaxat finem, vt oſtenderetur Ceremonialia legis præcepta mala non fuiſſe, ſed bona, & à bono authore. Nunc ſit.

Prima concluſio; Lex vetus, quo ad præcepta Ceremonialia, iam effluxit, penituſque abrogata eſt; quare nullam amplius obligationem imponit, nec etiam eam obſeruantibus quidquam prodeſt; meritoque proindè mortua dicitur. Iſta concluſio intellecta de lege veteri ſpectata ad extra, qualis erat apud Iudæos, qui eam olim obſeruabant, eſt de fide; illamque à fortiori probabunt argumenta pro ſequenti cõcluſione adducenda, quibus oſtendemus Ceremonialia, nedum mortua, ſed etiam mortifera eſſe. Vndè ſolùm ſupereſt breuiter explicandum quonam præcisè tempore lex vetus quoad huiuſmodi præcepta ceſſauerit, mortuaque dici potuerit. Cui reſpondeo ex Diuo Thoma 12.q.103.art.3.ad 1.alijſque Patribus, Diuo præſertim Auguſtino epiſt.19. ad Hieronymum; & Hieronymo ipſo in epiſt. ad Auguſtinum, quæ eſt 11. inter Diui Auguſtini epiſtolas, tunc id contigiſſe, quandò mortuus eſt Chriſtus, ſiue quando in Cruce ſpiritum iam iam emiſsurus, dixit, *conſummatum eſt*, Ioann.19. id eſt, abſolutum eſt myſterium redemptionis, quatenus erat meritis Chriſti perficiẽdum, quo lex vetus principaliter, vt ad finem, & terminum ſuum referebatur. Quod autem Sotus lib. 2. de Iuſt. & Iur. q.5. art 4. hoc non ita intelligendũ eſse docet, quaſi in ipſo puncto mortis Chriſti indiuiſibiliter lex illa vetus ceſſauerit, ſed punctum mortis latius accipiendum eſse, vt comprehendat totum illud temporis interuallum mortis, & ſepulturæ Chriſti vſque ad momentum reſurrectionis incluſiuè; quoniam, inquit, in reſurrectione fuit myſterium noſtræ redemptionis completum iuxta illud Rom.4. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*; nec non etiam in lege veteri ſignificata, & prophetata eadem reſurrectio; alijs doctoribus non placet.

Tùm quia, vt Chriſtus ſimpliciter in Cruce dixit *Conſummatum eſt*; ita ſimpliciter etiam Patres ſignificant, tunc fuiſſe finem impoſitum officio legis; cui etiam conſonat, quod tota ferè epiſtola ad Hebræos ait Apoſtolus, nouũ Teſtamentũ fuiſse morte ipſius Chriſti inter-

intercedente, confirmatum, & vetus ex consequenti abrogatum, & mortuum; ad Ephesios 2. dissolutum medium parietem, quo populus Iudæorum separabatur à populo Gentilium, & ex vtroque populo vnam, & eamdem conflatã fuisse Ecclesiam; & ad Galatas 3. redemptos eos, qui erant sub seruitute legis: ideoque lex ipsa tunc cessauit, & abrogata est, quando præcisè Christus mortem subijt, qua propriè, & formaliter non tantùm à peccato, sed etiam à seruitute legis redempti dicimur. *Tum* quia Christus per meritum passionis, & mortis, non autem per suam resurrectionem exoluit pretium redemptionis nostræ. Post mortem enim, cum amplius viator non esset, nihil promeritus est, sicut rectè probat Diuus Thomas super cap. 4. epist. ad Rom. lect. 4. Vndè cum finis veteris legis fuerit mysterium redemptionis nostræ, quatenus illa, non quomodocumque, sed satisfactione, & merito Christi erat perficienda, non debet eius duratio extendi, vsque ad momentum resurrectionis, vt vult Sotus; alioqui non tantùm vsque ad illud, sed etiam vsque ad ascensionem, & aduentum Spiritus Sancti, deberet à præfato Doctore concedi, quod lex vetus viguerit, adeoque vim obligandi per se habuerit; nam hæc quoque mysteria aliquo modo pertinent ad nostram redemptionem, fueruntque in veteri lege prænuntiata. Non hæc igitur, sed illa, quæ Christi meritum, & satisfactionem continebant, & à quibus proindè obseruatio legis suum habuit valorem, finem, ac terminum ipsius fuisse dicicenda sunt. Per quod patet ad rationes Soti. Quare Sanctus Thomas loco citato ad Rom. expresè docet sensum Apostoli non esse, quod per resurrectionem obtinuerit nobis Christus iustificationem, sed talia ab eo dici per quamdam similitudinem resurrectionis Christi, & iustificationis nostræ.

Si quis per oppositum, ex illo Lucæ cap. 16. *Lex, & Propheta vsque ad Ioannem*, obijciat legalia ante mortẽ Christi desijsse, mortuave fuisse. Respondetur *primò* per talia verba tantùm insinuari, prædictiones Christi venturi, quæ à lege, & Prophetis fiebant, viguisse vsque ad Ioannem: hic enim non prædixit Christum venturum, sed prædicauit eum esse iam natum, eumque indigetauit, dicens, *Ecce Agnus Dei*: non autem fieri mentionem legalium. *Secundò*, etiam admissa tali mentione, respondetur dictorum verborum sensũ esse, quod vsque ad tempora, vel sæculum illud Ioannis, in quo Christi mors contigit, lex vetus durauerit. *Tertiò* dici potest, Christum Dominũ his verbis significare voluisse, legem veterem ante Ioannem viguisse, postea verò, quia simul quasi Ioannes, & Christus inceperunt, legem nouam ab ipso quoque Ioanne incepisse; adeovt lex, & Euangelium ab eo tempore, quo Christus prædicare cæpit, vsque ad eius mortem, nempè tribus annis, & tribus mensibus simul concurrerint: quia iam mysterium redemptionis erat inchoatum licet nondũ per Christi mortem consummatum. Propterea Diuus Augustinus citata epistola 19. ad Hieronymum, tria distinguit tempora: primum ante Christi mortem, in quo legalia neque erant mortua, neque mortifera: Secundum post sufficientem Euangelij diuulgationem, in quo legalia, & mortua sunt, & mortifera: Tertium autem est tempus medium, in quo legalia fuerunt quidem mortua, sed nõ mortifera, hoc est, non habebant vim obligationis, sed poterant licitè obseruari, dummodo non crederentur esse necessaria ad salutem; vt infra explicabitur.

Secunda conclusio. Lex vetus quo ad præcepta Ceremonialia, nedum iam antiquata, aut mortua est, sed mortifera, ita vt absque peccato obseruari non posit. Ista pariter conclusio est de fide, si sermo sit de obseruantia huiusmodi præceptorum, quatenus, vel ordinaretur, vt significatiua mysteriorũ Christi qua-

sti quasi futurorum ad cultum diuinū, vel etiam sine tali significatione, reputaretur necessaria ad salutem. In quo secundo potissimum sensu errarūt tùm veteres hæretici, Cherintus teste Epiphanio hæres. 28. & Augustino hęres. 8. Ebion teste Ireneo lib. 1. cap. 26. nec nō Epiphanio hæres. 18. & Augustino hęres. 9. tum moderni, cum quibus rem modo habemus; In primo enim sensu, inter eos, qui Christi fatentur aduentū, extra omnem controuersiam est, & oportuit semper esse, quod statim ab eius morte fuerit obseruatio Ceremonialium mortifera. Nam statim cultus eiusmodi fuisset cultus falsus, quæ est vna species superstitionis; si quidem non amplius potuisset mysterium redemptionis, aut verbo, aut opere significari verè tanquam futurum. Et hoc modo rectè procedit Diui Thomæ discursus 12. quæst. 103. art. 4. vbi probat perindè esse illicitum mendacium in significatione operis, atque in significatione verborum de mysterijs nostrę fidei.

Conclusio ita explicata probatur ex communi Ecclesiæ sensu: Ecclesia enim Romano-Catholica, quæ sola vera est Christi Ecclesia semper credidit, vt quid de fide contra præfatos hæreticos, legem veterem quantum ad præcepta Ceremonialia, seu ritum diuini cultus in ea præscriptum, nedum mortuam fuisse, nihilque ad gratiam, & salutem prodesse, verum etiam mortiferam esse, peccatumve inducere eius obseruationem, post sufficientem legis nouæ promulgationem. Vndè à Generali Synodo Florentina, pręsentibus, atque consentientibus Armenis Legatis, in decreto pro Iacobitis, res ita definita fuit: *Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini, & Saluatoris nostri voce fundata, firmiter credit, profitetur, & prędicat, omnem creaturam Dei bonam, nihilque reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: quia iuxta verbum Domini, non quod intrat in os, coinquinat hominem, illamque Mosaicæ legis ciborum mundorum, & immundorum differentiā ad Ceremonialia asserit pertinere, quæ surgente Euangelio transierunt, & efficacia esse desierunt.* Et infra: *Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse, denuntiat, quam societas admittit humana; nec inter animalia discernendum per quemcumque, siue virum, siue mulierem, & quocumque genere mortis intereant: quamuis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari, & Ecclesiastica disciplina possint, & debeant multa, non negata, dimitti; quia iuxta Apostolum omnia licent, sed non omnia expediunt.*

Eadem definitio habetur in fidei professione, relata à Baronio tom. 6. Annal. in fine, & ex ipso à nostro Thoma à Iesu lib. 7. de conuersione omnium gentium, quæ ex præscripto Sanctæ Sedis Apostolicæ ab Orientalibus ad Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vnitatem venientibus facienda proponitur, his verbis: *Item firmiter credo legalia omnia veteris Testamenti, seu Mosaicæ legis, quia Christum figurabant, licet diuino cultui illa ætate congruerent, ipso adueniente cessasse, & iam promulgato Euangelio seruari non posse, sine interitu salutis æternæ. Omnes igitur post illud tempus circumcisionis, Sabbathi, ciborum ea lege prohibitorum, reliquorumque legaliū obseruatores alienos à fide denuntio, & salutis ęternæ non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant, ab his enim omnibus liberauit nos Christus, &c.*

In altera quoque fidei professione Armenolatina, iussu Vrbani VIII. edita, quę ijsdem Armenis, aliisque Orientalibus Christianis emittenda proponitur, idem continetur; facta Synodi Florentinæ mentione: *Profiteor, quæ in Florentina Synodo definita sunt: videlicet Legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ Legis Ceremonias, Sacra, Sacrificia, & Sacramenta Domino nostro Iesu Christo adueniente cessasse; & post promulgatum Euangelium sine peccato obseruari non posse: eiusdem etiam legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiā*

ad

ad Ceremonialia pertinere, quæ surgente Euangelio transierunt.

Hæc autem fidei Catholicæ veritas tam apertis Verbi Diuini tùm scripti, tum traditi testimonijs innititur, vt mirum sit eam non credi ab illis, qui Sacrarum Scripturarum authoritatem admittunt. Pręcipua noui testamenti, omisso veteri, loca habentur.

Matthęi 15. vbi quantum ad rem illam, seu pręcepta Ceremonialia de cibis immundis expresè ait Christus: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*; nimirum, vt subdit, *cogitationes malæ, falsa testimonia, blasphemiæ, &c.*

Lucæ 10. vbi idem Christus Dominus suos discipulos prædicatores mittens non solùm ad Iudęos, sed etiam ad omnes gentes, ait illis: *In eadem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt*: Et infra: *In quācumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos; manducate quæ apponuntur vobis*. Quibus sanè verbis satis indicatur permisisse Dominum suis discipulis, & sic toti Ecclesię cuiuslibet cibi esum, etiam qui ante fuerat in lege prohibitus, quique gentibus communis erat: Pręcepta igitur Ceremonialia post Euangelicam legem minimè sunt obseruanda, necessariaque ad salutem reputanda.

Sed omnium clarissimus locus habetur Act. 15. vbi Apostoli in Concilio Hierosolymitano absolutè definierunt veteris legis abrogationem, quo ad legalia, seu Ceremonialia eius præcepta: *Surrexerunt*, inquit Sacer Textus, *quidā de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes, quia oportet circumcidi eos; præcipere quoque seruare legem Moysi; conueneruntque Apostoli, & seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret surgens Petrus dixit ad eos. Viri fratres, &c. nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus, ? sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi*.

Si quis instet cū Vartano in Monitis ad Armenos, alijsque nonnullis eorum Pseudomagistris ibidem ab Apostolis factam fuisse prohibitionem Gentilibus in Syria conuersis, vt abstinerent à cibis qui immolabantur idolis, siue *à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine*; quæ erant etiam Mosaica lege vetita; atque adeo aliqua saltem ceremonialia veteris legis post sufficientē nouę promulgationem esse obseruanda à Christianis, vt Apostolico obediatur decreto.

Respondetur primò id nihil prorsus fauere malę aduersariorum causę, nam ad hominem, dum decernentibus Apostolis Christianos non teneri iugo, & obseruantia veteris legis, pręterquam in tunc pręcepta ab illis de nouo abstinentia ab Idolothytis, suffocato, & sanguine, ipsi tamen eos obligari volunt, ac docent ad obseruationem aliorū legalium; vndè Armeni se abstinent ab omni cibo veteri lege prohibito, vt immundo, excepta carne suilla, quam comedere sibi permissum fuisse dicunt à suo Illuminatore, ac primo Patriarcha Diuo Gregorio; execrātur eos, qui quocunque modo animal immundum tetigerint, nec non animalium sacrificia faciunt, oues offerentes, ac iugulantes in expiationem peccatorum suorum, vt in lege pręscriptum fuerat, dum, inquā, aduersarij talia docent, & faciunt, manifestos se produnt decreti Apostolici transgressores.

Secundò respondetur cum D. Thoma 12. qu. 103. art. 4. ad 3. talia non fuisse ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano pręcepta Gentilibus nouiter ad fidem conuersis, formaliter seu ad cultum, aut quod crederent legem veterem post Christi mortē adhuc perseuerare, & in æternum duraturam esse tanquam necessariam ad salutem, de quo est quæstio inter nos, & aduersarios, sed tantum materialiter in alium finem, vt scilicet posset facilius ex Iudęis, & Gentibus vnus populus fidelis coa-

coalescere, si eo genere abstinentiæ se se Gentiles cum Iudæis, qui maximè à suffocato, & sanguine abhorrebant, in communi conuictu conformarent. Nam ante sufficientem Euangelij promulgationem, propter prædictum, aut alium eiusmodi finem honestum nonnulla præcepta moralia obseruari potuisse, & per accidens prodesse dicemus infra.

Respondetur tertiò Apostolos præfata prohibuisse non ratione legis veteris obseruandæ, seu quatenus horum abstinentia erat præceptum legale, ac ceremoniale: quia, cum vetus lex non fuisset data Gentibus, sed tantum Hebræis, pro quibus etiam erat tunc mortua, nullus poterat, præsertim Gentiles conuersi, ad aliquod legale præceptum obseruandum iure constringi; Hoc igitur Apostolos fecisse dicendum est, vt Christianis tunc in Syria, & Cilicia cõuersis ex Gentibus iniungerent aliqua præcepta moralia, illi tempori, & regioni congrua, vt ad fornicationem, & idolorum cultum iterum nõ reuerterentur, ac præterea possent sine scandalo, & dissentione cum Iudæis fidelibus habitare; qui, cum abhorrerent mirum in modum ab idolothytis, id est cibis idolis oblatis, suffocato, & sanguine, si vidissent Gentiles ijs absque vllo scrupulo vesci, facilè suspicari potuissent ipsos nondum idola perfectè, & ex toto corde deseruisse, proindèque noluissent vllum cum illis habere commercium, sicque schisma in Ecclesia exortum fuisset.

Rem autem ita se habere manifestè constat; si quidem prohibitio à fornicatione, non est præceptum legale, seu ceremoniale, sed morale, ac etiam naturale: vndè vetita hæc fuit ab Apostolis, non quia per se mala non esset, iureque naturæ interdicta; sed quia vel Gentes illæ id ignorabant, vel ob nimiam consuetudinem pro nihilo illud habebant.

Similiter prohibitus fuit esus Idolothytorum, vel quatenus continebat hic cultum idolorum, aut speciem eius, vt explicant multi Patres Hieron. lib. 1. contra Iouinianum, Augustinus in speculo cap. de act. Apost. colligique etiam videtur ex illo 1. Corinth. 10. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris?* Et infra: *Quæ immolant Gentes, Dæmonijs immolant, & non Deo; nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* Sub qua ratione præfatus esus erat etiam res intrinsecè, & per se mala, eiusque consequenter prohibitio præceptum non legale, sed morale, ac naturale. Vel saltem prohibitus fuit, quatenus parere poterat scandalum, & suspicionem falsæ religionis, aut esse occasionem redeundi paulatim ad cultum idolorũ; quo modo fuit quidem præceptum morale duntaxat positiuum, sed nullam prorsus legalem ceremoniam continebat; vndè secluso scandalo, aut occasione idololatriæ, talis esus non erat malus, sed indifferens, vt apertè supponit Apostolus in epist. ad Roman. cap. 14. nec non 1. Corinth. cap. 8. & 10.

Prohibitum tandem fuisse esum sanguinis, & consequenter etiam animalis suffocati, quod sine sanguinis effusione moritur, vel occiditur, nullo habito respectu ad legem veterem, aut aliquam eius ceremoniam obseruandã; sed quia sanguis, & suffocatum in idololatrijs Gentium peculiari modo vsurpabatur, testantur Origenes lib. 8. contra Celsum, & Tertullianus in Apologet. cap. 9. nec non Diuus Thomas 1. 2. qu. 102. ar. 6. ad 1. vbi ait, *eorum consuetudinem fuisse, vt circa sanguinem congregatum adunarentur ad comedendum in honorem Idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse:* ideoque ratione vitandi idololatriam talis prohibitio fuit facta, nec non ob alios fines in secunda responsione recensitos, continebatque non ceremoniale, sed morale præceptũ positiuum; quod vt decursu temporis præfatis cessantibus causis cessauit, ita quo-

quoque si iterum vrgerent, ab Ecclesia renouari posset; provt in Cōcilio Gangrensi multis post annis contigisse asserit Sotus lib.2. de iust. & iur. q.5.

Eamdem veritatem cessationis legalium ceremonialium,mortiferæque eorumdem obseruationis post sufficientē nouæ legis promulgationem, omnium fusissimè docuit Paulus Apostolus passim in suis epistolis; ad Romanos, c. 6. *Non estis sub lege, sed sub gratia*: cap. 7. 8. 10. & 14. 1. Corinth.10. ad Galatas cap. 2. vbi reprehendit Petrum, quod ceremonialia obseruaret,suoque exemplo cogeret Gentes iudaizare, his verbis: *Si tu, Iudæus cum sis, Gentiliter viuis, & non Iudaicè: quomodo Gentes cogis iudaizare? Nos natura Iudęi, & non ex Gentibus peccatores scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi; & nos in Christo Iesu credidimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*. Qua sanè Apostoli reprehensione, siue non fuerit seriò, & ex animo facta,sed simulatè,& ex composito, iuxta mentem Hieronymi, vt nempè illi duo Apostoli,hoc pacto manifestum facerent, neque Gentes, neque Iudæos lege Mosaica teneri,& per sanguinem Christi, non autem per obseruationem legis, omnes iustificari; siue iuxta mentem Augustini vera, & non simulata fuerit, Petrusque realiter peccarit, si non lethaliter, saltem venialiter, subtrahendo se à consuetudine Gentilium, cum magno ipsorum scandalo: videntes enim Petrum Apostolorum verticem,ab ijs se subtrahere, & cum Iudæis obseruando legalia cōmunicare,suspicabantur legem veterem esse adhuc necessariam, siue tandem Petrus ne venialiter quidem peccauerit, de quo egimus tom.3. sect. 4. cap. atque adeo reprehensio Pauli, non tam facta fuerit contra Petrum, quam contra id, quod per accidens ex facto eius oriebatur; nempè suspicio, & existimatio Gentilium conuersorum ad fidem, qua legem veterem adhuc esse ad salutem necessariam, suspicabantur; hac inquam Diui Pauli reprehēsione,quocunque ex dictis sumatur modo, clarè constat, post sufficientem Euangelij diuulgationem, cessasse legem veterem non solùm quoad obligationem, sed etiam quo ad licitum vsum, ita vt obseruari non posset deinceps sine graui peccato; Vndè idem Apostolus eiusdē epist. cap. 3. & 4. videndus, demum cap.5. de duobus testamentis, veteri,& nouo loquens; sub figura duorum filiorum Abrahæ, scilicet Ismaelis, qui ei ex Agar ancilla, & Isaac, qui ex Sara, vxore libera, natus fuerat, ait eijciendā esse legem veterem, quæ tanquam ancilla fuit legis Euangelicæ, sicut eiecta fuerat Agar Saræ ancilla;concluditque: *State, & nolite iterum iugo seruitutis cōtineri. Ecce ego Paulus dico vobis; quoniam, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; id est, si circumcisionem vt necessariam ad gratiam, & salutem sumatis, non potestis gratiam, & salutem Christi consequi; & iterum, *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini*; id est, contenditis per eius obseruationem iustificari.

Eamdem denique doctrinam tradit Ephes. cap.2. Colossens. 2. 1. Timot.4. Titi 1. ac demum Hebręor. 7.8. 9. vbi omnino videndus est.

Quamobrem ne Sacram Scripturam sibi contradicere dicamus, vbi lex vetus in ea dicitur à Deo data, vt perpetua,seu in æternum duratura: Genes.17 de circumcisione: *Erit pactum hoc meū in carne vestra in fœdus æternum*: Exodi 12. de solemnitate Agni Paschalis: *custodietis diem istum in generationes vestras, ritu perpetuo*: & Baruch. 5. *Hic est liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum*: ista & similia loca non debent intelligi, vt obijciunt aduersarij, de perpetua absolutè, nunquamque finem habitura duratione legis veteris, cum ex dictis contrarium apertè constet,nec non ex ipsomet veteri testamēto; Isaias enim cap. 43. loquens de vocatione Iudæo-

Iudæorum ad Christum, & ad conuersos, & credentes in illum, vt explicat Diuus Hieronymus, tandem concludit: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini*. Et Ieremias cap. 21. post illa verba: *fæmina circumdabit virum*, subdit: *Ecce dies venient dicit Dominus; & feriam domui Israel, & domui Iuda, fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum*, &c. quem locum expendens Diuus Paulus Hebræor. 8. ait: *Dicendo autem nouum, veterauit prius: quod autem antiquatur, & senescit, propè interitum est*.

Sed primò, cùm in Sacris Scripturis æternum, perpetuum, ac sempiternum dicatur illud, cuius certus terminus nõ præscribitur, etsi non perpetuò, sed longo solùm tempore duraturum sit, vt durauit lex vetus; sic Genes. 13. dicitur: *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo in sempiternum*: & cap. 17. *Dabo tibi, & semini tuo, &c. omnem terram Chanaan in possessionem æternam*; & tamen constat, terram illam à Iudæorũ possessione iampridem ablatam fuisse: eodem modo de ritu veteris legis discurrendum est, vbi interdum vocatur æternus.

Secundò respondetur cum D. Thoma 12. quæst. 103. art. 3. ad 1. quod lex vetus dicitur esse in æternum secundum præcepta moralia quidem simpliciter, & absolutè; secundum ceremonialia verò quantum ad veritates quas mysticè figurabant: de quo vide dicta tom. 3. sect. 3. nec non supra sect. 7. contra Iudæos.

Nunc ad alteram probationem veniamus desumptam ex traditione cuius testes sunt irrefragabiles veteres Patres, tùm Græci, tùm Latini, qui vnanimiter, nulloque ipsorum contradicente, docuerunt, legem veterem quoad ceremonialia, nedum mortuam, sed & mortiferam, post sufficientem Euangelij diuulgationem factã fuisse, quatenus, vel ordinaretur vt significatiua Christi, mysteriorumque eius ad cultum Diuinum; vel etiam sine tali significatione crederetur necessaria ad salutem. Ex Patribus Græcis, vel Orientalibus, quibus Armeni potissimum fidem adhibent, celebriores sunt Dionysius Areop. de Eccl. Hier. parte 1. cap. 5. Ignatius in epist. ad Philadelph. & ad Hieronem: Iustinus Martyr in Dial. cum Tryph. Iudæo, circa princ. *Lex*, inquit, *quæ in Horebo monte sancita est, vetus est iam, & vestra tantum: hæc autem* (noua) *planè omnium. Lex autem legi contraria, & contra legem lata superiorem sustulit; Testamentumque, quod postea institutum est, prius sustulit eodem modo*. Irenæus lib. 4. cap. 31. Origenes lib. 2. contra Celsum: *Quæ verò sunt*, inquit, *illæ impietates Iesu? proferat præsertim Iudæus à Celso introductus: nisi fortè impium est desistere à corporali circumcisione, & Sabbathis, Nouiluniis, cæterisque festorum corporalium obseruationibus, & purarum, impurarumque rerum discrimine, ab hisque transferre animum ad veram Dei legem, spiritalem, & Deo dignam*. Athanasius in orat. aduersus Arrianos, super illo, *ex Deo Deus est verbum*, circa finem; & orat. in illud, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, circa medium; Epiphanius hæres. 29. vbi assimilat hanc hæresim Serpenti bicipiti, vt potè quæ Christianismo Iudaismum annexuit: & de eius authoribus ait: *In hoc à Iudæis differunt, itemque Christianis; quod Iudæis quidem non consentiunt, eo quod in Christum credunt: cum Christianis verò non conspirant, eo quod adhuc legi sunt alligati*. Chrisostomus homil. 4. in Marcum: 7. in epist. ad Colossens. & 5. in cap. 2. epist. ad Ephes. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Isaiam orat. 5. cap. 9. vbi adducit decretum Concil. Hierosolymitani Actor. 15. & lib. 9. contra Iulian. propè finem, vbi explicans Visionem Petri Act. 10. qua apparuit illi vas quoddam, velut linteum magnum, in quo erant quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli, ait apertè significatum fuisse, iam cessasse veteris legis vmbras, transformatasque in veritatem fuisse.

Ex Patribus Latinis Cyprianus lib. 1. contra Iudæos cap. 1. & 8. Ambrosius in cap. 6. Lucæ. Hieronymus in epist. ad Augustinum, quæ est vndecima inter epist. Augustini; ille verò epist. 19. ad Hieronymum, tùm hæresi 9. & lib. 19. contra Faustum cap. 13. *Prima:* inquit, *Sacramenta quæ obseruabantur, & celebrabantur ex lege, prænuntiatiua erant Christi venturi, quæ cum suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt; & ideo ablata, quia impleta. Non enim venit soluere legem, sed adimplere. Et alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iustitia fidei reuelata.* Solumque inter præfatos Doctores fuit dissensio de tempore, à quo eiusmodi Ceremonialium obseruatio cæpit esse mortifera, vt dicetur infra.

Tertio probatur conclusio rationibus deductis ex præfatis tam Sacræ Scripturæ, quam SS. Patrum testimonijs. Prima est, quia Ceremonialia veteris legis vmbra erant, ac figura Christi, mysteriorumque, & Sacramentorũ in lege Euangelica futurorum, 1. Corint. 10. Coloss. 2. Hebræor. 10. nec non pædagogus noster in Christo, vt ex fide iustificemur, ad Galat. 3. Sed vmbra, ac figura apparente luce, & veritate diffugiunt, vel vt ait Bernardus homil. 1. in Missus est: *Prodeunte fructu flos decidit, & Sole apparente superuacaneus est lychnus, sicut & Pedagogus, quando quis peruenit ad Sapientiam.* Igitur cum lex Christi Euangelica rationem habeat fructus, Solis, & Sapiẽtiæ, meritò illa adueniente vetus cessauit, factaque sufficienti nouæ promulgatione in mortiferam euasit eius obseruatio, si ordinetur, vt significatiua mysteriorum Christi quasi futurorum, ad cultum diuinum, sic enim cultus eiusmodi esset cultus falsus, quæ est vna species superstitionis, vel si absque tali significatione credatur ad salutem necessaria; Sic enim, vt ex Apostolo supra diximus, à Christo euacuati essemus, nihilque nobis prodesset.

Secunda ratio fundatur in differentia vtriusque legis; Mosaica enim etsi Sancta, iusta & bona, iustificare tamẽ nullum poterat, sed dabatur, vt via ad legem iustificationis, populoque adhuc imperfecto, vt disponeretur ad perfectionem, quæ erat futura per Christum: quocirca eiusdem legis mãdata sine gratia Dei, quam ipsa conferre non poterat, sed solùm Christus, fidesque in illum, iuxta illud Ioannis 1. *Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum Christum facta est;* occasionaliter reos constituebant homines, ac pœnæ obnoxios: Insuper Actor. 15. dicitur *iugum importabile*; Rom. 8. v. 15. *lex timoris, ac seruitutis;* ad Galat. 4. v. 9. *infirma, ac egena*: Solum enim quod agendum, & fugiendum erat, ostendebat, nec vires ad eius executionem suppeditabat: tandem Hebræor. 7. vocatur infirma, & inutilis.

E contrario verò lex Euangelica Matth. 11. dicitur *iugum suaue, ac leue*; Iacobi 1. *lex perfecta*; 2. Timoth. 1. *virtutis, & dilectionis*; Galat. 4. *lex libertatis, & adoptionis filiorum*. Rom. 6. *lex gratiæ, & iustitiæ*; quia non solum quæ agenda, & declinanda sunt, demonstrat, sed etiam auxilia supernaturalia, ad executionem subministrat, cum in hac lege fides, & gratia interius conferantur, quorum beneficio facile pręcepta huius legis Euangelicæ adimplentur.

Quæ omnia cum sint inter se opposita, atque adeo incompossibilia, necessario sequitur adueniente noua cessare debuisse veteris legis obligationem, dicique modo non posse absq; hæresi necessariam ad salutem. Præterquam si talis adhuc vigeret obligatio in statu legis Euangelicæ, qua dici posset iugum suaue, & leue, in qua præter propria haberentur insuper omnia alia veteris legis præcepta Ceremonialia, quæ notauimus supra ex Burgensi ascendisse ad numerum sexcentorum tredecim.

Tertia desumitur ex altera vtriusq; legis

legis differentia, quod Mosaica soli Hebræorum genti data fuerit, eamque solam obligarit, cum reliquæ Gentes eo tempore, sola lege naturæ tenerentur, vt habetur Deuteron. 4. & Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*; At Euãgelica data est toti Mundo; vniuersosque homines obligat, iuxta illud, Math. 8. *Euntes docete omnes gentes*; & Marci vltimo *Euntes in Mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui non crediderit, condemnabitur*: vt nimirum Ecclesia, perfectam habens vnitatem, ex omnibus hominibus congregaretur, fieretque absolutè vniuersalis. Igitur, vt hæc posterior lex stare posset, necessarium fuit, Sacramenta, & speciales Ceremonias prioris, siue vnius populi è medio tolli. Et hoc est, quod Diuus Paulus Ephes. 2. ait, Christum abstulisse medium parietem maceriæ, & inimicitias soluisse inter vtrũque populum, Hebraicum videlicet, & Gentilem: *fecit*, inquit, *vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluit, inimicitias in carne sua; legem mandatorũ*, hoc est, legalium, *decretis*, scilicet Euãgelicis, *euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem*. Qua de causa merito ait S. Leo serm. 8. de Passione Domini: *Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudeæ templo, obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoque Sacramento vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret*. Et paulo post, *Vt sicut vnum est pro omni victima sacrificium; ita vnum de omni gente sit regnum*.

Quarta ratio est; quia, si in statu legis Euangelicæ fideles tenerentur, ad æternam salutem consequendam, obseruare Ceremonialia veteris legis præcepta, deberent assignare aduersarii, vbi, & quando talis à Deo imposita illis fuisset obligatio; nequaquam autem id prestare possunt; cum potius, vt huc vsque vidimus, Christus, eiusque Ministri oppositum manifestissimè docuerint, & tradiderint, tanquam certum fidei dogma, præsertim in Cõcilio Hierosolymitano Actor. 15. Si enim ibi definitum fuit Hebræos, ad Christum conuersos, quibus in veteri testamento lex Mosaica data fuerat, ad eam non teneri, multo magis id de cæteris fidelibus ex Gentilismo conuersis asserendum est, ad quos prefata lex nunquam se extendit. Vndè iam illa, quoad vsum præceptorum Ceremonialium, non amplius lex diuina, sed humana, & commentitia dici debet, quæque si obseruetur, vt necessaria ad salutem, Christianos in interitũ adducit; vt rectè docet Apostolus ad Colossen. cap. 2. his verbis: *Si ergò mortui estis cũ Christo ab elementis huius Mundi: quid adhuc tanquam viuentes in Mundo, decernitis, ne tetigeritis, neque contrectaueritis? quæ sunt omnia in interitum ipso vsu secundum præcepta, et doctrinas hominum*.

Si dicant aduersarii sufficere ad hãc obligationem, quod Christus legem obseruauerit, cum omnis Christi actio, nostra sit instructio; quodque insuper Matth. 23. dixerit: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite*.

Respondetur Christum legem obseruasse, non quod ei esset obnoxius; conditor quippe legis est supra legem, sed ad exemplum humilitatis, &, vt eam sepeliret, idque honorificè; cæterum filius hominis, inquit, Dominus est Sabbathi, satis innuens his verbis, se hac lege veteri nequaquam astrictũ fuisse, & ab eo tam fore, non obstante sua obseruatione, abrogandam.

Ad illud autem Mathæi 23. dicitur; mirum non esse, si Christus, antequam pateretur, ibi mandauit Iudæis obseruationem veteris legis, quæ vtique, ipso viuente, ac prædicante, adhuc vim suam habebat; pro Iudęis enim, quibus tantummodò data ea fuerat, cessarunt legalia, quo ad obligationẽ, cum eorum veritas per Christi mortem consummata fuit, & mysteria no-

ſtræ ſalutis completa, cæpitque noua lex promulgari, & obligare.

Ex quibus primò colligo, quod, cum aliæ Gentes, præter Hebræos, nunquã Moſaica lege obligatæ fuerint, neque ante, neque poſt Chriſtum; quia non his, ſed Hebræis duntaxat data fuerat, ideo reſpectu harum Gentium dici non poſſit aliquando ceſſaſſe, aut mortuam eſſe, ſed potius nunquam, vt ita dicam, fuiſſe viuam, quia ex quo lata fuit, nunquam has obligauit.

Secundò vetus teſtamentum non in honore haberi à Chriſtianis, vt illius obediant præceptis, ſed vt ad notitiã myſteriorũ Chriſti, quæ fuerunt in illo figurata, & prænuntiata, itemque ad eorum confirmationem legatur, & intelligatur; Sicut rectè notauit Diuus Auguſtinus epiſt. 19. ad Hieronymum, iuxta illud Chriſti Domini *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit*. Quam ob cauſam D. Gregorius Nazianzenus orat. 1. contra Iulianum verſus finem, appellauit doctrinam Chriſtianæ Religionis, veterem ſimul & nouam: *Veterem*, inquit, *vaticinijs, ac ſublucentibus diuinitatis monitionibus, nouam poſteriori Dei aduentu, atque præſentia; ijſque miraculis, quæ tum ex ea, tùm circa eam deſignata ſunt*.

Vltima tandem ratio eſt Diui Thomæ 1.2. quæſt. 103. art. 3. vbi docet, quod Ceremonialia pertinent ad exteriorem Dei cultum, qui proportionari debet cultui interiori, in fide, ſpe, & caritate conſiſtente: atque adeo iuxta diuerſitatem cultus interioris, diuerſificari quoque debet exterior. *Poteſt autem*, inquit, *triplex ſtatus diſtingui interioris cultus. Vnus quidem, ſecundum quem habetur fides & ſpes, & de bonis cæleſtibus, & de his, per quæ in cæleſtia introducimur: de vtriſque quidem, ſicut de quibuſdam futuris; & talis fuit ſtatus fidei & ſpei in veteri legi. Alius autem eſt ſtatus interioris cultus, in quo habetur fides & ſpes de cæleſtibus bonis, ſicut de quibuſdam futuris: ſed de his, per quæ introducimur in cæleſtia, ſicut de præſentibus, vel præteritis: & iſte eſt ſtatus nouæ legis. Tertius autem ſtatus eſt, in quo vtraque habentur vt præſentia, & nihil creditur vt abſens, neque ſperatur vt futurum: & iſte eſt ſtatus Beatorum. In illo ergo ſtatu Beatorum nihil erit figurale ad diuinum cultum pertinens: ſed ſolum gratiarum actio, & vox laudis. Et ideo dicitur Apocal. 21. de Ciuitate Beatorum, Templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & agnus. Pari igitur ratione Ceremoniæ primi ſtatus per quas figurabatur, & ſecundus & tertius, veniente ſecundo ſtatu ceſſare debuerunt, & aliæ ceremoniæ induci, quæ conuenirent ſtatui cultus diuini pro tempore illo, in quo bona cœleſtia ſunt futura. Beneficia autem Dei, per quæ ad cæleſtia introducimur, ſunt præſentia*. Hactenus Angelice Doctor Angelicus.

Tertia concluſio. Poſt ſufficientem nouæ legis promulgationem, qualis fuit iam ante plura ſæcula, non poſſunt ſine peccato mortali Ceremonialia veteris legis præcepta vſurpari ad cultum vllo prorſus reſpectu, etiam imitandi in eo Chriſtum. Iſta concluſio non eſt quidem ita apertè de fide, ſicut præcedentes, Caietanus enim 3. p.q.37.art.1. & Bartholomæus Medina illi adhærens 12. quæſt. 103. art. 3. docent, Indos qui Presbytero Ioanni parent, licitè facere, quod ad imitationem Chriſti, qui Circumciſionis legem obſeruauit, non autem ad ſignificanda illius myſteria quaſi futura, aut ex opinione, quod ita ſit neceſſarium ad ſalutem, ſe ſe circumcidunt; communiter tamen Doctores illam pro omnino certa habent. Etſi enim libenter admittamus poſſe illa Ceremonialia vſurpari prorſus materialiter, id eſt, nequaquam ad cultum, ſed ob alios fines licitos, & ab Eccleſia approbatos, ſicut hodie celebratur feſtum Pentecoſtes alijs rationibus quam in veteri teſtamento. Tunc enim ſolemnis erat feſtiuitas, quia illa die data fuit

fuit lex vetus, nunc autem quia eadem die promulgari capit lex vitæ, & spiritus, vt docet Diuus Thomas 12.q.103. art.3. ad 4. Sicut etiam, si quis circumcideretur ob medicinam, vel ob eamdẽ causam abstineret à carnibus porcinis, aut Sabbatum seruaret in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ. Hæc tamen, & similia Ceremonialia, vel actiones legales, cum aliquo ad cultum respectu, iam exercere, omnino illicitum esse videtur, non solùm propter nõnullum scandalum, quod alijs, si publicè fieret, daretur, id quod non satis expedit Caietanus, verùm etiam, quia per se omnia Ceremonialia, cultus causa suscepta, sunt iam mortifera. Si quidem ille cultus non solùm propter significationem, quam habebat, Christi venturi, mysteriorumque eius, sed etiam propter speciales suos, ac determinatos Ceremoniarum modos repugnat veritati, & perfectioni legis Euangelicę: ideoque per eam Christus voluit talem cultum antiquare, & abolere, non solùm quatenus significatiuus futurorum erat, sed etiam quatenus cultus absolutè erat illius modi vmbratilis, & imperfecti, qui veteris legis proprius erat, eamque à noua distinguebat.

Vnde in Ecclesia vsurpari quidem possunt plures ceremoniæ, secundum aliquam rationem genericam, & communem similes illis, quæ fuerunt in veteri testamento, vt vestes Sacerdotales, vsus olei, templa, & cætera huiusmodi, alioqui pari ratione concludi posset, iam non debere in Ecclesia vsurpari Sacramenta, quoniam etiam tunc locum habuerunt, nequaquam autem licitus est vsus in ea specialis, ac determinati modi illarum ceremoniarum in lege præscripti. Ad differentiam enim status vtriusque, sufficit vt species, & modus ceremonię sit diuersus, id quod in omnibus ceremonijs, ac ritibus ab Ecclesia obseruatis, quatenus ex illis cultus aliquis, et actio religionis constat, diligenter animaduertendum est, contra cauillationes sectariorum sacras Ecclesiæ Ceremonias deridentium, vt sectione sequenti videbimus.

Ex dictis facile resoluitur difficultas num Iacobitis, Abyssinis aut alijs ab Ecclesia Catholica permitti possit simul cum baptismo ritus circumcisionis. Si enim vsurpetur vt figuralis, vel vt legalis, id est ad seruandam legem, ex cuius institutione erat introducta, vel adiuncta opinione, quod esset necessaria ad salutem, vel denique sub quocumque religionis respectu, siue in eum dumtaxat finem protestandi excellentiam diuinam, & ostendendi talem ritum, sicut nec alia Ceremonialia legis præcepta mala fuisse, sed bona, & à bono authore; quæ omnia pendent à facto, nempe quo ex prædictis finibus, aut alijs præfatæ gentes circumcidantur, nam in hoc non est vna sententia illorum authorum, qui illarum ritus, & mores referunt; respondeo primò, nequaquam id ipsis concedendum esse, aut ab illis vsurpari posse.

Secundò dico, probabilius esse, quod sit illicita, atque adeo non permittenda circumcisio, licet fiat ad imitationem Christi, si quidem Christus seruauit circumcisionẽ vt legalem, si igitur præfatę gentes illã seruarent ad imitationem Christi seruarẽt vt legalẽ; legalia autẽ vt legalia seruari non posse sine errore in statu legis Euãgelicæ sufficiẽter promulgatę satis ostendimus supra.

Tertio assero, circumcisionem, si ab illis gentibus non religionis, sed honoris causa obseruatur, nempe, vt profiteantur se à Dauidica prosapia ducere originem, non ob id damnandam esse, sed à culpa falsi cultus excusari posse, quia talis circumcisionis vsus esset prorsus materialis, & absque vllo ad cultum respectu, quomodo concedunt omnes legalia seruari licitè posse, Vnde Guillelmus Reginaldus in suo Caluino-Turcismo lib. 2. cap. 9: *Abyssini*, inquit, *Christiani quidem*, & *cum*

cum vera Christianorum fide infantes baptizant, & circumcidunt, nobilitatis antiquissima, nullo meriti aut Iudaica fiducia respectu; quo posito, nollem eos propter circumcisionem magis damnare, quam si propter medicina causam abstinerent à carne porcina, quam tamen lex Mosaica prohibebat. Ita præfatus author.

At esto quod circumcisio iuxta præfatum sensum in illis gētibus excusari posset à culpa falsi cultus, inquiret aliquis, an ob scandalum aliarum Ecclesiarum permittenda sit. Caietanus vbi supra in affirmatiuam partem propendet, quamuis tandem, vt pote in re grauissima, Ecclesiæ iudicium desideret.

Iam superest, vt breuiter explicemus quandonam lex vetus cæpit esse mortifera, de quo grauis inter Diuum Augustinum, & Diuum Hieronymum extitit controuersia. Iste enim in epistola ad Augustinum vndecima, arbitratur, fuisse præceptorum Ceremonialium obseruationem statim à Passione Christi etiam mortiferam. Ille verò epistola 19. ad Hieronymum asserit, non tunc, sed primum post sufficientem Euangelii promulgationem cæpisse esse talem.

Pro cuius resolutione, simulque intelligentia, in quonam potuerit esse controuersia hæc inter præfatos Doctores, recolendi sunt quatuor illi modi, quibus supra notauimus, post passionem Christi, sicut etiam nunc, potuisse vsurpari Ceremonialia. Primò, formaliter, eumque in finem, vt per significationem mysteriorum Christi, quasi futurorum, coleretur Deus. Et hoc modo extra omnem controuersiā est, debuitque semper esse, quod statim à morte Christi nedum mortua, sed etiam mortifera fuerit Ceremonialium obseruatio. Nam statim cultus eiusmodi fuisset cultus falsus, quæ est vna species superstitionis.

Secundo materialiter, id est absque vllo ad cultum ordine, sed ob aliquem alium finem. Vt si quis propter sanitatem se se circumcidisset, vel à carne porcina abstinuisset. Et hoc modo, cū non sit dubium, quin & statim à morte Christi, & nunc etiam liceat aliquid eiusmodi facere, iuxta illum inter Hieronymum, & Augustinum controuersia esse non potuit.

Tertiò, potuerunt illa ceremonialia vsurpari ad cultum quidem diuinum, non secundum futurorum mysteriorū significationem, sed qui consisteret in quadam protestatione diuinæ excellētiæ tali ritu; addita simul opinione, quod talis cultus esset necessarius ad salutem, sicut asserebant veteres Hæretici Cherinthus, & Ebion: Et hoc modo rectè quidem negauit Diuus Hieronymus licuisse vllo vnquam tempore post mortem Christi seruare ceremonialia; sed quia idem prorsus sensit Augustinus, eò passim referens illud Apostoli ad Galat. 5. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini*, id est, qui arbitramini necessariam esse obseruationem legis ad iustitiam, vt vidimus supra; de hoc quoque modo, siue iuxta hunc sensum quæstio inter eos non fuit, sed concordes fuere ceremonialium obseruationem statim à Passione Christi mortiferam fuisse redditam, cum illa opinione necessitatis ad salutem.

Quartò, potuerunt eiusmodi ceremonialia vsurpari ad cultum Dei, sine opinione necessitatis eorum ad salutē, & sine intentione significandi Christū, eiusque mysteria, tanquam futura, sed in eum duntaxat finem, vt ostenderetur illa mala non fuisse, sed bona, & à bono authore; atque vt ita synagoga iam mortua, & euacuata per passionē Christi, nonnisi cum aliquo honore sepeliretur: deferendo nimirum illam quasi ad sepulchrum honorifica illa obseruatione ceremonialium vsque ad tempus sufficientis promulgationis Euangelij; Et iuxta hunc quartum modum, inter Diuum Hieronymum, & Diuum Augustinum controuersia tantùm esse potuit; dum iste asserit non

ſtatim poſt Chriſti mortem, ſed ſolùm poſt ſufficientem Euangelii diuulgationem, cæpiſſe eſse mortiferam ceremonialium obſeruantiam; ille verò abſolutè docet id contigiſse ſtatim poſt paſsionem Chriſti.

In eo autem, quo duo pręfati Doctores diſſentiunt, ſcilicet de tempore; quo, ſenſu, & modo explicato, cępit eſſe mortiferus legalium ceremonialiũ cultus, opinio Diui Auguſtini eſt magis recepta in Eccleſia; quam ſequitur etiam Diuus Thomas 12. quæſt. 103. art.4. colligiturque euidenter ex Apoſtolis; qui eo tempore legales ceremonias interdum obſeruarunt. Actuum 16. Iuſsit Paulus circumcidi Timotheum, 17. dicitur ipſe, ſibi totundiſse in Canchris caput more Nazarçorum; & cap. 21. purificatum cum aliis intraſſe in templum: donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio. Vnde prioris ad Corinth. cap. 9. dicebat: *Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. ÿs qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe nõ eſſem ſub lege) vt eos, qui ſub lege erant lucrifacerem.* Non enim quod crederet legem veterem eo tempore obligare, hęc & ſimilia obſeruauit Apoſtolus, ſed ne Iudæos legi Moſaicę addictiſsimos offenderet, qui initio nolebant eum audire, vt conſtat ex cap. 21. Act. quod exiſtimarent eum à Moyſe diſceſsionem feciſse doctrinam illi prorſus cõtrariam prædicando, & eius ceremonias omnino contemnendo: ſi quidem ingentes mutationes, qualis erat mutatio legis veteris in Euangelicam (quando præſertim res non eſt per ſe mala) non ſubito, ſed paulatim fieri debent.

At quandò primùm contigerit hæc ſufficiens nouæ legis promulgatio, poſt quam vetus præfato etiam quarto modo cœpit eſſe mortifera, non eſt eadem omnium ſententia; aliqui enim illam ſtatuunt in die Pentecoſtes, per deſcenſum admirabilem Spiritus Sancti in Apoſtolos, qui mox prædicare, & baptizare cœperunt; ſed hoc ſtare non poteſt, cum ex ſtatim dictis Apoſtoli etiam poſt illud tempus Moſaicã legem obſeruauerint; Alij vt Sotus lib. 2. de iuſt. & iur. q.5. art.4. illam protrahunt vſque ad quadraginta poſt Chriſti paſſionem annos, ſiue excidium Hieroſolymitanum, quod contigit anno Domini 72. Veſpaſiani Imperat. 1 tunc enim quilibet, per totum Mundum diiudicare potuit Chriſtum fuiſſe verum in lege promiſſum Meſſiam, & Iudæos grauiſſimè peccaſſe eum occidẽdo, inque tanti ſceleris pænam, vt ab eodem Lucæ 19. nec non ab *alijs* Prophetis prædictum fuerat, Hieruſalem captam, incenſam, & euerſam ita fuiſſe, vt non remaneret in ea lapis ſuper lapidem, nec conſequenter apud eos veram amplius legem vigere, & illum, qui eam in poſterum obſeruaret, grauiſſimo peccato cum ijs obſtrictum iri.

Igitur lex Moſaica poſt Chriſti paſſionem nedum mortua, ſed & mortifera fuit, cum opinione, quod eius obſeruatio, aut eſſet neceſſaria ad ſalutẽ, aut figuratiua adhuc Chriſti venturi; cœterum Iudæi ad fidem conuerſi toto tempore à morte Chriſti, vſque ad ſufficientem Euangelij promulgationem, ſine præfata opinione, ſed ſolum ad vſum diuini cultus, & honorem eiuſdẽ legis; ne ſcilicet ita videretur, tanquam mala ſubito reiici, ac reprobari; obque alios fines honeſtos, vitandi ſcandalum infirmorum Iudæorum, facilius diſſeminandi, cumque vberiori fructu, ſacrum Euangelium, licitè, ac ſine peccato nonnulla exercere legalia potuerunt; & de facto Apoſtolos exercuiſſe ſtatim vidimus. De hac controuerſia agunt Theologi cum Diuo Thoma 1. 2. q.103. art. 3. & 4.

CA-

CAPVT VII.

Statuitur aduersus Græcos, Iacobitas, Armenos, & alios Orientis hæreticos, Primatus Diui Petri super vniuersalem Ecclesiam, Romanorumq; Pontificum in eo successio.

QVem habent errorem contra primatum Diui Petri super vniuersalem Ecclesiam, Romanorumque Pontificum in eo successionem nonnulli Græcorum, Iacobitarum, & Armenorum, cum alij Orientis hæretici, ac Schismatici, quia iam sufficienter refellimus tom. 3. huius operis sect. 4. nihil hic superest adijciendum. Præsertim cum ibi clarè ostenderimus Veterũ Patrum Græcorum, & Orientalium sententiam de suprema Romani Pontificis potestate, non aliam fuisse, ac Ecclesiæ Romanæ; singularique duntaxat nonnullorum postea Antistitum nequitia, & superbia factum fuisse, vt tàm sancta, atque integra authoritas agitaretur, & in dubium reuocaretur. De hac materia tractant Theologi cũ Diuo Thoma 2.2. quæst. 1. de fide, art. 10. vbi inquirens an ad Summum Pontificem pertineat ordinare Symbolum Fidei, respondet affirmatiuè, quia, inquit, est caput, pro quo Christus rogauit, ne eius fides deficeret, & quia debet esse vna fides totius Ecclesiæ.

CAPVT VIII.

Ostenditur contra Cophtos omne periurium esse peccatum, seu nunquam licere, falsum per Deum iurare.

CVm periurij vox duobus modis vsurpari soleat, nimirum in ampla, & stricta significatione; primo modo periurium significat omnem incautam iurationem, sicque idem est ac peruersum iuramentum, seu mala iuratio, ex quocumque defectu circumstantiæ iuramento debitæ proueniat, siue illa sit veritas, cui opponitur falsitas, siue sit iustitia, cui opponitur iniustitia, siue iudicium, seu necessitas cui opponitur vanitas, seu otiositas: Secundo modo significat iuramentum dumtaxat falsum; quo sensu Theologi periurium definiunt esse mendaciũ iuramento firmatum, vel aliter, iuramentum veritate destitutum; Cum, inquam, periurium duobus præfatis modis sumi possit, præsens controuersia potissimum procedit de illo secundo modo, seu strictè considerato; quæ etiam in significatione videtur sumi in Sacra Scriptura, quoties vt grauissimũ peccatum prohibetur; aduertendumque est contingere tàm in iuramento assertorio, quàm in promissorio, quia in vtroque potest esse, vel deesse veritas, in primo in dicendo, in secundo autem in faciendo, quod dictum est; vnde vnum potest vocari periurium falsitatis, aliud infidelitatis.

Copthis igitur tribuitur hic error, quod periurium sit licitum; pro quo etiam Prateolus refert hæreticos dictos Apostolicos, & flagellantes, quamuis Gerson in tractatu quem de vltimis fecit 1. p. Alphab. 22. id non asserat; eiusdem quoque heresis meminit diuus Bernardus serm. 65. & 66. in cant. tacito tamen hæreticorum nomine, dicitque eos non simpliciter approbasse

periurium, sed tantum ad occultandum secretum suæ doctrinæ, atque ita in ore semper habuisse hanc sententiam, *Iura, periura, secretum prodere noli*; quæ verba pariter habuisse in suis dogmatibus Priscillianistas, refert diuus Augustinus hæresi 70. & lib. 2. Retract. cap. 60. & lib. contra mendacium cap. 1. & 2. vbi etiam cap. 18. & 19. insinuat, illos, qui asseruerunt aliquando licere mentiri, consequenter etiam dixisse, aliquando licere peierare, siue in nomine Dei mendaciter iurare, quos ibi rectè impugnat.

At omnes Catholici ex communi Ecclesiæ sensu, tanquam quid certum de fide credunt, & docent, periurium ita esse malum, & in diuinis scripturis prohibitum, vt in nullo casu liceat: Exodi 20. V. 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*. Leuitici 19. V. 8. *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus*. Prouerb. cap. 30. V. 8. *Vanitatem, & verba mendacy longè fac à me. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui mea necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei*; negando scilicet furtum, cum adiuratus fuero, vt addunt ibi interpretes, rectè etiam declarantes, quomodo illi petitioni quam præmiserat, *Verba mendacÿ longè fac à me*, bene respondeat altera, *paupertatem ne dederis mihi*, ne scilicet mihi sit occasio furandi, & inde periurandi nomen Dei mei, negando cum iuramento furtum commissum. Hierem. 4. V. 2. *Et iurabis: Viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia*. Zachariæ cap. 5. V. 4. *Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam*; Mathæi 5. V. 33. *Non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua*; id est quando iuraueris, vera loqueris, seu adimplebis illud.

Ratio autem est, quia periurium, est contra præceptum naturale negatiuũ, quod semper, & pro semper obligat: in nullo igitur casu licitus est eius vsus. Item continet Dei irreuerentiam, quæ in hoc sita est, quod peierans ipso facto dat intelligere, vel quod Deus veritatem non agnoscat, vel quod falsitati testimonium perhibere velit. Tandem si mendacium est ita intrinsecè malum, vt nunquam possit honestari, etiamsi ad quemcumque finem videatur necessarium, multò magis id asserendum est de periurio, quod vbi assertorium est mendacium supponit, & in illius confirmationem Deum testem adducit.

Eadem certitudine fidei tenendum est periurium strictè sumptum, peccatum esse ex genere suo mortale, & valde graue, quicquid sit de illo in indiuiduo. Ratio est, quia contrariatur secundo primæ tabulæ præcepto, quod est grauissimum, & consequenter est contra Religionis virtutem in materia maximè spectante ad diuinum honorẽ. Deindè vt rectè discurrit diuus Thomas 22. q. 98. art. 3. propter quod vnũquodque tale, illud magis. *Videmus autem*, inquit, quod ea, quæ ex se sunt peccata venialia vel etiam bona ex genere, si in contemptum Dei fiant, sunt peccata mortalia. Vndè multo magis quicquid est, quod de sui ratione pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale. *Periurium autem de sui ratione* importat contemptum Dei. Ex hoc enim habet rationem culpæ, vt statim diximus, quia ad contemptum Dei, & irreuerentiam pertinet, quod aliquis eum testem inuocet falsitatis. Igitur manifestum est, quod periurium ex sui ratione, est peccatum mortale. Insuper quia maximè est contra finem iuramẽti, nam finis iuramenti est confirmatio veritatis, periurium verò directè nititur eam facere irritam; ac denique ex ratione sua maximè charitati Dei contrarium, & consequenter proximi; Vndè me-

dè merito in c. 22. q. 1. *Grande scelus* appellatur, grauissimæque illi imponuntur pœnæ in vtroque iure Ciuili, & Canonico; nec etiam desunt in Historia Ecclesiastica plura exempla, quibus peierantes dirissimè à Deo puniti fuisse leguntur.

Hoc autem peccatum contineri inter vitia contraria religioni concordant omnes Theologi. Nam sicut iuramẽtum est actus religionis, ita periurium est contra illam, essentialem enim malitiam suam accipit ex iniuria, quam Deo infert. Dubitari tantum solet, ad quod genus vitij contrarij religioni reduci debeat; quidam enim docent esse sacrilegium; sed hoc Diui Thomæ doctrinæ non ita consentaneum videtur, si quidem 22. q. 98. art. 2. asserit periurium esse peccatum religioni contrarium, quia Deo ipsi irreuerentiam exhibet, postea vero quæst. 99. tradit sacrilegium esse peccatum, per quod irreuerentia infertur rebus sacris, distinguit igitur specie hęc vitia. Ideoque alij docent contineri sub irreligiositate specialiter sumpta, pro vt dicit vitium oppositum diuino cultui per defectum, subque illo genere esse vitium specificum à blasphemia, & alijs distinctum; Sed tam de hoc, quam de grauitate huius peccati per comparationem ad alia non est huius loci agere, sufficiuntque dicta ad impugnandum præsentem errorem, præsertim cum aduersarij nullum eius fundamentum afferãt; forsan quod pro nihilo habeant iuramentum, & ad Dei reuerentiam, vel iniuriam nihil pertinere putent, cuius oppositũ satis ostendimus supra tùm authoritate scripturæ, tùm rationibus in periurij natura fundatis, de qua agunt Theologi cum Diuo Thoma 22. q. 98.

CAPVT IX.

Stabilitur contra Nestorianos in Oriente, aut alibi adhuc superstites, quod in Christo Domino, vero Deo, & homine vna tantum sit persona, eaque ipsa diuina persona Verbi.

HAec fidei Catholicæ veritas primum à Cælestino Papa I. definita reperitur, vt tomo 3. lib. 3. sect. 4. cap. 16. satis ostendimus, condemnato opposito Nestorij errore, duas in Christo constituentis personas, vel hypostases, consequenterque negantis in Incarnatione Verbi, vnionem hanc terminatam esse ad aliquam personam, sed ad accidentalem vnionem Dei ad personam Christi, seu personæ Christi ad personam Verbi, vel per singularem affectum, vt est inter amicos, vel secundum operationem, vt inter Regem, & ministrum, seu inter principale agens, & instrumentum, vel secundum aliam similem habitudinem, vt est inter sponsum, & sponsam, aut inter vestem, & ea indutum, aut inter templum, & personam, sic enim quidam Nestoriani dixerunt Christum esse templum Verbi, Deumque incarnari, esse, habitare in carne, sicut in templo. Vnde etiam asseruerunt Christum non esse Deum, sed hominem Deo acceptum, proindeque Beatissimam Virginem Mariam dici non debere Theotocon, siue Deiparam, sed antropotocon, hoc est, hominis genitricem, vel etiam Christotocon, quia scilicet ex ea non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo sit natus, vt enim refert Vincentius Lirinensis, Nestorius inaudito scelere duos voluit esse filios Dei, duos Christos, vnum qui Deus sit, & alterum qui sit generatus ex matre.

Eiusdem veritatis definitio, oppositique erroris condemnatio, sub eodem

Cæle-

Cælestino renouata est in Cõcilio Ephesino ipsius authoritate fauente Theodosio Imperatore congregato, can. 2. 3.24. non vt inde eius acta contra Nestorium firmitatem aliquam, aut robur maius obtinerent, sed ad maiorem duntaxat rei solemnitatem; vel etiam, vt hanc non omitteret diligentiam in reducendo Nestorio, qui vt mos est plerumque hæreticis, synodum expetierat. vt loco citato notauimus. Quia autem aduersarij negare forsan possent authoritatem huius Concilij, quasi legitimũ non fuisset, facile est eos de opposito conuincere; quia tunc perfectè, ac legitimè, seu in Spiritu Sancto congregatur Concilium Generale, diciturque totam repræsentare Ecclesiam, quæ in dogmatibus fidei errare non potest, quando Romani Pontificis authoritate conuocantur omnes, ad quos spectat illi interesse, vt suo loco fusè probauimus. Fuit autem Concilium Ephesinũ primum, à Cælestino I. Sanctissimo Romano Pontifice congregatum, Episcoporum ducentum vndique vocatorum in causa Nestorij; minimè igitur dubitandum est de legitimitate illius, quinque in illo rite fuerit definita veritas Catholica, proscriptaque opposita Nestorij falsa doctrina, vnà cum authore.

Quæri insuper ab illis posset, cur duo priora Generalia recipientes Concilia, tertium, & quartum non admittant? cũ enim nullam huius rationabilem causam adducere, vel assignare valeat, non quia tunc perijsset Ecclesia, non quia eamdem ac prius non haberet infallibilem authoritatem, non quia in tertio, & quarto, cæterisque deinceps Concilijs Generalibus defuerit aliquid ad eorum validitatem, quod in solis duobus primis inueniri potuit; nonnisi sũmæ eorum peruicaciæ tribui debet, quod duobus primis Concilijs admissis, cœterorum deinceps irrefragabilẽ quoque negent authoritatem.

In quarto quoque Concilio Generali Chalcedonensi I. vnà cum Eutychiana rursus Nestoriana condemnata est hæresis, confirmataque veritas Catholica; cùm enim istæ duæ hæreses sibi essent per extremum contrariæ, nam Eutyches sic vnam in Christo personã confitebatur, vt naturas etiam confunderet, faceretque ex vtraque vnam; Nestorius autem ita naturarum differentiam credebat, vt vnicuique illarum personam suam propriam attribueret, Ecclesia Catholica media, regiaque incedens via, naturas contra Eutychetem distinguit, & contra Nestorium vnitatem personæ in Christo defendit. Et ita vbicumque Concilia, aut Patres alterum errorem reprehendunt, alterũ etiam condemnant, vt videre est præsertim in Cyrillo toto fere 4. tomo suorum operum, & in epist. Leonis Papæ ad Flauianum.

Item in quinta Synodo Generali Constantinopolitana II. sub Vigilio Papa, in qua non tàm de fide, quam de personis, circa tria capitula quæstionẽ fuisse Gregorius Magnus affirmat lib. 3. epist. 37. non inter hæreticos, & Catholicos, sed inter Catholicos tantùm ipsos, qui omnes saluum vellent Chalcedonense Concilium, tàm qui tria volebant damnari capitula, quàm qui defendi, eadem veritas Catholica de vna in Christo persona ex duabus, & in duabus naturis subsistente, sic declarata habetur cap. 4. *Sancta Dei verò Ecclesia vtriusque*, hoc est Nestorij, & Eutychetis, *perfidiæ impietatem eijciens, vnitionem Dei verbi ad carnem secundũ compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Vnitio enim per compositionem in Christi mysterio, non solum inconfusa ea, quæ conuenire, conseruat, sed neque diuisionem suscipit*; Tum in Concilio Lateranensi sub Martino I. Can. 6. & sequentibus, & sexta pariter Synodo Generali Constantinopolitana III. contra Monothelitas sess. 17. longa oratione explicatur mysterium Dominicæ Incarnationis, hoc est in vnitate personæ, & vnius subsistentiæ duas concurrisse naturas, & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes

nes indiuisè, inconuertibiliter, inseparabiliter, inconfusè secundum Sanctorum Patrum doctrinam in Christo copulatas. In XII. tandem Concilio Generali Lateranensi IV. sub Innocentio III. idem repetitur.

His annumerari potest Francofordiense Concilium in Germania, Episcoporum ex Italia, Germania, atque Britannia circiter 300. præsentiaque Sedis Apostolicæ Legatorum plenariũ appellatum; in hoc enim Episcopi, Elipandus Toleti, & Felix Vrgalis condemnati sunt, quod assererent Christũ Dominum esse filium Dei adoptiuum, non alia certe ratione, nisi quod personam Christi cum Nestorio in duas diuiderent, vel in illo duas hypostases admitterent, vt referunt Prateolus verbo Felix, Ionas Aurelianensis lib. 1. de cultu Imaginum, Antoninus 2. p. tit. 14. c. 1. q. 6. & Gallisandus Arelat in Chronico ann. 816.

Concilia autem Prouincialia in quibus eadem veritas definita reperitur sunt Toletanum I. *in assertione fidei*: Hispalense II. *cap.* 13. Toletanum VI. *cap.* 1. Foroiuliense redarguens eos, qui filium Dei factum hominem nominant adoptiuum: Concilium Ratisponense, in quo præfatus Felix auditus est, & errasse cõuictus, quod affirmaret Christum esse dicendum filium Dei adoptiuum, ad præsentiam Adriani Papæ Romam missus: vbi etiam coram ipso in Basilica S. Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abdicauit, Ecclesiamque suam recepit. Concilium Arelatense IV. *in Confessione fidei*; VVormatiense ibid.

At præcipua scripturæ loca, quibus hęc veritas diuinitus reuelata continetur, & vnde illam vt talem Catholica semper credidit Ecclesia, debuitque definire, orta Nestorij hæresi, possunt reduci ad sequentes classes. Prima est illorum, quibus, tam Christo de se, quã alijs de ipso loquentibus, tanquam de homine, qui cum hominibus conuersabatur, simul affirmatur simpliciter eum esse Dei filium, ipsi coæternum, coęqualem, & consubstantialem: Mathæi 16. *Tu es Christus filius Dei viui*: Marci 14. vbi Pontifici interroganti, num esset filius Dei, respondit, *Ego sum*: Lucæ 1. *Ideoque & quod nascetur ex te vocabitur filius Dei*: id est, ille homo, quẽ concipies: Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius gloriã quasi Vnigeniti à Patre.* Ioannis 8. V. 2. vbi Pharisæis dicentibus ei, *Tu quis es? Dixit eis Iesus. Principiũ, qui & loquor vobis*: & cap. 10. *Ego, & Pater vnum sumus.* Philippens. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*: Vt omittam plura alia testimonia sectione sequenti contra nouos Arrianos adducẽda, ad probandam Christi diuinitatem; Vndè sic arguo: Christus Dominus ita fuit verus Deus, & verus homo, vt & homo ille, qui Christus est, verè & propriè fuerit Deus, & vicissim Deus ille verè & propriè homo, iuxta allata scripturæ loca. Sed nisi admittatur, secũdum vnam, & eamdem personam fuisse Christum verum Deum, verumque hominem, saluari non potest præfatus loquendi modus Sacræ Scripturæ; igitur fatendum est vnam duntaxat fuisse personam in Christo, vel quod idem est, Christum secundum vnam, & eamdem personam, fuisse verum Deum, verumque hominem. Maior huius argumenti cum sit certa ex Scriptura, vnanimique Patrum consensu ita illam ex traditione, vt infra dicetur, interpretantium, probatur minor.

Quia quoticscunque duæ integræ formæ non prædicantes de se inuicem in abstracto, nihilominus sumptę in cõcreto predicantur de se inuicem, talis prędicatio mutua fieri non potest, nisi duæ illę formæ habeant idem numero suppositum, si quidem omnis prædicatio fundatur in aliqua identitate, vt Dialectici docent communiter: Igitur cum in propositionibus, quæ formantur de Christo duæ istæ formæ humanitas, & diuinitas, quæ sunt integræ, loquendo Metaphysicè & Logicè, non præ-

prędicentur de se inuicem sumptæ in abstracto, benè autem in concreto, nã loquendo de Christo rectè dicimus, homo est Deus, & Deus est homo, sacris litteris tribuentibus vni, & eidem Christo, quod sit Deus, & quod sit homo, manifestè sequitur, aut loquendi modum Sacræ Scripturæ esse falsum, aut in Christo debere esse vnicam numero personam, quod nos intendimus. Confirmari simulque explicari potest tota hęc ratio exemplo desumpto ex albedine, & dulcedine, quæ simul sunt in eodem lacte, vel saccaro; licet enim illę non prędicentur de se inuicem in abstracto, quia non possumus dicere, albedo est dulcedo, nec è contra, attamen in concreto dici potest, album est dulce, & è contra: cuius veritatis adęquata ratio est, quod hę duæ formæ sunt in eodem numero subiecto illas sustentante: ergo quotiescunque duæ formę integrę substantiales prędicantur de se inuicem in concreto, vt contingit in Christo, debent illæ habere idem suppositum.

Probatur insuper eadem minor, quia quandocunque duo integra supposita, seu duæ substantię integrę subsistentes duabus distinctis subsistentijs coniunguntur tantum accidentaliter, vt in Christo Domino asserunt Nestoriani, illæ sumptæ in concreto non possunt de se inuicem prędicari substantialiter, seu substantiuè, sed tantum denominatiuè, seu adiectiuè, cum vna ex conditionibus denominatiuorum sit, quod concretum denominatiuum dicat rem aliam, seu naturam supposito distinctã, exempli gratia, in hac propositione, homo est vestitus, *vestis*, quæ importatur, vel significatur hoc nomine *vestitus* denotat aliud suppositum à supposito hominis; proptereaque non rectè dicitur, homo est vestis, sed solum homo est vestitus; Atqui hęc duo concreta *homo*, & *Deus*, ex pręfatis Scripturę locis, prędicantur de se inuicem respectu Christi substantialiter, seu substantiuè, & non denominatiuè solum, quia Christus non tantum dicitur homo deificatus, sed Deus, & Christus non tantum dicitur Deus humanatus, sed Deus homo; Igitur aut falsus, continuòque improprius est loquendi Scripturę modus, quod est absurdum, aut fatendum est, vnam esse & eamdẽ numero personam Christi Dei, & Christi hominis; vel quod idem est, huiusmodi substantialẽ identitatem subiecti, & prędicati, hoc est Dei, & hominis, fieri secundũ personam, quę eadem significatur verbis illis, Deus, & homo.

Vndè apparet, quod hoc argumentũ ex prefatis, alijsque similibus Scripturæ locis desumptum contra errorem Nestorij, non fundatur precisè in illis, quatenus docent Christum fuisse verũ Deum, & verum hominem, quasi contrarium ponatur secundum opinionem Nestorii, concessit enim ipse, Christum verum Deum, & verum hominem fuisse, quamuis secundum aliam, & aliam personam, ex quibus constaret; sed indè suum habet robur, quod in illis asseratur, Christum ita fuisse verum Deũ, & verum hominem, vt & homo ille, qui Christus est, verè & propriè *fuerit* Deus; & vicissim Deus *ille*, verè & propriè homo; hoc enim stare non posse absque vnitate personę *in Christo* clarè patet ex dictis; directèque proindè hoc argumento probari, quod Nestorius expresse negauit, vnam videlicet, & eamdem personã *Christi*, fuisse verum Deum, & verum hominem.

Altera *Classis complectitur* ea loca, quibus Beatissima semper Virgo Maria quam Nestorius fatetur esse matrem Christi, dicitur etiã mater Dei, Lucæ 1. *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei*; & ibid. versu 43. *Vnde hoc mihi, vt veniet mater Domini mei ad me?* nam si præter diuinam Verbi personam, daretur insuper in Christo alia persona humana, qua sola Christus vt homo subsisteret, nequaquam Beatissima Virgo Maria vocari posset mater Dei, aut dici quod ex ea conceptus, & natus esset filius Dei, cuius persona

nullo

nullo modo esset terminus substantialis generationis ipsius. Igitur quemadmodum in generatione purè humana, in tantùm mater Petri dicitur esse talis, in quantùm terminus ex ea resultans est persona Petri, seu coniunctum ex natura humana, & personalitate Petri, quod constituit eius personã, generatio enim terminatur ad suppositum: ita quoque Beatissima Virgo Maria, non alia ratione vocari potest in Scripturis Mater Dei, seu Diuini Verbi, nisi quia eadem diuina eius persona, quæ provt subsistens in natura diuina est terminus Generationis æternæ, fuit etiam in generatione sua temporali terminus eiusdem, provt subsistit in natura humana assumpta, suppletque consequenter vices personalitatis creatæ, cum implicet contradictionem, quod natura propria subsistentia affecta, aliena subsistentia terminetur; implicatio autem in eo est, quia esse in se, & esse in alio sunt termini incompossibiles; sed natura in propria persona est in se, in aliena verò in alio: Igitur sicut natura, vbi propria afficitur subsistentia terminari non potest aliena, ita vbi semel terminatur iã aliena, propria eam carere necesse est, persona enim definitur, rationalis, seu intellectualis naturę indiuidua, hoc est incommunicabilis substantia; rectèque propterea ex eo, quod natura humana fuit assumpta à Verbo, quod probauimus ex eo, quod Beatissima Virgo Maria vocatur eius mater, illudque dicitur ex ea conceptum, & natum, deducitur saltem de facto, vnicam in Christo esse personam Verbi, siue naturam hnmanã in eo propria non esse personalitate affectam.

Cui doctrinæ non obstat, quod natura diuina tres habet personas, aut eadem natura creata possit assumi ab ijsdem tribus personis diuinis; quasi etiã in Christo natura humana potuerit, simul cum propria, terminari aliena Verbi persona, seu subsistentia. Ad primũ enim respondetur primò diuinam naturam necessariò exigere non vnam tantum, sed tres personas, seu personalitates illas constituentes, ob suam infinitam fœcunditatem, ac proindè omnes esse proprias, non vnam propriam, & alienam, vt in nostro casu contingeret, si natura creata Christi, retenta propria subsistentia, per aliam Verbi adhuc subsisteret. Secundò respondetur diuinam naturam exigere, non vnam tantum, sed tres personalitates, non solùm quia, cũ sint relatiuæ, debent esse plures, verùm etiam quia per illas tanquam per suum terminum naturalem intrinsecum Deus concipitur adæquatè subsistere personaliter; atque adeò non solùm in eo esse compossibiles, sed omnes necessariò requisitas, cum vnaquæque se habeat inadęquatè tantum respectu dicti muneris personandi; In casu autem quo natura humana in Christo propria iam personalitate subsisteret, per eam adæquatè tanquam per suum terminum intrinsecum, & connaturalem subsisteret, proptereaque per aliam Verbi subsistère amplius non posset, sed tantùm accidentaliter cum illa vniri, vt asseruit Nestorius; sicut etiam naturæ diuinæ iam per tres subsistentias relatiuas adęquatè personatæ, nequit addi quarta, per quam personari dicatur. Igitur ex eo quod natura humana fuit assumpta à verbo, rectè, pręter alias rationes, colligimus eam saltem de facto propria carere debere personalitate, vel subsistentia, cum retenta per aliam subsistere nequeat.

Ad secundum respondetur primò, multos negare, posse vnam naturam creatam terminari pluribus subsistentijs alienis; sed hoc adhuc cum alijs admisso, dico secundò longè diuersam esse rationem talis casus, & nostri; Quoniam subsistere subsistentijs alienis non inuoluit implicantiam, quam habet subsistere in propria, & aliena, nam qui subsistit in propria, adæquatè, totaliterque subsistit, vndè cum illa incompossibilis est aliena, per quam subsistere etiam dicatur, aliàs adæquatè, & non adæquatè subsisteret propria sub-

sisten-

ſiſtentia; qui autem plures haberet ſubſiſtentias alienas, tales ſubſiſtentiæ, vtpotè extrinſecę, non adęquatè, vel totaliter, ſed inadęquatè ſolùm, vel partialiter ſe habere reſpectu illius dici poſſent: Inſuper qui ſubſiſtit in propria & aliena ſubſiſtentia, eſt in ſe, & in alio, quod non haberet ille, qui ſubſiſteret in alienis duntaxat ſubſiſtentijs, cum eſſet tantùm in alijs, non in ſe, & in alio.

Verùm quidquid ſit de huiuſmodi quæſtionibus, quæ ſalua fide diſputantur inter Catholicos, in ordine ad omnipotentiam Diuinã; nihil prorſus Neſtorio, eiuſque ſequacibus fauet, noſtrique argumenti ex Scriptura deſumpti vim contra illos eneruat, ſi aſſeratur eamdem naturam humanam poſſe aſſumi à duabus perſonis Diuinis, aut propriam, & alienam etiam habere ſubſiſtentiam, qui enim hoc aſſerunt, docent vtramque ſubſiſtentiam, ita eamdem terminare naturam, vt per vtramque ſubſtantialiter ſubſiſtere, ſubſtantialiterque cum illis vniri dicatur; quod negauit Neſtorius de ſubſiſtentia Verbi Diuini, reſpectu naturæ humanæ in Chriſto, proptereaque Beatiſſimam Virginem Mariam dici debere, verè ac propriè matrem Dei.

Neſtorius igitur, ac eius ſequaces, vt eludant argumentum ex maternitate Dei deſumptum, quam Sacræ Scripturæ tribuunt Beatiſsimæ Virgini Mariæ, eo quod fuerit Mater Chriſti, quod ſtare non poſſe abſque ſubſtãtiali vnione perſonæ Verbi cum natura humana in Chriſto, ſupra ſatis oſtendimus, reſpondent illam non propriè, ſed impropriè, largaque quadam ſignificatione vocari in Scriptura matrem Dei, quia nimirum fuit mater Chriſti, qui non ſubſtantialem, ſed accidentalem, vel moralem cum Verbo Diuino habebat vnionem, qua denominari poterat Deus.

Primò, quoniam generare nemo poteſt antiquiorem ſe, & vbi eſt noua generatio, ibi nouum debet eſſe ſuppoſitum, ſi quidem generatio terminatur ad illud: Chriſtus autem Dominus eſt antiquior Beatiſsima Virgine, qui Ioannis 8. ait, *Antequam Abraham fieret, ego ſum*: Igitur Beata Virgo generare non potuit Chriſtum Deum: generauit ergo ſolummodò Chriſtum hominẽ habentem nouum, & diſtinctum ſuppoſitum à ſuppoſito Chriſti Dei.

Secundò filius debet eſſe eiuſdem cum matre ſubſtantiæ, ſed Chriſtus Deus non eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum Beatiſſima Virgine Maria: ergo illa non eſt mater ipſius.

Tertiò illa nec diuinitatem nec perſonalitatem Verbi Diuini dedit Chriſto: imò Verbum diuinum prius natura fuit vnitum partibus humanitatis, quam illæ partes vnirentur inter ſe; propriè igitur Beatiſsima Virgo Maria Chriſti Dei mater non fuit.

Sed hæc argumenta non obſtant veritati Catholicæ; cum enim iuxta receptiſſimam Patrum regulam, verba Scripturæ debeant intelligi in ſenſu formali, & proprio, niſi aliquod indè ſequatur abſurdum, contradictionis in Scriptura, vel aliud ſimile; quod minimè ſequitur ex hoc quod *Beatiſsima Virgo Maria* dicatur propriè Mater Dei, vt patebit ex ſolutione argumentorum ſtatim adductorum, imo ſi talis non eſſet, Verbumque diuinum accidentaliter ſolum, non autem ſubſtantialiter, & hypoſtaticè fuiſſet vnitum naturæ humanæ Chriſti, ſequerentur innumeræ in Scriptura *contradictiones*, rueretque præcipuum fidei *noſtræ* fundamentum docentis, eumdem Chriſtum, qui fuit Redemptor, ac Saluator noſter, fuiſſe verum, naturalemque Dei *filium*, & non adoptiuum; neceſsariò tam præfata, quam alia ſimilia Scripturæ loca, vbi Beatiſsima Virgo Maria dicitur Mater Dei, quodque ex ea *conceptus*, & natus fuerit Dei filius, debent *intelligi* de maternitate, & generatione propriè dicta veris matribus competente.

Quare ad primum argumentum reſpondetur, ſuppoſitum, ſeu perſonam

Verbi

Verbi diuini posse duobus modis considerari: Primò, vt terminat solam naturam diuinam,& sic est antiquior Beatissima Virgine, quæ illam, vt sic, non generauit, sed solus Pater æternus. Deindè potest considerari, vt insuper terminat naturam humanam, & est vna persona,ex humanitate & personalitate Verbi constituta, & hoc modo est aliquid posterius Beatissima Virgine, est enim totalis terminus illius actionis, qua Scripturæ dicunt Beatissimam Virginem concepisse, & genuisse Christũ Deum hominem. Per quod etiam patet ad aliud simile argumentum; quod persona Diuini Verbi non est terminus vnionis hipostaticæ, quia terminus vnionis non præexistit vnioni, sicut persona Verbi diuini præexistit dictę vnioni. Respondetur enim, personam Verbi, vt terminantem solummodò diuinã naturam, præexistere quidem vnioni hypostaticæ, seu Incarnationi, non tamen vt duas naturas integras simul, & semel terminantem, quo solo modo est terminus Incarnationis.

Ad secundum dicitur filium debere esse consubstantialem matri in ea natura,secundum quam ab illa procedit,aut dicitur generari; vndè cum Christus nõ procedat à Beatissima Virgine Maria secundum diuinitatem,nec suppositum eius participet ab illa diuinam essentiã sed tantum naturam humanam ab ea efformatã, vt mox explicabimus, sufficit in illis similitudo secundum talem naturam, vt ait D.Athanasius in Symbolo: *Est ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus, & homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: & homo ex substantia matris in sæculo natus.* At quia generatio se se terminat ad suppositum, est enim filiatio quædã illius proprietas, & suppositum illud,ad quod Beatissimæ Virginis actio generatiua se se terminat, quia facit subsistere naturam humanã per illam communicatam, est verè, & propriè Deus, seu verè,& propriè subsistens in natura diuina,est verè,& propriè filius diuinus, & naturalis diuini, & ęterni Patris, inde quoque verè, & propriè Beatissima semper Virgo Maria dicitur mater Dei,& ipsummet proprium, & naturalem filium Dei concepisse, atque genuisse.

Ad tertium respondetur verissimum esse, quod Beatissima Virgo non dederit Christo ipsam diuinitatem, vel personalitatem Verbi, nisi eo sensu, quod vniuit partes humanitatis inter se iam à verbo assumptas; negatur autem indè sequi illam non esse loquendo propriè matrem Dei,quia non est de ratione matris, vt per seipsam det totum, quod est etiam essentiale ipsi eius filio, vt satis patet in anima rationali, quæ vnicuique nostrum est intrinseca, & essentialis, & tamen matres nostræ non dant illam nobis: Ergo licet personalitas Verbi sit intrinseca Christo, vt Christus est, & Beatissima Virgo, nec eam illi dederit, nec diuinitatem, non idcircò desinet esse & dici propriè mater Dei, mater Verbi diuini; sed sicut matres nostræ, quamuis subministrent tãtummodò corpus, & materiam, ex qua illud formatur, non desinunt esse, & dici absolutè matres totius hominis, & non solius carnis, vel corporis, quia generant totum hominem anima simul & corpore constantem; ita & Beatissima Virgo, quia generauit Christum humanitate, & propria subsistẽtia Verbi diuini constantem, est & propriè dicitur Deipara, seu mater Dei; concurrentibus in illa, quantum ad hoc, siue respectu Christi hoc modo considerati, omnibus conditionibus, quæ ad veram in humanis maternitatem requiruntur. Certè matrem generare filium in humanis consistit in subministratione materiæ, vel corpulentæ substantiæ, & tali eius dispositione, qua exigat hanc formam, & præterea in ipsa vnione animæ rationalis cum corpore, siue id fiat introducendo tantùm vltimam dispositionem necessariam ad infusionem animę rationalis, siue, vt nonnulli docent

cent exercendo actionem vnitiuã, quę se se terminet ad animam rationalem: Beatissima autem Virgo Maria exercuit ista omnia circa Christum humanitate, & propria Verbi diuini subsistentia cõstantem, nam corpus Christi Domini fuit efformatum ex purissimo eius sanguine, totaque materia, per matrem generantem ministrari solita, & consequenter ex semine Virginali, citra tamen illius decisionem, resolutionem, & seminationem, vt in tractatu de Incarnatione solet explicari, similiter illa modo matris proprio ita in pręfata materia vltimam introduxit dispositionem, vt exposceret animã Christi Domini, eamque iam à Verbo Diuino assumptam vniuit cum proprio corpore Christi Domini similiter iam assumpto à Verbo diuino; sicque qua ratione matres communes sunt matres propriorũ suorum filiorum, ita etiam Beatissima Virgo, quantum spectat ad hoc præcisè, est mater Christi non tantum hominis, sed Dei hominis, siue Christi, qui est verus Deus: imo potiori ratione est mater Christi, quam quæuis alia mater filij sui, quia concepit, & genuit Christum, qui est verus Deus, supplendo insuper de substantia sua semen virile, quatenus solet præbere materiã efformando corpori prolis. Nam quatenus idem habet effectiuam vim coagulandi materiam, figurandi, & organizandi; eatenus vicem illius suppleuit virtus Spiritus Sancti, totiusque Sanctissimæ Trinitatis; ideoque vocanda est proprijssimè *Deipara*, & *Christipara*; quamuis hoc posteriore vocabulo, studiosè abstinuerint Catholici, vigente hæresi Nestorij, qui illud induxerat, ad abolendum prius, secundum quod duos Christos, duosque filios Dei vnum naturalem, & alterum adoptiuum ponebat: vti constat ex Synodo Chalcedonensi, & Constantinopolitana, nec non ex Damasceno lib. 3. cap. 12.

Et indè patet solutio secundæ partis huius tertij argumenti, nimirum non officere maternitati Beatissimę Virginis, quod Verbum diuinum fuerit vnitum prius natura partibus humanitatis, quã illæ vnirentur inter se; cum enim illa modo explicato corpus ex suo purissimo sanguine efformatum, iam assumptum à Verbo diuino vniuerit animæ rationali Christi Domini similiter iam assumptæ ab eodem Verbo, sicque genuerit Christum constantem integra humanitate; & ipsa personalitate Verbi diuini; matresque humanæ dicantur propriè matres hominum, non tantum prout illi habent carnem, seu corpus, sed etiam pro vt constant alijs suis partibus essentialibus, & integrantibus, vt rectè docet Diuus Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Monachos Aegypti, quæ habetur in Concilio Ephesino; Indè apparet Beatissimam Virginem esse, & rectè dici matrem Dei.

Tertia locorum Scripturę classis pro veritate Catholica, continet illa omnia, quibus semper est sermo de Christo, tanquam de vna, & eadem persona, sicut est vnusquisque alius homo; quatenus hęc pronomina, *ille*, *ego*, *ipse*, *qui*, & alia id genus denotantia ipsam personam dicuntur simul de vtraque natura Christi in concreto, vt Ioannis 3. *Nemo ascendit in cęlum, nisi qui de cęlo descendit filius hominis*; Ioann. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*; id est ego qui loquor vobis, quem vos videtis: Ioannis 9. ad illuminatum cęcum, *Tu credis in filium Dei? quis est Domine, vt credam in eum?* respondit Christus, *Et vidisti eum, & qui loquitur tecũ ipse est*. Ergo vna est & eadem numero persona Christi-Dei, & Christi hominis; impiumque & blasphemũ Christum non vnicam, sed plures interpretari personas, siue asserere cum Nestorio, & eius sectatoribus Christum non vnica, sed duabus diuersis contineri personis, diuina scilicet increata, & creata humana; quarum altera, scilicet diuina, sit filius Dei, omnipotens, creator, altera verò, scilicet creata, tantum sit filius hominis, natus, passus, & mortuus, ita, vt non idem omnino, secundum

dum eamdem personam, fuerit filius Dei, & filius Virginis, creator, & factus impassibilis, & passibilis. Cum prętcr allata Scripturæ loca, quę apertè significant hanc identitatem, expressè etiam Apostolus asserat 1. Corinth. 8. quod *Vnus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia*.

Quod autem pręfati hæretici, negare non valentes, quin vbique Scriptura loquatur de Christo, tanquã de vno, respondent id debere intelligi non de vnitate simpliciter substantiali; sed secundum quid, & per accidens; quã sit falsum, sacroque textui violentum, iam patet ex dictis, clariusque adhuc constabit ex dicendis in ratione sequenti.

Quarta igitur classis ea complectitur Scripturæ loca, quibus secu nda Sanctissimæ Trinitatis persona, seu Verbum diuinum dicitur specialiter præ alijs personis Incarnatum, nec non assumpsisse in Christo naturam humanam, seque illi communicasse modo nulli alteri homini, quantumuis iusto, & sancto, communi, indè enim necessario sequitur vnionem Verbi cum humanitate Christi, vel cum Christo, non esse purè accidentalem, sed verè substantialem, ac personalem, atque adeo de facto aliam nõ reperiri in Christo personam, quam eiusdem Verbi Diuini. Nunc pro omnibus alijs locis sufficiat nobis iste Ioannis 1. *Verbum caro factum est*; ex quo sic arguo. Vnio verbi cum humanitate ita est soli Verbo propria, vt nec alijs duabus personis Trinitatis conueniat, nam ex citato loco, & alijs sola secunda persona Trinitatis est Incarnata, seu caro facta; & eadem vnio ita soli Christo est propria vt nulli alteri vnquam sit communicata, vndè vocatur à Patribus *singularis*, vt à S. Augustino epistola ad Volusianum; sed omnes illæ, & singulæ vniones accidentales, quibus Nestorius, & eius sequaces explicant mysterium Incarnationis Verbi, sunt communes omnibus iustis, qui tamen non dicuntur, nec sunt Verbum incarnatum, suntque etiam communes alijs duabus personis diuinis, quæ non propterea dicuntur Incarnatæ, vel carnem assumpsisse; Ergo Incarnatio plus est quam vnio accidentalis, debetque consequenter necessariò esse substantialis personalis. Maior huius argumenti cum sit certa, fundata in modo loquendi Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, probatur minor, quoad primam partem.

In primis loquendo de accidentali vnione *per inhabitationem*, tanquam in templo illam esse communem omnis iustis, patet ex Apostolo 1. Corinth. 3. vbi eos alloquens ait: *Nescitis quoniam Dei templum estis*: cùm prius etiã Christus Ioannis 14. dixisset de Trinitate commorante in quolibet iusto homine, *Ad eum veniemus, & apud illum mansionem faciemus*. Idem constat de vnione *per affectum*, aut *voluntatum conformitatem*, dicente eodem Apostolo 1. Corinth. 6. *Qui autem adhæret Domino vnus Spiritus est*. De vnione *per operationem* similiter habetur 1. Corinth. 12. *Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Postremo de vnione, *per participationem excellentiæ*. Legitur Psalmo 81. *Ego dixi Dÿ estis*, communiterque docent Patres vt Cyrillus in citata epistola ad Monachos Aegypti, homines in gratia sanctificante constitutos posse appellari Christos, quia Christus significat vnctum, & iusti sunt delibuti gratia Spiritus Sancti.

Quibus non sit satis, si respondeant aduersarii, Verbum Dei, & Deum omnibus pręfatis modis perfectius, pleniorive gratia habitasse in hoc homine Christo, quam in aliis iustis, propter quod dici potest facta in eo Incarnatio, non autem in istis: hoc, inquam, non satisfacit, præterquam enim quod, isti excellentiores modi, cum essent cæteris duabus personis communes, vnio Verbi cum humanitate Christi, siue Incarnatio dici non posset solius Verbi propria; cum insuper magis, & minus non diuersificent speciem vnionis, eadem vnio Verbi cum humanitate, siue

siue Incarnatio, nō esset ita solius Christi propria, quin cæteris iustis competeret, quinque in illis absolutè, licet non ita perfectè, diceretur quoque adimpletum fuisse Incarnationis mysterium; quod est absurdum; etsi enim homines Sancti per dona gratiæ interdū vocentur Dij participatiuè, dicanturq; propterea filii Dei adoptiui, nusquam tamen dicti sunt esse æquales Deo, & fuisse ab æterno, neque de illis dicitur, quod Verbum Dei sit factum Moyses, aut Ieremias, aut vnus ex aliis Sanctis; sicut legitur, quod Christus homo sit ab æterno, quod sit æqualis Patri, filiusque eius non adoptiuus, sed naturalis; non alia certè ratione, nisi quia Verbum diuinum in eo solo fuerit cum humanitate hypostaticè vnitum, & non solum accidentaliter, vt in cæteris iustis.

Omnes etiam præfatos vnionis modos esse communes toti Trinitati, satis patet; quoniam in eo consistunt, quod est à tota Trinitate factum; sunt enim opera ad extra, quæ semper sunt indiuisa, vtpotè efficienter procedentia à tribus personis, quatenus sunt vnum in essentia, voluntate, & potentia; propter quam rationem vnionis hypostaticæ, & incarnationis causa efficiens est tota etiam Trinitas, nuncque vni, nunc alteri personæ tribuitur in Scriptura, Patri, ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere*; & Matthæi 1. Spiritui Sancto, *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, totique Trinitati Act. 2. vbi S. Petrus ait, Deum fecisse Iesum Dominum, & Christum, quatenus scilicet, Deus ibi pro tota Trinitate supponens vniuit humanitatem eius ipsi personæ Verbi, ex qua vnitione Christus tanquam totus, & adæquatus terminus resultauit; licet solus filius, seu Verbum sit sola eius causa terminatiua, quatenus sibi coniunxit humanitatem Christi in vnitatem suæ personæ suppositando illam propria sua hypostasi; ideoque solum Verbum dicitur, *Caro factum*, Ioannis 1. & Philippens. 2. *quod semetipsum exinaniuit, formā serui accipiens*: Ex quo adhuc loco clarè contra Nestorium colligi videtur, vnionem Verbi cum Christo per Incarnationem factam, non esse accidentalem, modis à prædicto hæretico explicatis, non enim est exinanitio Dei, quod creaturam rationalem inhabitet per gratiam, aut quod per eam, tanquam per instrumentum, operetur maxima illa opera, quæ Christo tribuuntur in sacris litteris; alioquin & Pater, & Spiritus Sanctus exinanirentur: nam & ipsi illam inhabitant per gratiam; non alia igitur ratione vnio Verbi cum Christo per Incarnationem vocari potest exinanitio, nisi quia Verbum, cum sit Deus terminando humanitatem Christi hypostaticè, Deus caro factus est, ex inuisibili visibilis, ex impassibili passibilis, &c. vel, quod idem est, Christus vna est vtriusque naturæ, diuinæ, & humanæ, persona, vnaque subsistentia, quam diuinitas Verbi ab æterno naturaliter habuit, humanitas autem sua naturali personalitate, & subsistentia Dei dispensatione destituta eo temporis momento accepit, quo *Verbum caro factum est*: vt sicut natura hominis, aut quælibet alia, in suo supposito, sic duæ naturæ, diuina, & humana, in vna filii Dei persona subsistant. Hinc Diuus Augustinus Enchiridionis cap. 35. ait: *In vnitatem Personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro*; & cap. 36. *Vt quemadmodum est vna persona quilibet homo, anima scilicet rationalis, & caro; ita sit Christus vna persona Verbum, & homo*. Similiter tract. 19. in Ioannem, *Sicut anima habens corpus, non facit duas personas, sed vnum hominem, sic Verbum habens hominem, non facit duas personas, sed vnum Christum*.

Si forsan responderent Nestoriani, modum quidem vnionis per Incarnationem communem esse omnibus diuinis personis, sed illam tribui tantum peculiariter Verbo, quod videlicet ille homo Christus speciali ratione ipsum repræsentaret, sicut Patres communiter

docent

docent interdum Verbi personam peculiariter antiquis Patribus apparuisse humana specie, quia apparitiones illæ ad repræsentandum verbum ipsum fiebant; talis responsio merum est figmentum; tùm quia iuxta illam tota rueret mysterij Incarnationis veritas, quæ consisteret in nuda aliqua repræsentatione, & non in aliqua vnione; vel sequeretur Deum in veteri Testamento sæpe fuisse Incarnatum, vel Angelizatum, vel eodem modo fuisse vnitum istis rebus corporeis per quas singulariter apparuit, vt Isaiæ 6. & alibi, quo Verbum fuit vnitum humanitati per mysterium Incarnationis; quod est absurdissimum cum Incarnatio semel tantùm peracta sit. Tùm quia secundū quandam duntaxat appropriationem, non verò secundum veritatem, & proprietatem accommodaretur Incarnatio Verbo, cum tamen reuera solum Verbum caro factum esse dicatur in scripturis, non autem aliæ personæ; quod de illis verum esse non posset, si semel aliquo ex dictis modo accidentali vnio facta esset, cum enim omnes illi vnionis modi includant æqualem habitudinem ad omnes tres diuinas personas, à quibus efficiuntur per naturam, & voluntatem omnibus communem, non omnes non possent dici verè ac propriè per illos Incarnatæ, sicut & Verbum ipsum. Tum denique, quia si antiquis illis apparitionibus fiebat singularis Verbi repræsentatio, vt nonnulli afferunt Patres, id fuit, quia significabant illud in carne ab eo assumenda aliquando venturum, ipsa ergo Verbi Incarnatio, iam non repræsentatione aliqua, sed rei veritate, atque proprietate consistit, quod nimirum illud humanam Christi naturam sibi hypostaticè vniuerit.

Verbo Dei scripto adstipulatur pro eadem veritate traditum, in omnibus Symbolis Apostolico, Nicæno, & Athanasiano contentum, nec non vnanimi Sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum testimonio comprobatum, qui omnes docent, tanquam certum fidei dogma, quod vnica sit in Christo persona; eaque ipsa diuina persona Verbi; quamuis nonnulli ante exortam hæresim Nestorianam, sicut & contigit in pluribus alijs hæresibus, non ita exactè ad rigorem, & limam Theologicam interdum in hac re locuti sint, vsurpantes v.g. concretum pro abstracto, aut quem similem loquendi modum, vt videbimus statim, quique proindè pie exponendi sunt.

Ex Græcis citari solent Clemens lib. 7. Constitut. Apostolicarum cap. 37. Ignatius in epistola ad Ephesios; Dionysius Areopagita de diuinis nominibus cap. 1. nec non epist. 3. & 4. ad Caium. Iustinus Martyr in expositione fidei, siue alius. Irenæus lib. 3. c. 18. & 20. Clemens Alexandrinus oratione adhortatoria ad Gentes. Hyppolitus Martyr ad Psalmum 2. Origenes in proœmio lib. 1. de principijs, nec non tractatu 33. in Mathæum, vbi pro vnitate personæ in Christo ait, *Si omnis homo fidelis, qui coniungitur Domino, vnus spiritus est: quanto magis homo ille, quem secundum dispensationem carnis Christus suscepit, non est soluendus ab eo.* Gregorius Neocæsariensis oratione in Epiphaniam, & apud Euthymium in Panoplia parte 2. titulo 15. oratione de singulari fide. Petrus Alexandrinus lib. de Deitate. Eusebius Cæsariensis lib. 4. de demonstratione Euangelica cap. 10. & 13. Athanasius in oratione contra Arianos circa hoc dictum: *Ex Deo Deus est verbum*, in fine: *Idem*, inquit, *qui & Deus Verbum est, & Filius Mariæ, vnus Christus censeri debet, non diuersum quoddam: sed vnus ille & idem, qui ante sæcula ex Patre, in extremis temporibus ex Virgine natus est.* Asserit idem in epistola ad Epictetum, aduersus eos, *qui dicebant*, vt inquit, *eum qui ex Maria prodijsset non esse eumdem Christum, & Dominum, & Deum*; nec non in Euangelium de Sanctissima Deipara, vbi ait de Christo; *Deus perfectus, & homo perfectus. Vnus ratione*

vnius

vnius personæ: duplex tamen natura; quo dicto, sicut & altero Symboli; *Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate Personæ. Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; sic Deus & homo vnus est Christus*. vsurpato ibi concreto pro abstracto, simul & Nestorij, & Eutychetis hæresis iugulatur; Athanasium autem, & alios Patres, dũ asserunt verbum assumpsisse hominẽ, vel Deum & hominem vnum esse Christum, tali particula *hominis* intelligere tantùm ipsam humanitatem, & consequenter loqui de substantiali vnione Verbi cum Christo, patet tùm exemplo adducto, quo dicitur, quod sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, sine dubio non accidentaliter, sed substantialiter, & personaliter, ita Deus, & homo vnus est Christus; tùm alijs eorumdem testimonijs, quibus loquũtur nostro modo, & prætereа apertè testãtur vnam tantùm esse in Christo personam, eamque Verbi Diuini, aut etiam se explicant concretum pro abstracto vsurpasse, vt videre est in testimonio Iulij Summi Pontificis relato per Conciliũ Ephesinum tom. 2. actor. cap. 7. vbi ita loquitur de Christo, *Non duo filÿ, sed vnus germanus filius, qui suscepit hominem*, id est vt ipsemet ibi explicat, *humanam naturam*. Eustachius Antiochenus sermone in illud: *Dominus creauit me initio viarum suarum*. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. *Crede*, inquit, *quod hic Vnigenitus Filius Dei propter peccata nostra de Cęlo descendit in terram, & earumdem affectionum cum nostris assumpsit humanitatem, & natus est ex Maria Virgine, & Spiritu Sancto*. Et Cathechesi 11. *Præmuniens*, inquit, *fides ne vulgares Christos suspicaremur, vnum apponit confessione fidei; quod credimus in vnum Dominu m Nostrũ Iesum Christum Filium Dei Vnigenitum*. Basilius epist. 65. ad Syropolitanos, nec non apud Theodoretum dialogo 2. oratione de Eucharistia; *Quamobrem*, inquit, *ipse quidem propter amicum lachrymatus est, ostendens humanæ naturæ communionem*, proculdubio substantialem, qua tribuit Filio Dei operationes eius proprias. Cui non obstat, quod obijciunt aduersarij Christum ab eo vocari *hominem Deiferum* in Psal. 59. non enim Christum hominem Deiferum, sed solummodo carnẽ Christi appellat Deiferam, quatenus nimirum altera Christi natura potest dici esse in altera per hypostaticam vnionem. Sed esto vocaret etiam Christum hominem *Deiferũ*, non video cur talis loquendi modus ad accidentalem dumtaxat Dei cum Christo vnionem restringi deberet, nõ autem extendi ad substantialem, eo modo, quo dicemus infra in solutione argumentorum, Christi Domini humanitatem hypostatice assumptam, rectè etiam posse appellari templum diuinitatis. Amphilochius oratione in illud: *Pater maior me est*: & oratione in illud: *Si possibile est, transeat à me Calix iste*: Epiphanius in Ancorato: *Qui perfectum hominem*, inquit loquens de Filio Dei, *in seipsum efformauit ex Maria Deipara per Spiritum Sanctum, non vt qui in homine habitarit, sed ipsum Verbum Caro factum est*. Gregorius Nazianzenus orat. 31. in illud dictum: *Cum consummasset hos sermones*, & orat. 35. quæ est oratio 1. de filio, & 3. de Theologia; tùm maximè in epistola 1. ad Cledonium: *Si quis*, inquit, *duos filios; alterum ex Deo & Patre; alterum ex matre, non autem vnum atque eundem, induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est. Quanquam enim Deus & homo duæ naturæ sint, quemadmodum & anima & corpus, non tamen duo filÿ*, & paulo post: *Aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Seruator constat, non tamen alius, atque alius, absit*.

Theophilus Alexandrinus epist. 2. Paschali; *Nec quando*, inquit, *vnum se Christum Dei Filium testabatur, animam diuidebat, & carnem: non alter, & alter, sed vnus atque idem, vtrumque subsistẽs, Deus, & homo, dum seruus videtur, & Domi-*

Dominus adoratur. &c. Ioannes Chrysostomus homilia de Cruce; & homilia 11. in Marcum: *Nemo nos putet diuidere Christum, hoc enim solent æstimare calumniatores, quod nos in Christo duas personas faciamus: alium hominem, & alium Deum. Nos in Trinitate credimus, non credimus in quaternitate, duas in Christo esse personas*. Atticus Constantinopolitanus in actis Concilij Ephesini, tomo 2. cap. 28. Proclus epistola ad Armenios, ac tandem Cyrillus Alexandrinus Vir Sanctissimus, & doctissimus præsertim circa mysterium Incarnationis Dominicæ, qui præfuit Concilio Ephesino I. nomine Sancti Cęlestini Papæ, vbi Nestorius vna cum hæresi sua condemnatus est, circa annum Domini 431.

Qui deinceps sequũtur Patres Græci, floruerunt post dictum Concilium. Theodoretus Cyrorum Episcopus, cũ Nestorio faueret initio controuersiæ, postea resipuit, & illum inter hæreticos numerauit lib. 4. de fabulis hæreticorum. Flauianus Constantinopolitanus ad Theodosium Imperatorem de fide, & epistola ad Leonem Papam. Basilius Seleuciensis oratione de Incarnatione Verbi. Petrus Diaconus de Incarnatione Domini cap. 2. Ioannes Maxentius in prima fidei professione. Iustinianus Imperator epistola ad Ioãnem Papam, & cap. de Summa Trinitate, & fide Orthodoxa. Andreas Cretensis in Salutationem Angelicam. Anastasius Antiochenus de rectis veræ fidei dogmatibus lib. 3. de diuina dispensatione Incarnationis, & lib. 4. de passione, & impassibilitate Christi. Hesychius libr. 2. in caput 8. Leuitici. Chrysippus Presbyter de S. Virgine Deipara. Antiochus homilia 130. Leõtius de sectis act. 1. & 7. Sophronius Hierosolymitanus epistola ad Honorium. Maximus Monachus libello de duabus in Christo naturis. Constantinus IV. Imp. edicto ad populum in Occiduis partibus. Ioannes Damascenus lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 2. 3. & 4. quod autem ait cap. 6. *Totum quippe me totus assumpsit, ac totus toti vnitus est, vt toti salutem adferret. Nam alioqui ne medicina quidem ei allata est, quod assumptum non est*, non facit sensum, quasi particula *totum* ibi comprehendat proprium, & creatum naturæ humanæ Christi suppositum tanquam a Verbo assumptum, vt objiciunt aduersarij; cum præfatus Doctor locis citatis præsertim cap. 4. expresse dicat. *In Domino nostro Iesu Christo duas quidem naturas, ad vnam dumtaxat personam ex vtrisque compositam agnoscimus, &c.* Sed per illam particulam, seu per totum à Verbo assumptum, & curatũ intelligit humanam tantùm naturam cum omnibus suis partibus integrantibus, quæ propriè indigebant curatione; personalitas autem, loquendo præcisè, & propriè, non pertinet ad integritatem naturæ humanæ, sed tantùm ad modum eius existendi in se, & non in alio; quod solummodò est aliquod vltimum eius complementum, & non aliqua pars integrans ipsam humanitatem. Nicephorus Constantinopolitanus epistola ad Leonem Tertiũ. Michael Syngelus in Dyonisio Areopagita. Theophilactus ad cap. 1. Ioannis. Oecumenius ad idem caput. Euthymius ibidem. Theorianus in colloquio cum Catholico Armeniorum. Constantinus Hermenopolus de fide Orthodoxa. Nicetas Choniates Thesauri Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 31. *Itaque*, inquit, *tametsi duas Christi Dei nostri Generationes profiteamur, vnam tamen eius personam prædicamus, cuius essentia duabus in naturis perfectis elucescat*. Nicephorus Callistus Eccles. hist. lib. 16. c. 33. & lib. 18. cap. 52. Ioannes Cantacuzenus orat. 2. & 3. in Mahumetum. Gennadius Scholarius dialogo, qui inscribitur Vitæ dux. Moses Mardenus Assyrius in Confessione fidei. Siud, siue Sulaka Patriarcha Nestorianorum in professione fidei circa annum Domini 1553. *Natus est à Patre ante omnia tempora, & natus est ex Virgine Maria Deus perfe-*

perfectus, & homo perfectus absque diuisione: Filius Dei veri in duabus naturis, & ex duabus naturis in vna persona. Neque passio, neque mors accidit diuinitati, sed humanitati. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus responso 1. c. 2: ac denique Gabriel Patriarcha Alexandrinus in confessione fidei circa annum Domini 1595. *Vnigenitus Dei Patris Filius veram, & integram naturam hominis assumpsit, corpus videlicet & animam rationalem, in vnitate personæ diuinæ, tanta vnitate, vt vnus & idem Christus sit, Deus & homo, Dei filius, & hominis filius, ita quod vna natura non confunditur cum altera, nec altera euanescit, sed in persona omnino vna sunt duæ perfectæ naturæ, diuina scilicet, & humana, saluis earumdem proprietatibus, duæ voluntates, duæ operationes, ita vt Christus sit tantum vnus*.

Eamdem fidei veritatem, & iuxta illam debere propriè intelligi superius adducta scripturæ loca, testantur Patres Latini tàm ante, quàm post Concilium Ephesinum. Nouatianus lib. de Trinitate cap. 18. Cyprianus de Idolorum vanitate. Felix Papa ad Maximum Episcopum Alexandrinum. Eutychianus Papa ad Ioannem, & Episcopos Bæticæ. Caius Papa ad Felicem Episcopum. Lactantius lib. 4. institut. cap. 8. & 13. Iulius Papa ad Prosdociū: *Ad fidei plenitudinem Dei filius ex Maria Virgine natus prædicatur: qui proindè inter homines moratus, non potenti quadam vi in homine operatus est: Istud enim in Prophetis, & Apostolis locum habet. Est autem perfectus Deus in carne, & homo perfectus in spiritu: non duo filij, sed vnus germanus filius, qui suscepit hominem, hoc est, humanam naturam*. Hilarius Pictauiensis lib. 9. de Trinitate: *Naturam*, inquit, *Dei in virtute resurrectionis intellige: dispensationem hominis in morte cognosce. Et cum sint vtraque suis gesta naturis, Vnum tamen Christum Iesum eum memento esse, qui vtrumque est*. Ambrosius lib. 1. de fide cap. 6. nec non lib. 1. de Incarnationis Dominicæ Sacramento c. 6. & 7. Damasus Papa in professione fidei, quam scripsit ad Paulinum Thessalonicensē Episcopum. Phæbadius contra Arianos. Hieronymus ad cap. 3. ad Galatas, & 2. ad Titum, epistola 150. ad Hedibiam quæst. 9. *Hæc dicimus, non quod alium Deum, alium hominem esse credamus, & duas personas faciamus in vno filio Dei, sicut noua hæresis calumniatur: sed vnus atque idem filius Dei, & filius hominis est: & quicquid loquitur, aliud referimus ad diuinam eius gloriam, aliud ad nostram salutem*. Augustinus epist. 57. ad Dardanū quæst. 1. & epist. 102. ad Euodium; sermone 191. de tempore, in Ioannem de Verbis Domini, sermone 58. *Licet*, inquit, *vnam personam in Christo credamus, duas tamen substantias, id est naturas esse fatemur, diuinitatis scilicet, & humanitatis, assumptricis, & assumptæ; creatricis, & creatæ. Quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed vnitæ, atque in vna eademq; persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes*: Et in Enchiridio ad Laurentium c. 35. *Christus Iesus Dei filius, & Deus, & homo est. Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo. Deus, quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum: homo autem, quia in vnitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro*. Quod igitur paulo post subiungit Christum esse vnum quidem, *sed aliud propter verbum, & aliud propter hominem*, nihil fauet Nestorio, quasi vbi sit aliud, & aliud, ibi supposita sint, vel personæ distinctæ, cum expressè dicat vnam esse in Christo personam, indeque concludat ipsum vnum, & eumdem esse Filium Dei, & filium hominis, sed vult tantùm præfato loquēdi modo significare, propter diuersitatem, & distinctionem naturarum, distinctas proprietates illi conuenire, vt hæc eius verba sequentia clarè demōstrant, *Propter Verbum æqualis Patri, propter hominem minor*. Et certè, quamuis Augustinus non ita manifestè suam aperuisset mentem, si vis est facienda in

in hac particula aliud, qua etiam alij Patres in hoc mysterio vsi sunt, simpliciter, & absolutè loquendo negari debet, ibi esse distincta supposita necessario, vbi est aliud, & aliud, sed ad veram significationem Philosophicam, & Theologicam huius termini *aliud*, sola naturarum distinctio sufficit, vt habetur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur Extrau. de Summa Trinitate, & fide Catholica capit. *damnauimus*, definiente filium in diuinis esse alium à suo Patre, non tamē aliud, eo quod eamdem numero essētiam, vel naturam habet cum illo, Hæc est ergo distinctio inter duas istas particulas *alius* & *aliud*, quod prior distinctionem tantùm suppositorum significet, non obstante identitate eiusdem numero essentiæ: posterior verò significet distinctionem naturarum, non obstante vnitate suppositi vel personæ. Vndè rectè dicimus filium in diuinis esse alium à Patre, non tamen esse aliud, cum sit distinctio realis inter eiusmodi personas; non tamen possumus dicere simpliciter filium esse aliud à Patre, quia sic loquendo significaremus duas esse naturas distinctas in Patre & filio, quod est hæreticum; ideoque quia in Christo Domino dantur duæ naturę distinctæ à se inuicem realiter, integrę, & inconfusæ, licet vna sit numero persona, S. Augustinus rectè potuit dicere in Christo esse aliud, & aliud, quia sensus eius est solum iste, quod in Christo Domino sint duæ naturæ integræ, & impermixtæ, quod esse verissimum ostendemus sequenti capite cōtra Eutychianos, Sanctus autem Augustinus non ait Christum esse alium, & alium, qua particula distinctio, vel diuersitas personarum significatur, & quomodo debuisset loqui, vt Nestorianis fauere diceretur.

Post Concilium Ephesinum Vincētius Lirinensis aduersus hæreses c. 19. Maximus Taurinensis homilia 1. de Epiphania Domini. Arnobius Iunior in Psalm. 68. & lib. 1. de Deo Trino, & Vno. Leo Magnus sermone 1. de Natiuitate Domini cap. 2. sermone 3. de passione cap. 1. & 17. cap. 1. vbi explicans hæc verba, *Deus meus, quare me dereliquisti*, ait, *illa non esse accipienda, tanquam fixo Iesu in Crucis ligno, paterna ab eo deitatis omnipotentia recessisset, cum in tantam vnitatem Dei, & hominis natura conuenerit, vt nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disiungi*. Eucherius Lugdunensis Dominicæ 4. aduentus feria 4. *Hæc itaque virtus obumbrauit Mariam, & ex duabus naturis Christum Dominum operata est. Sicut enim anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.* Claudianus Momertus lib. 1. c. 3. *Christus homo verus, & Deus verus, ex duplici substantia vna persona, & Deus homo, & homo Deus est, idem gloriæ Dominus.* Vigilius Tridentinus lib. 4. contra Eutychem. Fulgentius lib. 1. ad Thrasimundum cap. 7. & 20. lib. 3. c. 9. Seuerinus Boetius lib. de duabus in Christo naturis, & vna persona; Cassiodorus in Psal. 2. & 3. *Hominis susceptio est Verbum caro factum. Quapropter gloriam suam, & exaltationem capitis sui caro dicit, quam suscepit omnipotens verbum, vt diuina humanaque substantia vna esset, sine aliqua confusione persona.* Hormisda Papa epistola 76. ad Iustinū Imperat. Ioannes Papa II. epistola 3. àd Auienum, & Liborium, & de duabus in Christo naturis. Primasius ad cap. 2. ad Colossenses: *Supplementum est credere, Deum verum, & hominem verum, vnam personam, ex duabus substantijs: quia hoc est fidei fundamentum, quod nobis sufficit ad vitam, etiam si aliquid scientiæ minus interim habeatis.* Gregorius Magnus lib. 18. morat. c. 27. *Non æquari potest gloria Vnigeniti habita per naturam, alijs accepta per gratiam. Mediator quippe Dei, atque hominum, homo Christus Iesus, non sicut iste hæreticus (Nestorius) desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est.* Et paulo post; *Et quamuis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Pa-*

tre, alius ex Virgine: sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex Matre. Ipse qui fecit, ipse qui factus est, &c. ipse conditoris templum, ipse conditor templi &c. Isidorus Hispalensis de doctrina, & fide Ecclesiasticorum dogmatum cap. 2. & lib. 7. Originum cap. 2. Eligius homilia 1. *Verbum illud, quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat Verbum, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, in fine sæculorum caro factum est, & habitauit in nobis, vt mediator fieret Dei, & hominum, homo Iesus Christus, verus Deus, & verus homo in vnitate personæ.* Hildephonsus contra eos, qui disputant de perpetua Virginitate Mariæ. Agatho Papa epistola ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium. Beda ad cap. 5. Lucę. Alcuinus lib. 3. de Trinitate cap. 13. Adrianus I. epistola ad Episcopos Galliæ de errore Elipandi Toletani Episcopi. Paulinus Aquileiensis aduersus Felicē Vrgelitanum. Haymonius homilia in feria sexta post Pascha, & ad c. 2. prioris ad Timotheum: *Dominus Iesus in vna persona verus Deus, & verus homo est. Si solummodo Deus esset, non poterat esse mediator noster: quia ipse in natura diuinitatis vnius substantię est cum Patre. Et contra si solummodo homo purus esset, nequaquam mediator esset inter nos, & Deum Patrem, quia peccator esset, & similis nobis omnibus. Accepit ergo humanitatem nostram, qui Deus erat: & per hoc, quia sine peccato conceptus, natus, & conuersatus est, Deus verus & homo existens, innocenter pro nobis mortuus, factus est mediator noster: quia nemo est Deus, & homo nisi ipse solus.* Angelonius in lib. 1. Regum cap. 13. Rabanus Maurus lib. 4. de Vniuerso cap. 10. Remigius Antisiodonensis ad cap. 3. Zacharię. Pelegrinus Laureacēsis in Symbolo fidei. Berno Augiensis sermone de Natiuitate Christi, & sermone de Paschate. Leo IX. epistola ad Petrum Antiochenum. Algerus lib. 1. de Eucharistia cap. 2. Anselmus Cantuariensis lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. Honorius Augustodunensis de Philosophia Mundi cap. 13. Rupertus Tuitiēsis lib. 1. in Ioannis Euangelium cap. 1. Hugo Victorinus de Sacramentis fidei lib. 2. par. 1. cap. 9. Bernardus sermone de B. Maria, & sermone 2. de Natali Domini. Petrus Cluniacensis lib. 5 epist. 1. Alexander Halesius part. 3. q. 19. memb. 2. Diuus Thomas lib. 2. cōtra errores Græcorum, & 3. part. Summæ quæst. 2. & quæst. 16. articulo 5. Diuus Bonauentura tam in 3. sentent. quam 3. parte Centiloquij cap. 27. Tandem qui deinceps sequuti sunt omnes Theologi Scholastici, & alij Doctores Catholici, qui de hac materia scripserunt, eandem veritatem docuerunt, pro hæreticis verò habiti, qui illam impugnarunt.

Quoniam præter argumenta superius adducta, in verbi Dei tùm scripti, tùm traditi authoritate fundata, quatenus mysterium Incarnationis, ac diuinitatis Christi filij Mariæ Virginis, multaque alia per illud reuelata, cum his necessariò connexa subsistere, ac verificari non possunt, absque vnitate personæ Verbi diuini in Christo Domino ex duabus, & in duabus *naturis*, diuina scilicet, & humana subsistentis, quia, inquam, præter argumenta inde desumpta, nullam habemus rationem naturalem, qua positiue hanc veritatē, seu mysterium fidei probare possimus, superest modo vt negatiuè id præstemus, soluendo nimirum nonnullas aduersariorum obiectiones è ratione naturali desumptas, quibus conantur probare illud esse impossibile, seu contradictionem inuoluere; prius tamen explicatis aliquibus etiam scripturæ locis, cum quibus vnionem hypostaticam Verbi cum Sacrosancta Christi Humanitate pugnare ijdem contendunt, vel quod idem est; vnitatem personæ in Christo.

Mathei 27. vbi Christus in Cruce Deum alloquens ait: *Deus meus, vt quid dereliquisti me*; inde enim sequi videtur, ita in Christo Deum, seu diuinita-

uinita-

uinitatem fuisse, vt abesse ab illo posset, ac proindè non fuisse illi intrinsecè substantialiterque vnitam personam Verbi, sed solum accidentaliter.

Item Ioannis 2. filius Dei per hæc verba, *soluite templum hoc*, significauit humanitatem Christi fuisse templum suum; sed templum, & qui habitat in templo distinguuntur subsistentia; ergo etiam Verbum Dei, & humanitas Christi.

Insuper cap. 2. ad Philippenses Filius Dei dicitur, *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*; huiusmodi enim verbis indicari videtur, eum verè hominem non fuisse, sed vestitum humanitate, quæ instar erat vestis, manente extra Verbũ humanitate in persona propria hominis, & sicut tunica illud contegente.

Pluribus tandem in locis Sacræ Scripturæ multa tribuuntur Christo quæ non possunt propriè conuenire vni, & eidem, sed postulant diuersas personas, nunc enim dicitur seruus, nunc vermis, opprobrium hominum, filius hominis, quæ omnia & his similia non possunt propriè conuenire ei qui est Deus. Eoque magis quo plures Patres ad illud Ioannis 1. *Et Verbum caro factum est*, dicunt ab eo hominem assumptum fuisse, at homo importat suppositum. Igitur duæ in Christo fuere personæ.

Ad primum respondetur, huiusmodi derelictionem, de qua ibi loquitur Christus, non fuisse naturæ, vel personæ, quasi Verbum diuinum reliquerit humanitatem à se assumptam, nam quod semel assumpsit, nunquam dimisit; sed hoc sensu Deus dicitur dereliquisse Christum tempore passionis: quod ad magis manifestandam tum veritatem humanæ naturæ, quæ est in Christo Domino, tum grauitatem, & acerbitatem doloris, quem Christus pro nobis moriendo patiebatur, Deus tunc nihil consolationis dederit inferiori parti eius animæ, quo releuaretur à tanto dolore. Quare, vt rectè aduertit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de fide Incarnationis ad Reginas, hæc particula Christi Domini ita loquentis, Vt quid dereliquisti me, non est dubitantis, sed dolentis tantùm; Respondent etiam aliqui, Christum dici derelictum, quia permissus est mori, manenteque vnione partium humanitatis cum Verbo, non remanserit tamen priuilegium immortalitatis, quod erat illi humanitati ex vi vnionis veluti connaturale, vt Christus nos redimeret, ac morte sua seruaret.

Ad secundum libenter admittitur, per hanc particulam, *templum*, ibi intelligi totam humanitatem Christi Domini, quæ tam respectu solius diuinitatis, quam Verbi sibi hypostaticè vniti, appellatur metaphoricè templum. Primùm Christum Dominum ibi nomine templi intellexisse, significareq; voluisse totam suam humanitatem, verbum istud *soluite* demonstrat: nam cum Iudæi peterent à Christo signum aliquod suæ potestatis, respondit eis per ista verba, *soluite templum hoc*, quorum sensus est, occidetis me, & soluetis hoc corpus meum à mea anima, quod tamen resuscitabo post triduum, illudque animæ meæ reuniã: mortem enim, & dissolutionem humanitatis consistere in separatione animæ à corpore, non autem personæ Verbi, quæ erat diuina, à corpore, & anima clarè constat, ideoque semper manserunt vnitæ Verbo. Totam verò Christi Domini humanitatem comparatiuè ad diuinitatem, vt distinctam virtualiter à personalitate Verbi; rectè dici eius templum, patet ex eo, quod verè substantialiter, & realiter illi inest, ad eum modum quo Apostolus ad Colossenses cap. 2. ita de Christo ait, *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, iuxta explicationem Diui Augustini epistola 57. ad Dardanum versus finem. Potest etiam humanitas Christi Domini dici *templum*, comparata ad verbum diuinum, licet illa per

hoc

hoc subsistat, eique sit substantialiter, & hypostaticè vnita, eodem sensu, quo corpus nostrum substantialiter vnitũ animæ, dicitur domus eius, & tabernaculum, 2. Petri cap. 1. nec non 2. Corinth. cap. 2. & alibi; vnde sicut ex eo, quod anima est in corpore, tanquam in tabernaculo, non licet colligere duas esse personas in homine, sed bene infertur esse duas naturas; ita etiam ex eo quod Verbum Incarnatum appellet suam humanitatem templum, potest quidem colligi duas esse naturas in Christo diuinam, & humanam, non duas tamen personas, sicut etiam Gregorius Magnus tamdem humanitatem vocans Verbi tabernaculum loco superius citato, asserit nihilominus personaliter illi vniri.

Ad tertium dicitur, Theodoretum initio fauentem Nestorio male collegisse ex dicto Apostoli in commentario ad illud, Filium Dei non esse factũ hominem, sed *induisse* hominem. Nam *habitu* inuentus vt homo, & in *similitudinem* hominum factus Filius Dei dicitur, non quia non verè sit, ac substantialiter factus homo, sed quia sine mutatione sui talis factus est, perinde ac homo sine mutatione suæ substantiæ vestitur, vt explicat S. Augustinus lib. 83. qq. quæst. 73. nomen enim Græcum, pro quo latinè legimus habitu, non solum figuram, sed etiam indumentum significat, vt ibi docent Sacri Interpretes. Tali autem modo loquendi Apostoli, quo, *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo* dicitur Filius Dei, veritatem confirmari naturę humanæ ab eo personaliter assumptæ, clarè patet ex antecedentibus, vbi dicitur, quod *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, per contrapositionem ad *formam Dei in qua erat*, vnde sicut prius erat verus Deus per formam Dei, hoc est per veram eius naturam, & essentiam, ita per Incarnationis exinanitionem, factus est verus homo, formam eius, hoc est veram humanitatis essentiam hypostaticè assumendo: præsertim cũ ex dictis Verbi Incarnatio alio sensu vocari non possit exinanitio quam ob talem cum ipso vnionem.

Responderi etiam potest in sententia illorum, qui Græcum nomen Schimati, ibi idem esse putant, ac *figura*, plus adhuc significare Paulum intendisse quam hominem esse Christum; nempe non tantùm hominem esse natura, sed etiam accidentibus homini similem esse voluisse, infirmitatibus nempe humanis obnoxium, cum enim naturam posset assumere sine defectibus, miserijsque naturæ, maluit eam his omnibus, præter peccatum, oneratam suscipere, iuxta illud Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*.

Ad vltimum respondetur, quod opposita passim in Scriptura Christo Domino tribuantur, hoc solum arguere in eo distinctionem naturarum, diuinæ scilicet, ac humanæ, quibus distinctę proprietates respondent, quod libenter concedimus, non tamen dualitatẽ personarum, quod Nestorius intendebat; sicut rectè intelligimus vnicum tantum esse numero suppositum in homine, vt ex anima, & corpore composito, quamuis proprietates animæ, & corporis sint sibi inuicem oppositæ.

Ob eamdem rationem dualitatis naturæ rectè etiam Christus simul dicitur Filius Dei, secundum quod æternaliter ab eo procedit in natura diuina, & filius Marię, secũdum quod ab ea processit in natura humana; ex dictis enim supra ad veram rationem Matris Dei, vtque Filius Dei, dicatur etiam Filius Mariæ, non requiritur, quod Beata Virgo Maria attigerit personam Verbi diuini, sed satis fuit, quod eo modo, quo aliæ matres naturales, genuerit naturam, quę subsistat personalitate eiusdem Verbi; quo autem puncto Beata Virgo vniuit corpus, & animam Christi inter se, eodem fuit humanitas inde resultans vnita Verbo; quod duobus modis fieri potuisse docent

cent Theologi in tractatu de Incarnatione. Primò vt anima,& corpus Christi prius cum Verbo vnirentur, quam inter se; & Beata Virgo eas partes vnitas iam Verbo inter se vnierit; Secundò vt partes humanitatis prius inter se Beata Virgo vnierit, quas deindè vnitas verbum assumpserit; quod parum refert ad nostrum intentum,Beata enim Virgo non dicitur mater Dei per hoc quod concurrerit ad vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate Christi, sed quod illam genuerit, vniendo partes eius, sicut cæteræ matres in generatione filiorum suorum, eodemq;momento reali, quicquid sit de prioritate, vel posterioritate naturę, secundum quam procedunt duo allati modi, Verbum illam terminarit.

Tandem ad illum modum loquendi nonnullorum Patrū asserentium, quod Verbum assumpserit hominem,patet ex dictis supra illos eo non fuisse vsos in sensu Nestorij, sed per hominem intellexisse humanitatem, & naturam hominis, non autem subsistentiam, & personam. Nam homo quamuis sit persona, dicit tamen de formali solam naturam, connotat autem subsistentiam. Vndè rectè Diuus Thomas 3. p. q.4. art.2. in corpore: *Nomen homo significat naturā humanam,prout nata est in supposito esse, vt dicit Damascenus*: & iterum ibidem ad 1. *Dicimus hominem assumptum, quia eius natura est assumpta, & quia assumptio terminata est ad hoc vt filius Dei sit homo*; & ad 3. *Dicendum quod filius Dei non est homo quem assumpsit,sed cuius naturam assumpsit*. Quam explicationem iam olim longè ante Diuum Thomam Ioannes Maxentius dederat dialogo 1. contra Nestorianos his verbis: *Nonnulli Sancti Patres non quidem sicut vos ò Nestoriani, sed ad naturam potius respicientes, hominem assumptum à Deo dicere comprobantur*; Etsi autem talis modus loquendi ita piè exponi possit, ne daretur tamen occasio errandi, videremurque cum hæreticis illo abutentibus conuenire, meritò deinceps ab eo abstinuerunt Theologi;reprehenditurque Ludouicus Viues à Francisco Suarez 3. p. q.4. art.3. quod affirmarit eius vsum esse retinendum, reprehenderitque Diuum Thomam contrarium docentem. Veniamus iam ad solutionem rationum.

Rationes, quibus aduersarij intendunt probare impossibilitatem mysterij huc vsque à nobis propugnati,sunt primo, quia ob realem identitatem naturę diuinæ,& personæ Verbi, si vnio facta fuisset in persona, facta quoque fuisset in natura, diceretur que proindè incarnata,sed talis vnio facta non fuit in natura, ergo neque in persona Verbi diuini.

Secundò, vbi duæ sunt intellectuales substantię completæ, & indiuiduę, ibi sunt duæ personę, cum ex Boetio communiter à Philosophis recepto, persona nihil sit aliud, quam naturæ rationalis indiuidua substantia, atqui in Christo duæ sunt naturæ completæ, & similiter indiuiduæ, quia ambæ singulares: ergo & duæ sunt personæ, diuina nimirum, & humana.

Tertiò, cum vix intelligatur quid sit subsistentia, multique eam à natura minimè distinguant; alii in sola negatione constituant, aut in modo realiter eodem cum ipsa natura; videtur sequi vbicunque natura sit, ibi quoque esse subsistentiam;ac proindè cum in Christo humana natura sit, in ea etiam subsistentiam remansisse.

Tandē si persona Verbi diuini personaliter terminaret naturam humanā Christi, faceret aliquam cum ea compositionem, quod videtur absurdū, sic enim persona Verbi se haberet, vel per modum partis, vel per modum alicuius potentialis, cum tamen sit actus purissimus.

Verùm hæ, & aliæ similes rationes, quæ desumi possunt ex difficultatibus in explicatione mysterii Incarnationis occurrentibus, nullam prorsus contradictionem inuoluunt, quæ nos vel mi-

nimum

nimum remouere debeant à fidei Catholicæ veritate. Ad primum ergo respondetur, in diuinis, naturam diuinam & personam Verbi, seu eius subsistentiam, ita realiter esse vnum & idem, vt tamen virtualiter eminentialiter distinguantur, quod sufficit vt vnio hypostatica cum solo verbo, non autem cum natura, dicatur immediatè facta, atque adeo solum Verbum Incarnatum; quanquam in sensu identico hęc propositio possit concedi, vnio naturę humanæ in Christo facta est in re, quæ est diuina essentia, ob realem eius indistinctionē à persona Verbi. Vtrum autem propterea natura diuina posSit dici Incarnata, negatiuè cum Diuo Thoma 3. p. quæst. 3. art. 2. respondendum est, talis enim denominatio, seu esse *Incarnatum* propriè loquendo, importat esse id in quo immediatè, & proximè vnio humanitatis facta est, iuxta illud S. Ioannis *Verbum caro factum est*, vndè cum hæc vnio non sit facta immediatè in natura diuina, sed in ipsa persona Verbi diuini, fit vt, loquendo propriè, dicendum non sit naturam diuinam fuisse Incarnatam; si autem loquendo minus propriè, solummodo per hanc propositionem significaretur naturam diuinā fuisse vnitam humanitati, non importando quod natura diuina sit terminus talis vnionis, aut generationis temporalis Beatissimæ Virginis, tunc quia diuina natura fuit vnita naturæ humanæ in Christo, quatenus duæ illæ naturæ habent idem numero suppositum, vel personam, in qua sibi inuicem vniuntur, sicut duæ partes lineæ in aliquo puncto copulante illas, natura diuina posset dici hoc sensu incarnata, eoque nonnulli Patres vsi sunt huiusmodi propositione; vel potius per illam, seu nomine *diuinæ naturæ Incarnatæ*, intellexerunt secundam solam personam Trinitatis, vt colligitur ex antecedentibus, & consequentibus, nec non etiam ex appositione particulæ Verbi; ne tamen detur occasio credendi omnes personas diuinas fuisse incarnatas, aut Incarnationem fuisse factam in aliquo absoluto illis communi, S. Damascenus lib. 3. de fide Orthod. cap. 6. reijcit eiusmodi propositionis vsum, *diuina natura est Incarnata*; ideoque licet personæ Patris, & Spiritus Sancti sint speciali quodam titulo in ipsa Christi Domini humanitate, nullo tamen modo dicuntur incarnatæ, cum hæc vnio ad eas se se non terminauerit etiam mediatè.

Ad secundū facilè respondetur, humanitatem, seu humanam Christi naturam alio sensu dici completam, & indiuiduam, quam in allata Boetii definitione personę hęc particula *indiuidua substantia* sumatur: nā humanitas Christi Domini hoc tantum sensu est indiuidua, quo indiuiduum opponitur *vniuersali*, & significat naturam humanam Christo Domini esse singularem, non vniuersalem; at in definitione personæ accipitur pro *incommunicabili*, quatenus natura rationalis beneficio personalitatis ita completè existit per se, & in se, vt non sit in alio tanquam in sustentante; vndè cum humanitas Christi Domini præcisè considerata, tam secundum omnes suas partes essentiales, quam integrales non sit talis, sed adhuc postulet vltimum complementum, quo hoc vtrumque habeat, propterea illa, vt sic considerata nō est persona; similiter eadem Christi humanitas, alio modo dicitur esse completa substantia, & cōpleri, per ipsam personal[illegible]m, seu subsistentiam suam, ta[illegible] per modum essendi, priori enim modo dicitur completa, quatenus habet omnes suas partes, etiam integrantes; posteriori verò perficitur à personalitate, quam quidem personalitatem substantia priori modo considerata non includit; sicque non potest appellari persona, & in definitione personæ duas istas particulas *indiuidua substantia*, sumi loco istorum *incommunicabilis subsistentia*, communiter docent Theologi, & Philosophi, agendo de hac materia.

Ad tertium respondetur falsum esse, quod

quod vbicumque sit natura rationalis, ibi etiam sit eius subsistentia, loquendo de subsistentia propriè dicta, siue illa sit negatio, vel in negatiuo consistat, siue non, cum mysterium Incarnationis iuxta fidem perfectum fuerit per vnionem quamdam substantialem naturæ humanæ ad personam Verbi, nō resultante iam ab ista præuenta, vt requiritur ad talem vnionem, humana subsistentia; quatenus si est negatio essendi in alio tanquam in sustentante, subsistentia Verbi illam impediuit, quia non assumpsit naturam prius subsistentem humanitus, sed reddidit illam, semper subsistentem diuinitus; si autem non est negatio, sed modus quidam realis, iuxta probabiliorem sententiam, quem quarto tomo modum totalitatis appellaui, eius quoque resultantia in natura assumpta impedita est, substituta iam ipsius loco personalitate Verbi diuini; cum enim hæc per se subsistentia non competat substantiæ creatæ nisi præsupposita ad hoc influentia primæ causæ, supposito semel decreto mysterii Incarnationis, siue quod Verbum caro fieri deberet, talis influentia nunquam adfuit humanæ naturæ Christi, ad hoc, vt subsisteret in propria creata subsistentia, sed vt subsisteret solùm in increata, scilicet in Verbo. Etsi autem forsan modus non possit existere sine re, cuius est modus intrinsecus, rem tamen sine modo posse existere, siue separari ab eo posse, docent omnes Philosophi.

Ad quartum libenter admittimus secundum Concilia, & Patres, quod vnio hypostatica sit vera compositio, Christique persona dici possit composita, sed indè negamus oriri aliquā in Verbo imperfectionem. Nam præcisè loquendo, compositio est vnio plurium rerum, ex quibus vnum resultat, quæque huic formali conceptui compositionis alia superadduntur, inuoluentia imperfectionem, non sunt de essentia compositionis, vt sic: præcipuè quando alterum componentium est infinitæ perfectionis, seque habet per modum actus purissimi in ratione termini, vti hic. Quare non est de essentia compositionis, vt extrema componentia semper habeant rationē partis, respectu cōpositi; nec vt realiter in omnibus ab eo distinguantur, nec vt sint minus perfecta, quam compositum: nec vt se mutuo perficiant: nec vt natura sua ordinentur ad totum compositum: & sic de alijs, de quibus Doctores fusius disputare solent 3. parte D. Thomæ ad q. 11. art. 4.

Quibus huc vsque argumentis ostendimus in Christo vnam esse personam, ijsdem remanet æquè probatam, illam esse personam Verbi Diuini; cum expressè in scripturis de illo solo dicatur, quod *Caro factum sit*, illique omnia tribuantur, quæ ad hoc mysterium consequuntur; tum etiam, quia ea est vnica persona in Christo, quam hæc pronomina demonstratiua, *Ego*, *tu*, *qui*, *ipse*, & his similia significant in propositionibus formatis de Christo; sed hæc pronomina significant in huiusmodi propositionibus personam Verbi diuini: illa igitur sola, & vnica persona, quæ est in Christo, est persona Verbi diuini.

Quod enim illa sit persona humana ipsiusmet Christi, nemini sanæ mentis dubium suboriri potest, præter quam enim homo Christus non dicitur in Scriptura assumpsisse naturam diuinā, seu Deum factum esse, terminando illam actiuè propria personalitate, id etiā videtur prorsus impossibile. Nam quælibet natura habens personam alienam accipit ab illa aliquam perfectionem, quia personalitas, vt diximus, est complementum eius naturæ, cuius est personalitas, faciens illam subsistere per se, & in se; at natura diuina nullam accipere potest perfectionem ab humana persona creata, seu ab ea quæ naturaliter deberetur humanitati Christi Domini, illa igitur vnica persona, quæ est in Christo non solum non est, sed non potest esse persona creata humana.

Similiter ex dictis constat, nedum in Christo dicendum, vnam esse personam, sed & vnam hypostasim, seu vnũ suppositum; Quod enim aliqui hæretici, forsanque ipsemet Nestorius, vt suũ facilius errorem occultarent, concesserunt in Christo esse quidem vnam tantum personam, sed duas hypostases, aut supposita, personam Verbo accommodantes, quia cum sit nomen dignitatis, principalis dignitas erat Verbi diuini Christo communicata, aut è contrario dicentes subsistentiam, vel hypostasim esse Verbi, personam verò hominis, fortè, quia per accidentalem vnionem docebant Verbum quasi induisse personam hominis; talis, inquam, distinctio nonnisi ab animo cauillandi, aut supina terminorum ignorantia proficisci potuit. Etsi enim dubitatum olim fuerit inter Latinos de nomine hypostasis, an naturam, vel suppositũ significaret, postea tamen constitit significare suppositum, vnde suppositũ, seu suppositalitatem, personalitatem, hypostasim, subsistentiam, vnum & idẽ esse affirmant Theologi post Concilia, & Patres, eaque solùm distingui penes id, quod personalitas dicatur tantùm de natura intellectuali, propter dignitatem, qua cæteris eminet substantijs: subsistentia verò, suppositalitas, seu etiam suppositum, & hypostasis tam dicuntur de aliis substantiis non intellectualibus, quàm intellectualibus; vndè etiam loquentes de hoc mysterio vtuntur passim indifferenter prædictis vocibus, modoque dicunt vnionem hanc factam esse in persona Verbi, modo in eius subsistentia; modò vnam tantum esse in Christo personam, modo vnam tantum subsistentiam, quæ Græcè hypostasis dicitur; imo ad definiendam expressius hanc veritatem, Concilia addunt vnionem factam esse, non secundum dignitatem, sed secundum subsistentiam; Igitur quã ex dictis certum est, vnicam esse in Christo diuinã Verbi personam, tam certo quoque affimari debet, vnicam esse in illo hypostasim, seu suppositum vnicum eiusdem Verbi, quia persona idem est, quod hypostasis, ac suppositum, solumque addit quod sit in natura intellectuali; vnde si in Christo essent duo supposita cum vtrumque esset intellectualis naturæ, duæ quoque personæ essent. Solùm est aduertendum nonnullos cum Diuo Bonauentura in 3. distinct. 6. art. 2. q. 1. explicare præfatam sententiam distinguentem in Christo personam ab hypostasi, vel supposito, vt nomine suppositi non intelligant id, in quo substantificatur totum esse rei (vt ipsi loquuntur) sed id quod *obijcitur* generi, vel speciei, vt hoc modo humanitas possit dici suppositum. Verùm licet huiusmodi explicatio nihil habeat *fidei* contrarium, in ea tamen abusus *est* nominum; nam suppositum formaliter, & propriè subsistentiam incommunicabilem significat, sique sit in natura intellectuali personalitatem, quæ in Christo proindè distincta non est à personalitate Verbi; imò, si propriè de genere, & specie sit sermo, quod in Christo Domino subijcitur illis, est ipsa persona incarnata, non enim humanitas est homo, sed Christus, seu persona Verbi faciens illam subsistere. Tantùm de hac controuersia, quam Theologi cum Diuo Thoma tractant 3. par. qu. 2. *De modo vnionis Verbi*, art. 2. *Vtrum vnio Verbi Incarnati facta sit in persona.*



CA-

CAPVT X.

Statuitur aduersus Eutychianos in Oriente, aut alibi adhuc existentes, ita per Incarnationem, seu per vnionem personæ Verbi diuini cum natura humana, duas naturas fuisse in Christo Domino, diuinam scilicet, & humanam, vt etiam post illam remanserint, & adhuc remaneant in illo integræ, inconfusæ, impermixtæ.

PRima huius veritatis Catholicæ definitio habetur in epistola decretali de Incarnatione, Sancti Leonis Papæ I. ad Flauianum Constantinopolitanum, condemnantis Eutychetem, quod assereret post Incarnationem, vnã ex duabus naturis, diuina, & humana factam fuisse, Christumque proinde non in duabus, sed ex duabus naturis subsistere.

Cum autem vnam ex dictis duabus naturam factam fuisse multipliciter intelligi possit: primo quia natura humana esse desiit, per conuersionem in diuinitatem; secundò quia mansit, & simul cum diuinitate ita confusa est, vt omnino mixta fuerit, vel ex vtraque vna tertia natura distincta resultarit; tertiò quia diuinitas ipsa conuersa est in humanitatem; non est eadem doctorum sententia, in quo ex his modo, vel sensu suam Eutyches defenderit hæresim. Suarez enim in 3. partem disp. 7. sect. sensit Eutychetem vnam tantùm naturam post Incarnationem admisisse, quatenus humanam conuersam in diuinam existimauit. E contrario Vasquez ibidem disp. 14. cap. 1. negat Eutychetem vnam naturam per conuersionem posuisse, sed vnam ex duabus conflatam per compositionem, & mixtionem, neutra tamen consumpta, adeo vt verum esset dicere vtramque mansisse, sed inter se confusas, & mixtas, vti elementa in corpore. Bellarminus autem lib. 3. de Incarnatione cap. 2. affirmat eum tenuisse, quod diuinitas conuersa in humanitatem, vel in corpus fuerit, atque adeo concessisse diuinitatem in Christo passam, mortuam, ac sepultam fuisse, quod fieri non posset, nisi diuinitas in carnem transisset: quare etiam, siue senserit carnem in diuinitatem, aut è contra diuinitatem in carnem fuisse conuersam, debuit admittere in Christo corpus duntaxat phantasticum, vel ex alia natura cœlesti, vel aerea cum Manichęis: vti apparet ex Vigilio lib. 1. ex quinque, quos scripsit valdè eruditè contra Nestorium, & Eutychetem pro defensione epistolæ citatæ Sancti Leonis, & Concilij Chalcedonensis. Vtrũ autem Eutyches opinatus sit humanam in Christo naturam prius tempore, vel natura solùm extitisse ante Incarnationem, minus etiam certè constat; Vasquez enim prioritatem temporis illum posuisse negat; de hac autem locutum fuisse putat Franciscus Macedo schola 11. cap. 4. docuisseque Christum prius tempore fuisse hominem in sua natura constitutum, & deindè eius naturam assumptam fuisse à Verbo, conuersamque in diuinitatem.

Verùm quidquid sit de his, quæ ad historiam pertinent, & iuxta quam sententia Suaresii videtur probabilior, nisi malimus dicere Eutychetem pro incõstantia hæreticis propria, nunc vno, nunc altero, secundum quod occasio ferebat, modo, suam hæresim defendisse, præfatisque diuersis sententijs locũ dedisse; nos in præsenti contra illam, & eius adhuc sequaces asserimus in Christo Domino post Incarnationem duas permansisse naturas integras, & inconfusas, diuinam videlicet, & humanam, non autem vnam solùm, quocunque ex dictis, aut alio simili modo talis explicetur vnitas.

Quod Concilium Chalcedonense à S. Leone Papa congregatum, eius definitioni inhærens, tùm alia omnia superius citata constantissimè deinceps docuerunt; quæ autem pro legitimitate Concilij Ephesini I. contra Nestorianos adduximus, eadem contra Euty-

chianos probant, validum, ac legitimum fuisse Concilium Chalcedonense I. ritèque in illo Eutychetem, Dioscorum, & alios eorum sequaces fuisse condemnatos, & ab Ecclesia proscriptos.

Felix Papa III. Petrum Gnapheum Episcopum Antiochenum deposuit, quod addiderit, vt in Trisagio poneretur crux, videlicet Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis, non alia certe ratione nisi quia diuinam naturam crederet incarnatam, aut eam vnam secundum Eutychetem cum humana factam quamuis alij Nestorianum illum faciant, ex Damasceno lib. 3. cap. 10. vbi ait eum addidisse quartam Trinitati personam, scilicet Christi hominis, & ideo addidisse in Trisagio dictas particulas, vt hunc diuideret ab omnibus tribus personis.

Præcipua autem scripturæ loca, quibus veritas Catholica reuelata habetur, quæque definitioni Ecclesiæ locum præbuerunt, sunt illa omnia, & his similia, superiori capite adducta, quibus Christus post Incarnationem simul vocatur verus Deus, verusque homo, & hominis filius, tribuunturque illi omnia vtriusque naturæ propria, inde enim manifeste sequitur, post Incarnationem remansisse, & adhuc remanere in Christo, illas integras, inconfusas, & impermixtas, tali efformato argumento. Quicumque est verus, & perfectus Deus, & simul etiam verus, perfectusque homo, in eo verè, & propriè loquendo duæ sunt naturæ, scilicet diuina, & humana, quia forma denominans Deum est Deitas, forma autem denominans hominem est humanitas: Sed ex sacris litteris Christus post Incarnationem passim vocatur verus, & perfectus Deus, verus, & perfectus homo. Igitur in Christo post Incarnationem verè, & propriè loquendo remansere, & ad huc remanent præfatæ duæ naturæ integræ, inconfusæ, & impermixtæ.

Neque obstat huic veritati, quod obijciunt aduersarij Sanctum Ioannem cap. 2. eodem modo expressisse mysterium Incarnationis istis verbis, *Et verbum caro factum est*, quo cap. 2. explicuit conuersionem aquæ in vinum ita dicendo, *vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam*; atque adeo, quod sicut hęc aqua verè & propriè fuit à Christo Domino conuersa in vinum, ita quoque natura humana in Verbum, hęc inquam, obiectio nihil concludit. Nam termini *facere*, & *fieri*, quando etiam dicuntur de aliqua substantia, non semper important conuersionem substantialem vt Patet Genes. 2. *Factus est Adam in animam viuentem*, & ex illo Christi Domini ad Paralyticum. *Ecce sanus factus es*; sed tales loquendi modi sunt intelligendi, accommodatè ex antecedentibus, & consequentibus ad res; ideoque cum personam existentem fieri aliquid, non sit illam conuerti in id, quod dicitur fieri, sed ad veritatem huius locutionis sufficiat, nouam aliquam formam illi vniri, quæ hanc personam denominet formaliter talem, vt constat exemplis statim allatis, dumq; aliquis dicitur factus Rex, aut princeps: inde fit, vt quia Verbum diuinum est immutabile, simulque assumpta per Incarnationem natura humana vocetur verus Deus, & verus homo, dicatur ab Euangelista hoc tantum sensu *caro factum*, seu *homo*, quod naturam humanam sibi adiunxerit in vnionem hypostasis, quemadmodum etiam significatur verbis istis sequentibus, *& habitauit in nobis*, id est fuit in carne eiusdem speciei cum nostra, iuxta interpretationem SS. Hilarij lib. 12. de Trinitate, & Ambrosij lib. de Sacramento Dominicæ Incarnationis cap. 6. At locus, vbi aqua dicitur vinũ facta, & res, de qua in illo agitur, petunt intelligi de vera, & reali conuersione aquæ in vinum vere, & proprie dictum, cuius sunt ad inuicem capaces substãtiæ creatæ, quia agebatur de conuiuio, & de succurrendo necessitati conuiuantium,

tium, qui carebant vino, vt intelligitur ex illo verbo Beatissimæ Virginis ad Christum, *vinum non habent*; talisque aqua vinum ibi facta nusquam dicitur simul aquam, & vinũ fuisse, aut vtriusque proprietates habuisse, vt in scripturis vbique asseritur de Verbo diuino carne, & homine facto vtramque naturam, & earum proprietates habuisse post vnionem eius cum natura humana. Quare Diuus Gregorius rectè ait lib. 9. epist. 62. *Verbum carnem dicimus factum, non immutando quod erat, sed suscipiendo quod nõ erat, nostra auxit, sua non minuit*.

Eodem modo debet intelligi locus ad Philippenses cap. 2. vbi Christus dicitur *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*; quæ enim verba præmittuntur *formam serui accipiens*, clarè indicant Verbum Incarnatum similẽ hominibus factum esse ratione humanitatis assumptæ. Vel etiã, vt superiori capite diximus, tali modo loquendi voluit significare Apostolus, Christum nedum hominem fuisse natura, sed etiam accidentibus homini similem; quemadmodum ait 2. Corinth. 5. quod Deus, *eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, & ad Galat. 3. dicitur, *factus pro nobis maledictum*; non quia Verbum conuersum sit in peccatum, seu maledictum, sed quia carnem assumpsit, in similitudinẽ carnis peccati, in qua se hostiam offerre posset pro peccato.

Similiter 1. Corinth. 15. dicitur Christus *Secundus homo de Cœlo, Cœlestis* non quia, vt explicant aduersarij, humana eius natura fuerit in diuinam conuersa, sed vocatur *homo de Cœlo*, ratione suæ diuinæ generationis, qua vt subsistens in natura diuina est à Patre, *Cœlestis* vero, propter dotes corporis gloriosi, quas post suam resurrectionem habuit; ibi enim Apostolum fuisse locutum de conditione corporum gloriosorum post vniuersalem hominum resurrectionem, & de Christo secundum statum quem habuit post suam resurrectionem clarè patet ex textu.

Diuinæ scripturæ ita intellectæ accedit etiam Traditio, qua omnes veteres Patres, vt irrefragabiles eius testes, superiori capite adducti, constantissimè docuerunt tanquam certum fidei dogma, Christum Iesum vna constare Verbi diuini persona, duabus naturis, diuina & humana, inter se coniunctis, non confusis, salua cuiusque naturæ proprietate. Nec refert, quod nonnulli interdum loquentes de hoc mysterio vtantur nomine *mixtionis, mixturæ*, aut similibus, illo enim tam ex antecedentibus, quam ex consequentibus, se satis explicant, scilicet nihil aliud intendere, quàm in hoc mysterio duas naturas vnitas esse in eadem persona Verbi, contra Nestorium, vt expresè notauit S. Augustinus epist. 3. vbi postquam appellauit hoc mysterium *mixturam*, ait se ita illud nominare, vt tamen in ea nolit admittere commixtionem naturarum, sed velit vnamquamque naturam seruare suam integritatem.

Iustinus quoque Martyr, vbi apologia 2. pro Christianis, videtur dicere, ita Verbum carnem esse factum, sicut in Eucharistia panis fit corpus Christi, *Quemadmodum, inquit, per Verbum Dei caro factus Iesus Christus seruator noster, carnem, & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per verbum precationis, & gratiarum actionis Sacratam ab ipso alimoniam, qua mutata nutrit nostras carnes, & sanguinem, illius incarnati Iesu carnem, & sanguinem esse didicimus*; talis comparatio in hoc solum consistit, quod sicut Verbum Incarnatum veram carnem, & sanguinem habuit; ita sub speciebus panis, & vini per consecrationem, seu verba consecratoria est vera caro, verusque sanguis Iesu Christi, non autem in modo vnionis, seu mutationis posita est, vt ipsa Iustini verba clarè significant, quæque habet in expositione fidei de recta confessione, si sit eius liber, vt dignus eo videtur, vbi expresè ait: *Filius cum vnus sit, & duæ natu-*

natura, altera diuina edit miracula, altera humilia excipit.

Tandem quod de Cyrillo Alexandrino posset obijci, epistola ad successum ita locutum fuisse, *Non oportet intelligere duas naturas, sed vnam naturam Verbi Dei Incarnatam*, vt retulit Eustachius Beriti Episcopus in Concilio Chalcedonensi act. 2. circa finem; proptereaque Dioscorum, cum à Catholicis Episcopis recederet, dixisse in vltimis verbis illius actionis se sequi Sanctos Patres Cyrillum, Athanasium, & Gregorium, qui semper vnam naturam Verbi incarnatam, & non duas post adunationem docuerant; Respondetur in dicta propositione vnum esse certum aliud vero dubium, quod certum, Cyrillum per illam haud negasse duas in Christo naturas in sensu controuerso, cum enim passim in suis operibus illas admittat sine confusione, vt videre est lib. de Incarnatione Vnigeniti cap. 12. epist. 1. ad Successum, & epistola 28. ad Ioannem Antiochenum, quæ in dicta act. 1. Concil. Chalcedonen. recitatur, indicetque in ista Cyrillus quosdam hoc sibi imposuisse, quos insanire dicit, nemo non videt vel mediocriter prudens, si quando duas videtur negare in Christo naturas, id non absolutè, sed cum adiectione intelligendum esse, nimirum, ita vt sint personaliter distinctæ, siue ita, *vt constituant alium, & alium hominem, & Deum*, vt ipsemet loquitur epistola 2. ad Successum, & eodem sensu lib. 1. de fide ad Reginas circa principium, negat duas alteram, quæ adoratur, & alteram quæ non adoratur, ob distinctas, quas illis Nestorius tribuebat personas, semper enim contra illum in huiusmodi locis agit.

Quod dubium, est, quomodo altera præfatę propositionis pars affirmans, qua asserit, *vnam naturam Verbi Dei Incarnatam*, sit intelligenda. Primo enim aliqui exponunt, naturam ibi pro subsistentia sumptam esse; citanturque pro tali expositione ipsamet Cyrilli verba epist. 1. ad Successum, & libro ad Euoptium in defensione secundi anathematis, cum enim Theodoretus primum Nestorij partibus fauens ipsum reprehenderet, quod vnionem secundum subsistentiam ponendo videretur significare mixturam diuinitatis, & carnis factam esse, respōdit Cyrillus per vnionem secundum subsistentiam, nihil aliud se significare voluisse, quam *Verbi naturam*, hoc est subsistentiam, quæ est ipsum Verbum, verè humanæ naturæ vnitam esse citra vllam conuersionem, & confusionem? Quare Damascenus lib. 3. cap. 6. cum ex sententia Cyrilli, & Athanasij, Verbi naturam incarnatam esse dixisset, subdit, *Cum Verbi naturam dicimus, Verbum ipsum significamus*. Idem tamen Damascenus cap. 11. eiusdem libri hanc expositionē reijcit ex verbis eiusdem Cyrilli epistola 2. ad Successum, sed non videntur ita clara, vt dictæ expositioni contraria dici possint. Altera eiusdem locutionis explicatio est, quod Verbi natura essentialis sit vna, illam vero post vnionem esse incarnatam, id est, carni vnitam, quod alias ipse dicit, esse vnam tanquam Incarnati Verbi, nam quia illa vna natura identificatur cum Verbo non potuit Verbum vniri carni, quin etiam natura illa manserit, eidem carni vnita; & in hunc modum exposuit illam locutionem quinta Synodus collat. 8. can. 8. vbi per eam vocem, vnam naturam incarnatam, vnitionem naturarum secundum subsistentiam significatam esse dicit; Concilium quoque Lateranense sub Martino I. idem asserit Can. 5. *Si quis*, inquit, *non confitetur proprie, & vere vnam naturam Dei Verbi incarnatam, ex hoc quod incarnata dicitur nostra substantia perfectè in ipso Christo Deo, & indiminutè absque tantummodo peccato significata, sit condemnatus*. Verùm quicquid sit de huiusmodi sensibus, alias Orthodoxis, vtrum quadrent menti Cyrilli, aut aliquis alius, certum est eum, vt dicebam, semper admisisse in Christo dualitatem naturarum citra vllam conuersionem, aut contu-

confusionem in vnitate Verbi subsistentium.

Vltimò probatur nostra conclusio rationibus, & si enim nulla suppetat ratio naturalis, qua possit ostendi duas esse in Christo naturas, diuinam, & humanam, nihilominus supposita semel fide huius mysterij, siue quod Verbum diuinum in plenitudine temporis assumpserit naturam humanam Christi, quod non negant aduersarij, rectè probari potest præfatas naturas non potuisse fieri vnam, vllo ex allatis ab illis modo, proindeque terminum huius vnionis non fuisse aliquam substantialem naturam ex humanitate, & diuinitate constitutam, aut factam vnam.

Quare sic arguo, non potuit illa natura resultare ex duabus, fierique vna, nisi, vel per confusionem, mixtionem, & transmutationem duarum naturarum in vnam tertiam, sicut accidit in productione mixti ex simplicibus substantialiter transmutatis; vel per conuersionem humanitatis in diuinitatē, aut è contra diuinitatis in humanitatem; vel denique, non per transmutationem alicuius naturæ in aliam, sed per compositionem, qua vna natura ex duabus resultat, vtraque in suo esse integra manente, solumque in vnione mutatione facta, ad eum modum, quo ex anima, & corpore vna natura consurgere dicitur: Sed duæ naturæ in Christo, ex quibus Eutyches, eiusque sequaces fassi sunt Christum subsistere, non tamen in illis, nullo ex præfatis modis potuerunt fieri vna natura; Igitur nedum ex duabus, sed in duabus post Incarnationem subsistit naturis, diuina scilicet, & humana, integris, inconfusis, & impermixtis. Maior huius argumenti cum sit certa ab enumeratione partium, probatur Minor.

Primò, argumento communi tribus primis modis, desumpto ex immutabilitate Dei, Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor*. 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem*. S. Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*; Sed in omni vera mixtione, & conuersione requiritur, vt termini, qui miscentur, & conuertuntur, recipiant in seipsis aliquam mutationem suæ mixtioni, & conuersioni proportionatam, ita vt *terminus à quo*, secundum aliquam rationem desinat, & *terminus ad quem* recipiat similiter aliquam mutationem, ratione cuius in seipso habeat intrinsecè aliquam nouam dependentiam, & nouum quendam modum existendi, vt patet, facta inductione per omnes conuersiones; Igitur, cum inter extrema, siue inter naturas, ex quibus post vnionem, deberet in Christo, aliquo ex præfatis modis, vna fieri, vel constitui natura secundum aduersarios, reperiatur natura diuina, ex citatis Scripturæ locis, & similibus absolutè, & simpliciter immutabilis, imo & incapax etiā obumbrationis, mutabilitatis, & minimæ cuiusque vicissitudinis, manifestè sequitur eam nullo ex dictis modo fieri potuisse vnam in Christo.

Secundò probatur eadem minor, quo ad primum vnitatis modum specialiter, quia ex omnibus Philosophis post Aristotelem lib. 1. de generat. cap. 10. mixtio reperitur solum inter eas res corporeas, quæ mutuò agunt, & patiuntur, quæque habent communē materiam; cuiusmodi diuinitatem, & humanitatem non esse, satis constat etiā solo lumine naturæ. Insuper illa natura, quæ ex mixtione duarum præexistentium vna fieret, non esset amplius nec diuina, nec humana, sed tertia ab vtraque diuersa; quod sanè est ineptum, & impossibile, non solum quia ex Scriptura Christus Dominus est verus Deus, & verus homo, ac proindè verè post vtriusque naturæ vnionem vtraque præditus esse debet natura, verum etiam, quia repugnat diuinitati degenerare in aliam naturam, suamque amittere substantiam, vt abeat in aliam tertiam.

Tertiò probatur eadem prima minor

nor huius argumenti, quo ad secundum modum vnitatis per conuersionem humanitatis in diuinitatem, præter quam enim est impossibilis, cum adhuc per illam Christus desijsset esse homo, non possent de facto illi attribui omnia, prout in Scriptura tribuuntur, quæ competunt illi ratione naturæ humanæ, sed sola diuinitas deberet dici passa, mortua, & sepulta; nec minus etiam Pater, & Spiritus Sanctus fuissent incarnati, quam Verbum, quia illa vnio, in qua secundum aduersarios consisteret hoc mysterium, immediatè facta esset in natura diuina communi omnibus tribus personis.

Quartò probatur dicta minor, quo ad tertium vnitatis modum per conuersionem diuinitatis in humanitatem, non solum quia est impossibilis, sed etiam quia Christus sic desijsset, & non desijsset esse Deus; desijsset quidem sola remanente, vt supponitur, natura humana, in quam diuina esset conuersa; non desijsset autem, quia remaneret semper persona Verbi, à qua diuina natura est inseparabilis, atque adeo à Christo, quamdiu eius natura terminatur à diuino Verbo, nisi dicant aduersarij tres diuinas personas habere tres etiam naturas realiter distinctas, quarum illa Verbi in humanitatem conuersa, desineret tam ipsum, quàm Christus, cuius terminaret naturam, esse Deus, quæ omnia quam sunt absurda, & contra omnem diuinarum Scripturarum authoritatem, tàm Eutychetis errorem abominabilem reddere debent, quocumque se vertat.

Quintò tandem probatur quoad quartum vnitatis modum per compositionem; etsi enim sit omnibus alijs plausibilior est tamen absolutè falsus, & impossibilis; nec alia datur compositio diuinitatis in Christo cum humanitate, quam mediata, non autem immediata, ita vt fiat ex illis vna integra natura per compositionem, tanquam ex materia, & forma. Nec refert quod interdum Patres mysterium Incarnationis, siue vnionem per illam factam comparent cum coniunctione animæ, & corporis; in tali enim exemplo, & alijs similibus, quibus tam hoc, quàm alia fidei mysteria explicantur, non requiritur, nec quærenda est exacta in omnibus similitudo, nulla siquidem reperiri potest, alias mysterium hoc, & alia non essent singularia, vt rectè scribit Augustinus epistola 3. ad Volusianum; imo Diuus Hilarius lib. 10. de Trinitate ait, exempla quæ ad hoc mysterium declarandum afferri solent, in pluribus esse dissimilia, quam similia. In exemplo igitur adducto tenet similitudo potissimum in hoc, quod sicut corpus, & anima quamuis diuersæ naturæ sint, in vna persona conueniũt, & per illam incommunicabiliter subsistunt; ita diuina, & humana natura quamuis distinctę sint, in vna Christi persona copulantur; est autem in hoc differentia, quod cum illæ sint naturæ imperfectæ, & essentiales partes, non tantum vnam personam, sed etiam vnam naturam immediatè componũt, natura autem diuina, & humana, quia sunt integræ, & perfectæ, ideo non possunt ad componendam vnam tertiam naturam immediatè coniungi, sed solùm mediate ad *constituendum* Christum, Christi enim nomen significat duas naturas, diuinam, & humanam integras, inconfusas, impermixtas vnica diuini personalitate Verbi subsistentes.

Illam autem mediatam vnionem duarum naturarum diuinæ, & humanæ in vna, & eadem personalitate Verbi diuini esse veram quandam compositionem, habetur ex secunda Agathonis Papæ epistola recepta in 6. Synodo Generali act. 4. vbi loquens de duabus naturis in Chisto Domino existentibus, ita circa medium ait; *Ex quibus inconfusè, inseparabiliter, & incommunicabiliter est compositus*; Quem loquendi modum prius adhuc vsurpauerat quinta Syuodus Generalis collat. 8. canone. 7. vbi sermone habito de duabus

duabus naturis existentibus in Christo Domino, dicitur esse *compositus ex illis*; illum etiam ex Patribus habent Sanctus Gregorius homilia 38. in Euangelia, & Sanctus Ioannes Damascenus lib.3.de fide Orthodoxa cap.4. aliique plures. Cuius ratio est, quoniam vbi duo realiter distincta coniunguntur in aliquo ad constituendum vnum, manentque in illo vno, ibi illud vnum est compositum ex illis; sed in Christo Domino duę naturæ, diuina & humana realiter à se inuicē distinctę coniunguntur in personalitate Verbi diuini, & vnum tantum constituunt Christum, Deum hominem, quemadmodum patet ex dictis: Igitur in Christo Domino est vera compositio ex duabus naturis, diuina, & humana, in ipsa personalitate Verbi diuini.

Verum est tamen, quod si hæc posterior compositio conferatur cum priori personæ diuinæ cum humana natura, illa est tantum minus principalis, & quasi resultans, ista autem magis principalis, vt pote immediata ad instar compositionis creatæ personalitatis cum sua natura. Quapropter de hac Concilia & Patres expressius loquuntur, eamque vocant *personalē*, *hypostaticam*, alijsque id genus nominibus; & ideo etiam, vt posterior hæc compositio non includatur in priori, nomen hoc persona, dum est sermo de illa, non debet sumi in concreto, id est, pro toto illo, quod constituitur ex natura diuina, & personalitate Verbi, sed in abstracto: quia alias hæc posterior compositio includeretur in priori, sicut natura diuina includitur in persona diuina considerata in concreto.

Quatenus autem Eutyches credidisset, in aliqua præsertim temporis prioritate, naturam humanam antequam vniretur Verbo subsistentem fuisse, vt ex illa, & natura diuina fieret Christus, tumque natura humana assumpta conuerteretur in diuinitatem, aut vice versa, vt vnica duntaxat in Christo remaneret natura secundum ipsum, ac proinde non in duabus, sed in vna tantum subsisteret natura, vt re vera cum docuisse testatur Sanctus Leo Papa tam in suo rescripto contra hæresim Eutychetis, quam in epistola ad Iulianum Episcopum Coensem; impugnatur quoque falsitas talis dogmatis, quicquid enim sit de possibili, id nos asserimus repugnare his, quę Deus in hoc Incarnationis mysterio de facto statuit, & per diuinas Scripturas hominibus reuelauit; si quidem dum recensent temporalem generationem Christi Domini, & primam omnium eius conceptionem, dicunt illum esse conceptum de Spiritu Sancto ex Beatissima Virgine: quod esset falsum, si hæc opinio Eutychetis esset vera, vnde consequenter in sua confessione fidei tam in Concilio Constantinopolitano, cui Flauianus præerat, quam Ephesino II. Prædatorio dicto facta, hanc partem Symboli reticuit. Insuper ex ijsdē Scripturis, nominatim ex cap.1. Ioannis, vbi Christus ille, *qui habitauit in nobis*, dicitur esse verbum ipsum Incarnatum, constat, Christum aliud non esse, nisi verum illum Deum, & hominem, qui formaliter, vt Deus, & homo est, extitit per Incarnationem diuini Verbi, quæ ante vnionem naturæ diuinæ, & humanæ ne intelligi quidem potest. Igitur cum Scriptura apertè pugnat, quod ait Eutyches, vt refert Flauianus epist. 2. ad Sanctum Leonē, in Christo Domino ante vnionem fuisse duas illas naturas prius tempore subsistentes. Quomodo enim in Christo fuerunt ante vnionem, si ante vnionem non fuit formaliter Christus, qui vt talis, vt diximus, aliud non est, nisi verus ille Deus, & homo, qui formaliter, vt homo, & Deus est, extitit per Incarnationem Verbi diuini, atque adeo necessario per vnionem naturæ diuinæ, & humanæ. Qua de causa Sāctus Leo rescripto superius citato, siue epistola 10. ad Flauianum capite vltimo, cum hæc verba Eutychetis retulisset, *Confiteor ex duabus naturis fuisse*

Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem verò vnam naturam confiteor, rectè concludit, *Miror tam absurdam, tamque peruersam eius professionem &c. cum tam impiè duarum naturarum ante Incarnationem Vnigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quàm nefariè postquam Verbùm caro factum est, natura in eo singularis asseritur.*

Tandem quatenus idem hæreticus voluisset, vnam Christo post adunationem fuisse naturam, per conuersionem totius naturæ humanæ, hoc est tam animæ, quam corporis in diuinitatem, & consequenter tenuisset cum Manichæis, & alijs antiquioribus hæreticis, verum & humanum in Christo corpus non fuisse, sed phantasticum, aut cæleste, tale dogma non minus, quam alia diuinis repugnant Scripturis; quæ vbique loquuntur de Christo Domino tanquam de vero homine, sed quis verus homo esse non potest, nisi sit vero corpore, & anima rationali tanquam forma illi vnita præditus; igitur Christus non habuit corpus phantasticum, sed verum, ac naturale, eiusdem speciei cum cæteris hominibus, carne, ossibus, & quatuor humoribus constans, cæterisque proprietatibus, quæ humanum corpus necessario comitantur. Quod & adhuc demonstrant illa Scripturæ loca, quibus Isaię 53. dicitur: *Languores ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*; 1. Petri cap. 2. *Pro nobis passus est nobis relinquens exemplum*, pluraque alia similia, quibus nostris corporeis infirmitatibus, ac miserijs, exceptis illis à peccato prouenientibus, dicitur Christum obnoxium fuisse. Vnde hæc veritas definita fuit in omnibus Concilijs superiori capite citatis, illamque docuerunt vnanimiter Patres ibidem adducti, inter quos potissimum consulendus est Tertullianus lib. de Carne Christi, & Augustinus in libris, quos multos, & illustres scripsit contra Manichæos; Vtrum autem Hilarius oppositum senserit, affirmat Vasques 3. parte disput. 59. cap. 1. alii autem illum excusant cum Diuo Thoma 3. par. q. 15. art. 1. ad 1. siue quod nūquam ita sensit, siue quod retractauit sententiam, teste Dionysio Carthusiano in 3. sentent. distinct. 11.

Quod obiiciunt primo aduersarij, & in quo maximè nitebatur, vt dicunt, Eutyches, si in Christo duæ sunt naturæ, duas quoque debere esse personas, nullius est momenti, cum alia sit ratio naturæ, alia personæ. Vnde sicut in diuinis, vbi natura, & persona re non distinguuntur, ob solam tamen virtualē inter illa distinctionem, credimus esse personas tres, cum vna numero natura; ita possunt vice versa esse in Christo duæ naturæ, cum sola persona Verbi, quæ ob suam infinitatem potest facere subsistere naturam humanam, prę-stando illi perfectiori modo, quicquid propria personalitas illi tribuere valeret.

Secundo obiiciunt, Pater, Filius, & Spiritus dicuntur vnus tantum Deus, propter vnitatem essentiæ licet sint tres personæ realiter distinctæ: Ergo à contrario, si duæ naturæ integræ ponantur in Christo duo erunt Christi. Respondetur hæc nomina, homo, Christus, esse substantiua, quorum hæc est conditio, vt ad sui multiplicationem requirant pluralitatem suppositorum, & naturarum, seu formarum quas significant, vt docent Philosophi, & Theologi. Vnde quia in tribus personis diuinis, vnica est numero diuinitas, licet possimus dicere tres esse habentes eam, vnum tamen solùm dicimus esse Deum: ita quia licet in Christo duæ sint naturę integræ, impermixtæ, & inconfusæ, illæ tamen sunt in eodē simplicissimo supposito Verbi diuini, rectè dicitur Christum esse tantummodo vnum & non duo. De præsenti hactenus controuersia aduersus Eutychianos, quibus persuasa semel dualitate naturarum in Christo, difficile non erit suadere etiam in eodem duas esse voluntates, duasque operationes,

cum

cum Monothelitæ hæretici è Schola Eutychiana prodierint, multique eorum illas negauerint ea ratione solum quod duas in Christo naturas non agnouerint, De hac materia agunt, Theologi cum Diuo Thoma 3. parte quæst.2.

CAPVT XI.

Aduersus Armenos, quod Sancta noua legis Sacramenta, nedum significatiua, sed insuper causatiua sint diuina gratia.

QVam nonnulli Armeni, Orientalesque hęretici Sacramentis nouæ legis negant causalitatem diuinæ gratiæ, quia est error communis omnibus ferme hæreticis Occiduarum partium, ideo sequenti sectione illius refutationem differimus.

CAPVT XII.

Statuitur contra Armenos, & Abyssinos necessitas Baptismi in ratione medij omnibus hominibus cuiuscunque ætatis, & conditionis.

ETsi septenarium Sacramentorum nouę legis numerum, vna cum Ecclesia Romana Catholica, non solum Armeniorum Ecclesia semper a principio sit confessa, verum etiam ipsi eorum Speudomagistri, ex quibus Vartanus in monitis ad Armen. cap.1. ita scribit: *Paulus Apostolus discipulum suum Dionysium de septem Ecclesia Sacramentis erudiuit.* Et rursus cap. 6. *Septem Ecclesia Sacramenta iugiter exercemus. Christianismus enim in septem Ecclesia Sacramentis nititur.* Quæ cum Vartanus scripserit, vt Armeni, & eius scripta testantur, duo ferè ante sæcula, quam celebraretur Concilium Florentinum, facile conuincitur mendacii Kemnitius Lutheri sectator, quando in 2.part. Examinis Concil. Trident.cap. de numero Sacramentorum ait, *Septenarium numerum Sacramentorum à Florentina Synodo Armenis obtrusum fuisse; cum cum per mille, & eo amplius annos ignorassent.*

Etsi, inquam, à principio Armenii septenarium numerum, imo & singulorum vsum habuerint, non defuere tamen falsi inter eos Magistri, qui in eorum substantiis corrumpendis studiosissimi fuerunt, quam ob causam debuit, ac voluit Florentina Synodus hac de re plenius, minutiusque illos instruere, ne falsis eorum Magistrorũ doctrinis deciperentur; ex his vnus fuit prædictus Vartanus, tùm Ioannes Episcopus Arm. & Gregorius Dattieuensis, qui primùm circa Sacramentum Baptismi plures habuerunt errores; primò, quod siue in re, siue in voto non sit necessarius necessitate medii ad salutem; vnde si infantes, in mortis periculo constituti, nequeant solemniter baptizari, eos mori sinunt sine baptismo, ita Ioannes Episc. Arm. apud Armacanum lib.8. cap. 34. 36.& 37. Secundo circa materiam, quatenus Vartanus loco citato docet, confirmationem, seu Chrismatis vnctionem adeo esse necessariam ad verum Baptisma perficiendum; vt nisi baptizandus ipso Chrismate vngatur, non baptizatus censeri debeat. Tertio circa formam, in quantum idem Vartanus cap. 2. & Gregorius Dattieuensis in lib. interrogat. tract. 34. excludentes formam Latinam: *Ego te baptizo* &c. docent ad Baptismi valorem requiri illam: *Baptizetur N. seruus Christi* &c. licereque in baptismo trinæ immersionis ter repetere totam baptismi formam, vt habetur in eorum rituali. Quartò circa Ministrum Baptismi, ad quem ita necessarium esse Sacerdotẽ asserit præfatus Gregorius, vt etiam in casu necessitatis, seu periculo mortis, absente Sacerdote, nemini alteri liceat baptizare. Quare mos est apud Armenos

nos, vt infantes in mortis periculo constituti, si absit Sacerdos, mori permittantur sine baptismo: quod sępissimè accidit præsertim in partu mulierum; primum ex his erroribus impugnabimus in præsenti capite, cæteros deinceps.

Igitur pro intelligentia difficultatis, & controuersiæ, notandum est primò, rem paulo altius petendo, nedũ adultos, de quibus nulla apud hæreticos mouetur difficultas, esse capaces Sacramenti baptismi, verum etiam omnes infantes tàm Christianorum, quàm quorumcumque infidelium, vt sectione sequenti, contra Anabaptistas, Deo dante probabimus. Quia enim capacitas alicuius rei, vel formæ recipiendę præsupponitur necessitati eius in subiecto, propterea etiam prius supponendum fuit omnes homines cuiuscunque sint ætatis, & conditionis esse capaces Sacramenti Baptismi, de quo etiam non dubitant, quod sciam aduersarij, cum quibus rem habemus, quam explicare, quibus ille sit necessarius.

Secundò obseruandum est duplicem distingui necessitatem: vnam præcepti, quando nimirum aliquid est faciendũ, vel habendum, non quod finis nequeat obtineri sine illo; sed quia præcipitur fieri, & cõtemptus pręcepti parit peccatum. Alteram medij, quando scilicet finis non potest comparari sine illo, inter quas necessitates hoc est discrimen, quod posterior nullam recipiat excusationem, secus autem prior, vt quando præceptum ignoratur inuincibiliter, vel adimpleri non potest propter aliquam legitimam causam.

Tertiò obseruandum est, triplicem distingui solere Baptismum; fluminis, flaminis, & sanguinis. E quibus tamen, solus Baptismus fluminis, est verum Sacramentum: & consequenter iuxta Apostolum Ephes. 4. & Symbolum Ecclesiæ, est vnum baptisma; reliqua enim duo dicuntur metaphoricè solum talia: quia in necessitate supplent defectum Sacramenti Baptismi: eo quod ad positionem illorum Deus cõfert gratiam non baptizatis. Vndè Baptismus flaminis est non baptizati, cõtriti, desiderium Sacramenti Baptismi, conceptum ex inspiratione flaminis sacri, siue Spiritus Sancti; Baptismus autem sanguinis est martyrium non baptizati, siue est martyrium, præcedẽs Baptismi Sacramentum; Ad quod in paruulis, & adultis à natiuitate amentibus, non est aliud requisitum, quam vt illis mors inferatur, in odium Christi, Christianæue Religionis; in ratione vero vtentibus, quatuor sunt necessaria: primò, mortis irrogatio, odio Christi; fidei, alteriusue virtutis perfectæ. Secundò acceptatio mortis, ob dictas causas. Tertiò, non resistentia, nisi fieret ad tuendam rempublicam Christianam, contra infideles. Quartò fides, charitas, & status gratię: saltem ante consummatum morte martyrium.

Quartò aduertendum est, cum Baptismus aquæ in adultis possit suppleri voto eius, seu actu charitatis, vel martyrio reali, etiam in paruulis, *quæri*, vel difficultatem esse posse, an infantibus non patientibus pro *Christo*, quibus aquæ Baptismus ex *aliqua* occasione non potest conferri; possit per aliquod remedium suppleri, cuius applicatione morientes consequantur à Deo remissionem peccati originalis, & vitam æternam. Cumque insuper omnes infantes possint reduci ad duas classes, primam infantium Gentilium, vel etiam Iudæorum, ad quos nõdum peruenit Euangelij promulgato, vel si aliquando peruenit, ita tamen est longa plurium seculorũ serie in illis obliterata, ac si nihil quicquam de illa planè audierint, vel si quid audierint, credibilitas tamen doctrinæ Euangelicæ nondum est illis sufficienter probata, vel proposita. Alteram infantium, quorum parentes iam sunt *Christiani*. Ex hac paruulorum distinctione, dum agitur de necessitate Baptismi pro salute ipsorum, duplex oritur difficultas:

Prima

Prima de infantibus prioris classis, an Baptismus aquæ sit illis ita necessarius ad consequendam vitam æternam, vt citra martyrium aliter saluari non possint, etiam si remedium, quod vigebat tempore legis naturæ, vel Circumcisio, quæ valebat tempore legis Mosaicę, illis applicetur, vel aliquod aliud. Secunda de infantibus Christianorum, quibus propter aliquod incidens Baptismus fluminis non potest administrari, vtrum possint aliquo alio remedio sibi collato saluari, v. g. voto, & oratione parentum maximè si exterius adhibeatur aliquod signum, quo tale votum videatur applicari paruulis; vt senserunt Gerson Cancellarius Parisiensis sermone de Natiuitate Beatissimę Virginis considerat. 2. Gabriel Biel in 4. distinct. 4. quæst. 2. & Caietanus in 3. partem quæst. 68. articulo 2. & 11. inter quos tamen hęc est differentia, quod primi loquuntur de lege solum extraordinaria, non de omnibus, & singulis, sed tantùm de aliquibus, & adhuc in confuso, quare præfati authores dicunt non posse certò, & infallibiliter affirmari, quod hic, & iste infans, cui, sine vlla parentum negligentia, Baptismus applicari non potest, sic saluetur precibus, & voto parentũ; qui adhuc maxima pietate, & deuotione debent esse insignes, vt id consequantur; Caietanus autem videtur etiam loqui de lege communi, & ordinaria.

Quare notandum est quintò necessitatem Baptismi respectu infantiũ posse concipi tribus modis. Primus est de absoluta, & extraordinaria Dei potentia, quasi Deus illos non possit aliter saluare, & de hoc nulla est difficultas, omnes enim admittere debent Deum posse quotiescumque, & quomodocũque voluerit, eos alio remedio, vel etiã ex mero misericordię suę actu saluare. Secundus modus est, loquendo de lege communi, & ordinaria, ita vt omnes illi Gentilium, vel Iudæorum filii, quibus Baptismus aquæ non confertur, si aliquod aliud remedium, exempli causa, Circumcisio, vel illud, quod fuit remedium legis naturæ, applicetur, vel sacrificium aliquod in finem delendi in illis peccatum originale Deo offeratur: nihilominus sic morientes puniantur æterna pœna damni; Vel si sint Christianorum filii, & pereant sine aliqua parentum culpa, ita vt Baptismus aquæ non potuerit ante mortem illis administrari, tunc possint de lege Dei ordinaria saluari aliquo modo, v. g. oratione, fide, vel voto parentum, sicut adulti possunt de communi lege saluari per votum Baptismi, quando non datur eis occasio suscipiendi realiter Baptismum aquæ. Tertius modus est, non quidem de lege communi, & ordinaria, sed tantum de speciali, vtrum ex aliquo singulari priuilegio Dei, infantes Christianorum aliqui interdum saluentur sine Baptismo aquæ realiter suscepto, Deo eius defectum supplente, propter orationes, & vota parentum, per quos non stetit, quin eorum paruuli peruenirent ad Baptismum. His pręnotatis sit.

Prima Conclusio: Baptismus aquæ, vbi realiter potest suscipi, est necessarius necessitate medii omnibus hominibus, cuiuscumque sint ætatis, & conditionis, nec non etiam abstrahendo à modo, scilicet, quod vbi reipsa accipi non potest, habeatur in voto efficaci ab adultis, vel quod fiat per sanguinem, seu martyrium tam in illis, quàm in paruulis, & adultis à natiuitate amentibus. Ista conclusio est de fide, tàm contra præfatos Armenorum Speudomagistros, quàm plures alios hæreticos, quos refert Iodocus Coccius tom. 2. Thesauri Catholici lib. 5. de Baptismo art. 4. & 6.

Prima huius veritatis definitio habetur in varijs Summorum Pontificum decretalibus epistolis. Melchiades enim scribens ad Episcopos Hispaniæ ait: *Spiritus Sanctus super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu. In Baptismo regeneramur ad vitam, Regeneratio per se saluat,*

ſaluat, mox in pace beati ſæculi recipiendos. Confirmatio armat, & inſtruit ad agones mundi huius, et prælia reſeruandos. Syricius epiſt. 1. ad Himerium cap. 2. & Innocentius I. epiſtola 32. ad Concilium Mileuitanum idem docent: Cœleſtinus I. in epiſtola ad Galliarum Epiſcopos cap. 12. Leo I. epiſtola 39. ad Leonem Rauennatenſem Epiſcopum cap. 1. *de paruulis, qui in captiuitatem deuenerunt, & baptiſmum non reminiſcantur ſe conſecutos*, quod ſint baptizandi, & epiſt. 86. ad Nicetam: *A paruulo*, inquit, *recens nato vſque ad decrepitum ſenem, quamlibet corporis ętatem gerant, ſicut nullus prohibendus eſt à Baptiſmo: ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in Baptiſmo. Sed paruuli originali, maiores autem in his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque malè viuendo addidere ad illud, quod naſcendo traxere.* Gelaſius epiſt. 5. *De paruulis autem quod aſſerit Pelagius, ſine ſacro Baptiſmate pro ſolo originali peccato non poſſe damnari, ſatis impia, ſatis prophana propoſitio eſt &c.* Gregorius Magnus lib. 1. epiſt. 41. *Nos quod tertio mergimus, triduanę ſepulturæ Sacramenta ſignamus, vt dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur*; & lib. 3. cap. 9. *Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus Chriſmate non præſumant*: Item lib. 9. epiſt. 39. *Si qui ſunt, qui dicunt peccata in baptiſmate ſpecie tenus dimitti, quid eſt hac prędicatione infidelius, in qua ipſum fidei Sacramentum feſtinant ſoluere?* &c. Gregorius III. epiſtola ad Bonifacium: *Pro paruulis verò, qui à parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati ſunt, an non, ignorant, hos vt baptizare debeat ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit qui teſtificetur, ratio poſcit.* Zacharias Papa epiſtola ad Bonifacium; ac tandem Innocētius III. Decretalium conſtitutionum lib. 3. titulo 42. *Nunc indiſtinctè intonat vox Euangelica: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei: ab hac generalitate nec ſexum, nec ætatem excludens.*

Ex Concilijs Generalibus Conſtantinopolitanum I. ait in Symbolo: *Credimus vnum baptiſma, in remiſſionem peccatorum.* Lateranenſe ſub Innocentio III. *Sacramentum Baptiſmi, quod ad inuocationem indiuiduæ Trinitatis, conſecratur in aqua, tam paruulis, quàm adultis, in forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum, proficit ad ſalutem.* Vienenſe in Clementinis cap. 1. idem aſſerit; Florentinum ſub Eugenio IV. in decreto eiuſdem; & Tridentinum ſeſſione 5. in decreto de originali peccato, can. 3. & ſequent. nec non ſeſſione 6. cap. 4. & 7. de Baptiſmo Can. 5. Concilia autem prouincialia, vbi hęc eadem fides aſtruitur, ſunt plura, Cartaginenſe V. Mileuitanum, Africanum, Bracarenſe II. Matiſconenſe II. Toletanum IV. & XII. VVormatienſe, Metenſe.

Loca verò Scripturæ, quibus hæc Eccleſiæ fides, ac definitio de neceſſitate Baptiſmi omnibus hominibus, cuiuſcumque ſint ætatis, & conditionis, potiſſimum innititur, ſunt *Marci* 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*: Ioannis 3. v. 5. *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; quo maximè loco ſignificari baptiſmum aquæ, nec non importari eum, abſtrahendo à modo, eſſe neceſſarium neceſſitate medij, cum exprimat defectum eius annexam habere, in non renato ex illo, priuationem vitæ æternæ, docent Patres inferius citandi præſertim Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 12. & 13. vbi diſtinguens neceſſitatem medij à neceſſitate præcepti, ait hanc haberi Cap. 28. S. Math. vbi Chriſtus ad ſuos Diſcipulos dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: illam verò loco citato Sancti Ioannis.

Hoc idem aſſerit lib. de anima cap. 39. nec non S. Cyprianus epiſt. 72. & 73. Sanctus Auguſtinus contra Pelagianos.

gianos. Quod enim Caluinus præfata S. Ioannis verba ita aperta ad metaphoram detorqueat, & per aquam intelligat Spiritum Sanctum, atque adeo ibi mentionem non fieri Sacramenti Baptismi, cuius sola vera aqua sensibilis habens veræ, & naturalis aquæ formam, est valida, & sufficiens materia remota, Hunnius Lutheranus vocat, *glossam diaboli contortam, violentam, coactam, quamque ipse textus refellit euidentissime*; Eiusdem furfuris alia est Danæi, qui licet admittat præfatum Ioannis locum esse intelligendum de Baptismo aquæ, & nomen aquæ ibi sumi pro aqua elementari, negat tamen inde colligi necessitatem Baptismi, quia, inquit, hæc particula *&* debet sumi pro disiunctiua, *aut*, *vel*, quasi sensus verborum Christi Domini sit ille, *nisi quis renatus fuerit aqua, vel Spiritu Sancto, non erit saluus*; Omnes siquidem Patres dictam particulam *&* copulatiuè explicant, ita vt aqua, & Spiritus Sanctus requirantur ad regenerationem spiritualem per Baptismũ; alias posset aliqua talis regeneratio dari per solam applicationem aquæ elementaris cum exclusione Spiritus Sancti, quod est absurdum. Ratio est, quia vbi duo precipiuntur, & dicuntur necessaria solummodo sub disiunctione, ibi sufficit cuiuslibet eorum seorsim ab alio obseruatio, ad consequendum id ad quod ordinatur, & præcipitur, nec est necesse simul, & collectiuè vtrumque facere: hęc enim est natura & conditio præcepti disiunctiuè facti; Igitur si præfati præcepti Christi Domini sensus esset tantùm disiunctiuus, quemadmodum iuxta Caluinum, & eius sectatores, spiritalis regeneratio ibi assignata per hunc terminum, *Spiritu Sancto*, sufficeret, seclusa ablutione exteriori etiam in voto, & affectu, sola similiter exterior ablutio, excluso Spiritu Sancto, satis esset pro obtinenda salute æterna.

Neque etiam valet contra hunc S. Ioannis locum, quod eodem modo ex illo colligenda videtur necessitas Baptismi, quo ex eiusdem verbis cap. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: colligitur necessitas sumenda Eucharistiæ; sed ex his verbis non habetur Sacramentum Eucharistiæ necessarium esse necessitate medij, ergo nec id habetur ex alijs respectu Sacramenti Baptismi. Respondetur enim negando paritatem, primò quia modus iste loquendi impersonaliter in primo præcepto, *Nisi quis renatus fuerit*, alius est ab illo decreto in secundo ad personas vt habentes vsum rationis, vnde non eadem oritur necessitas ex vtraque, sed prior loquendi modus importat absolutam necessitatem medij, posterior vero, cum solos adultos rationis capaces respiciat, solam necessitatem pręcepti. Vel quod idem est, præceptum de accipienda Eucharistia non fuit à Christo prolatum per modum generalis constitutionis, dicendo, Nisi quis manducauerit, sicut ait de Baptismo, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, sed tantum dixit, *Nisi manducaueritis*, adeoque direxit sic sermonem ad audientes, scilicet ad eos solùm, qui essent capaces discretionis, & suscipiendi obligationem talis præcepti; cum hi soli, non autem paruuli, ne vitam amittant, indigeant Eucharistia; sicut etiam cum ait Lucæ 13. *Nisi pęnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, non omnes prorsus adultos est allocutus, sed duntaxat peccatores, cum hi soli, ne pereant, indigeant pœnitentia.

Altera disparitas desumitur ex diuersa ratione, atque vi vtriusque Sacramenti, scilicet Baptismi, & Eucharistię, cur præceptum de Baptismo dici debeat generale respectu omnium, etiam paruulorum, proindeque importare necessitatem medij, non autem aliud de Eucharistia. Quia nimirum Baptismus est ad regenerationem, sine qua nemo potest habere spiritualem vitam. Non enim aliquis prius viuit, quam

quam generetur. Et præterea dubium non est cum aduersarijs, quin huius generationis spiritualis paruuli quoque capaces sint, vt in primo notando supposuimus. At Eucharistia non est propriè ad regenerationem, verùm ad nutritionem spiritualem, & consequenter ad restaurationem spiritualis virtutis, quæ per quotidiana peccata actualia deperditur. Vndè nonnisi adultos, qui peccare actualiter possunt, atque adeò aliquid de spiritualibus viribus amittere, quod restauratione indigeat, in illa sententia Ioann. 6. de necessitate Eucharistiæ ad vitam æternam, comprehendere debemus. In alia autem de necessitate baptismi cap. 3. paruulos etiam oportet includere; quoniam hi quoque regeneratione spirituali simpliciter opus habent, vt spiritualem vitam acquirant, & eiusmodi quoque regenerationis participes esse possunt. Quare etiam Actor. 2. 38. dicitur à S. Petro: *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.*

Quia autem, vt notauimus supra, agimus in præsenti de necessitate Baptismi abstrahendo à modo, scilicet, quod reipsa accipiatur, vel tantum habeatur in voto efficaci per actum doloris perfecti de peccatis cum aliquo desiderio recipiendi baptismum aquæ; vel quod fiat per sanguinem, & martyriũ, quatenus etsi baptismus aquæ consideratus præcisè secundum suam essentiam & naturam distinguatur ab aliis duobus, qui dicuntur flaminis, vel pœnitentiæ, & sanguinis; nihilominus tamen hi duo vicem eius supplere dicuntur, delendo nimirum in non baptizatis peccatum originale, & alia sibi coniuncta, per gratiam, quæ tunc confertur à Deo, qui ex institutione Christi principalis est effectus Baptismi aquæ; vndè etiam, quæ ante huiusmodi institutionem, perfectus dolor de peccatis, & martyrium baptismi nomen haud habebant, nunc ea supposita illud habent, delentque peccatũ originale provt includunt aliqua ratione baptismũ aquę in voto, dicuntque ordinem, & habitudinem ad illum tanquam analogata ad suum analogum, baptismo aquæ sine vllo ad ea ordine illud remittente, vbi realiter suscipitur; Agendo, inquam, in nostra cõclusione de necessitate baptismi in sensu explicato, non desunt loca Scripturæ, quibus probetur, simulque in eo intelligendum esse præfatum Sãcti Ioannis locum cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c.

Huiusmodi sunt maximè sequentia, de charitate Ioannis 14. 21. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum:* de morte pro Christo, Matth. 10. 39. *Qui perdiderit animam suam propter me inueniet eam*; & ibidem: *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Cum enim tales promissiones vitæ æternę, & ex consequenti gratiæ iustificantis, quæ ad illã necessariò prętrequiritur, tam simpliciter, & absolutè fiant omnibus adultis diligentibus Deum, nulla autem facta distinctione ętatis, omnibus, & singulis martyribus, quia infantes etiam possunt martyrium pati pro Christo, licet actu eum diligere nequeant; quàm ijs qui Sacramentum baptismi debitè receperunt; tamque generales sint, ac illa comminatio Christi Domini explicantis necessitatem baptismi in ratione medii ad consequendam vitam æternam loco citato S. Ioannis; manifestè sequitur tam certum esse, adultum perfecto charitatis actu, verumque martyrem, etiam infantem sua passione, vbi non datur eis opportunitas realiter suscipiẽdi baptismum aquæ, gratiam consequi, remissionemque omnium peccatorum, propter dictas Christi promissiones: Quam certum est, neminem sine batismo esse saluandum, propter illud Christi Domini, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* atque adeò restringendam nõ esse talem sententiam ad susceptionem realem baptismi,

mi, sed vbi alicui non suppetit facultas ita illum recipiendi, satis esse baptismum, qui dicitur *flaminis*, nec non aliũ qui dicitur sanguinis, ita dictos, quia, vt statim notauimus, supplent tunc vicem baptismi aquæ, & in ordine ad illum remittunt peccatum originale; vt docent Patres inferius citandi, singulariter Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Leo Papa, Bernardus, & alij.

Quodque attinet ad Martyrium, illud nimirum prodesse etiam paruulis, supplereq; in illis vicem baptismi aquę, habemus expressam Ecclesiæ authoritatem; quæ ideo celebrat solemniter festum diem Innocentum, tanquam omnino Sanctorum, hoc ipso, quod Christi causa sunt occisi; verisimile enim saltem est, nonnullos inter illos fuisse, quibus non fuerat applicatũ aliud salutis remedium, nempè Circumcisionis; cum probabile sit, aliquos fuisse occisos ante octauum à natiuitate diẽ, quo primùm die circumcidere licebat: Occidebantur enim omnes sine discrimine *à bimatu, & infra*; nec non etiam inter istos infantes, aliquos fuisse Gentilium, qui fortè tunc in illis partibus habitabant. Quare meritò Sotus in 4. sentent. dist. 3. quæst. vnica art. 11. alijque Theologi communiter existimant plusquam falsam, id est erroneam esse, cumque authoritate Ecclesiæ pugnantem opinionem Armacani lib. 8. de qq. Armenorum, cap. 37. & Adriani in quæstione de baptismo, quæstiuncula 3. ad 3. asserentium, Martyrium per se nihil prodesse paruulis, proindèque Ecclesiam non celebrare festum omniũ illorum Innocentum, sed eorum duntaxat, qui alioqui fuissent per Circumcisionem, vel per remedium legis naturæ sibi applicatum ante octauum diẽ purgati à peccato originali. Nã cũ Sancti Patres de Sanctis Innocentibus agẽtes, deque Ecclesiæ vsu in illis colẽdis, non ideò dicant eos sic coli, quia fuerint aliquo prius remedio iustificati, sed affirmẽt simpliciter, & absolutè absque vlla prorsus distinctione, illos omnes, nullo excepto, quamuis probabile sit, non eos omnes fuisse à peccato originali emundatos, vt diximus, præcisè ob Martyriũ pro Christo Domino perpessum, colij, & venerari ab Ecclesia; quin imo Diuus Augustinus lib. 3. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 4. & Sanctus Leo serm. 1. de Epiphania c. 3. inferius adducendi, præsentientes huiusmodi distinctionem expressè docuerint: *Illos tali suo martyrio purgatos fuisse à peccato originali*, quibus nimirum antea non fuerat dimissum, *& Christũ iam Martyrij tribuisse dignitatem, quibus nondum sanguinis sui impenderat redemptionem*, quam tamen impedisset, si iam omnes fuissent à peccato originali purgati, cum nec circumcisio legis Mosaicæ, nec remedium legis naturæ delerent peccatum originale, nisi ex Christi Domini sanguine, seu applicatione passionis, & mortis Christi Domini; dubitari non potest, quin martyrium illis etiam profuerit infantibus, qui adhuc detinebantur in peccato originali, eumque habuerit in ipsis effectum, quem noster baptismus aquæ habet in nobis comparatione eiusdem peccati delendi.

Quamuis enim non satis inter Doctores conueniat, quomodo Martyriũ ipsum valeat ad salutem, præsertim paruulis, qui nõ oppetunt mortem ex proprio actu charitatis, tamen certum est apud omnes, illud aliqua tandem ratione ad eam valere. Et nonnulli quidem existimant, quòd valeat ex opere operato, id est, ita vt saltem tanquam causa moralis conferat, secundum adductam supra Christi promissionem, gratiam Martyribus, quam tamen quia nõ confert, vt signum ipsius ex peculiari institutione diuina, ideo non habet rationem Sacramenti, vt male inferunt, vel malè concedunt aliqui, inter quos est Maior in 4. dist. 4. q. 3. quẽm refellit Sotus loco superius citato art. 11. Sicut etiam controuersia est inter eosdẽ Doctores Catholicos, quale debeat esse in

se in adultis hoc votum baptismi aquę, quod deficiente eius copia sufficiat ad salutem. Explicitumve, an verò satis sit implicitum? Cui breuiter respondeo cum distinctione, nempè si quis non audierit expresè de Christo, Religione que Christiana sufficere votum Baptismi implicitum, quod in ipsa legitima pœnitentia, & charitate, atque adeo in baptismo ipso flaminis continetur; hoc enim ipso, quod aliquis debita charitate diligit Deum, & peccatorum illum pœnitet, ita comparatus est, vt si de baptismo aquæ audiret, vellet illum suscipere, quod est habere votum illius implicitum. Si quis autem Christi, Religionisque Christianæ notitiam habet, huic votum expresũ Baptismi necessarium esse ad salutem videtur; colliguntque aliqui doctores ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. vbi dicitur post fidem Christi ex auditu conceptam, &c. necessarium ad iustificationem esse in adultis *Baptismi saltem propositum*. Etenim propositum, quasi consilium quoddam expressum, & deliberatum faciendi aliquid, significat.

Post verbum Dei scriptum satis huc vsque expensum habemus etiam traditum pro necessitate baptismi in sensu explicato, omnibus hominibus cuiuscunque sint ętatis, & conditionis, prout Patres infallibiles illius testes vnanimiter affirmant; dum, vt omnia simul comprehendamus, vniuersim docent, baptismum esse primum nouæ legis Sacramentum, sine quo nemo saluari potest; tum in speciali infantes esse baptizandos, propria fide carere, & sine baptismo, aut aquæ, aut sanguinis per martyrium saluari non posse.

Ex Patribus Gręcis Clemens Romanus epist. 4. & lib. 6. Constitut. Apostol. cap. 15. *Baptizate*, inquit, *pueros vestros infantes*, &c. Dionysius Areopagita Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. & 7. Iustinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium. Irenæus lib. 2. cap. 39. *Omnes venit Christus per semetipsum saluare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, & paruulos, & pueros, & iuuenes, & seniores*. Item lib. 3. cap. 19. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pędagogi cap. 6. Origenes homil. 8. in Leuiticum, 4. in Cantica tract. 7. in Matthæum, homilia 14. in Lucam. *Quia per Baptismi Sacramentũ natiuitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur paruuli. Nisi enim quis renatus fuerit*, &c. & libro 5. in c. 6. ad Romanos; Gregorius Taumaturgus in orat. de Baptismo Christi, siue Theophania Domini; Eusebius Cæsariensis Vitæ Constantini lib. 4. cap. 61. Cyrillus Hierosolymitanus præfat. in Catecheses, & Cathechesi 3. Basilius Magnus exhortatione ad Baptismum, quæ est homilia 13. libro de Spiritu S. c. 14. & 15. vbi expressissime Baptismũ aquæ, & eius necessitatẽ confirmat ex illa sententia Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto* &c. vndè quod ait Kemnitius in examine can. 2. sess. 7. Concil. Trident. Basilium aquã in illo loco interpretatum alicubi esse tribulationem, falsum est, nec reperitur talis locus, sed etiam si alicubi ita metaphoricè illam aquam intellexisset, certum tamen est ex eius sententia dicto loco *propriè* in primis accipi debere. Gregorius Nazianzenus orat. 40. quæ est in Sanctum Baptisma; vbi dum ait: *Si eum, qui animo tantum, & voluntate non autem reipsa cædem perpetrauit, cædis damnandum putas: sit sanè is quoque apud te pro baptizato, qui baptismum citra baptismi susceptionem expetiuit. Sin autem illud absurdum est: quomodo hoc consistere possit haud sanè perspicio*. Hæc, inquam, verba nihil obstant dictis de necessitate, & valore baptismi in voto, cum quis non habet copiam illius in re; loquitur enim Nazianzenus de eo qui cupit quidem baptismum, sed sine adiuncto perfectæ charitatis, vel pœnitentię actu, quo assequatur præcipuum baptismi effectum, nempè salutem, iuxa promissiones diuinas contentas in Scriptura. Talis autem, etsi ob baptismi contemptum à Deo non puniretur,

vt

vt etiam ibi Nazianzenus dicit, haud tamen consequeretur salutem. Siquidem non qualecuuque votum baptismi ad illam sufficit, sed quod sit coniunctū cum perfecta charitate, vel pœnitentia. Sanctus Epiphanius hęresi 8. de Epicuri secta: *Magna*, inquit, *Circumcisio Baptismus, circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei*. Gregor. Nyssenus in oratione de Sancto Baptismate; Ioannes Chrysostomus homilia 39. & 40. in Genesim, in Psalmum 14. homilia 25. in Ioannem, homilia ad Neophytos, & de Adam, & Eua: *Ideò*, inquit, *prædicat Ecclesia Catholica vbique diffusa, debere paruulos baptizari propter originale peccatum*. Cyrillus Alexandrinus de recta fide ad Theodosium, & lib. 2. in Ioannem cap. 41. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 195. *Quidam nimis tenuiter, & ieiune aiunt, infantes*, quando scilicet baptizantur, *spurcitiam eam, quę ob Adami transgressionem ad humanam naturam transfusa est, eluere. Ego vero hoc quidem etiam fieri persuasum habeo: at non solum: (neque enim id tam magnum esset) verum alia quoque multa, naturam nostram longè superantia, beneficia nobis concessa esse*, quæ ibi prosequitur. Theodoretus ad cap. 10. epist. ad Hebręos. Diadochus de perfectione spirituali cap. 78. Olympiodorus Diaconus ad cap. 9. Iob: *Quid attinet de homine plura dicere? Quandoquidèm neque hominis procreationem sine sorde, & peccato esse contingit? Proindè baptizantur infantes, vt macula, quam ex Adami præuaricatione contraxerant, eluatur*. Andreas Cęsariensis ad cap. 12. Apocalypsis. Ioannes Maxentius in professione fidei: *Propterea recentes ab vtero paruulos non tantùm, vt adoptionem mereantur, aut propter regnum cælorum; sed in remissionem peccatorum credimus baptizari ne pereant in æternum*. Procopius Gazæus ad cap. 1. Isaiæ. Iustinianus Imperat. in Authentic. de Samaritanis: Anastasius Synaites lib. 6. Hexam. Isychius Hierosolymitanus lib. 1. in Leuiticum cap. 5. & lib. 2. cap. 6. Germanus Constantinopolitanus in Theoria; Ioannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ fidei, cap. 9. Euthymius ad cap. 5. Ioannis. Theodorus Balsamon. ad can. 85. Synodi Trullani, *vt scilicet baptizarentur, de quibus dubitabatur, an baptizati essent*. Zaga Zabo Aethiops in cōfessione fidei Aethyopicæ. Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha Responso 1. cap. 9. *Nono dicitur, baptizandos esse infantes, nec adultiorem ætatem expectandam esse. Hoc apud nos quoque fit; vt ne quid accidat re dilata*. Hactenus Græci, Orientalesque Patres, & Doctores.

Ex Patribus Latinis eiusdem veritatis testibus, primus occurrit Tertullianus de Baptismo cap. 4. 5. 12. & 13. *Hic ergo scelestissimi illi* (Caini hæretici) *prouocant quæstiones. Adeò dicunt, Baptismus non est necessarius, quibus fides satis est*, &c. quod ibi refutat, ostendens necessitatē baptismi in lege Euāgelica; & in libro, quem *Scorpiacum* inscripsit, versus finem asserit, talem esse martyrii efficaciam, vt suppleat vicem baptismi aquę. Cyprianus epistola 2. 59. 76. sed 59. potissimum agit de baptismo infantium, & 53. ad Iubaianum, nec non in præfatione suæ ad Martyres exhortationis expresse docet Cathecumenos integram fidem, & veritatem Ecclesiæ tenentes, quibus non datur occasio recipiendi baptismum aquæ, raptos ad martyrium non priuari baptismi Sacramento, scilicet quoad effectum eius, *vt potè*, inquit, *qui baptizentur gloriosissimo, & maximo sanguinis baptismo*. Vndè, vbi in epistola 54. ad Cornelium ait, *Martyrium non sufficere lapsis*, ad gloriam, *nisi prius acceperint ab Episcopo pacem, & absolutionem peccatorum*, proptereaque à fortiori inferunt aliqui martyrium non sufficere ad salutem nisi baptismus aquæ de facto recipiatur; Respondendum est Cyprianum, & Patres Concilij Africani ibi tantum locutos fuisse de eo casu, in quo lapsi possunt accipere beneficium absolutionis antequam patiantur martyrium;

quia in tali opportunitate, hæc omissio reputatur esse, ex parte lapsorum, quædam præsumptio, & contemptus absolutionis accipiendæ, sicut ex parte Pastorum Ecclesiæ nolentium illam impendere, quædam negligentia, & crudelis esset durities, vt clarè intelligitur ex ipsomet textu. At instante periculo mortis, & negata opportunitate recipiendi baptismum aquæ, martyrium supplere illius effectum docuit apertè Cyprianus locis citatis, quique inter opera eius author est libri de singularitate Clericorum, vbi ait martyrium ideò tam appellari baptismum, quam coronam, *quia*, inquit, *baptizat pariter, & coronat*: Quare nos similiter asserimus; si quis nondum baptizatus rapiatur ad Martyrium, & ei liberum, seu etiam opportunum sit, ante illud suscipere baptismum aquæ, tunc tenetur illum recipere; & si ex contemptu illum non reciperet, vt martyr dicendus non esset, ita nec per martyrium Sacramenti Baptismi effectum percipere: sicque aliquando legimus in historijs Martyrum, quosdam nondum baptizatos, incarceratos tamen propter Christum, licet martyrium illorum instaret, fuisse etiam in ipso carcere baptizatos baptismo aquæ, cuius copiam habebant.

Lactantius Firmianus lib. 3. Institut. cap. 26. Hilarius contra Arianos, & in psal. 63. Ambrosius lib. 10. epist. 84. de Mysterio Paschæ cap. 5. & lib. 2. de Abraham cap. 11. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum necessitate. Habeant illam opertã pœnarum immunitatem, nescio an habeãt regni honorem.* Quod autem lib. de ijs qui initiantur cap. 4. doceat, Cathecumenos, si absque baptismo aquæ decedant, non consequi vitam æternam; atque adeo satis non esse ad salutem votum illius; siue baptismum flaminis; respondetur id minimè sequi in Cathecumenis, aut alijs adultis, qui, nulla sibi copia facta accipiendi baptismum aquæ, eliciunt perfectum charitatis, vel contritionis actum, tales enim saluari, Ambrosiũ tenuisse satis colligitur ex oratione funebri in obitu Valentiniani Iunioris, vbi eum, quamuis non baptizatum credit esse saluum, eo quod cum voto baptismi mortuus fuisset. Quare loco citato loquitur solum de Cathecumenis, qui sua graui negligentia, vel aliquo contemptu omiserunt baptismum, quique consequenter licet veram potuerint habere fidem, secus autem perfectam charitatem, quæ nequaquam stare potest cum dicta negligentia, vel contemptu, sicut nec salus sine illa.

Pacianus sermone de baptismo. Optatus Mileuitanus lib. 3. & 5. contra Parmenianum. Hieronymus epist. 83. ad Oceanum cap. 2. 7. ad Lætam, dialogo 3. contra Pelagianos cap. 6. & alibi passim. Chromatius ad cap. 6. Matthæi. Augustinus lib. 1. cap. 13. & lib. 3. c. 3. contra duas epistolas Pelagianorum; in Enchiridio ad Laurentium c. 6. lib. 4. contra Donatistas cap. 23. & 24. vbi de baptismo paruulorum, etsi nondũ possint corde credere; item de Genesi ad litteram lib. 10. c. 23. epist. 28. ad Hieronymum; & 89. Libro autem 13. de Ciuitate Dei cap. 7. Baptismum sanguinis agnoscit, nec non lib. 4. contra Donatistas cap. 22. tum lib. 3. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 4. vbi agens de spiritualibus bonis, quæ Herodes suo infanticidio causauit Innocentibus inter alia ait: *Nam & ipsi, qui moriebantur, natura filij iræ erant*, scilicet qui ex Hebræis circumcisi adhuc non fuerant, *sed quid eis præstitit gratia, nisi erueret eos de potestate tenebrarum, præstitit eis Christus, vt pro Christo morerentur, præstitit, vt suo sanguine ab originali peccato diluerentur, nati sunt ad mortem, sed continuo eos mors reddidit vitæ*. Denique Baptismum etiam flaminis supplere vicem baptismi aquæ in adultis docet lib. 4. contra Donatistas citatis capitibus 22. & 25. item lib. 5. cap. 2. Vndè quod ait tractatu 13. in Ioannem, & lib. 1.

lib.1. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 8. *Peccatum in ijs remanere, quamdiu sunt Cathecumeni*, eodem modo debet intelligi, ac simile Sancti Ambrosij dictum, vt notauimus supra; vel etiam dici potest Augustinum primo loco sermonem habere de Cathecumeno arroganti, qui ex eo quod viuat continens (est enim hoc eius exemplum) vel exerceat aliqua opera exteriora, nobiliora operibus exterioribus alicuius fidelis baptizati coniugati putat ex superbia se non indigere baptismo, eumque dedignatur; & tali rectè ait Diuus Augustinus, quantumcumque proficiat, id est exerceat opera exteriora nobilia, vt quod viuat cælebs continens, & alia id genus præstet, quæ ostendant abundantiam alicuius gratiæ exterioris, sicut videntur fuisse in nonnullis Gentilibus actus exteriores aliquarum virtutum, in quibus tamen non erat gratia iustificãs, sarcinam iniquitatis, id est peccata dimitti tantum cum venerit ad baptismũ, huiusmodi enim arrogantia est quidam obex gratiæ, qui tunc tollitur, cum debitè venit de facto ad baptismum aquæ cuius copiam habet, vel si non habet, perfecta peccatorum suorum contritione.

Maximus Taurinensis homilia 2. de eleemosyna; Leo Papa I. serm. 1. de Epiphania cap.3. Baptismum sanguinis, siue peccati originalis remissionem per martyrium in Sanctis Innocentibus agnoscit. Arnobius Romanus ad psal. 74. explicans illud, *tu confregisti capita draconum in aquis*; & ad psal. 104. Petrus Chrisologus homil. 137. Eucherius Lugdunensis homilia generali de Sancta Trinitate. Prosper lib.1. de vocatione Gentium cap.22. & lib. 2. c. 20. necessitatem baptismi asserit; Epigrammate autem 87. suppleri per martyrium:

Si mundo moritur diuino fonte renascens
Fitque nouus vita, qui sepelitur aqua:
Fraudati non sunt sacro baptismate Christi,
Fons quibus ipsa sui sanguinis vnda fuit:
Et quidquid sacri fert mystica forma lauacri,
Id totum impleuit gloria martyrij.

Cæsarius Arelatensis homil.5. & 7. de Paschate. Faustus Rhegiensis lib.1. de libero arbitrio c. 15. Fulgentius de Incarnatione, & gratia Christi cap.30. & de fide ad Petrum Diaconum cap. 27. Primasius cap.4. ad Rom. Cassiodorus ad Psalmum 22. & 50. Gregorius Magnus lib. 4. Moral. cap. 3. Isidorus Hispalensis lib.2. de Ecclesiasticis officijs cap.24. & lib.1. de summo bono c.24. Eucherius Gallus lib.4. Regum cap.20 Aponius in Cantic. lib.3. Beda lib. qu. q.15. ad cap.7. Marci, & 8. Ioannis. Alcuinus lib. 2. in Ioannem, & de diuinis officijs cap.21. Haimonius homilia in Octaua Pẽtecostes, & homilia de Ascẽsione Domini. Vvalafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 26. Amalarius Treuirensis lib.1. de officijs Ecclesiasticis cap.24. Rabanus Maurus lib.1. de institutione Cleri cap.26. & de Vniuerso lib. 4. cap. 10. Paschasius Ratbertus de corpore, & sanguine Domini cap.3. Remigius Antsiodorensis ad psal.17. & 77. Smaragdus Abbas in epist. de Sabbato Pentecostes. Fulbertus Carnotensis epist.1. ad Adeodatum. Anselmus ad cap. 15. Matthæi 6. ad Romanos, & 7. prioris ad Corinthios: *Nec paruuli de quibuslibet Sanctis, iustisque procreati, originalis peccati reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptizati.* Iuo Carnotensis sermone de Sacramentis Dedicationis. Rupertus lib. 4. de diuinis officijs cap.18. Bernardus epist. 77. & 290. serm.66. in Cantica, vbi disputans contra Petrobusianos, qui negabant paruulos esse baptizandos ait: *Qui hæc credit, facilè huic persuadebitur, meritò Ecclesiam præsumere non solùm paruulis in sua fide baptizatis salutem sed etiam interfectis pro Christo infantibus coronam martyrij.* Vbi mellifluus apertè docet, nec non epistola 77. ad Hugonem, Baptismum sanguinis supplere

plere vicem baptiſmi aquæ, etiam in paruulis, tum in adultis baptiſmum flaminis: *In maiori*, inquit, *ætate, quiſquis poſt vulgatum baptiſmi vbique remedium, renuit iam baptizari, generali originalique maculæ addit, & ex proprio crimen ſuperbiæ, duplicem ſecum portans iuſtiſſimæ damnationis cauſam, ſi ſic de corpore exire contigerit. Tamen ſi ante exitum reſipuerit, & voluerit, & petierit baptizari, ſed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiuerit, dum non deſit fides recta, ſpes pia, charitas ſincera, propitius mihi ſit Deus, quia huic ego ob ſolam aquam, ſi defuerit, nequaquam omnino poſſum deſperare ſalutem, nec vacuā credere fidem, nec confundere ſpem, nec excidere charitatem, tantùm ſi aquam non contemptus, ſed ſola, vt dixi prohibeat compoſſibilitas*. Hugo Victorinus tr.5. de Sacramento baptiſmi cap.6. *Quæritur de paruulis, qui ſine baptiſmate moriuntur, non ex contemptu Religionis, ſed quia non poteſt ſuccurri ijs neceſſitate aliqua, vtrum ſaluentur? Ad quod dicitur, quod non ſaluantur: quia non habent fidem, quæ in adultis, cum non ſit contemptus Religionis, vicem baptiſmi ſupplet*; vbi non de quacumque, ſed de fide charitate formata loquitur. Idem docet lib. 2. de anima cap. 28. Richardus Victorinus tract. de iudiciaria poteſtate: *Paruulorum*, inquit, *ſtatim poſt baptiſma morientium, tam eſt certa ſaluatio, quam non credentium certa damnatio*. Petrus Lombardus in 4. ſent. diſt.3. l. de cauſa inſtitutionis Baptiſmi; diſt. 4. quid proſit Baptiſmus his qui cum fide, & charitate ad baptiſmū accedunt; quodq; paruulis non ſufficit fides Eccleſiæ ſine Sacramento; Tandem, qui deinceps ſecuti ſunt, omnes Theologi, Catholicique doctores, hanc à maioribus acceptam veritatem de neceſsitate Baptiſmi in ratione medij omnibus hominibus cuiuſcunque ſint ætatis, & cōditionis, abſtrahendo à modo, nobis etiam fideliter conſignarunt, præſertim Angelicus Doctor Diuus Thomas Aquinas.

Ratio autem talis neceſsitatis deſumitur ex hoc, quod, vt diximus tom.3. lib.3. ſect.3. cap.6. extra veram, & vnicam Chriſti Eccleſiam non eſt ſalus, vel quod idem eſt, nullus ſaluari poteſt, niſi vt Chriſtianus, hoc eſt, per Chriſtum, cuius membrum fiat per ingreſſum in veram ipſius Eccleſiam; iuxta illud Act.4. *Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*; & Roman. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ*. Sed nequit homo fieri Chriſtianus, ſeu membrum Chriſti per ingreſſum in veram eius Eccleſiam, niſi baptiſmo aquæ regeneratus, qui ſolus eſt Sacramentum; vel in huius impoſsibilitate, baptiſmo, aut ſanguinis, nempè martyrij, aut flaminis, id eſt, charitatis, vel pœnitentiæ, qui dicitur etiam baptiſmus in voto; Ad æternam igitur ſalutem neceſſarius eſt neceſsitate medij cunctis hominibus, cuiuſcunque ſint ætatis, & conditionis, baptiſmus abſtrahendo à dictis modis: adeo vt illa priuetur infans, ſi moriatur ſine baptiſmo, vel aquæ, vel ſanguinis, nam voti eius capax non eſt; & adultus, ſi moriatur ſine baptiſmi voto, ſeu deſiderio, quod procedat ex fide per charitatem operante, ac proindè illum iuſtificante.

Inſuper probatur, huiuſmodi neceſſitatem baptiſmi reſtringendam non eſſe ad ſolum aquæ baptiſmum in re ſuſceptum, ſeu quod idem eſt, illā Chriſti ſententiam Ioannis 3. *Niſi qui renatus fuerit, &c.* ſi intelligatur de ſolo aquæ baptiſmo, non eſſe ita generalem, quin idem Chriſtus alia ſua ſententia ſuperius citata, non minus generali viros pro ſe martyres fecerit exceptos, quinque conſequenter martyrium baptiſmi aquæ effectum ſupplere poſſit, delendo in non eo baptizatis peccatū originale: Si enim Chriſtus rem ita ſe habere noluiſſet, non ita mortem pro ſe oppetitam commendaſſet; nulla etiā diſtinctione facta infantium, & adultorum,

rum, quia scilicet, infantes quoque martyrij sunt capaces, ad illud enim non requiritur, quod ex propria charitate, aut alia virtute subeatur, sed sufficit sola mors actualis, pro Christo recepta, vndè præcisè sumptum solet definiri, *actualis mors pro Christo, vel Deo recepta*; quo modo abstrahit ab actu virtutis, & non virtutis actu; consideratum autem postea quo ad modum, quo potest euenire, diuiditur in illud, quod est per opus alicuius virtutis puta charitatis, fortitudinis, siue etiam religionis; & in illud, quod est opus duntaxat toleratum, seu actualis mors pro Christo tolerata; quo priori modo, licet sit tantum in adultis habentibus vsum rationis, posteriori tamen posse reperiri in infantibus, & amentibus, Deumque annexuisse vtrique modo infallibiliter collationem gratiæ sanctificantis, clarè demonstrant, quæ adduximus supra de Sanctis Innocentibus.

Tandem baptismum aquæ suppleri quoque in adultis, eius copiam non habentibus, per baptismum flaminis, siue per actum perfectæ charitatis, vel contritionis, patet *tùm* ex citata superius sententia Ioannis 14. *tùm* ex eo quod idem Christus Dominus apud Sanctum Marcum capite vltimo sic dicens: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, non adiecit, *qui verò crediderit, & non baptizatus fuerit, condemnabitur*, sed tantum simpliciter, nulla facta iterum mentione baptismi, sed duntaxat veræ, & viuæ fidei, hoc modo, *qui verò non crediderit condemnabitur*; tali enim verborum temperamento Diuus Bernardus epist. 77. ad Hugonem, in qua ex professo probat nostram propositionem, docet significari, occasionem posse dari adulto, qua baptismo aquæ omisso salutem nihilominus consequatur: At hoc habet maximè locum, quando adultus nondum baptizatus debitam habet charitatem, suorumque peccatorum contritionem, nec stat per eum quin baptizetur: Ergo tunc consequetur salutem, & ex consequenti remissionem tàm originalis culpæ, quàm aliorum peccatorum, sicque baptismus flaminis, supplebit vicem baptismi fluminis; *Tùm* quia 2. Corint. 8 ait Apostolus: *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet*, nam voluntas apud Deum pro facto reputatur, quando deest operis ipsius facultas: sed cōtritus de peccatis desiderans baptismum aquæ, promptam habet pro eo recipiendo voluntatem, si opportunitas adesset: Igitur voluntas eius accepta est Deo, & proindè supplet, quod præstaret baptismus aquæ. *Tùm* denique ex sequenti ratione, quicumque enim potest habere vltimam dispositionem ad gratiam iustificantem sine reali susceptione baptismi aquæ, potest etiam, & sine illo habere eamdem gratiam, si quidem forma sequitur ad vltimam dispositionem, & ex consequenti potest habere remissionem peccati originalis, & actualium, si quę sint in illo: atqui potest quis adultus, nondum baptizatus habere debitam contritionem de suis peccatis, quæ est vna ex vltimis ad gratiam dispositionibus, vt patet de Cornelio Centurione Actor. 10. qui post pręceptum baptismi promulgatū iustificatus est ante realem susceptionē baptismi aquæ: Igitur aliquis adultus ante illam debitè contritus de suis peccatis, potest accipere remissionem illorum, & ex consequenti talis contritio, quæ tunc nihil est aliud, quam baptismus flaminis, vel baptismus aquę in voto, poterit supplere vicem baptismi aquæ in re, seu realem eius susceptionem.

Priusquam ad alias deueniamus cōclusiones, superest vt vni, aut alteri obiectioni contra iam præiactam breuiter satisfaciemus. Prima est, quia tota baptismi necessitas in ratione medij, fundatur in eo, quod ad consequendā vitam æternam, deletio peccati originalis prærequiratur; sed aut tale peccatum non datur, aut si datur eius deletio potest alio medio, quam baptismo

aquæ

aquæ obtineri, nimirum per solam Dei gratiā, quæ non alligatur signis exterioribus, de quorum tamen numero est baptismus aquæ: ille igitur non est hominibus necessitate medij ad salutem necessarius.

Respondetur ad hoc argumentum, primò negando minorem, quo ad primam partem, iam enim ostendimus supra cap. 4. dari peccatum originale; sed esto non daretur, non propterea statim neganda esset baptismi necessitas; Pelagiani enim, licet negarent peccatum originale esse in pueris, & baptismum ex hoc capite, seu titulo illis esse necessarium; attamen concedebant illis esse necessarium pro cōsequendo regno cœlorum, & ita explicabant locum S. Ioannis cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Quod in altera eiusdem minoris parte dicitur, alio quam baptismo aquæ medio, posse tolli peccatum originale, nimirum per solam Dei gratiam, negandum est si sermo sit de facto, seu iuxta potentiā eius ordinariam; Pro cuius explicatione aduertendum est, gratiam, qua Deus remittit peccatum, vel homines sanctificat, posse considerari dupliciter. Primo per respectum, & comparationem ad absolutam Dei potentiā, qua, antequam statuerit aliquid hoc vel illo modo tantum esse faciendum, potest quicquid non implicat fieri. Secundò per respectum, & comparationem ad ordinariā tantū eius potentiā, qua decreuit ista hoc & isto modo facere, & iuxta hanc duntaxat suam institutionem homines gubernare, etiam in ordine ad vltimum finem vitæ æternæ. Etsi igitur libenter admittamus, gratiam illam, qua peccatum deletur, hominesque iustificantur, spectatam in ordine ad absolutam Dei potentiam, non esse alligatam aliquibus signis exterioribus à se institutis, quatenus dubio procul potest absque illis immediatè suam infundere gratiam; quia tamen hic debemus considerare talem gratiam per respectum ad ordinariam Dei potentiam, & constitutiones ab illo actas; iuxta quas, secundum quod nobis diuinitus reuelatum fuit, voluit remissionem peccatorum hominibus non baptizatis, non aliter fieri, quam per baptismum, inde fit, quod secunda etiam minoris pars, pro vt applicatur præsenti controuersiæ, quæ tantum procedit de eo, quod Christus Dominus de facto instituit, sit simpliciter, & absolutè falsa. Nec propterea sequitur, gratiam illam, qua peccatum tollitur, non pendere omnino à gratuito Dei beneplacito, quocumque enim modo conferatur, siue cum Sacramentis, siue absque illis, semper est effectus gratuitæ voluntatis eius, cuius Sacramenta sunt mere libera instrumenta, nullisque antecedentibus hominum meritis instituta.

Secundò responderi potest, ad eamdem secundam minoris partem, reducendo illam ad bonum sensum nostræ conclusionis, & concedendo, si sermo sit, quod baptismus aquæ ijs, qui baptizari possunt, non ita ad salutem necessarius sit, vt nullo alio modo, neque in vllo casu, sine illo *reipsa* suscepto, salutem consequi valeant: Qua sane ratione est ad salutem *necessaria* ipsa gratia, & remissio pecatorum, vt patet. Quando enim alicui non suppetit facultas suscipiendi realiter baptismum aquæ, voluit Deus, vt probauimus supra, suppleri eius effectum per *baptismum flaminis*, & sanguinis; *nulla autem alia ratione*, vt dicetur in sequentibus conclusionibus.

Altera obiectio est. Quia eadem videtur esse ratio baptismi *in noua lege*, ac circumcisionis *in veteri*; sed non omnes etiam infantes Iudæorum, qui sine circumcisione moriebantur, in lege Mosaica, damnabantur exempli gratia, qui moriebantur ante diem octauum. Item qui in deserto mortui sunt eo tempore, quo omissa fuit circumcisio, vt habetur libri Iosue cap. 5.

Ergo

Ergo neque etiam omnes, qui in noua lege moriuntur sine baptiſmo aquæ, damnantur.

Reſpondetur ad hoc argumentum, concedendo maiorem, eamdem ſcilicet eſſe conditionem baptiſmi, ac circumciſionis, quo ad deletionem peccati originalis; vndè ſicut qui in lege Moſaica moriebantur infantes ſine circumciſione poſt octauum diem, vel ante illum ſine remedio legis naturæ, damnabantur ob ſolum peccatum originale, ita & qui in noua lege moriuntur ſine baptiſmo aquæ, vel ſanguinis, cuius per martyrium ſunt etiam capaces infantes, damnantur quoque ob idem peccatum. Cæterum diſpar fuit ratio circumciſionis quo ad tempus, quo debebat conferri ex diuina inſtitutione, ſcilicet ad diem octauum natiuitatis; quare qui ante illum moriebantur, cum non poſſent, præciſè loquendo, damnari ex defectu circumciſionis illis non applicatæ, debebat illis ſubueniri per remedium legis naturæ, quodcumque illud fuerit, quo etiam facilius peccatum originale remittebatur: At Chriſtus Dominus inſtituendo neceſſitatem baptiſmi, locutus eſt ſimpliciter, & abſolutè, nullum determinando natiuitatis tempus, *Niſi quis*, inquit, *renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: Vndè cum infans ſtatim atque egreditur, poſſit validè, & fructuosè baptizari, quouis loco & tempore: item & aqua, eius materia remota ſit cuilibet obuia, nullumque infans ex baptiſmo incurrat periculum vitæ, facilè intelligitur non eſſe eamdem quo ad hoc baptiſmi conditionem, quæ fuit circumciſionis, aliquos videlicet nondum octauum diem aſſecutos potuiſſe ſaluari, imo & de facto fuiſſe ſaluatos alio remedio, quam circumciſione, qui nunc in eadem ętate ſine baptiſmo aquæ reipſa ſuſcepto, non poſſunt ſaluari.

Quantum ad Circumciſionem per tot annos intermiſſam, vt dicitur loco citato libri Ioſue, fatemur id eſſe verum, ſed id eſſe factum vel ex diſpenſatione Dei, vt volunt aliqui, vel vt ait Diuus Thomas 3. p. q. 70. art. 4. ad 3. *Populus in deſerto prætermittens mandatum circumciſionis excuſabatur: tum quia neſciebant, quando caſtra mouenda erant: tum quia, vt Damaſcenus dicit, non neceſſe erat eos aliquod ſignum diſtinctionis habere, cum ſeorſim ab alijs populis habitabant. Et tamen vt Auguſtinus dicit, inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu prætermittebant. Videtur tamen quod nulli incircumciſi mortui fuerint in deſerto: quia vt in Pſal. 104. dicitur, non erat in tribubus eorum infirmus: ſed illi ſoli videntur mortui in deſerto, qui fuerant in Aegypto circumciſi. Si tamen aliqui incircumciſi mortui ſunt, eadem ratio eſt de his, & de his, qui moriebantur ante circumciſionis inſtitutionem. Quod etiam intelligendum eſt de pueris, qui moriebantur ante octauum diem tempore legis*. Eos nimirum excluſos non fuiſſe à ſalute, quia vtebantur remedio legis naturæ: quod in lege noua eſt abrogatum, eiuſque loco ſolum habemus baptiſmum.

Secunda concluſio, omnibus, & ſingulis infantibus quorumcumque infidelium, tam eorum, ad quos euulgatio Euangelij prætenditur nondum ſufficienter facta, quam eorum quibus eſt facta ſufficienter, Baptiſmus aquæ eſt, extra verum pro Chriſto martyrium, ſimpliciter, & abſolutè neceſſarius ad ſalutem; nihilque illis prodeſſe poteſt remedium legis naturæ, vel etiam circumciſio Moſaica. Iſta concluſio habetur pro certiſſima ab omnibus Theologis, videturque eſſentialiter connexa cum præcedenti; qua oſtendimus ſub illa ſententia Chriſti Domini Ioãnis 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* comprehendi omnes homines, cuiuſcumque ſint ætatis, & conditionis, ſpeciatimque de infantibus illam Patres intellexiſſe, nulla prorſus diſtinctione illorum facta, ſingulariter autem Diuus Auguſtinus hanc concluſionem docet libro

libro de natura, & gratia cap. 2. agens de necessitate baptismi, etiam respectu infantium, qui sunt ex parentibus infidelibus; nec non epistola 90. & 105. vbi ait: *Quisquis dixerit quod in Christo viuificabuntur paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, & contra Apostolicam prędicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, vbi propterea cum paruulis baptizandis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur eos in Christo viuificari non posse* quę vltimæ particulæ satis denotant absolutam necessitatem baptismi in quibuscumque infantibus, iuxta communem sensum totius Ecclesiæ, excepto vnico casu, si videlicet interficerentur pro Christo, proprioque sanguine baptizarentur, vt idem S. Augustinus docet locis superiori conclusione citatis. Eamdem veritatem tradit Diuus Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 20. vbi agens etiam de multitudine infantium, qui in tot hominũ ætatibus, non recipiunt baptismum, cum tamen Deus velit omnes homines saluos fieri; nihilominus asserit illos omnes priuari vita æterna ex secreto quodam Dei iudicio. *Quid hoc profundius?* inquit, *quid mirabilius esse potest? neque enim credi fas est, eos qui regenerationis non adepti sunt Sacramẽtum* (id est baptismum aquæ) *ad vllum beatorum pertinere consortium*. Itẽ Sanctus Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 27. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum homines iam ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue cum de matribus nati, sine Sacramento sanati baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, de hoc loco transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos*.

Nec ab his dissentit S. Bernardus in epistola 77. ad Hugonem Victorinum, vt volunt aliqui, sed tantum probat baptismum non obligasse statim, atque Christus dixit Nicedonio, *Nisi quis renatus fuerit &c.* tunc enim nondum illum instituerat; cœterum pro eo tempore, quod post mortem eius futurum erat, facta iam sufficienti Euangelij promulgatione, expresse docet, nullam dari excusationem ratione cuius baptismus non sit necessarius etiã infantibus: *Sane*, inquit, *infantes, qui hanc prohibente ętate non possunt habere fidem, hoc est cordis ad Deum conuersionem, consequenter nec salutem, si absque baptismi perceptione moriuntur*.

Sanctus etiam Thomas verbis expressis hanc conclusionem docet; lectione enim 3. ad cap. 10. epistolæ ad Romanos, mouens eamdem, quam hic discutimus controuersiam, sic illi respondet: *Nunquid ergo illi ad quos non peruenit* (Apostolica prędicatio) *vt potè si fuerint in sylnis, excusationem habent de peccato infidelitatis? ad hoc dicendum est, quod secundum sententiam Domini, quæ habetur Ioannis 17. Illi qui loquentem Dominum per se, vel per eius discipulos, non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei consequentur, vt scilicet iustificentur ab alijs peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel male viuendo addiderunt, sed pro his merito damnantur*. Quæ Diui Thomæ verba sunt diligenter aduertenda, in illis enim habetur tota ferè solutio omniũ argumentorum aduersariorum, quibus dum aiunt, Deum esse Iudicem iustum, atque adeo non punire homines, antequam præceptum audiant; propterea que eos, ad quos non peruenit diuulgatio fidei Christianæ, non damnari ex hoc quod baptismum aquæ non accipiant, sed sufficere ad remissionẽ peccati originalis, & iustificationem illis obtinendam, præsertim paruulis, si remedia legis naturæ, vel etiam circumcisio ipsis applicentur, euincitur tantum homines eiusmodi, non damnari propter omissionem baptismi sumptam formaliter, seu secundum quod cadit sub præceptum, eo quod inuincibilis ignorantia alicuius præcepti excusat à peccato:

peccato: sed loquendo propriè damnantur propter originale peccatum, semper in illis remanens, cuius remissionem non acceperunt defectu Baptismi sibi applicati, tanquam vnici remedij, pro quibuslibet infantibus extra martyrium ex hac vita decedentibus, instituti in lege Euangelica; respectu cuius excusatio rationabilis a violatione præcepti, non infert legitimam, & rationabilem excusationem de non vsurpando illo, vt necessario in ratione medij, quasi tali medio non vsurpato, finis tamen non desineret obtineri, per alia supradicta media; vt satis patet in omnibus illis, quæ necessaria dicuntur necessitate medij.

Probatur insuper nostra conclusio omnibus illis Sacræ Scripturæ locis, nec non argumentis, quibus supra c.6. ostendimus legem veterem nedum iam esse mortuam, & inutilem, sed etiã mortiferam, proindeque esse illicitum Circumcisionis Sacramentum, adeò vt ex Apostolo ad Galat. cap.5. Christus illa vtentibus nihil prosit; *Dico vobis, quoniam si circumcidamini Christus vobis nihil proderit*. Cui non obstat, quod gentes illæ, quibus Augustinus ibidem notat Apostolum loqui, iam essent ad Christum conuersæ, eiusque lex eis sufficienter per Apostolum publicata; hanc enim circumcisionis saltem inutilitatem, non fundat præcisè, in eo quod iam amplexi fuissent fidem Christi, sed in eo quod vis eius, & efficacia iam omnino cessasset. *Primò* enim ad hunc finem præmittit cap. 4. præcedenti historiam Agar & Saræ, Ismaelis & Isaac, Genes. 21. eamque sic interpretatur, vt Agar significet vetus testamentum, & quæ ad illud pertinẽt, Sarà verò nouum, & ad illud spectantia. Postea subiungit dictum hoc Abrahę de Agar, & filio eius, *Eijce ancillam, & filium eius*, de cessatione legis veteris, & eorum quæ ad illam pertinebãt, quo ad aliquem fructum gratiæ, per legem nouam obtinendę, *Non enim*, inquit, *hæres erit filius ancillę cum filio liberæ*, id est, qui circumciditur, non habebit æternam hæreditatem cum Christianis. *Secundò* ait cap.5. circumcisionis receptionem esse quamdam falsæ religionis professionem, nimirum Iudaismi, *Testificor*, inquit, *rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*; nam licet circumcisio fuerit antiquior lege Mosaica, ab eo tamen tempore, quo hęc lex fuit data, cœpit esse signum protestatiuum Iudaicæ religionis. Quo etiam loci notanda est particula, *omni*, quæ cum sit signum vniuersale, denotat omnem hominem, nullo excepto, ac proinde voluisse Apostolum ibi, circumcisionem nulli hominum, siue Gẽtili, siue Iudæo, siue infanti, siue adulto, prodesse ad salutem animæ; vt patet ex sequentibus verbis: *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, & à gratia excidistis*: & paulò inferius, *Ergo euacuatum est scandalum crucis*; id est vt Sanctus Augustinus in commentarijs ad hanc epistolam explicat, *Christus gratis, seu frustra mortuus est, si circumcisio etiam nunc homines iustificet*.

Ex quibus prima desumitur ratio pro nostra conclusione. Nam quod habet de facto incompossibilitatem cum iure hæreditatis æternæ Christianis proprio; item quod est signum falsæ religionis protestatiuum; nec non veræ destructiuum, euacuando nimirum mysterium crucis, seu faciẽdo, vt Christus gratis, & frustra sit mortuus; illud non est tale, ad cuius applicationem alicui paruulo, siue ex parentibus Iudæis, siue ex Gentilibus orto gratia iustificans à peccato originali conferatur, imo potius habet oppositionem cum infusione illius, vt ex se patet: At circumcisio, post sufficientem Euangelij promulgationem modo superius explicato cap.6. applicata siue adultis, siue paruulis tam Iudæorum, quàm Gentilium, habet incompossibilitatem cum iure hæreditatis æternæ, quia facit eum, cui applicatur, excedere a

gratia Christi: item est signum protestatiuum falsæ fidæi, qui enim illam suscipit, se constituit debitorem vniuersæ legis Mosaicæ obseruandæ, quæ nunc est propriè falsa, cum sit significatiua futurorum, quæ tamen iam sunt completa; item euacuat mysterium crucis, religionemque Christianam in eo fundatam, faciendo quod Christus sit frustra mortuus, cum iam sine illo per circumcisionem vita æterna possit obtineri: Igitur circumcisio non est talis, vt post dictam legis Euangelicæ promulgationem, ad sui applicationē, siue paruulis, siue adultis, tam Iudæorum, quàm Gentilium factam, peccatum originale remittatur, gratiaque sanctificans conferatur.

Quæ etiam ratio, mutato solum nomine circumcisionis in nomen remedij, quo peccatum originale delebatur in statu legis naturæ, potest facile accommodari ad similem eius inutilitatem probandam, in statu legis Euangelicæ; quia licet remedium istud, non eo modo esset protestatiuum falsæ religionis, quo circumcisio nunc, attamen non esset protestatiuum veræ illius religionis, nimirum Christianæ, & Catholicæ, in qua sola veram animæ salutem reperiri satis ostendimus tom. 3. lib. 3. sect. 3. cap. 6. & prætereà aliæ eiusdē minoris propositionis particulæ tam bene ei competunt, quàm circumcisioni, vt patet illas considerari; Igitur, cum omnia salutis remedia pro prædictis Iudæorum, & Gentilium filijs, reuocentur ad hæc duo, scilicet circumcisionem, & remedium legis naturæ, si ista in noua lege sunt inutilia, minimeque sufficiunt ad illorum iustificationem, manifestè sequitur, Baptismum aquæ reipsa susceptum esse illis absolutè, & simpliciter ad salutem animæ necessarium, extra verum pro Christo martyrium.

Quidam recentiores in oppositam nostræ conclusioni sententiam non mediocriter inclinantes, scilicet Baptismum aquæ infantibus Iudæorum, & infidelium, non esse simpliciter, & absolutè necessarium, sed si sint Iudęorum filij, eis circumcisione subueniri; si verò Gentilium, remedijs, quæ in statu legis naturæ sufficiebant pro delendo peccato originali, respondent tā allatam rationem, quàm scripturæ loca, in quibus fundatur, & significatur legem veterem, eiusque Sacramenta, nunc esse mortua, imò, & mortifera, non debere intelligi de radicali, & inchoata mortificatione, in promulgatione legis Christianæ primum per Apostolos facta, verùm de consummata, post sufficientem nimirum promulgationem, ijs tantùm factam, quibus licet eius credibilitas sufficientibus argumentis probata fuerit, illam tamen amplecti noluerunt. *Vndè*, inquiunt, in nouo orbe, ante ingressum Christophori Columbi, remedia legis naturæ, vel etiam circumcisio, & quodcumque aliud signum externum, quo infideles illi vtebantur ad protestandum veri Dei cultum, tunc applicata eorū paruulis sufficiebant ad remissionem peccati originalis, & iustificationem illis obtinebant; imo si qui adhuc supersint infideles, ad quos hæc *diuulgatio* fidei Christianę, sufficiensque illius necessitatis propositio per *argumenta* rationalia credibilitatis, nondum sit facta, volunt prædicta legis naturæ, vel etiam Mosaicæ remedia, istis eiusmodi infantibus, etiam hodierna die sufficere, sicque veterem legem, & eius Sacramenta, vel *etiam legis naturæ*, fuisse quidem post mortem *Christi*, indeque secutam nouę legis promulgationem, radicaliter, & initiatiuè mortua, non autem formaliter, & consummatiuè, imo nunquam fore *talia* absolutè, & simpliciter, respectu quorumcumq; & omnium singulorum hominum, nisi vbi & quando præfata euulgatio legis Christianæ cum sufficienti probatione credibilitatis eius facta fuerit illis omnibus, & per consequens *Baptismū* aquæ nondum esse eorum infantibus necessarium ad obtinendam salutem æternam.

Verùm

Verùm hæc responsio, doctrinaque in ea contenta, licet quamdam præ se ferre videatur apparentiam misericordiæ, & pietatis, omnino tamen aliena est à sensu diuinarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum illas interpretantium, qui, vt vidimus cap. 6. vnanimiter docent, legem veterem vna cum Sacramento Circumcisionis simpliciter & absolutè nedum cessasse, verum etiã mortiferam redditam fuisse, post sufficientem ab Apostolis factam Euangelij diuulgationem, non autem comparatè ad hos, & hos tantum infantes, vel homines; Insuper tam latè extendunt necessitatem Baptismi aquæ, in ratione medij, quam peccatum originale latè patet: sed peccatum istud contrahitur non solùm à filijs Christianorum, vel aliorum, qui aliquid audierunt de fide Christiana, nec vno tantùm sęculo, nec in vno tantùm loco; sed ab omnibus etiam infidelium, & Iudæorum filijs, quouis loco, & tempore nascantur, nulla habita ratione ignorantię, vel notitię de peccato originali incurso, vel non incurso: Igitur iuxta eosdem Patres, Baptismus etiam aquæ, nullo facto discrimine inter filios eorum, qui audierunt aliquid de Christo, & filios eorum, qui nihil de eo audierunt etiã inculpabiliter, simpliciter, & absolutè dicendus est necessarius ad salutem, saltem à prædicto tempore promulgationis eius, minimeque illis prodesse remedia legis naturæ, vel Mosaicæ; Quia, vt notauimus supra ex D. Thoma, & in hoc tota ferè est aduersariorum hallucinatio, possunt quidem parentes dicta remedia filijs applicantes excusari à peccato infidelitatis, pro toto illo tempore, quo Euangelij ignorantiam inuincibilem habuerunt, vel etiam non facta sufficienti illius propositione, inculpabiliter non crediderunt in Christum, nec legem eius, & Sacramenta receperunt; Cæterum talis ignorantia, vel non sufficiens propositio, aut promulgatio non operatur, vt quæ Sacramenta priorum legum nedum mortua, sed & mortifera sunt reddita, per institutionem alterius nouæ, possint aliquibus prodesse eosue saluare, toto illo tempore quo laborant inuincibili, aut inculpabili talis legis ignorantia.

Vndè secunda desumitur ratio ad probandam nostram conclusionem, quam sic efformo. Quando lex aliqua est solummodo ad definitum tempus instituta, tunc tali tempore absoluto, illa non viget amplius, nisi legislator nouæ suæ voluntatis explicatione illam proroget ad longiorem temporis durationem; Sed Deus primarius institutor tum remedij legis naturæ pro delendo peccato originali, tum circumcisionis in lege Mosaica, passim in veteri testamento significat talia earũ Sacramenta, & alia ad cultum earum proprium pertinentia fore tantùm vsque ad Christum; nec alicubi legimus eum, aut Christum noua suæ voluntatis explicatione illa prorogasse ad longiorem temporis durationem, imo vsque ad finem Mundi, vt ex opposita sequitur sententia; sed potius, vt Christus esset perfectus legislator, perfectus mediator Dei, & hominum, nec daretur aliud nomen, in quo aliquos oporteret sauos fieri, aliaue Ecclesia, præter veram Christi Ecclesiam, in qua quis saluaretur, vbique in scripturis, circumcisionis, & consequenter remedij legis naturæ inutilitas ad salutem post Christi aduentum, legisque Euangelicæ institutionem, prædicatur, vt vidimus; Ergo cum totum tempus à Deo concessum pro lege naturæ, & Mosaicæ, quo ad eorum Sacramenta, & proprios ritus iam effluxerit, nec vllibi prorogatum fuisse reperiatur, nulla ratione vigent amplius, sed simpliciter, & absolutè respectu cuiuscumq; hominis, vel infantis, sunt dicenda planè inutilia, pro eis remittendo originali peccato; nec ad id opus est vlteriori promulgatione, aut noua aliqua lege reuocatoria, tempus enim semel pro alicuius legis duratione determina-

termina-

terminatum dicitur seipso solo interpellare, sicut in contractibus locationum alicuius fundi, terminus designatus in illis.

Tertiò tandem probatur conclusio, quia dum dicitur, nullam esse salutem extra veram Christi Ecclesiam, seu Ecclesiam Romano Catholicam, hoc etiã sensu asseritur, quod omnia Sacramẽta, quibus verè homines saluantur sint illius, per proprietatem à Christo Domino concessam iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*; Sed circumcisio, & remedium legis naturæ, pro obtinenda remissione peccati originalis, nunc sunt extra Ecclesiam Romano Catholicam, vel quod idem est, non sunt Sacramenta veræ Christi Ecclesiæ; Ergo applicata infantibus Iudæorum, & infideliũ, quibus talis Ecclesia nõdum innotuit, nullo modo prosunt ad salutem; sed à Deo data fuerunt vt duratura, & profutura duntaxat ad tempus illud, quo Christus voluit Baptismum à se institutum in remissionem dicti peccati originalis esse necessarium, quia alias tunc non ex vi solius suæ legis, aut incorporationis suæ propriæ Ecclesiæ, quam omnes Patres fieri docent per solum Baptismum, cum exclusione cuiuscũque alterius, homines à tali peccato liberarentur; verum etiam sine aliquo suæ legis remedio, aut Sacramento, possent saluari, quod destruit rationem perfecti, & consummati legislatoris, item solius mediatoris Dei, & hominum, qua scripturæ vbique eum fuisse diuinitus honoratum affirmant.

Ad potissimum aduersariorum argumentum ex suauitate diuinæ prouidentiæ desumptum, iuxta quam asserunt debuisse Deum relinquere paruulis infidelium, & Iudæorum opportunum aliquod salutis remedium, pro toto illo tempore, quo sufficiens ad parentes eorum non peruenit Christianæ legis promulgatio; Respondetur suauem Dei prouidentiam, in hac, & alijs ei similibus rebus non esse metiẽdam iuxta rationes humanas, & affectum quasi sensualem, quo plerique hominũ possunt erga se, & alios effici; sed debere æstimari ex diuinis rationibus, & ex modo quo Sacræ Scripturæ, & Ecclesia loquuntur de mysterijs nostræ fidei, & de iustificatione hominum, vt passim docent Patres, præcipuè Diuus Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 7. 8. & alibi passim agens cum Pelagianis, & Semipelagianis: Quare sicut idem Augustinus tam epist. 49. qu. 2. quam lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 9. vbi ab eo quæritur, *cur Christus Dominus prius non venerit?* item eodem lib. cap. 8. *cur non det omnibus, & singulis gratiam singulariter efficacem?* item, *quare vni, & non alteri detur perseuerantia?* vt libro citato de correptione, & gratia cap. 8. recurrit cum Apostolo ad inscrutabile Dei iudicium; ita & nos insistentes eorum doctrina, & responsioni, quam faciunt ad similes relatas difficultates, dicimus infantes istos, quorum parentes nihil de Christo, & eius doctrina vnquam audierunt, non damnari ob omissionẽ baptismi sumptam formaliter, sic enim forsan repugnaret infinitati bonitatis diuinæ, sed ob peccatum originale cum quo, & in quo moriuntur, defectu baptismi sibi applicati, tanquam vnici remedij, pro quibuslibet infantibus extra martyrium ex hac vita decedentibus, ex secreto quidem, & occulto, sed tamen iusto Dei iudicio: & sicut secretum illud iudicium, quo statuit eo tantum tempore in Mundum venire, quo venit de facto, & non ante, nullum attulit præiudicium ei prouidentiæ, qua præcedentibus sæculis homines gubernauit, eo quod, de medijs ad eorum salutem, tunc necessarijs, sufficiẽter, quantum est ex parte eius, prouiderat, & tunc homines tantum damnabantur ob peccata cum quibus moriebantur: ita etiam occultum illud iudicium Dei, quo promulgatio Euangelij nondum peruenit ad parẽtes istorum

rum infantum, nullo modo præiudicat suaui prouidentiæ, qua nunc post aduentum Christi regit hoc vniuersum, eò quod instituendo Sacramētum Baptismi, & alia id genus media ad salutem vitæ æternæ, illis sufficienter prouidit in causis saltem vniuersalibus, & ob solum originale peccatum, quo adhuc manent infecti, arcentur ab illa.

Tertia Conclusio, Nullus paruulus, quantumuis ex parentibus Christianis ortus, extra martyrium, lege communi, & ordinaria saluatur sine baptismo aquę reipsa suscepto. Ista conclusio, vt iacet, & procedit de communi lege, est pariter certissima inter Theologos, adeo vt eius oppositum videatur nonnullis hæreticum, vt Soto in 4. sentent. distinct. 5. quæst. vnica art. 2. alijs, vt Ruardo Tapero in expositione articulorum Louaniensium art. 2. pium quidem secundum speciem, attamen cōtra Apostolicam prædicationem; alijs ad minus erroneum, vt Gabrieli Vasques in 3. part. disput. 151. capit. 3. quamobrem iussu Summi Pontificis Pij V. in editione Romana operum D. Thomę, commentarij Caietani id docentis in articulo 2. & 9. quæst. 68. Sancti Thomæ fuerunt expuncti.

Prima huius conclusionis probatio desumitur ex ijsdem Scripturæ, & Patrum locis, quibus primam probauimus, pręsertim ex illo S.Ioannis cap.3. quo comprehendi omnes homines cuiuscumque ætatis, & conditionis ostēdimus, illumque ad infantes in casu nostræ conclusionis, quibus scilicet absque aliqua parentum negligentia baptismus aquæ non potest applicari ante mortem, expresse extendit Sanctus Ambrosius à nobis citatus lib. 2. de Abraham cap. 11. vbi post verba Christi Domini Ioannis.3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* hæc subiungit, *vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua necessitate præuentum:* & Diuus Augustinus lib. de natura, & gratia capit. 2. alludens ad eumdem locum, loquensque de paruulo, cui per mortem præuento subueniri non potuit per baptismum, ait, *Absoluat eum Pelagius, & aperiat ei contra sententiam Domini, regnum cælorum, sed non eum absoluit Apostolus.* Quamobrem iuxta communem totius Ecclesię praxim, omnes paruuli decedentes absque reali susceptione baptismi aquæ, non obstante voto illo parentum, & signo illo exteriori eis applicato, quo Caietanus existimauit istos paruulos posse saluari, Christiana priuantur sepultura. Quod certè non fieret, si tale parentum votum, & signum externum illi adiunctum, vbi sine vlla eorum negligentia baptismus aquæ non potest applicari infantibus ante mortem, sufficeret illis de lege communi ad æternam salutem.

Probatur insuper ratione, quia illud solum, & nihil aliud, est ordinarium remedium in Ecclesia pro remittendo peccato originali infantibus, quod vel est à Christo institutum, vel quod ex natura sua, est vltima dispositio ad gratiam sanctificantem, vt in adultis est perfectus charitatis, vel contritionis actus, ex dictis supra; sed Christus Dominus instituit solum Baptismum aquæ reipsa susceptum pro infantibus, extra martyrium morientibus, nec parentum votum est ex sua propria conditione, & natura aliqua dispositio vltima ad gratiam iustificantem: ergo nullo alio medio quam baptismi aquæ infantes morientes in infantia saluantur.

Maior huius argumenti est certissima, nisi velimus alioqui infinitam esse licentiam fingendi remedia salutis; aut dicere Deum non sufficienter tot infātibus prouidisse, qui Ecclesiam certo non docuisset, imo latere voluisset, quę sit omnino via ad salutem eorum necessaria.

Minor verò quo ad primam partem probatur primò ex omnibus relatis Scripturæ, Patrum, Summorum Pontificum, & Conciliorum authoritatibus pro prima conclusione, vt statim dicebam. Et magis in speciali illam docet

Inno-

Innocentius I. epistola sua ad Concilium Carthaginense, & Mileuitanum, vbi ait; *esse fatuum dicere paruulos posse donari præmijs vitæ æternæ sine baptismo*; tùm Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali can. 4. vbi dicens anathema negantibus peccatum originale in infantibus, ait. *necesse esse illud in eis expiari lauacro regenerationis, vt vitam æternam consequantur*; quo loci particula, *necesse est*, denotat absolutā necessitatem medij; Concilium autem ibi loqui de baptismo aquæ in re suscepto, patet tum ex eo, quod illum vocat lauacrum regenerationis, tum quia facit expressam mentionem verbalis eius formæ.

Secundò eadem pars minoris probatur, quoniam si quod aliud à baptismo aquæ remedium ordinarium extaret in Ecclesia, quo peccatum originale remitteretur infantibus, Sancti Patres, qui disputabant contra Pelagiū, male contra illum protulissent sententiam Christi Domini Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* nec Pelagiani coacti fuissent admittere omnimodam & simpliciter absolutam necessitatem baptismi, pro salute infantium morientium extra martyrium; respondissent enim, aditum vitæ æternæ alia via illis patere, aut modo, scilicet illo, quem hæc prima pars nostrę minoris negat, quod tamen nunquam responderunt, imò Sanctus Augustinus lib. 3. contra Iulianum cap. 10. & 12. scribit Pelagium, *Timore suæ damnationis, damnasse eos, qui dicunt infantes, si non baptizentur, habere vitam æternam*. Quod etiam Cœlestius facit apud eumdem Sanctum Augustinum lib. 2. contra Pelagium, & Cælestium de peccato originali cap. 5. & 6. Quatenus in Ecclesia nullum aliud vnquam remedium à Christo Domino institutum, vt ordinarium, præter baptismum habitum est pro infantibus in infantia morientibus.

Quod insuper votum istud parentū, & signum externum illi adiunctum nō sit ex sua propria conditione, & natura aliqua dispositio vltima ad gratiam sanctificantem, quæ est altera minoris pars, constat ex eo, quod ratio talis vltimæ dispositionis conuenit tantùm proprijs actibus contritionis, & dilectionis Dei super omnia, eius qui tunc iustificatur; quale non est in infantibus dictum parentum votum, vt satis per se patet.

Neque huic probationi, nostræque conclusionis veritati quidquam obest, si dicatur primò in vtraque lege naturę, et Moysis, remedio ordinario deficiente paruulis, solam fidem parentū illis suffecisse ad salutem; in lege quidem naturæ, quia ex S. Gregorio lib. 4 Moral. cap. 2. *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc apud veteres egit, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij*; In lege verò Mosaica, quia paruulis periclitantibus ante diē octauum succurrebatur eodem remedio legis naturæ, Igitur cum lex Euangelica non sit deterior lege naturæ, & Mosaica, si baptismus, qui in ea est proprium, & ordinarium pro istis infātibus remediū aliquando deest, illis sola fides parētum eos ex insigni pietate offerentium Deo, sufficiet ad salutem. Aut si dicatur secundo, quod sicut infantes, etiam in statu infantię ante baptismum aquæ receptum, sunt capaces baptismi sanguinis, seu martyrij, & hoc supplet in illis vicem baptismi aquæ, vt diximus supra; ita similiter cum fides illa, & ardentissimæ orationes parentum pro salute sui paruuli constituti in extrema necessitate, nihil sint aliud, quam votum quoddam baptismi aquæ, isti infantes saluabuntur per illud, tanquam per baptismum flaminis.

Respondetur enim ad primum, non ideo infantes iustificatos fuisse in lege naturæ, & interdum in lege Moysis per fidem parentum, quia talis fides esset in eorum filijs aliqua vltima dispositio ad gratiam; hoc enim est impossibile ex natura sua; Sed quia tunc huiusmodi

modi fides erat ex ordinatione diuina, signum sensibile, seu Sacramentum, quo remittebatur peccatum originale, quod illi non competit in statu nouæ legis, sed soli baptismo; quare cum nec habeat modo rationem Sacramenti, nec sit ex conditione, aut natura sua vltima ad gratiam dispositio, non potest dici remedium sufficiens paruulis morientibus absque baptismo aquæ realiter suscepto, vt salutem æternam per illud obtinere, regnumue cœlorum intrare affirmetur. Quo circa aduertendum est, fidem illam, per quam paruuli in lege naturę mundabantur ab originali peccato, & accipiebant gratiam iustificantem, non fuisse necessario actum aliquem elicitum supernaturalē fidei interioris parentum illos offerentium Deo; sed fuit tantùm actus fidei quoad obiectum, hoc sensu supernaturalis, quod applicans tale remedium intendebat facere, quod veri cultores Dei faciebant ad tollendum peccatum originale; eo modo quo apud nos valet etiam baptismus, ad quem hæc eadem fides, quo ad obiectum sufficit; nam quicumque, etiam Paganus, abluit paruulum nondum baptizatum, proferendo hanc, vel æquiualentem formā, *Ego te baptizo &c.* & intendendo facere, quod vera facit Ecclesia, purgat paruulum à peccato originali ministerialiter producendo in eo gratiam sanctificantem; tantumque penes hoc dispar est conditio talis actus fidei, pro vt exercebatur toto tempore legis naturæ pro quibuscumque paruulis, & in lege Mosaica pro femellis tantùm, & masculis ante diem octauum morientibus, ab eo actu, qui nunc exercetur à baptizante, quod actus ille fidei supernaturalis ex obiecto requisitus in lege naturali, & Mosaica, non esset determinatus ad aliquod signum sensibile, certum in specie, sed in confuso, vt communiter docent Theologi 3. p. quęst. 60. in noua autem lege sit determinatus ad ablutionem aquæ elementaris, factam etiam sub certa verborum forma.

At secundum dicitur, infantes, etiam in statu infantię ante baptismum aquæ receptum, esse quidam capaces baptismi sanguinis, seu martyrij, supplentis in illis vicem baptismi aquæ, quia ad martyrium vt sic, satis est actualis mors pro Christo tolerata, talis enim mors ex natura sua est insigne charitatis opus, absque vllo alio actu in paruulis, vndè Sanctus Augustinus relatus à Sancto Thoma 2. 2. quęst. 124. art. 1. ad 1. alloquens Sanctos Innocentes sic ait, *Non habebatis ætatē qua in passurū Christū crederetis, sed habebatis carnē, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis*; Secus autem res se habet in baptismo flaminis, qui aliter vocatur baptismus in voto, vt enim quis per eum saluetur, tale votum debet esse personale, seu eius particularis personæ, quæ pro seipsa indiget baptismo aquæ, nec potest illum reipsa accipere, cuius voti, seu actus charitatis, vel contritionis illud includentis, cum sint incapaces pueri; incapaces quoque dicendi sunt baptismi flaminis, quodque per illum suppleatur, vt in adultis baptismus aquæ. Deindè ea tantum fides sufficit paruulo ad salutem, quæ illum facit formaliter membrum viuum Ecclesiæ; quod fides parentum, quantumuis pientissimorum, præstare non potest, sed sola fides formata inhærens animæ saluandi; Igitur cum hæc fides detur infanti extra martyrium, cuius etiam est capax in vtero matris non ob fidem eius, sed quia cum illa interficitur in odium Christi, & religionis eius, solūmodo per baptismum aquę, etiam per hunc solum fit formaliter fidelis, & tale membrum Ecclesiæ; ita vt fides parentum, vel responsio offerentium pueros ad baptismum sit tantùm ceremonialis, vnde si illa iam præmissa, paruulum ante ablutionem baptismalem, & formæ prolationē mori contingeret, nullo modo saluaretur. Quod maximè significauit Diuus Augustinus cap. 12. libri de dono perseuerantiæ, quando ait, *Festinantibus parentibus, & ministris paratis,*

ratis, paruulum non baptizari, sed casu aliquo impediente Baptismum perire.

Quarta, & vltima conclusio. Nullus infantium; etiam speciali priuilegio saluatur de facto in statu nouæ legis, sine baptismo aquæ in re suscepto, per quodcumque votum, aut quamlibet parentum deuotionem, nisi specialis, æque certa reuelatio habeatur pro hac re. Ista quoque conclusio, quę tantum procedit, supposita ordinatione Dei, & institutione Sacramentorum nouę legis, est ita certa, vt contrariam Gersonis, Gabrielis, & aliorum temerariam esse reputet Gabriel Vasques 3. p. disp. 151. cap. 3. Illam in re probant omnia etiam argumenta pro præcedentibus adducta, quibus ostendimus Concilia, & Patres ita diuinas interpretari Scripturas de absoluta, & omnimoda necessitate Baptismi aquę in re suscepti pro infantibus extra martyrium decedentibus, vt expresse dicant eos, etiam præuentos necessitate, non saluari absque illo; quod in re est dicere eos per nullum aliud remedium, nec proinde per votum, vel orationem parentum etiam ex speciali priuilegio saluari de facto. Idque magis apertè tradit Diuus Augustinus tum loco statim citato libri de perseuerantia, vbi scribit eum infantem excludi à vita æterna, cui baptismus in re non fuit collatus, etsi parentes pro sua fide, & deuotione, ministrique Ecclesiæ, vt suo satisfacerent muneri, nihil omiserint, vt ei procurarent, & conferrent baptismũ; verba eius sunt. *Quid dicam, quod paruulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis, succurri possit, expirat; plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, vt baptismus paruulo detur, Deo tamen nolente non datur; qui eum paruulum non tenuit, vt daretur.* Tum libro de peccator. merit. & remiss. cap. 23. vbi ita habet, *Nulla ergo ex nostro arbitrio, præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina, humanis omnibus ingenijs præferenda.* Quibus sanè verbis nihil opportunius adduci posse videtur, tam ad probandã omnimodam, & absolutam necessitatẽ baptismi aquæ in re suscepti pro infantibus extra martyrium decedentibus, quam ad retundendas falsas eorum imaginationes, leuesque coniecturas, qui contra manifestam Ecclesiæ traditionẽ ad vota parentum, aut alia similia confugiunt remedia, vbi non datur opportunitas suscipiendi realiter aquæ baptismum.

Prima nostræ conclusionis ratio est, quia nullus eximitur à regula generali comprehendente omnes, & singulos homines in negotio salutis, nisi per Sacram Scripturam, aut traditionem, specialemue aliquam Dei reuelationem, constet illum excipi à tali regula, siue lege, vt satis patet exemplo sumpto à peccato originali, quod omnes contrahimus, neque audemus aliquem eximere ab illo, nisi constet aliquo ex prædictis modis, quia Deus, & Christus Dominus alligarunt suam potentiam institutis suis, & ordinationibus, alioqui frustranea esset potentia ordinaria; sed generalem habemus legẽ Dei, & Christi Domini obligantem omnes, & singulos homines ad recipiendum baptismum, tanquam necessarium necessitate medij, ita vt quicumque illum non recipiant in re, vel in voto personali extra martyrium, nunquam sint vitam æternam consecuturi, vt huc vsque ad copiam probauimus; aduersarij verò nullum scripturæ locum, nullam traditionem, nullam specialem adducunt Dei reuelationem, quibus infantes isti excipiantur à dicta lege generali, aut dicantur saluari absque baptismo in re, vel aliquod aliud remedium fuisse institutum pro illis; ergò cum ex dictis superiori conclusione sint incapaces voti baptismi, quia est personale, tale siquidẽ votum præcisè, & formaliter sumptum, nihil est aliud, quam perfectus dolor de peccatis, cum desiderio aliquo recipiẽdi baptismum aquæ, seu actualis conuersio animæ ad Deum, per charitatem, cum aliquo desiderio baptismi, manifestè

festè patet, nullum infantium etiã speciali priuilegio saluari de facto sine baptismo aquæ in re suscepto, per quodcumque votum, & quamlibet parentũ deuotionem, nisi, vt dicebatur in conclusione, specialis, eaque certa reuelatio extaret pro hac re, cuius signum est euidens, quod parens ille condemnaretur ab Ecclesia, qui sine tali reuelatione ab eadem Ecclesia examinanda, affirmaret bonis suis operibus, & precibus suis effecisse apud Deum, vt filius sibi nasceretur absque peccato originali.

Si dicant aduersarij, votum parentum pro baptizandis filiis, non esse quidem in illis votum baptismi formaliter, cum tale votum debeat esse personale loquẽdo propriè; nihil tamen impedire, quod votum illud parentum, non possit reputari votum eiusmodi infantium, ad cuius positionem, non tanquam Sacramẽti, aut vltimæ dispositionis ad gratiam, sed meræ conditionis sine qua non cõferat illis Deus speciali priuilegio gratiam sanctificantem. Respondetur concedendo libenter id nullam inuoluere contradictionem, si Deus ita statuere voluisset, cæterum loquendo de potẽtia eius ordinaria, vel secundum id, quod de facto Deus suæ reuelauit Ecclesiæ, tam ratio præcedens, quam alia huc vsque allata demonstrant contrarium.

Indeque altera deducitur ratio pro nostra conclusione; nam, quicquid sit de iure ciuili, vel gentium vel naturæ, loquendo de iure diuino, siue de ijs, quæ spectant ad ius diuinum, cuiusmodi sunt bona, vel detrimenta hominum supernaturalia, in tantum voluntas parentum potest reputari moraliter volũtas filiorum, in quantum Deus ita statuit, siue quod idem est, quod voluntas parentum reputetur voluntas filiorum, quoad bonum supernaturale, vel malum ei oppositum, tantum prouenire potest ex aliqua institutione, vel pacto Dei; sed Deus nullibi statuit, præterquam pro gratia originali, & peccato originali ad posteros protoparentis Adami transmittendis, vt in huiusmodi rebus ad bonum animæ supernaturale spectãtibus, voluntas parentum reputaretur voluntas filiorum, nihil enim tale ab aduersarijs proferri potest, seu ex sacris litteris, seu ex traditione diuina; Igitur voluntas illa parentum, qua ardenter desiderant suis filijs constitutis in extrema aliqua necessitate baptismum aquæ, reputari non potest voluntas ipsorum, vt supernaturalem eius consequãtur effectum, siue remissionem peccati originalis per gratiam sanctificantem.

Si quis autem diceret in huiusmodi rebus voluntatem parentum veluti ex natura rei reputari moraliter voluntatẽ infantium, nihil esset absurdius, non solum, quia quæ pertinent ad ius diuinum positiuum primam suam à diuina voluntate originem ducere debent; verum etiam, quia, vt præfata bona voluntas parentum semper esset sufficiens conditio, vel medium ad consequendũ baptismi aquę effectum in suis paruulis sine illo realiter suscepto morientibus, ita opposita voluntas, qua ex hypothesi nollent suos paruulos baptizari, faceret, quod etsi de facto baptizarentur per sufficientem ablutionem cum prolatione formæ legitimæ à ministro habente debitam intentionem, validè non baptizarentur, quia voluntas parentis ex natura rei, atque adeo necessario reputaretur voluntas filij, vt supponit responsio.

Quæ ab aduersarijs contra has duas vltimas conclusiones obijciuntur, ad hæc potissimum reducuntur; primò quod purus aliquis homo potest alteri promereri de congruo primam gratiã; igitur cum in præsenti parentes infantis supponantur esse in statu gratiæ iustificantis, ardentesque fundere orationes pro illo, non data baptismi in re opportunitate sine vlla eorum culpa, impetrabunt ei per meritum de congruo primam gratiam, & consequenter iustificabitur. Secundò, quod Deus non despicit

spicit preces humilium in se sperantiũ. Tertiò, quod alias Deus sufficienter nõ prouidisset tot paruulorum saluti, cum nullum restet medium, quo baptismi aquæ copia non habita posśint saluari, quam votum parentum, quo illis desiderant huiusmodi baptismum: Quarto tandem si homines adulti cum aqua baptizari nequeunt, excusantur ob impotentiam, ac saluari possunt per votũ eius; multo magis excusari, ac saluari debent paruuli, qui sunt naturaliter impotentes, per votum parentum.

Respondetur ad primum, purum hominem posse quidem alteri promereri de congruo primam gratiam excitantem, cuius beneficio pro sua libertate consentiendo vocationi diuinæ, iustificetur: non autem gratiam iustificãtem immediatè conferendam, qualem in præsenti casu oratio parentum deberet impetrare istis infantibus.

Ad secundum dicitur, verum esse de precibus bene, & vt decet factis; nã stultas, & vanas negligit Deus inter quas est hęc oratio parentum postulantium à Deo, vt in casu mortis iustificet infantem absque baptismo aquæ in re suscepto; vt enim rectè obseruat Diuus Thomas 1. p. q. 23. art. 8. & 22. quæst. 83. art. 2. vanum est, ac stultum orare Deum, vt mutet dispositionem suę prouidentię, & est tantum orandus pro executione illius: Quare, cum Deus firma lege statuerit saluare tantum istos infantes, extra martyrium, per baptismum aquæ, nullumque aliud remediũ pro illis saluandis ordinauerit, vt, quæ huc vsque adduximus, efficaciter probant, potius esset orandus, vt dignaretur prorogare vitam istis infantibus, & ab illis dimouere pericula, vt sic ad baptismi gratiam peruenirent.

Ad tertium respondetur primò, aduersarios ipsos teneri illud soluere in tot infidelium filijs. Secundo dico, medium sufficiens, & eius applicationem valde distingui; siue aliud esse carere medio sufficienti, & aliud carere applicatione illius, vt communiter Theologi docent: Isti autem infantes tunc pereunt, non defectu medij sufficientis, quia baptismus aquæ à Christo Domino institutus, est per se sufficiens ad saluandum illos; sed pereunt tantùm defectu applicationis eius, quę impeditur fieri per quasdam causas naturales, quas Deus nón eo fine disposuit, vt talem infantem impedirent baptizari, sed propter alios fines, vel maioris gloriæ suæ, vel boni vniuersi, quod Deus non tenetur peruertere, propter eiusmodi particulare factum.

Ad quartum denique respondetur, quod baptismus, vel in re, vel in voto est necessarius ad salutem non solum necessitate præcepti, sed etiam medij; quia tollit peccatum originale, & actuale per primam gratiam iustificantem, sine qua nemo absolutè saluari potest. Quamuis autem impotentia quemlibet excuset ab obseruatione pręcepti, vt scilicet non committat nouum peccatum, nec damnetur, si præceptum non impleat; non tamen illum excusat, vt saluari possit sine medio necessario, hoc est, sine gratia iustificante, quę per baptisma tribuitur. Quia verò potest adultus, & non potest paruulus per baptismum in voto iustificari: ideo potest prior, & non posterior *saluari sine baptismo in re*, ad quem habet impotentiam. Qua de causa, etiamsi idem sit morbus, idem peccatum originale, eadem necessitas baptismi aquæ in istis infantibus, ac in adulto nondum baptizato habente votum baptismi; quia tamen curatio morbi non est à causa morbi, sed à remedio ad illum sanandum applicato, & baptismus flaminis habet locum in adulto, in infante autẽ minime, inde quoque fit, vt non obstante tali identitate morbi spiritalis, & necessitatis, infans iste damnetur, adultus verò saluetur per votum baptismi aquę, seu baptismum flaminis. Tantùm de præsenti controuersia, quam tractant Theologi cum Diuo Thoma 3. p. q. 68. quia autem aduersarij, quibuscum agimus, nec vllus alius, quem legerim, hæreti-

hæreticus, dubitant de necessitate baptismi quo ad rationem præcepti, tam de illa, quam de tempore, quo cępit, & alijs huiusmodi agemus tomo sequenti, vbi Deo iuuante breue totius Theologiæ compendium daturi sumus iuxta methodum, ac doctrinam Diui Thomæ in sua Summa.

CAPVT XIII.

Statuitur aduersus Armenos, Sacrum Chrisma non adeò esse necessarium ad verum Baptisma perficiendum; vt nisi baptizandus ipso vngatur, non baptizatus censeri debeat.

HVnc errorem de vnctionis necessitate ad baptismi substantiã, ac validitatem, licet Guido Carmelita de hæresibus, verbo, Armeni, alijq; Scriptores, toti eorum nationi tribuant, nihilominus non desunt, qui Vartano solùm, & eius sequacibus, seu Vartanistis Armenis imputandum credant. Id quod docuit etiã, teste Archudio lib. 1. de Sacrament. cap. 13. Simeon Græcus Thessalonicensis, ita scribens: *Non erit perfectè quispiam baptizatus, qui non susceperit vnguentum.* At huiusmodi errorem esse contra fidem, primò patet ex eo, quod sola vera aqua sensibilis, habens veræ, & naturalis aquæ formã, sit valida, & sufficiens materia remota Sacramenti baptismi, vt definitum fuit in Concilio Lateranensi, item Tridentino sess. 7. Can. 2. tum ex illo Ioannis 3 *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*; quem de Sacramento baptismi, nec non consequenter de vera aqua sensibili elementari, in quo confertur, intelligi debere docent omnes Patres. Ibi enim Christus Dominus agebat de necessitate spiritalis regenerationis, vt etiam denotat particula illa textus *renatus*, quæ tantùm fit per baptismum, vt ait Apostolus ad Titum cap. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, & ad Ephes. 5. *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, & non per aliquod aliud Sacramentum, nam alia Sacramenta alios habent speciales effectus; Tum ex alijs locis, vbi Christus author Sacramentorum, cũ iussit Apostolos baptizare, meminit solius ablutionis cum inuocatione Trinitatis dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; nec non ex eo quod Eunuchus Act. 8. vbi vidit veram, & naturalem aquam dixit Philippo ipsi prædicanti Christum, & eius legem, *Ecce aqua quis prohibet me baptizari*; Sacrum igitur Chrisma nequaquam est materia baptismi, & consequenter non est adeo necessariũ ad illum, vt sine ipso sit inualidus. Patet vtraque consequentia, quia in tantùm necessariò requireretur, in quantum esset simul cum aqua, vera baptismi materia, alio enim modo ad eum concurrere posse non videtur; sed Christus qui est author Sacramentorum nouæ legis, nullibi instituit Sacrum Chrisma simul cum aqua, pro necessaria materia baptismi, locis enim citatis, & alijs, vbi de illo sermonem habuit, non meminit Chrismatis, aut Vnctionis, sed tantùm aquę, & ablutionis cum inuocatione Sanctissimæ Trinitatis; merum igitur est figmentum, quod præfati hæretici asserunt de necessitate Chrismatis ad baptismi validitatem.

Secundò probatur fidei veritas, quia dum cõtra illam astruunt dictam Chrismatis necessitatem, vel est sermo de illo, quod in consecratione aquæ baptismalis ter infunditur crucis specie, in Sabbatho Paschæ, & Pentecostes; vel de oleo benedicto, Cathecumenorum dicto, quo homo baptizandus à Sacerdote in scapulis, & pectore vngi solet; vel de Chrismate, quo iam baptizatus vngi solet in vertice; quæ vnctio, sicut & omnis alia Chrismatis licet primis sæculis à solis Episcopis fieri solita esset, postea tamen introductũ fuit, vt ea quę in vertice fit, Presbyteris commissa fuerit, Chrismatione quæ in frõte baptizati adhibetur per Sacramen-

mentum confirmationis reseruata iure ordinario solis Episcopis; vel tandem est sermo de hac vltima Chrismatione, vel vnctione; sed nulla ex his necessaria est, vt baptismus dicatur validè collatus; id ergo gratis ab aduersarijs asseritur. Maior huius argumenti videtur esse certa ab enumeratione partium.

Minor verò probatur quoad singulas partes, primaque patet ex eo, quod vnctio, quam ad baptismi valorem desiderant aduersarij, debet secundum ipsos, fieri in baptizato, illa autem, quam primo loco attulimus non adhibetur baptizato, sed est mera Chrismatis infusio, pro consecratione aquæ baptismalis, non per modum materiæ necessariæ, sed purè duntaxat ceremoniæ Ecclesiasticæ requisita; vndè est altera huius partis probatio, quia quod est mera ceremonia Ecclesiastica, in administratione baptismi, non potest dici necessarium ad validam ipsius collationem, sed consecratio aquę baptismalis, cum trina infusione Chrismatis, crucis specie, est mera ceremonia Ecclesiastica, illiusque tanquam talis meminerunt Dionysius Areopagita cap. 2. Eccles. Hierarch. p. 2. S. Cyprian. lib. 1. epist. 12. S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Ambrosius lib. 1. de Sacrament. cap. 5. & de iis, qui mysterijs initiantur cap. 3. S. Augustinus lib. 6. contra Iulianum cap. 8. de qua etiam legi potest Cardinalis Baronius ad annum Christi 417. versus finem; talis igitur Chrismatis vsus minimè dicendus est necessarius, ad baptismi substantiam, seu valorem.

Probatur secunda pars, primò, quia licet oleum Cathecumenorũ interdum generali vocabulo Chrismatis, quod vnctionem, seu vnguentum significat, comprehendatur, non est tamen Chrisma propriè dictum, ex oleo, & balsamo confectum, quale requirunt aduersarij in valida administratione Sacramenti baptismi, sed ex solo oleo, proptereaque non Chrisma simpliciter, sed oleum Cathecumenorum cum addito vocatur, cuius ratio est, quoniam Sacrũ Chrisma, seu odoriferum oleum, ex propria consecratione, & institutione significat donum Spiritus Sancti, quod Cathecumenis Sacramentaliter non confertur, sed ijs tantùm, qui Christi corpori, siue Ecclesiæ per baptismum inserti sunt. Secundò probatur, quia quod homo baptizandus à Sacerdote oleo benedicto, quod Cathecumenorũ dicitur, in scapulis, & pectore vngatur præuiè ad baptismum, est mera quoque eius ceremonia, cuius mentionem faciunt Ambrosius lib. 1. de Sacrament. cap. 2. Chrisostomus homilia 6. in cap. 2. epist. ad Colossenses: *Inungitur*, inquit, *baptizandus more athletarum, qui stadiũ sunt ingressuri*, Amalarius lib. 1. de institut. Clericorum cap. 27. Innocentius III. cap. vn. de Sacram. vnct. §. quia verò.

Probatur tertia pars, quoniam etsi oleum, quo baptizatos presbyter in fronte vngere solet, sit verum, propriéque dictum Chrisma, hoc est, cum balsami admixtione, nihilominus hæc etiã est vna ex ceremonijs quę ipsum *baptismum* iam collatum sequuntur, vt quod recens baptizatus induatur veste candida, quod illi *cereus accensus in* manus detur, &c. cuius mentio habetur apud Dionysium citato c. 2. Ecclesiast. Hierarchiæ, Nazianzenum orat. 40. in Sacrum baptisma, Ambrosium lib. 3. de Sacrament. cap. 3. & lib. de ijs qui initiantur cap. 6. Hieronymum Dialogo aduersus Luciferianos, Concilium Arausi. can. 1. Alcuinum de diuinis officijs cap. de Sabbatho Sancto; significat autem hæc vnctio in vertice, ait Catechismus Romanus part. 2. de baptismo nu. 57. baptizatum, *ab eo die Christo capiti tanquam membrum coniunctum esse, atque eius corpori insitum, & ea re Christianum à Christo, Christum verò à Chrismate appellari.*

Quarta denique pars probatur ex eo quod impositio manus cum vnctione frontis ex Chrismate pertinet ad Sacra men-

cramentum Confirmationis, baptismus autem, & confirmatio sunt duo Sacramenta inter se numero, & specie diuersa, quorum vnumquodque completum est in sua specie, independenterque ab altero suum producit effectum; constat igitur nullam prorsus vnctionem, quæcunque illa sit, aut quocumque adhibeatur modo, necessariam esse ad baptismi validitatem.

Tertiò tandem probatur nostra propositio contra Armenos ex ipsomet eorum rituali, vbi præcipitur Presbytero, vt in baptismo, immediatè post ablutionem, ac formæ prolationem, & antequam baptizatum Chrismate inungat atque confirmet, dicat sic: *Christi sanguine redemptus, & à peccati subiectione liberatus es, in filium Patris Cælestis adoptatus, cohæres Christi factus, & templum Spiritus Sancti*; Si igitur baptizatus à peccati subiectione liberatus est, factusque templum Spiritus Sancti, antequã Chrismate consignetur; quomodo baptisma secundum se, ac sine Chrismatis vnctione receptum, non habet esse ratum, perfectumque vndequaque Sacramentum?

Obijciunt primò aduersarij: Non perfectè baptizatur, qui Spiritum Sanctum non accipit iuxta illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; Sed Spiritus Sanctus tribuitur baptizato per Chrisma, seu confirmationem iuxta illud Actor. cap. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; Ergo Baptisma sine Chrismate datum, non erit perfectum.

Respondetur ad hoc argumentum concedendo maiorem benè intellectã, & negando minorem, quatenus licet per Chrisma, seu confirmationem detur Spiritus Sanctus, non tamen per illam solùm, vt intenditur in minori, verùm etiam per baptisma sine Chrismate, vt statim dicebamus ex rituali Ecclesiæ Armenæ, imo per quodlibet aliud Sacramentũ, donatur nobis vnus & idem Spiritus Sanctus: quanquam non eundem ad finem: nam in baptismo datur ad regenerationem spiritualem; in Cõfirmatione ad robur, & augmentum fidei; in Eucharistia ad nutritionem spiritualem, seu continuationẽ augmenti Spiritualis; in Pœnitentia ad remissionem peccatorum; in extrema Vnctione ad finalem perseuerantiam in adepta saluatione, & alleuatione; in Ordine ad pium vsum potestatis sacræ per illum traditæ; denique in matrimonio, ad fidelem, & castum amorem coniugalem, Christianamq; prolis educationem; vt fusius in tractatu de Sacramentis explicari solet.

Neque etiam per illa verba in probationem maioris adducta: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, &c. intelligitur gratia Spiritus Sancti creata, per quam formaliter iustificamur, dicimurque consequenter illum recipere, sed gratia Spiritus Sancti increata, per quam effectiuè dicimur à Deo sanctificari in baptismo, seu regenerari spiritualiter; cum enim ibi Christus Dominus ageret de regeneratione spirituali, & modum, quo illa esset facienda non caperet Nicodemus, vt ipse sua interrogatione significauit, eam ibi explicuit, vtramque causam illius efficiendæ exponens, *aquam*, instrumentalem, *Spiritum Sanctum*, principalem, vt docent Patres superiori capite citati.

Aduertendum insuper, loco citato Actuum, & alijs, interdum dici, fideles accepisse Spiritum Sanctum in confirmatione, quia initio nascentis Ecclesiæ dabatur per illam augmentum, ac robur illud gratiæ Spiritus Sancti, visibilibus signis, nempè sub specie ignis, & cum dono linguarum; quod tunc, vt fides magis confirmari, ac propagari posset, erat expediens: cum solum in alijs Sacramentis idem Spiritus Sãctus, eiusque gratia communicaretur modo inuisibili.

Obijcitur secundò, communiter dici, quod Confirmatio perficit baptismo initiatum; ergo baptisma, sine confirmatione collatum, non erit perfectum, aut completum. Re-

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; aliud enim eſt dicere, hominem illum, qui per baptiſmum duntaxat ſpiritualiter regeneratur, non eſſe ſpiritualiter omni ex parte perfectum, ſed adhuc egere robore, quo confortetur ad præliandũ pro fide, quodque per Chriſma illi cõfertur; & aliud, ipſum baptiſmum non eſſe in ſua ratione perfectum, aut completum Sacramentum ſine Chriſmate, quod omnino eſt falſum, cùm ſic habeat totum id, quod ad eſſe ſuum perfectum, & ex parte materiæ, & ex parte formę deſideratur, ſitque perfectiſſima hominis, per peccatum mortui, regeneratio ſpiritualis. Vndè ex antecedenti, ſi quando talis modus loquendi vſurpatur à Patribus, aut à fidelibus; malè infertur baptiſma, ſine confirmatione collatum, non eſſe perfectum in ſuo genere Sacramentum, ſicuti ex hoc quod confirmatus per Euchariſtiam ſpiritualiter nutriatur, malè argueretur confirmationem ſine illa non eſſe perfectum quoque, & completum in ſuo genere Sacramentum; in omni enim genere talia eſſe non debent, præſtarique per vnum ſolum, quod per cętera, ad perficiendos fideles.

Tertia obiectio deſumitur ex vſu Orientalis Eccleſiæ, quo ſemper fuit ſolitum conferre ſimul cum baptiſmo confirmationem; ſignum enim eſt, quod hæc ad illum ſit neceſſaria, quodque ſi ab illo ſepararetur, vnum perfectum Sacramentum veluti in duas partes diuideretur.

Reſpondetur ad hoc argumentum primò, approbato vſu Eccleſiæ Orientalis, quem Theologi communiter docent eſſe licitum, cum id etiam factitarit Eccleſia primitiua, vt ex Dionyſio colligitur cap. 2. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, malè tamen indè colligi non eſſe duo Sacramenta eſſentialiter diſtincta, & ab inuicem independentia, ſed duas tantum partes vnius Sacramenti perfecti, & completi; ſicuti ex eo quod ibidem immediatè poſt baptiſmum, & cõfirmationem etiam paruulis Sacra detur Euchariſtia malè argueretur non eſſe Sacramentum ab illis diuerſum; cũ identitas Sacramentorum non deſumatur ex ſimultanea eorumdem collatione, ſed ex identitate materiæ, & formę à Chriſto inſtitutarum; *igitur* cum omnia præfata Sacramenta ſuas habeant materias, & formas proprias diuerſas, quantumuis ſimul adminiſtrentur, ſemper erunt Sacramenta ab inuicẽ *diſtincta*, ſuoſque effectus independenter producentia.

Secundò reſpondetur, Sacramentum baptiſmi, & confirmationis nõ conferri debere ſimul neceſſario ex inſtitutione Chriſti, ſed liberè iuxta diuerſos Eccleſiarum ritus, proindèque malè argui vnum ſine alio non eſſe perfectum, aut completum, ex eo quod in aliqua ſimul conferantur, cum in alia ſeparatim id fiat, vt in Eccleſia Latina. Liberum autem eſſe, baptiſmum, & confirmationem ſeparatim conferre, & cõſequenter id non eſſe vnum perfectum Sacramentum in duas partes diuidere, ſed duo perfecta Sacramenta ſuis debitis temporibus adminiſtrare, *prout* vniuſcuiuſque natura exigit, patet primò exemplo Chriſti Domini, qui iuxta probabiliorem Diui *Auguſtini* ſententiam epiſt. 108. & lib 3. de origine animæ cap. 9. quem ſequitur Diuus Thomas 3. par. q. 38. art. 6. ad 2. Apoſtolos baptizauit, ſeu vt Nicephorus lib. 2. cap. 3. ex Euodio refert, Petrum Apoſtolorum caput, *qui deindè* Ioannem, Iacobum, & Andream baptizauit, & hi deinceps cæteros Apoſtolos, vt ſcilicet per baptiſmum quoque ſuſciperent augmentum gratiæ, & *characterem*, ſicut hi nimirum, qui antea licet iuſtificati per actũ dilectionis Dei ſuper omnia baptizantur; & qui doctrinã de neceſſitate baptiſmi alijs tradituri erant, eam vſu ſuo, & exemplo confirmarent, nulla præſertim exiſtente cauſa, cur Chriſtus in illo communi *præcepto* baptiſmi cum eis diſpenſaret; & tamen tam Chriſtus, quam Petrus non ſtatim confir-

confirmationē baptizatis contulerunt; sed cum ante passionem Christi fuissent baptizati, vt colligi non absurdè potest ex illo sermone Christi Domini apud Ioannem cap. 13. *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*; postea confirmationem susceperunt in die Pentecostes.

Præterea Act. Apostol. cap. 8. Philippus Diaconus baptizauit Eunuchum Reginæ Candacis, quem tamen Chrismate non confirmauit, neque confirmare poterat, cum esset solum Diaconus. Idem legitur ibidem multos in Samaria baptizasse, qui deinde ab Apostolis illuc venientibus confirmationis Sacramentum susceperunt. Item cap. 9. Ananias baptizauit Paulum, quem chrismare certè non potuit, nam erat laicus, quare illa manuum eius impositió super Paulum, quæ baptismum præcesserat, non fuit, nec esse poterat ad illum confirmandum, sed tantum ad visum illi restituendum; non igitur necessario coniungi debent baptismus, & confirmatio, quasi sint vnius, & eiusdem Sacramenti partes; aut quasi baptisma per confirmationem, tanquam per quid necessario ad illud requisitum compleri, aut perfici opus sit. Ex qua etiam diuersitate ministrorum baptismi, & confirmationis demonstratiuum habetur argumentum, quod illa non sint vnum, & idem perfectum Sacramentum, vel quod vnctio, cuius solus Episcopus est minister ordinarius, non sit de essentia baptismi, cuius quiuis homo ratione prœditus potest esse minister, ita vt Sacramentum valeat, vt dicetur infra cap. 16.

Etsi autem olim in more positum fuerit, vt infantibus quoque, statim post Baptismum, confirmationis Sacramētum conferretur, quem propterea, vbi adhuc viget, retineri posse tradit Sotus in 4. sentent. dist. 7. quæst. vnica art. 8 nihilominus, cum non sit de necessitate salutis, sed detur ad robur gratiæ conferendum pro fide propugnanda, cuius infantes non sunt adhuc capaces, meritò in Ecclesia Latina non statim post baptismum, sed commodiore post tempore, cum rationis vsum assecuti sunt, confirmantur, quando & fidem profiteri, & pro ea certare possunt. Quemadmodum, licet olim in Ecclesijs consuetudo fuerit communicandi etiam infantes, quia tamen habet rationem spiritualis alimoniæ, restaurātis vires animę, quę tum per internum concupiscentiæ fomitem, tum externas spiritualium hostium insidias debilitantur, quod in paruulis locum non habet, si quidem hi *per baptismi lauacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt*, vt loquitur Concilium Tridentinum; inde etiā ob maiorem dignissimi huius Sacramenti reuerentiam, non immeritò illis denegatur. Hactenus de pręsenti controuersia, quam tractāt Theologi cum Diuo Thoma 3. parte quæst. 66. *de pertinentibus ad Sacramentum Baptismi*, artic. 3. *An aqua sit propria materia baptismi*.

CAPVT XIV.

Ostenditur aduersus nonnullos Armenorum Speudomagistros legitimam esse Baptismi formam, qua dicunt Latini, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

QVia in forma, qua præcepit Apostolis Christus Dominus Math. 28. vt baptizarent, eorumque successores deinceps in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti, actio ablutiua, quæ est materia proxima Sacramenti Baptismi, multipliciter exprimi potest, vel per primam personam verbi indicatiui actiui, dicendo, *Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti*, iuxta morem Ecclesię Latinæ; vel per tertiam personam verbi imperatiui passiui, dicendo, *Baptizetur seruus Dei, vel serua Dei in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti*, iuxta ritum Ec-

clesiæ Græcæ; vel denique per tertiam personam verbi indicatiui passiui, dicendo, *Baptizatur N. seruus Christi in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti*, iuxta consuetudinem Armenorũ; Vartanus eorum Speudomagister in monitis ad eosdem cap. 2. improbat tanquã illegitimam Latinorum formam; quia inquit, *Dominus præcepit Apostolis, vt in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti baptizarent, & non etiam in nomine proprio. Qui autem dicit ego te baptizo, &c. indicat, se in suo etiam nomine baptizare; & ideo Paulus* 1. *Corinth.* 1. *inquit: Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizaui, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis*. Eundem secutus est errorem Gregorius Dattieuensis in lib. Interrog. tractat. 34. vbi agit de baptismo num. 29. Quia autem præfati authores sumentes pro non dubio, quod est falsum; scilicet Latinos improbare formam Græci, & Armeni Baptismatis, inde quoque pro illius defensione, vltionis quoque telum in Latinam formam coniiciunt, vel vt Latinos Armenis magis odiosos reddant.

Nos primùm asserimus has formas baptismi, quibus Græci, & Armeni vtuntur, sufficientes esse, & validas, ita enim expresè declarauit Summus Põtifex Eugenius IV. in suo decreto vnionis quod refertur in calce Cõcilij Florentini. Cuius tota ratio à priori est voluntas Christi Domini instituentis: quam significauit Mathęi 28. vbi simul tradens Apostolis præceptum, & explicans ritum baptizandi ait, *Baptizantes eos, in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*. Actio enim ministri, seu ablutio per illum facta, quæ est materia proxima Sacramenti Baptismi, quamque Christus per illam particulam *baptizantes*, non solum pręcepit, sed etiã exprimi ab ipso ministro voluit, per verbum *baptizo*, aut aliud in significatione ei simile, suffi.ienter, & æquiualenter exprimitur, tam sub ratione actionis, quæ tunc exercetur à ministro, & pro vt ab illo egreditur, dicendo, *Ego te baptizo &c.* quam sub ratione passionis, & quatenus de facto recipitur in subiecto, dicendo, *Baptizatur*, vel *Baptizetur seruus Christi, &c.*

In forma igitur Baptismi, hæc particula, *Baptizo*, est de essentia eius, debetque illa, vel alia ei ęquiualens inter baptizandum debet proferri, ita vt si quis cum debita intentione effundat aquam supra baptizandum, hæc tantũ verba pronuntiando, *in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*, Baptismus non sit validus, vt expresè definiuit Alexander III. & refertur *Extra.* cap. 1. de Baptismo, *Si quis*, inquit, *puerum ter in aqua immerserit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non est baptizatus.* In cuius oppositum Claremontensis Episcopus sua de hac re epistola ad Mauritium Parisiensem Episcopum, & ad Stephanum Sancti Euuertij apud Aurelias Abbatem, quæ extat in Bibliotheca Patrum, notat suo tempore hanc pessimorum fuisse in terra sua consuetudinem, vt, qui in necessitatis articulo baptizabant, omissis ceremonijs, infundendo tantum aquam, quod ibi vocat *vndeiare*, quasi *vndam iacere*, dicerent tantùm, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: quare dubius de valore talis Baptismi, consulit citata epistola præfatos Episcopum, & Abbatem, cui licet minus scite respondenrit Abbas, hanc particulam, *Ego te baptizo*, vel aliam æquiualentem, non esse de substantia baptismi, sed fuisse inductam ab Ecclesia, *vt esset de solemnitate*, inquit, *ministerij*; nihilominus sententia Mauritij ad eumdem Episcopũ fuit omnino contraria, scilicet prolationem huius particulæ, vel alterius æquiualentis, *Baptizo*, esse de substantia formæ baptismi, ita vt illa omissa quantumuis cœtera obseruentur, talis baptismus sit nullus; idque sapienter ex authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum refert acceptum, sic scribendo: *In quem modum forma baptismi*

ptismi tradi, & recipi debeat Scripturarũ diuinarum authoritate, & Sanctorum Patrum testimonio, tandem habemus in hunc modum, scilicet, Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti, & tanta est verborum viuacitas, vt nihil immutari, nihil innouari oporteat, nisi verò tota hæc verba simul à quocumque, & à quacunque lingua proferantur, Baptismum esse non credimus; Cæterum quod verbum illud Baptizo, aut aliud æquiualens, proferendum à baptizante ex institutione Christi, vt sic quod in administratione huius Sacramenti ipso exteriori ablutionis actu fit, & exercetur, sensibili formæ verbo significetur, vno aut altero ex dictis modo exprimatur, merè accidentaliter se habet ad formam baptismi, nec illã substantialiter immutat, ex traditione, & declaratione Ecclesiæ hoc modo intelligentis istud Christi Domini Math. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti*.

Cui non obstat, quod apud Albertum Magnum in 4. sentent. distinct. 3. art. 2. Gregorius Papa iusserit Græcos aliquos hoc modo baptizatos, *Baptizetur seruus Christi &c.* iterum sub cõditione baptizari; nec non quod statim ex Alexandro III. retulimus, nimirum, eum qui omisit hec verba, Ego te baptizo, licet adhibuerit cætera, nõ baptizasse. Ad primum enim respondetur primò, historiam hanc esse dubiam. Secundò, admissa eius veritate, respondetur tunc nondum fuisse declaratum formam Græcorum esse validam; nec Gregorium id discutere, ac definire tunc voluisse: ideoque cum in dubio debeat Baptismus sub conditione iterari, potuit Summus Pontifex eligendo partem tutiorem, omninoq; certam, iubere, vt iterum rebaptizarentur sub conditione. Ad secundum Alexandri III. dicitur eum accepisse illa verba, *Ego te baptizo*, non materialiter, sed formaliter, id est, vt significant actum ipsum baptismi vt exercitum, qui sic per vtramque formam Latinam & Græcam sufficienter, & æquiualenter exprimitur, quamuis non per eamdem materialiter particulam.

Vnde refelli debet quorumdam Canonistarum sententia; qui existimant Latinos non posse validè sub Grecorũ forma baptizare: nam licet illis sit vetitum, quia vnusquisque tenetur sequi morem suæ Ecclesiæ in administrandis Sacramentis; nihilominus Baptismus sub eorum forma collatus non desinit esse validus, cum essentia Sacramenti Baptismi, eadem sit in Ecclesia Græca ac Latina, & ex consequenti essentialia vtrobique habeantur, cum sola differentia accidentali in modo significandi.

Secundò asserimus, formam, qua in baptizando vtuntur Latini, scilicet, *Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti*, esse legitimam, adeo vt baptismus sub illa à quocumque collatus sit validus. Ista propositio est de fide contra præfatos pseudomagistros Armenorum, eorumque sequaces. Nec illam negant ipsimet nostrorum temporum hæretici Caluinistæ, & Lutherani, licet nonnulli eorum falso existiment certam verborum formam non esse ad baptismum conficiendum necessariam.

Hęc veritas fuit expresè definita ab Alexandro III. loco superius citato; tùm in Concilio Lateranensi vt refertur cap. firmiter; ac demum in Tridẽtino sess. 7. de Baptismo cap. 4. fundatur in citato Matth. loco cap. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti*. Sed maximè in verbo Dei per Apostolos Ecclesiæ tradito, semperque in ea fideliter custodito; si enim illud secludatur, & authoritas Ecclesiæ in vero scripturæ sensu assequendo, & declarando, solisque scripturæ verbis inhæreamus, nec aduersarij, nec nos possumus efficaciter, & validè probare, quod hæc, vel alia equiualens forma sit proferenda inter baptizandum, cum expresè in Scriptura

tura non habeatur, sed tantum quo ad rem significatam præfato Matthæi loco; quam Ecclesia iuxta traditionem in ea relictam, Sanctorum Patrum, Historiæque Ecclesiasticæ testimonio vbique firmatam, cum doceat, tum exprimi posse per verbum *Baptizo* à Latinis, quam per verbum *Baptizetur*, aut *Baptizatur* à Græcis, & Armenis, illisque vtendum esse præscribat, necessario fatendum est, vtramque formam esse validam, tantumque distingui accidentaliter in modo significandi; nec non in eo, quod in forma latinorum per verbum, *Baptizo* explicitè causa instrumentalis, cuiusmodi est minister, principalis autem, qualis est Deus, particula *in nomine &c.* exprimatur; in forma autem Græcorum, & Armenorum, implicitè solum, & virtualiter significetur minister, per verbum *Baptizetur*; Etsi enim talis forma modo imperatiuo passiuo enuntietur, indeque videri posset, personam ministri baptizantis ne implicitè quidem significari, sed fieri tantum mentionem actus baptismi, vt exercetur, & personæ illius, qui baptizatur; siquidem omne imperium semper dirigitur ad aliquid, ab ipso imperante distinctum, v.g. ad aliquam causam imperanti obedientē, vel ad effectum, qui ad nutum ipsius ponitur in rerum natura; quia tamen quādocumque verba sunt ita practica, vt ex vi suæ institutionis debeant significare applicationem materiæ fieri à ministro proferente formam; vel etiam quando quis applicat se, vel causam effectus producendi ad agendum, & loquitur practicè per modum imperij, tunc innuit se facere, quod hæc eius verba significant, & sic loquendo exprimit, saltem implicitè, se vt verā aliquam causam effectus, qui tunc producitur, siue moralem, siue physicam, siue principalem, siue ministerialem tātum, & instrumentalem, pro ratione suæ conditionis, & effectus practicè significari per verba, vt exempli gratia, quando Deus in creatione mundi loquendo practicè dixit, *fiat lux*, non tātum producebat lucem, sed etiam simul significabat, saltem implicitè, se esse qui illam producebat.

Inde fit, quod, cum in forma baptismi verba sint ita practica, vt necessariò debeant significare applicationem materiæ fieri à ministro proferente formā verborum, quia vt ait Eugenius in decreto explicans, quæ sint essentialia formæ baptismi, inter alia ita loquitur de ipsa actione, *si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum Sanctissimæ Trinitatis inuocatione perficitur Sacramentum*, fit, inquam, quod talis forma, etiam si exprimatur per vocem imperantis, *Baptizetur*, ita quidē primò per se, & directè ad effectum dirigatur, vt tamen dicat etiam specialem ordinem ad eum, qui huiusmodi effectum produci imperat, tanquam ad aliquam causam illius, hic & nunc producendi efficacem, quia, vt dicebam, est oratio, seu locutio practica rei, non à quacumque causa faciendę, sed à seipso imperante, ita vt sublata sua efficientia siue morali, siue physica, iste numero effectus hic, & nunc nō fieret, cum eius sit applicare significationem practicam signis Sacramentalibus à Christo Domino impositam ad suum exercitium.

Per quod satis patet ad argumentū Vartani, per illa nimirum verba formæ Latinorum, *Ego te baptizo &c.* vbi etiā particula illa, Ego, non ponitur ex necessitate, sed ad maiorem expressionē intentionis, non indicari ministrum, se in suo etiam nomine baptizare, sed tantum explicitè esse instrumentum, quod in nomine, & virtute Trinitatis actum illum exercet, tanquam causæ principalis, à qua suam habet efficaciam baptismus. Nec aliud significare voluit Apostolus loco citato 1. Corinth. 1. quosdam eorum reprehendēs, quod pro diuersitate meritorum in ministris baptizantibus, crederent quoque diuersa, aut meliora esse baptismāta, indeque gloriarentur de mini-

stris

stris à quibus erant baptizati, seque ab eis denominarent.

Ex quo Corinthiorum vitio, quod in illis fuisse notant expressè Chrysostomus, & Theodoretus in præfatum Apostoli locum, colligo ego, tunc baptismi formam, non eam, qua nunc vtuntur Græci, aut Armeni, fuisse, sed qua latini; si quidem ex Græca, vbi minister implicitè solùm exprimitur, talem occasionem gloriandi de illo ita facile sumere non poterant, sicut ex latina, in qua expressa, & explicita fit illius mentio.

Idem etiam argui potest ex ipsismet Pauli verbis, quę Vartanus, vt iuxta sensum suum exponeret, malitiosè detruncauit dicens: *Ideo Paulus* 1. *Corint.* 1. *inquit: gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizaui, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. Vt ostendat se neminem baptizasse per illud verbum actiuum, baptizo te, quod significat baptizare in nomine, & virtute propria*; hæc enim expositio sic ad nostrum intentũ retorqueri potest contra suum authorem: Ergo si dixisset Apostolus: aliquem vestrum baptizaui: vtique iuxta dictam expositionem ostendisset, se illum baptizasse per verbum actiuum, *Baptizo te*, vnde etiam haberetur hoc verbum non importare significationẽ in nomine, & virtute baptizantis: sed re vera ita dixit Apostolus, si integra eius verba citentur; ait enim: *Vnusquisque vestrum dicit, ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo; ego verò Cephas, ego autem Christi. Diuisus est Christus? nunquid Paulus crucifixus est pro vobis; aut in nomine Pauli baptizati estis? gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum, & Caium; ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis: baptizaui autem & Stephana domum: cæterum nescio si quem alium baptizauerim.* Ex ipsa igitur Vartani interpretatione sequitur, quod hos Paulus baptizauerat non per verbum passiuum, sed actiuum, dicendo, *Ego te baptizo*: tametsi ita baptizabat non in nomine proprio, sed vt Dei minister in nomine, & virtute Trinitatis. Id quod posteriora eius verba apertius declarant, dum subdit cap. 3. *Cum enim quis dicat: ego quidem sum Pauli, alius autem ego Apollo: nonne carnales estis? quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? ministri eius cui credidistis: & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit.*

Vtrum autem, quod nonnulli in Græca Ecclesia fuerint gloriati de ijs per quos fuerunt baptizati, id fuerit Gręcis occasio mutandæ formulæ baptismi à modo enuntiandi illam actiuè, in modum illam enuntiandi passiuè, quem postea amplexi fuerint Armeni, partem affirmatiuam tenet Diuus Thomas 3. part. quæst. 66. art. 5. ad 1. Quo tamen id contigerit tempore, & sub quo Episcopo Constantinopolitano, vel alio Græcæ Ecclesiæ incertum est. Hoc vnum tantum debet esse certum, quod licet aliqui ex Græcis Patribus, vt de Sancto Chrysostomo fusè probat Petrus Archudius lib. 2. de baptismo cap. 8. existimauerint modum hunc enuntiandi verbo passiuo, id quod quis opere exequitur, facere ad commendationem eius modestiæ, & esse signum aliquod illius, nullus tamen illorum vnquam censuit tales locutiones verbo passiuo expressas, esse quo ad substantiam alterius significationis ab iisdem locutionibus verbo actiuo in prima persona indicatiui modi explicatis, & proinde sicut iuxta priorem modum, ita, & iuxta posteriorem licita, & valida est baptismi collatio; tantumque sufficiat de præsenti controuersia, de qua agunt Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 66. art. 5.

CA-

CAPVT XV.

Ostenditur aduersus eosdem Armenos, in baptismo trinæ immersionis, iuxta eorum ritum, licitè non posse ministrum ter repetere totam Baptismi formam, ita vt in vnaquaque immersione dicat, Baptizetur N. seruus Christi, in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.

ABlutionem aquæ, esse proximam Baptismi materiam haud negant aduersarij, cum quibus agimus in præsenti; nec vllus eorum, qui aquam pro remota eius materia agnoscunt; & hæc veritas clarè elicitur ex Scriptura, tam Sancti Matthæi cap. 28. quam ad Ephesios 5. & ad Titum 3. istæ enim particulæ, *baptizantes*, *lauacrum*, quæ ibi vsurpantur, significant actualem ablutionem aquæ; ita vt, qui poneret illam solum iuxta corpus alterius, nec infunderet, vel aspergeret, aut illud ea non immergeret, nullo pacto diceretur eum abluere; quia ablutio præter iuxta positionem aquæ postulat contactum eius physicum ad corpus, quod abluitur, cum diuisione aquæ; vnde ablutio supra aquam addit vsum eius circa id quod abluitur, estque aliquid ab ipsa aqua, secundum se considerata, distinctum, cum sine illo aqua possit esse, sine qua tamen nequit esse ablutio.

Cum autem per se requiratur ad baptismum corporalis ablutio per aquā, modus tamen ablutionis per accidens se habet ad essentiam, vel substantiam illius; valideque proinde conferri potest vno, & quolibet istorum modorū, nimirum, vel per aspersionem, vel per infusionem, vel denique per immersionem: vt constat ex epistola S. Cypriani ad Magnum 76. idque vnanimiter docent Theologi cum Diuo Thoma 3. p. q. 66. art. 7. cuius ratio est, quod aqua assumitur in Sacramento Baptismi, ad vsum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorū; omnis igitur vera ablutio hominis est sufficiens proxima materia baptismi; sed quilibet modus ex tribus assignatis, est vera ablutio hominis, vt ex se patet: quilibet ergo illorum est sufficiens materia proxima baptismi. Et hanc rationem, pro valore baptismi per aspersionem collati, qua Apostolos vsos fuisse communiter docetur, vbi Act. cap. 2. & 4. dicitur eos modo tria millia hominum, modo quinque millia vno die baptizasse, vrget Sanctus Cyprianus citata epistola. Notandum tamen est in hoc vnumquemque debere seruare consuetudinem suæ Ecclesiæ, quam si extra casum necessitatis, vel honestatis, etiam sublato omni scandalo, & contemptu, non retineat, sed aliam vsurpet, peccat ex communi Theologorum consensu.

Tandem sicut ad ablutionem, quæ est proxima baptismi materia, per accidens se habet, quod fiat vno, vel altero ex dictis modis, ita etiam per accidens se habet, quod fit vna, vel trina, quare ad substantiam Sacramenti Baptismi, siue fiat per aspersionem, siue per infusionem, siue per immersionem, vna, siue aspersio, siue infusio, siue immersio sufficit, & trina non est necessaria, sed tantum pertinet ad ceremoniam, vel solemnitatem Sacramenti; propereaque Diuus Thomas quæstione citata art. 8. docet diuersis ex causis, secundum ordinationem Ecclesiæ, quandoque institutum esse vnū modum, quandoque alium. Quia enim, inquit, à principio nascentis Ecclesiæ, quidam de Trinitate male sentiebant, Christum purum hominem esse æstimantes, nec dici Filium Dei, & Deum, nisi propter meritum eius, quod præcipuè fuit in morte: ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in cōmemoratione mortis Christi, & vna immersione, quod reprobatum fuit in primitiua Ecclesia. Vnde in canonibus Apostolorum legitur, si quis Presbyter aut Episcopus non trinam immersionem

nem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate (quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini) deponatur. Non enim nobis dixit Dominus, in morte mea baptizate, sed in nomine Patris; & Filij, & Spiritus Sancti. Postmodum verò inoleuit quorumdam Schismaticorum, & hæreticorum error, homines rebaptizantium: sicut de Donatistis Augustinus narrat tract. 11. super Ioannem. Et ideo in detestationem erroris eorum fuit statutum in Concilio Toletano IV. can. 5. quod fieret vna sola immersio. Vbi sic legitur; Propter vitandum Schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismi immersionem. Vbi etiam refertur responsio S. Gregorij Papæ ad Leandrum lib. 1. regist. epist. 41. scribentis, *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel immergere. Quoniam & in tribus immersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari.* Quatenus præfati hæretici per trinam immersionem inducebant tres distinctas essentias in diuinis.

In hoc ergo sita est præsens controuersia, vtrum in baptismo trinæ immersionis; licitè possit minister ter repetere totam baptismi formam; quod præfati Armenorum Speudomagistri, affirmant, nos autem Catholici constanter negamus. Ratio est, quia vt infra contra Abyssinos ostendemus, vnum est baptisma, quod iterari nullatenus potest; si autem in eius administratione, cum trina immersione, vel etiam infusione, ter etiam tota forma à ministro pronuntiaretur, certè non fieret vnum, sed triplex baptisma, seu bis illud iteraretur; id igitur pro illicito omnino habendum est. Maior cum sit certa, nec ab aduersariis negetur; probatur maior; quia cum vnumquodque Sacramentum per suam formam, & materiam compleatur, iam post primam formæ pronuntiationem, & immersionem in aquam, perfectum haberetur Sacramentum, vna si quidem immersio sufficit ad validitatem baptismi, ita vt aliæ duæ sint tātum de eius solemnitate, & ex instituto Ecclesiæ adhibendæ, si simul cum illa tota proferatur forma: Vbi igitur iterū, ac tertio eadem forma repeteretur in secunda, & tertia mersione, iam secundò, ac tertio rebaptizaretur oblatus: quod profectò non esset aliud, quàm bis in cassum idem iterare Sacramentū, eique inferre iniuriam, ac proindè committere sacrilegium; vt docet Diuus Thomas 3. p. q. 66. art. 8. ad 3. *Intentio,* inquit, *requiritur ad baptismum; & ideo ex intentione ministri Ecclesiæ, qui intendit vnum baptisma dare trina immersione, efficitur vnum baptisma. Vnde Hieronymus dicit super epistolam ad Philipp. Licet ter baptizetur, id est immergatur, propter mysterium Trinitatis: tamen vnū baptisma reputatur. Si verò intenderet, ad vnam quamque immersionem, vnum baptisma dare, ad singulas immersiones repetens verba formæ, peccaret, quantum in se est, pluries baptizans.*

In tali igitur baptismo debent Armeni Ministri semel tantum formam pronuntiare, ita vt in prima mersione dicatur: *N. seruus Iesu Christi baptizatur per me in nomine Patris*: in secunda: *& filij*: in tertia, *& Spiritus sancti*. Iuxta antiquum Ecclesię tum Orientalis, tum Occidentalis morem; cuius meminere S. Clemens in can. 49. Apostolor. Dionysius Areopagita de Eccles. Hierarch. Cyrillus Hierosol. Catech. 2. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 29. Chrysostomus homil. 24. in Ioann. Augustinus serm. 91. & 201. alijque Sancti Patres: à quo ritu non debēt Armeni recedere, præsertim ob allatam ex Diuo Thoma rationem. Sic enim, licet ter immergatur oblatus ad significandum triduum sepulturę Christi, ac etiam Trinitatem diuinarum Personarum; vnum tamen reputatur baptisma ob vnicam formæ prolationem.

CA-

CAPVT XVI.

Statuitur aduersus Armenos Sacramentum Baptismi validè conferri posse à quolibet homine.

CVm in administratione Sacramẽtorum, sicut & in multis negotijs humanis, aliud sit facere aliquid validè, & aliud licitè: hoc enim secundum respicit conscientiam, & significat illud, quod asseritur sic fieri, non tantũ exerceri sicut exigit natura, & eius institutio præcisè, verùm etiam tuta consciẽtia, & absque peccato. Primum verò respicit substantiam rei, quæ dicitur fieri validè, & significat illam ita fieri, vt tunc constet omnibus suis partibus essentialibus, abstrahendo ab eo, quod qui illam exercet, faciat illam tuta conscientia, & absque periculo animæ. In præsenti non agimus de licita Sacramenti Baptismi collatione, siue de illis, quibus competat ex officio, & licitè baptizare; sed tantum asserimus quemlibet hominem siue virum, siue fœminã, siue paganum, siue fidelem, siue Diaconum, vel Pastorem Ecclesiæ legitimè vocatum, siue non pastorem, siue non vocatum posse validè administrare Sacramentum Baptismi, modo adhibeat formam, & materiam legitimas cum debita intentione; atque adeo sacerdotẽ non esse necessarium eius ministrum, vt docent nonnulli Armenorum Pseudomagistri.

Prima huius veritatis definitio habetur ex Gelasio Papa epistola ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios constitutos cap. 9. *Diaconi absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi longius constitutis extrema necessitas compellat. Quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur.* Nicolao I. ad consulta Bulgarorum cap. 104. A quodam Iudæo, nescitis vtrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid inde sit agendum consulitis. Hi profectò, si in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in actibus Apostolorum legitur) baptizati sunt: vnum quippe idemque est, vt Sanctus Ambrosius exponit: constat eos non esse rebaptizandos denuo. Quomodo autem, quod hic Pontifex de baptismo in nomine Christi collato dicit, intelligi debeat, explicuimus tomo 3. lib. 3. sect. 4. capit. 17. viderique potest Diuus Thomas 3. par. q. 66. art. 6. Vrbano II. epist. ad Vitalem Presbyterum, approbante baptismum à fœmina collatum. Ex Concilio Lateranẽsi Oecumenico sub Innocentio III. cap. 1. *Sacramentum Baptismi, quod ad inuocationem indiuiduę Trinitatis cõsecratur in aqua, tam paruulis, quam adultis, in forma Ecclesiæ a quocumque ritè collatum, proficit ad salutem.* Tum denique ex Florentino sub Eugenio IV. vbi in decreto, pro Armenis specialiter edito, sic habetur: *Minister huius Sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum sacerdos, vel Diaconus; sed etiam laicus, vel mulier: imo etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dũmodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

Ex Concilijs autem particularibus, Elibertinum, circa tempora Concilij Nicæni celebratum, can. 38. docet, fideles Laicos posse baptizare, cum Ecclesia procul abest, & aliquis Cathecumenus vicinus est morti. Et Carthaginense IV. cui Sanctus Augustinus interfuit. Can. 100. pro vt citatur à Magistro sententiarum in 4. dist. 6. & a Gratiano can. *Mulier.* de Consecrat. distinct. 4. ait: *Mulier baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente.*

Loca Scripturæ vndè hæc Ecclesiæ fides, quemque semper tenuit, vsus promanauit, habentur Exodi 4. v. 24. vbi Sephora Moysis vxor, filium suum circumcidisse legitur. lib. 2. Machabęor. cap. 6. refertur quoque duas mulieres natos suos circumcidisse: inde enim arguitur, cum in lege Euangelica nihil

nihil prorsus in contrarium iubeatur, licere etiam fœminis in casu necessitatis baptizare, quia circumcisio baptismi figura fuit; nec ea minus est ad salutem necessarius. Act. Apostolorum cap.8. Philippus Diaconus baptizabat, & tamen non erat sacerdos. Item cap. 9. Paulus Apostolus baptizatus fuit ab Anania, qui nec Sacerdos, nec Diaconus erat, sed laicus: non igitur solis sacerdotibus, sed etiam Diaconis, & laicis licet quandoque baptizare.

Sed ex diuina traditione, perpetuò Ecclesiæ vsu, ab ipso eius exordio, veterumque Patrum testimonio firmata; potissimum hæc veritas comprobatur. Tertullianus enim lib. de Baptismo c. 17. expresse ait, *etiam laicis ius esse baptizandi*, imo & ab omnibus exerceri posse, monet tamen id non licere laicis, nisi vbi, vel loci, vel temporis, vel personę cõditio compellit. D. Hieronymus dialogo aduersus Luciferianos c. 4. *Sine Episcopi iussione neque Presbyter, neque Diaconus ius habent baptizandi: quod frequenter, si tamen necessitas cogat, scimus etiam laicis licere*. Alexander Episcopus Alexandrinus cum Concilio Clericorum ratum habuit baptisma, quod Athanasius adhuc puer, & laicus alijs pueris contulerat, secundum religionis nostræ ritum, vt refert Ruffinus lib.1. hist. Eccles. cap. 14. & Zozomenus lib.2. cap. 16. Sanctus Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. distinguens inter validum, & licitum baptismum, loquensque de ministro eius hæc habet: *Sed etsi nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis rectè possit dici illicitè datum* &c. *Et hæc quidem alia quæstio est, vtrum & ab ijs, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari, nec aliquid temere inde affirmandum est, sine authoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit. De ijs verò, qui ab Ecclesiæ vnitate separati sunt, nulla iam quæstio est, quin & habeant, & dare possint*. Item ad Fortunatum: *In necessitate, cum Episcopi, aut Presbyteri, aut quilibet ministrorum non inueniuntur, & vrget periculum eius, qui petit, ne sine Sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos solere dare Sacramentum, quod acceperunt, solemus dicere*. Idem prorsus docent Isidorus Hispalensis lib.2. de offic. Eccles. cap. 24. VValafridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap.26. Hugo Victorinus de Sacramento Baptis. cap. 8. Iacobus Vitriacus in octaua Epiphaniæ, *Non solum, inquit, vtriusque sexus fideles, sed & Saraceni, & hæretici in necessitate possunt baptizare sub inuocatione Trinitatis, dummodo quod intendit Ecclesia, ipsi intendant facere, licet ex baptismo nullum crederent fructum prouenire*. &c. Tum denique Diuus Thomas in 4. sentent. dist.5. & 3.p. qu.67. quique deinceps secuti sunt omnes Scholastici.

Ratio autem à priori huius veritatis est sola Christi Domini institutio, quã vt sibi reuelatam Ecclesia semper obseruauit, fidelibusque credendam proposuit. At præcipua huius institutionis congruentia fundatur in hoc, quod, vt ait Diuus Thomas loco citato sentẽt. *Baptisma inter alia sacramenta est maxima necessitatis: tum, quia pueris non potest aliter subueniri: tum, quia etiam nec adultis, quantum ad remissionem totius pœnæ: & ideo ea, quæ ad necessitatem Sacramenti requiruntur, debuerunt esse communissima, & ex parte materiæ, scilicet aquæ, quæ vbique haberi potest, & ex parte ministri, vt quilibet homo baptizare possit. Et sanctificatio materiæ, & benedictio præcedens baptismum, non est de necessitate Sacramenti, sed de solemnitate. Et peccat, si aliquis non ordinatus baptizet, nisi necessitate imminente, tamen Sacramentum confert*. Hactenus Diuus Thomas. Igitur, cum frequentes casus necessitatis possint occurrere, quibus absit Sacerdos, vel pastor, Christus pro sua erga nos suaui prouidentia, voluit vt baptismus, stante eius necessitate in ratione medij, posset validè conferri à quolibet homine debitam materiam, & formam ex legitima inten-

intentione applicante.

Quæ ab aduersarijs in contrarium obijciuntur primò ex Patribus, nullius sunt momenti, laborantque solum in æquiuoco, quatenus quod Summorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum definitiones prohibent tantùm faciendum, tanquam illicitum, illi nulla facta distinctione illiciti ab inualido, assumunt pro se, quasi Patres vellent baptismum eiusmodi esse nullum, cũ tamen ex collatione aliorum capitum, vel etiam ex ipsis circumstantijs rerum, locorum, temporum, aut personarum, antecedentibusque, & consequentibus facile possit colligi eos tantùm loqui de illicito.

Similiter, quod in particulari obijciunt secundò, mulieres non posse baptizare, quia prohibitum est illis sacra officia tractare; intelligendum solum est de solemni officio, & extra casum necessitatis, vt respondet Diuus Thomas 3. p. q. 67. art. 4. ad 1. ideoque Apostolus 1. Corinth. 14. & 1. ad Timoth. 2. non præcipit simpliciter mulieribus, *vt taceant*, sed adhibet hanc particulam, *in Ecclesia*, id est in conuentu, & officio publico, non autem ne priuatim domi suæ doceant quando, & vbi occurrit necessitas, vt patet exẽplo Aquilæ, & vxoris eius Priscillæ Act. 18. qui Apollinem in fide Domini diligentius instruxerunt. Igitur, sicut ministerium verbi, quamuis sit proprium Apostolorum, & Episcoporum, qui eis succedunt; tamen in casu necessitatis omnes possunt, & tenentur docere, & instruere ignorantes; ita pari ratione, licet munus baptizandi, sit proprium Sacerdotum, nihilominus in necessitate licebit etiam laicis, & fœminis baptizare: immo à fortiori, cum baptismus sit magis necessarius, sitque ex alia parte magis proprium Apostolorum, & Episcoporum docere, & prædicare, quam baptizare, vt Paulus 1. Corinth. 1. testatur, dicens: *Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare.*

Per quod etiam patet ad tertiam obiectionem; nimirum baptizare pertinere ad officium prælationis, siue eius tantum esse baptizare validè, qui habet aliquam iurisdictionem spiritualẽ in aliqua membra Ecclesiæ; qualem non habent laicus, paganus, & mulier, sed soli Sacerdotes curam animarum habentes. Respondetur enim ex Diuo Thoma loco citato ad 2. quod quando baptismus solemniter, & ordinariè celebratur, debet aliquis Sacramentum Baptismi suscipere à Presbytero curã animarum habente, vel ab aliquo vice eius. Hoc tamen non requiritur in articulo necessitatis, in quo laicus, paganus, & mulier possunt baptizare. Ibidemque ad 3. idem Sanctus Doctor rectè aduertit differre inter se generationem carnalem, & spiritualem, quantũ ad præsens institutum: quod in generatione carnali masculus, & fæmina operantur secundum virtutem propriæ naturæ; & ideo fœmina non potest esse principium generationis actiuum, sed passiuum tantum. In generatione autem spirituali neuter operatur in virtute propria, sed instrumentaliter tantum per virtutem Christi; & ideo eodem modo potest vir & mulier in casu necessitatis baptizare. Sique mulier etiam extra casum necessitatis baptizaret, non esset rebaptizandus, peccaret tamen baptizans, & alij, qui ad hoc cooperarentur, vel baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquem offerendo.

Quartò & vltimo obiciunt, eandem esse rationem Baptismi conferendi, ac Eucharistiæ administrandæ, & celebrandæ, sed solis sacerdotibus data est potestas administrandę, & celebrãdæ Eucharistiæ; igitur & baptizandi. Respondetur primo negando paritatẽ, ob diuersam vtriusque Sacramenti naturam, ac necessitatem, iuxta Christi Domini, qui est author Sacramentorũ nouæ legis, & caput totius Ecclesiæ, institutionem; quod enim Sacramentũ Baptismi voluerit esse necessarium in ratione medij ad salutem omnibus hominibus

minibus cuiuscumque sint ætatis, & conditionis, consequenter dedit hanc potestatem validè baptismum conferendi, incorporandique per illum hominis in suam Ecclesiam, cuilibet homini habenti vsum rationis cuiuscumque sit ille conditionis, & sexus, vt docent quæ attulimus in probationem nostræ conclusionis; Quæ necessitas cum non reperiatur in Sacramēto Eucharistiæ, conueniens fuit quod Christus Dominus non omnibus, sed solis Sacerdotibus illius confectionem cōmitteret. Secundò respondetur, si obiectio procedat de confectione Eucharistiæ, disparem esse conditionem eius, ac baptismi, quia pendet à charactere, quem soli sacerdotes habent impressum; administratio verò baptismi non item, ita volente Christo Domino, ob rationem, & congruentiam statim allatam. Si verò procedat obiectio de simplici porrectione tantum Eucharistiæ iam consecratæ. Respondetur in primitiua Ecclesia eam aliquando fuisse permissam laicis Christianis, vt docent Theologi in tractatu de Eucharistia.

Itaque in fine huius capitis notandum est, hortari debere Armeniorum Parochos; nec non omnes alios, ad obstetrices suarum nationum instruendas, de materia, & forma Sacramenti Baptismi, cum intentione faciendi quod intendit vera Ecclesia; vbi illum conferunt; vt, cum in mortis periculo constitutos viderint infantes, vbi nascuntur, eos citò priuatim baptizent, modo ab alijs maioribus baptizari nequeant; ne immani crudelitate sine baptismo decedentes æternaliter pereant: qui tamen si postea superuixerint, non debet eos sacerdos rebaptizare, sed tantùm reliqua baptismi Sacramentalia, seu ceremonias illis adhibere; quę cum pertineant ad solemnitatem, & non ad necessitatem baptismi, fieri non debent, nec possunt à laicis, & mulieribus, sed solummodo à ministris Ecclesiæ, quorum est solemniter baptizare, de quibus non agimus modo, & videri potest, nec non de præsenti controuersia Diuus Thomas eiusque interpretes 3. p. q. 67.

CAPVT XVII.

Probatur contra Abyssinos illicitam esse Baptismi iterationem.

SI quam singulis annis in die Epiphaniæ Abyssini faciunt ceremoniā exeundi ad flumen, & ibi se abluendi, interim dum multæ dicuntur orationes à Presbyteris, fit tantum ob deuotionem Baptismi Domini nostri Iesu Christi, vt de hac re interrogatus respondit Frater Tecla Maria apud nostrū Thomam à Iesu lib. 7. de conuersione omnium gentium cap. 13. id ipsis licitum esse dubium non est. At si fiat ad iterandum Baptisma, vt sentire videtur Aluaresius in historia Aethyopica cap. 18. quatenus refert eos singulis annis in præfato Epiphaniæ die, benedicto prius aquarum stagno, trina immersione tam mares, quàm fœminas præmissa Baptismi forma, in eo ablui, omnino illicitum esse dicendum est; talisque error, vt ex eodem authore non obscurè colligitur, suam ab hæresi Nouatianorum originem traxisse videtur, falso existimantium non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi lapsos, vt enim illi sine spe non remanerent, alterum Baptisma Abyssini iuxta dictum ritum admisere.

Vnum igitur hominem semel tantū baptizari posse, atque ita Sacramentū Baptismi non esse iterabile, neque posse esse, nisi vnum numero in eodem subiecto, certa fide tenendum est. Prima huius veritatis definitio habetur in epistola 37. Leonis Papæ, ad Leonem Episcopum Rauennatem capit. 1. *Scimus*, inquit, *inexpiabile esse facinus, quoties cogitur aliquis lauacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire Apostolica reclamante doctrina, quæ vnā prædicat in Trinitate Deitatem, vnam in fide*

fide confessionem, vnum in Baptismate Sacramentum. Et epistola 79. ad Nicetam cap. 7. *Hanc regulam seruandam omnibus Ecclesiis prædicamus, vt lauacrū semel initum, nulla iteratione violetur: dicente Apostolo, Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Tum in Concilijs Generalibus Viennensi, prout habetur in c. vnico §. vltimo de Summa Trinit. lib. 6. Florentino in decreto Eugenij, & Tridentino sess. 7. cap. 9. de Sacramentis in genere, & 11. de Baptismo. In Concilio autem Carthaginensi I. sub Syluestro I. ex diuersis Prouincijs Aphricanis ad Carthaginem congregato, cap. 1. *Gratus Episcopus Carthaginensis, qui præsidebat in Concilio, dixit: Ergo si vobis placet consideremus primum titulum rebaptizationis. Vnde sanctitatem vestram postulo; vt mentis vestræ placita producatis. Vniuersi Episcopi dixerunt, absit. Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum à sincera fide, & Catholica disciplina rebaptizari*.

Duo autem sunt præcipua Scripturæ testimonia, quibus hæc fidei veritas innititur; primum Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Quod non tantum de vnitate specifica, verū etiam numerica baptismi, eo nimirum sensu, quod Sacramentum Baptismi vnum tantum numero recipi possit in eodem supposito, ita vt iterari nequeat, interpretatur Leo Papa locis statim citatis, S. Ambrosius lib. de pœnitent. cap. 2. nec non Diuus Anselmus ibi, Diuus Thomas 3. p. q. 66. art. 9. alijque plures.

Alterum habetur ad Hebræos c. 6. v. 4. *Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donū cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes*. Ibi enim Apostolus loquitur ad eos, qui baptizati sunt, & post baptismum peccauerunt, quos illuminatos vocat; quia per fidem diuinitus illuminamur, cuius Baptismus est Sacramentum, ac solemnis eius professio; ideoque communiter à Patribus, præsertim Græcis, ipse baptismus *illuminatio*, & baptizati *illuminati* vocari solent. Non intendit autem Paulus, vt Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 2. hæreticique Nouatiani existimarunt, non posse hos illuminatos, à statu gratiæ semel lapsos, ad eum per pœnitentiam redire; hoc enim contrarium esset eidem Apostolo 1. Corinth. 5. docenti etiam fidelibus, & baptizatis peccata per pœnitentiam condonari; sed tantùm asserit, huiusmodi hominem lapsum non posse iterum renouari, vtique per baptismum: vt hunc locum interpretantur Ambrosius lib. de pœnitent. cap. 2. Epiphanius hæresi 59. Chrysostomus homil. 9. in epist. ad Hebræos. Augustinus lib. de vera, & falsa pœnitentia c. 3. Theodoretus in cap. 6. epistolæ ad Hebræos, Philastrius hæresi 89. alijque plures.

Sed hæc veritas, præfatorumque Scripturæ locorum iuxta illam intelligentia potissimum habet fundamentū in traditione, seu verbo Dei non scripto, perpetuo Ecclesiæ vsu, Patrumq; testimonio comprobato, nec non ipsomet Apostolico Symbolo, in quo habetur sensu iam explicato, *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorū*; Sicut etiam ex eorumdem Apostolorū doctrina à Christo ipsis tradita dixit Clemens Romanus lib. 6. constitut. c. 5. *Vno baptismo sumus contenti, qui in Domini mortem traditur*; & infra de his, qui baptismum iterare audent, ait, *Crucifigunt Dominum, derident diuina*. Ideo autem, qui post primum baptisma, alterum suscipere tentant, dicuntur iterum Christum crucifigere, iuxta modum loquendi Apostoli, loco citato ad Hebræos, quia repræsentatione, & professione ipsa, vel protestantur Christum bis mortuum, vel significant, primam Christi mortem non sibi sufficere ad salutem, & alia indigere; præ-

ter

ter citatos Patres, eamdem veritatem testantur, & docent Tertullianus libro de Baptismo cap. 15. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium, Optatus Mileuitanus lib. 5. contra Parmen. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 15. Augustinus tract. 5. & 15. in Ioannem, in libris cōtra Donatistas, & alij Patres deinceps.

Vnica autem ratio à priori huius veritatis est institutio Christi Domini, ab illa enim, & non aliunde originem sumpsit, quod Sacramentorum Baptismi iterari non possit. Nam quæ sunt de necessitate Sacramentorum, cū in sola rei natura non habeant fundamentum, ex voluntate instituentis orta sunt. Cum igitur, quod ablutio facta sub debita verborum forma, si fiat circa hominem iam baptizatum, non sit Sacramentum, nec signum rei sacræ, neque ex ipsa rei natura prouenire potuerit, neque ex sola Ecclesiæ institutione; si enim ex vi institutionis Christi, illud esset subiectum capax talis Sacramenti, Ecclesia impedire non posset, quominus, adhibitis materia, & forma legitimis, tale Sacramentum conficeretur; necessariò fatendum est, hominem semel baptizatum, diuino iure esse subiectum incapax alterius baptismi, atque hoc modo ex diuino iure esse, vt hoc Sacramentum iterari non possit.

Porro vt hæc Christi institutio ex prædictis definitionibus, ac testimonijs sufficienter nobis constat, non ita desunt etiam plures illius rationes, seu congruentiæ optimæ. Prima est, quia Baptismus, inquit Diuus Thomas, est quædam spiritualis regeneratio: prout scilicet aliquis moritur veteri vitæ, & incipit nouam vitam agere. Vndè dicitur Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Vnius autem non est nisi vna generatio: & ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio. Vnde August. tract. 11. in Ioann. dicit super illud cap. 5. Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? *Sic tu intellige natiuitatem Spiritus, quomodo intellexit Nicodemus natiuitatem carnis: quomodo enim vterus non potest repeti, sic nec baptismus*.

Secunda congruentia est, quoniam in morte Christi baptizamur, per quā morimur peccato, & resurgimus in nouitatem vitę. Vndè Rom. 6. dicitur, *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Christus autem semel tantùm mortuus est: & ideo baptismus iterari non debet; propter quod Hebræor. 6. cōtra quosdam rebaptizari volentes dicitur, vt notauimus supra, *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei*, vbi glossa dicit, *Vna Christi mors, vnum baptisma consecrauit*.

Tertia est, quod Baptismus institutus est, vt per illum etiam Christo cōsignemur, & efficiamur membra eius, & Ecclesię eius, ideoque per illum imprimitur character, qui est effectus omnino inseparabilis à Baptismo, atque omnino indelebilis, postquam semel impressus est; vndè sicut characteres eiusdem rationis multiplicari non possunt in eodem subiecto, ità neque Baptismata iterari. Et hoc est, quod Augustinus dicit lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 13. quod character militaris non repetitur, & quod non minus hæret Sacramentum Christi, quam corporalis hæc nota: cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus, non restituitur.

Quarta, & vltima desumitur ex fine huius Sacramenti, principaliter enim ordinatur ad remissionem peccati originalis: hoc igitur peccatum vt vnicū est, & iterari non potest, ita remedium illius semel tantum applicari oportet, sicut in circumcisione fiebat; Ideoque ait Apostolus Rom. 5. *Sicut per vnius*

deli-

delictum, in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ.

Primò obijci possunt nonnulla Cōciliorum, & Patrum loca, quibus expresè statuitur hæreticos ad Ecclesiā Catholicam confugientes, rebaptizari debere. Respondetur id minimè statutum fuisse, quod crederetur ab illis, aut Baptismum iterari posse, aut hereticorum Baptismum absolutè inualidū esse, ideoque reptendum esse, vbi aliqui eorum ad Catholicam confugiebant Ecclesiam; sed Concilium Nycænum can. 19. sanciuit, si quis confugisset ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis, & Cataphrygis, rebaptizari eum omnino debere; quia debitam non adhibebant formam, non baptizantes in nomine Trinitatis, vt ex Diuo Gregorio epistola ad Quirinum Episcopum refert Diuus Thomas 3. p. q. 66. art. 9.

Secundò obijcitur, saltem ex Christi institutione non esse, sed Ecclesiæ, quod Baptismus iterari non possit; Hugo enim Victorinus lib. 2. de Sacr. par. 6. cap. 13. ait: *Valde rationabili definitione à Sanctis Patribus institutum est, vt qui semel Baptismi Sacramentum percepisse cognoscitur, nulla ratione illud iterato accipiat.* Respondetur, quod ait, *institutum est*, perinde dictum esse, ac si diceretur traditum, declaratum, ac definitum est, prout satis colligitur ex antecedenti particula, *definitione*; vel etiam quia, quę iuris sunt diuini, sæpe sæpius ab Ecclesia instituta, siue præcepta dicuntur.

Tertiò, licet originale peccatum iterari non possit, tamen post illud remissum possunt alia committi, quibus Baptismi effectus destruatur, & amittatur; ergo vt ille effectus possit reparari, oportuit Baptismum iterari. Respondetur per superuenientia post Baptismum peccata, deperdi quidem gratiam Baptismalem, sed non characterem, ideoque non debere Baptismū iterari; sed ad summum ex argumento concludi, necessarium, seu conueniēs fuisse, institui aliquod à Baptismo Sacramentum, nimirum pœnitentiæ, quo peccata post Baptismum commissa delerentur; quæ propterea metaphoricè dicitur secunda post naufragium tabula, nam nauis, id est, Baptismus, est prima; quatenus pœnitentia superueniens tollit peccatum, quod impediebat effectum Baptismi quo ad gratiam.

Quartò, Eucharistia est perfectius Sacramentum, quam Baptismus. Sed Sacramentum Eucharistiæ, quantumuis in eo recolatur memoria passionis Christi, quæ fuit vnica, iteratur; Ergo videtur, quod multo magis Baptismus possit iterari. Respondetur ad hoc argumentum negando paritatem, etsi enim, vt ait Diuus Thomas loco citato ad 5. vtrumque Sacramentum sit repręsentatiuum Dominicæ mortis, & passionis, aliter tamen, & aliter. Nam in Baptismo cōmemoratur mors Christi, in quantum homo Christo commoritur, & in nouam vitam regeneratur, nec non per impressionem characteris indelebiliter ascribitur militię Christianæ. In Sacramento autem Eucharistiæ commemoratur mors Christi, in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis quasi paschale conuiuium, secundum illud 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur.* Vndè quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur: conueniens fuit semel tantùm dari Baptismum, multoties autem Eucharistiam.

Quintò, fieri potest, vt Baptismus semel datus non habeat suum effectum remittendi peccata ob indispositionē suscipientis, ergo hac saltem de causa oporteret eum posse iterari. Respondetur ad hoc argumentum Sacramentum Baptismi nunquam carere suo effectu secundario, qui est characteris impressio, nec etiam per se, & quantū est ex parte Sacramenti, primario, qui est gratia sanctificans, vndè cum in institutione Sacramentorum attendi debeant ea, quæ sunt per se, non quæ

per

per accidens ex defectu subiecti, propter hanc causam non fuit necessarium iterari Baptismum; Præsertim cum in hoc casu, quando Baptismus impeditur, ne suum effectum habeat præcisè propter dispositionem suscipientis, recedente fictione, & impedimento ablato, possit reuiuiscere, suumque postea habere effectum. Fictio enim hic non est simulatio, qua suscipiens Sacramentum, simulat se velle ex animo illud suscipere; quod tamen non vult. Sed fictio est simulatio exterior internæ dispositionis, requisitæ ad primarium effectum Sacramenti: qui enim indispositus indignè accedit ad Sacramẽtum, exterius præ se fert, & fingit se accedere cum debita dispositione ad recipiendum primarium effectum, gratiam Sanctificantem, & non tantum secundarium, characterem. Hac autem sublata suscipientis fictione, seu indispositione, Sacramentum informe reuiuiscere, conferreque gratiam vnanimiter docent Theologi.

Vltimò tandem obijcitur. Baptismus est necessarius ad salutem. Sed de quibusdam verè baptizatis, aliquãdo dubitatur, an sint baptizati, ergo vbi baptizantur, videtur Baptismus iterari. Respondetur in tali casu dubietatis, an baptismus fuerit datus, vel an fuerit validus, si dubium sit morale, & probabile, Baptismum esse dandum sub conditione, vt habetur ex Decretali Alexandri III. vbi etiam significatur conditionem esse his verbis exprimendam: *Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es ego te baptizo, &c.* quamuis autem in solemni baptismo, tùm maximè quando dubium est publicum, debeat talis conditio exprimi, vt omnis occasio scandali auferatur; attamen vbi dubium occultum est, priuatimque Baptismus confertur, satis esse, si illa mente, atque intentione concipiatur, docent Theologi. Quia autem dictum dubium potest esse duplex vnum iuris, alterum facti; iuris dicitur, quando constat adhibitam esse materiam, vel formam dubiam; facti verò, quando absolutè incertũ est, an datus sit baptismus; quod duobus modis potest contingere. Primò vt sit omnino negatiuum, quia videlicet nulla sunt indicia ad iudicandum, hominem esse baptizatum. Alio modo potest esse dubium, quasi positiuum, vt accidit, quando sunt aliqua indicia apparentia ad credendum, hominem esse baptizatum, non tamen sufficientia, & aliunde sunt etiam verisimiles coniecturæ quæ oppositum persuadeant. In omnibus prædictis euentibus debere dari baptismum sub conditione docent expresse Leo Papa tùm in epistolis supra citatis, tùm in epist. 92. ad Rusticum cap. 15. Gregorius III. epist. 4. ad Bonifacium, sexta Synodus can. 84. Concilium Carthag. V. cap. 6. Concilium Africanum cap. 39. & VVormatiense can. 70. Et vbique ratio redditur, ne homo exponatur periculo damnationis ob carentiã Bapitismi. Ideoque in huiusmodi dubio semper inclinandũ est in fauorem hominis baptizandi, præsertim si sit paruulus, quia salus eius est res maximi momenti, nec alia suppetit ei ad salutem via; & alioqui nulla fit iniuria Sacramento, tum quia debita intentio, & conditio apposita omne periculum reiterationis excludit; tum quia non intelligitur esse iteratum, quod nescitur, aut ambigitur esse factum, vt rectè notat Diuus Thomas loco citato.



CA-

CAPVT XVII.

Statuitur aduersus Armenos natura Sacramẽti confirmationis, ordinariumque eius ministrum esse solum Episcopum.

QVia Armeni non tam Sacramenti confirmationis existentiam negant, quam circa eius naturam, & ministrum errant, ideo præsupposito, quod tale sacramentum Christus Dominus instituerit, vt sequenti sectione ostendemus contra hæreticos Occidentis, nunc, quæ ad eius naturam, & ministrum spectant, paulo longius explicabimus pro rei grauitate, & difficultate.

Vartanus Armenus, eiusque sequaces asserere tenentur materiam confirmationis esse vnguentum Chrismatis, nondum ab Episcopo benedictum, formam autem verba, quæ profert Episcopus, dum illud benedicit, & consecrat; eo ipso quod asserunt, tunc confici hoc Sacramentum, cum Chrisma ab Episcopo benedicitur; sicut accidit, cũ consecratur Eucharistia; vndè cap. 4. de monitis ad Armenios ait: *Videmus oculis carneis in Eucharistia panem, & vinum: oculis autem fidei, & intellectus, Christi corpus, & sanguinem intelligimus & in Chrismate videmus oculis oleum, fide vero Spiritum Sanctum*. Quo etiam in errore versatos fuisse nonnullos Græcorum, vt Gabrielẽ Philadelphiensem, Nicolaum Cabasilam, & Marcum Ephesium refert Arcudius author ipse Græcus lib. 2. de Confirmat. cap. 6. Noster etiam Thomas à Iesu lib. 7. de conuers. Gent. cap. 6. ait Orientales alios idem sensisse, nimirum, *in oleo Sancto Chrismatis esse personam Spiritus Sancti, sicut est persona Christi in Eucharistia*.

Consequenter ad hunc errorem, vt præfati hæretici docent, vnguentum seu Chrisma à solis Episcopis consecrandum esse, tenentur quoque docere, solum Episcopum esse ministrum Sacramenti confirmationis, quod tunc ex ipsis conficitur, quando Chrisma ab Episcopo benedicitur; proindeque vnctionem Chrismatis, quæ fit in fronte baptizati à Sacerdote, non esse Sacramentum à Baptismate distinctum, sed requisitum quoddam ad ipsius Baptismi substantiam necessarium; quod refutauimus supra. Sed in hoc sibi contradicunt, dum enim Vartanus in confutatione epistolæ Romani Pontificis, num. 11. Latinos in hac re carpens, quod affirment ordinarium Confirmationis ministrum esse solum Episcopũ, ait: *Errant præterea; quia baptismum in duo diuidunt, ita vt Presbyter apud eos baptizet, & Episcopus Chrismet, & Spiritum Sanctum impertiat; quasi nequeat Presbyter Spiritum Sanctum tribuere.* Et Gregorius Dattieuensis in tract. de Sacrament. cap. de confirmatione; *Nostri Sacerdotes Chrismandi facultatem habent, sicut habent Latini Episcopi: sunt enim in hac potestate Episcopis Latinorum æquales hoc dixerim ad eorum retundendam contradicendi libidinem, cæterum re vera quilibet Sacerdos potest omnia Sacramenta perficere, præter Ordinem, cuius collatio, sicut etiam Altaris, & Ecclesiæ benedictio ad Episcopum pertinet*. Dum, inquam, talia præfati Armenorum Speudomagistri affutiunt, tenentur sibi contradicendo asserere, vnctionem Chrismatis in fronte baptizati à Sacerdote factam, esse Sacramentum quoque confirmationis, tam ab eo, cuius ex ipsis solus Episcopus est minister, distinctum, quã à Sacramento Baptismi, eiusque ordinarium ministrum esse Sacerdotem, alias malè probarent id illi conuenire, asserendo, quemlibet posse Sacerdotem omnia Sacramenta perficere, præter ordinem, iniusteque Latinos vellicarent, qui solum asserunt Episcopum esse ministrum ordinarium Sacramenti confirmationis, ex suppositione, quod sit distinctum à Baptismo, & non idem essentialiter cum illo; imo probauimus supra talis identitatis impossibilitatem, ex eo quod, vt statim dicemus, diuersi sunt

sunt vnctionis, & Baptismi ministri ordinarij.

Verum vt certa ab incertis separemus, dilucideque controuersiam proponamus, notandum est primò, quod cum prius Armena Ecclesia Chrisma invalide conficeret ex oleo sesami, quia non ita facilè erat inuenire in Armenia oleum oliuarum; postea tamen melius instructa, vsurpauit in hoc Sacramento, vt materiam necessariam, oleum oliuarum, balsamo admixtum, nec non alijs etiam odoriferis aromatibus, verum ad maiorem duntaxat solemnitatem, iuxta morem Orientalis Ecclesiæ, vndè in hoc cum Romana Catholica sentit Ecclesia, differtque solum, quod si non omnes, saltem nonnulli Armeni, vt vidimus, asserunt, tunc confici Chrismatis Sacramentum, cum ab Episcopo benedicitur, proindèque materiam eius esse vnguentum Chrismatis nondum ab Episcopo benedictum, formam autem verba, quæ proferuntur ab Episcopo, dum illud benedicit, & consecrat. Sed hoc falsum esse infra ostendemus.

Secundò notandum est in hoc etiam conuenire Armenos cum Ecclesia Catholica, quod sacrum Chrisma, quo inungunt primùm frontem baptizati, eumque confirmare dicuntur, à solis Episcopis consecrari possit; imò non quibusuis Episcopis, sed ipsimet Patriarchæ hoc reseruant, ad maiorem rei solemnitatem; quare apud ipsos, sicut & apud Latinos, materia remota, necessaria ad validitatem huius Sacramenti, est oleum oliuarum, balzamo admixtum, & ab Episcopo consecratū.

Tertiò aduertendum est, nec eos etiā dissidere à nobis circa materiam proximam huius Sacramenti, quam dicimus, esse vnctionem ex oleo balzamato, vt patet ex ipsa ratione materię proximæ cōsistentis in hoc, quod sit actualis vsus materiæ remotę; quę in confirmatione cum sit oleum balzamatum, alius actualis eius vsus esse non potest, quam vnctio ex eo facta, sicut in Sacramento Baptismi ablutio ex aqua; ideoque Patres communiter vocant hoc Sacramentum vnctionem. In hoc quoque cum Latinis concordant, quod huiusmodi confirmatiua vnctio Chrismatis debet fieri in frōte baptizati per modum crucis, & immediatè manu, seu digito ministri. Etsi enim inungāt etiam oculos, aures, nares, os, manus, pectus, scapulas, & pedes: quod faciunt more Gręcorum, qui tamen, vt refert Arcudius, in hac re variant: nam eorum vetustissimum quoddam Euchologium recenset membra vngenda, frontem, oculos, nares, os, aures; Cyrillus Hierosol. Catechesi Mystag. frontem, aures, nares, pectus: Euchologia vero typis excusa, quibus modo passim vtūtur Græci, frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes, quibus membris Armenij addunt etiam scapulas, ex tali variatione satis ostendunt, reliquas partes corporis præter frontem vngere, non esse de necessitate huius Sacramenti; nec non ex ritu illud conferendi immediatè post baptisma, quo, ad solam frontis vnctionem, proferunt formam, vt habetur in Rituali Armenico, his verbis: *Postea consignet Chrismate primùm frontem, dicens: Vnguentum suaue in nomine Iesu Christi effusum est super te, signaculum donorum cælestium, in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti. Secundum est autem, in vnctione huius tantùm primi membri inuocandam esse diuinam Trinitatem. Deinde oculos, dicens: Vnctio Sanctificationis, quæ in nomine Iesu Christi, illuminet oculos tuos, ne vnquam obdormias in morte. Aures, dicens: Vnctio Sanctificationis fiat tibi ad audiendum diuina præcepta. Nares, dicens: Vnctio Sanctificationis, quæ in nomine Iesu Christi, fiat tibi odor suauitatis vita in vitam. Os, dicens: Vnctio Sanctificationis, quæ in nomine Iesu Christi, sit tibi oris custodia, & ostium munitum lebiorum tuorum. Manus in vola, dicens: Vnctio Sanctificationis, quę in nomine Iesu Christi, sit tibi causa bonorum operum. Pectus, dicens: Vnctio diuina,*

quæ in nomine Iesu Christi, cor mundum confirmet in te, & Spiritum rectum innouet in visceribus tuis. *Scapulas, dicens; Vnctio diuina, quæ in nomine Iesu Christi, sit tibi scutum munitionis; in quo possis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* *Pedes, dicens: Vnctio diuina, quę in nomine Iesu Christi, dirigat gressus tuos in vitam æternam.* Hactenus præfatum rituale. Cum autem ita conueniant, inunctionem cõfirmatiuam debere fieri in fronte baptizati per modum crucis, & immediatè manu, seu digito ministri, in hoc differunt à Latinis, quod citati Pseudomagistri, alijque eorum consectanei docent præter Episcopum, esse quoque Presbyterum talis inunctionis ministrum ordinarium; cum nos asseramus eum esse solum Episcopum.

Quartò tandem, & vltimò obseruandum est, formam in administratione huius Sacramenti ab Armenis vsurpari solitam, statimque ex eorum rituali relatam, nimirum. *Vnguentum suaue in nomine Iesu Christi effusum est super te, signaculum donorum cęlestium, in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*, esse validam; æquiualereque formæ Latinorum, *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.* Ea enim est legitima, & conueniens forma Sacramẽti, qua exprimuntur causa præcipua, ministerialis, suscipiens, actus, & effectus Sacramenti, maximè quando consistit in actione: atqui prædicta Armenorum forma confirmationis, sicut & nostra explicat ista omnia, Trinitatem, vt causam præcipuam, hac particula, *In nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*; ministerialem, & actum etiam exercitum ab ea super oblatum, cum dicitur, *Vnguentum suaue effusum est super te*: tùm denique effectum, characterem scilicet, & gratiam roboris, per illa verba, signaculum donorum cælestium; Minimè ergo dubitãdum videtur, quin ea sit legitima forma, quinque saltem præstantior, ac tutior illa, qua Græci vtuntur, consistente in his duntaxat verbis: *Signaculum donationis Spiritus Sancti*; quibus toties repetitis inungunt prędictas corporis partes; cuius tamen sufficiẽtiam Arcudius loco citato multis rationibus, & authoritatibus comprobare, atque explicare nititur; verum Nicolaus Ysambertus doctor, & socius Sorbonicus 3. p. quæst. 72. disput. 4. art. 3. vbi hanc difficultatem mouet, sic eam resoluit; saluo meliori iudicio aliorum, hæc forma non mihi videtur esse simpliciter, & absolutè loquendo, sufficiens pro validitate huius Sacramenti, sed donec Apostolica sedes aliud declarauerit, dubia.

At quicquid sit de hoc, quod in forma Armenica additur: *In nomine Iesu Christi*, non est de essentia illius, imo posset omitti, cum sufficienter sit postea explicatum per inuocationem trium personarum, possitque occasionem aliquibus præbere non subijciendi inuocationem illam Trinitatis, quæ ad substantiam huius Sacramenti pertinet, & omitti non debet, eodem modo, & ob easdem rationes, quibus est etiam essentialis formę baptismi; quia ita exprimitur causa principalis huius Sacramenti, & homo per illud deputatur ad fidei professionem, cuius præcipuum mysterium est Sanctissima *Trinitas*. Cętera autem verba, quæ proferuntur in vnctione aliorum membrorum, quęque non omnino eadem sunt in omnibus Armenorum ritualibus; nam, quod in aliquibus legitur, *Vnctio Sanctificationis diuina, &c.* in alijs habetur, *signaculum hoc Sanctificationis diuinum*, licet non sint de essentia formæ, admitti tamen possunt, dummodo in frontis vnctione ad modum crucis vera forma dicatur. Dixi ad modum crucis quia talis inunctio est ex necessitate huius Sacramenti. Illud enim est de necessitate alicuius Sacramenti, quod per verba essentialia formæ exprimitur fieri à ministro: sed inunctio facta per modum crucis exprimitur hac particula formæ huius Sacramenti apud Latinos, *signo te signo crucis*, quæ est essentialis formæ, cui in

Armé-

Armenica æquiualet illa, *signaculum donorum cælestium*, nam signatio ista significatur fieri modo Christiano, omnis autem signatio Christianorum fit in modum crucis, quæ propterea vocatur eorum signaculum; hæc igitur inunctio debet ex necessitate Sacramenti fieri in modum crucis: notatque expresse Pontificale, Episcopum confirmantem dicendo, *signo te signo crucis*, debere producere suo pollice intincto Chrismate signum crucis in fronte suscipiẽtis hoc Sacramentum. Docent tamen doctores non esse de necessitate huius Sacramenti, quod dicta inunctio per modum crucis, fiat pollice dextro, sed ad summum ex necessitate præcepti, ad decentiam, & maiorem commoditatem, vnde potest fieri manu, seu digito alio Episcopi, non tamen mediante aliquo instrumento. Cuius rationem reddunt aliqui, quia Sacramentum hoc est quædam manuum impositio etiam essentialiter, Apostoli enim, de quibus Act. 8. scribitur. *Tunc imponebat manus super illos*, scilicet Samaritanos nuper baptizatos, *& accipiebant Spiritum Sanctum*, quem locum de Sacramento confirmationis intelligunt Patres, vt sectione sequenti probabimus contra Nouatores Occidentis, nec enim aduersarij, cum quibus modo agimus, id negant, eodem ritu essentiali confirmabant, quo nunc Episcopi: sed nullam præter iam explicatam impositionem manuũ possumus assignare in confirmatione: & si vnctio hæc fieret tantum mediante aliquo instrumento, iam nulla esset manuum impositio: igitur debet hæc vnctio fieri immediatè manu, seu digito Episcopi.

Similiter vbi asseritur, confirmatiuam vnctionem debere fieri in fronte, vnde aliquando Patres vocant hoc Sacramentum, *signaculum in fronte*; redditurque ratio, eo quod detur ad consequendum robur gratiæ, vt non erubescamus confiteri Christum, frons autem censeatur esse sedes pudoris, & verecundiæ; non debet intelligi vnctionẽ huius partis esse huic Sacramento ita essentialem, vt si quis fronte careat, ideo priuetur hoc Sacramento; sed Ysambertus loco citato disput. 3. de Sacramento Confirmationis disput. 2. art. 6. docet, quod sicut in Sacramento extremæ vnctionis, vbi quis caret brachio, aut altera parte, quæ solet inungi, tunc inunctio fit in ea parte, quę ipsi brachio, vel ei qua caret, est propinquior, ita etiam in præsenti casu debet fieri in ea parte capitis, quæ vel tenet locum frontis, vel ei est proxima: vt enim in priori casu mancus ille non desinit esse capax tam Sacramenti Extremæ vnctionis, quam eius effectus, ita & in posteriori. Quam etiam restrictionem facilè admittet Ledesma, qui apud Suarem de Sacramentis disput. 33. sect. 3. existimat vnctionem factam in alia parte sufficere.

Ex huc vsque prænotatis facile colligitur, de duobus potissimum inter nos & aduersarios esse controuersiam. Primò an Sacramentum quod Patres vocant Chrismatis, seu confirmationis cõsistat in benedictione eiusdem Chrismatis, an vero in applicatione eiusdem, sub debita verborum forma, in fronte baptizati. Secundò an supposito quod consistat in dicta applicatione, eius ordinarius minister, tàm sit simplex Sacerdos, quàm Episcopus. Confirmationem enim esse propriè dictum nouæ legis Sacramentum, cum aduersarij absolutè non negent, sed potius errent in explicanda eius natura, id modo supponimus, probauimus autem supra contra illos cap. 12. non esse idem cum baptismo Sacramentum, aut essentialem eius partem. Sit igitur.

Prima conclusio. Chrismatis, seu cõfirmationis Sacramentũ non consistit in consecratione, nec in substantia Chrismatis; sed in vsu illius, hoc est in obsignatione, vel inunctione frontis per illud cum debita forma. Ista conclusio est de fide; cuius expressa definitio, vel declaratio habetur in pluribus Summorũ Pontificum litteris decretalibus,

nec non concilijs tum Generalibus, tū particularibus, quatenus docent, confici hoc Sacramentum, quando manus impositio, siuè vnctio Chrismatis ad crucis formam fit in fronte baptizati à ministro competenti cum debita verborum prolatione. Ita ex Summis Pontificibus Vrbanus I. in epistola ad vniuersos Episcopos; *Omnes*, inquit, *fideles per manuum impositionem Episcoporū Spiritum Sanctum per baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* de consecrat. d. 5. c. omnes fideles. Eusebius epist. 3. ibidem relata. *Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica computabitur Sacramenta.* Verum Binius, & alij eam supposititiam censent, quod in ipsa fiat mentio de inuentione Sanctæ crucis, eiusque festiuitate tum instituta, nisi velimus dicere in hac parte corruptam fuisse, vt accidit in pluribus alijs. Melchiades in epistola ad Episcopos Hispaniæ relata de cōsecrat. dist. 5. c. Spiritus Sanctus: *Quæsistis*, inquit, *vtrum maius esset Sacramētum manus impositio Episcoporum, aut Baptismus, scitote vtrumque magnum esse Sacramentum. Et sicut vnum à maioribus fit, quod à minoribus perfici non potest, ita & maiore veneratione tenendum est*; tum stabilita Baptismi necessitate ait. *Ex quibus colligitur, quod Baptismus est maioris necessitatis, manus verò impositio maioris dignitatis ex ministro.* Innocentius I. epistola ad Decentium Eugubinum cap. 3. *De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio, quàm ab Episcopo, fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. &c.* Leo I. epist. 37. cap. 2. *Quod si ab hereticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur: Sed hoc tantum, quod ibi defuit conferatur, vt per Episcopalem manus impositionem virtutem Sancti Spiritus consequatur.* Gelasius in epist. ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos cap. 7. & 8. Gregorius Magnus lib. 3. epist. 9. *Presbyteri baptizatos infantes sacro signare in frontibus Chrismate non presumant: Sed Presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Episcopi postmodum vngere debeant in fronte.* Gregorius III. epist. 2. & 4. ad Bonifaciū. Nicolaus I. epist. ad Rodolphum Bituricensem Episcopum. Innocentius III. in epist. ad L. Vicarium apud Constantinopolim, & alia ad Patriarchā Constantinopolitanum, cuius verba sequēti conclusione referentur.

Ex Concilijs autem Generalibus Florentinum sub Eugenio IV. eamdem veritatem tradit in decreto; cuius verba sunt: *Secundum Sacramentum est confectum, cuius materia est Chrisma confirmatio ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ: & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est: signo te signo crucis, confirmo te Chrismate salutis. Ordinarius minister est Episcopus. Et cum cæteras vnctiones simplex Sacerdos valeat exprimere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur (quorum vicem tenent Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum Sanctū dabant, loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia confirmatio.* Quam eamdem doctrinam quantum ad nostrum intentum habet Concilium Tridentinum sess. 7. de Confirmatione can. 1. vbi expresſè ait, non confectionem Chrismatis, sed *confirmationem baptizatorum esse verum, & proprium Sacramentum.*

At plura sunt Concilia particularia, in quibus idem prorsus docetur. Laodicense can. 48. *Oportet eos, qui illuminantur, post baptisma inungi supercælesti Chrismate, & esse Regni Cælesti participes.* Elibertinum cap. 38. Arelatense I. cap. 8. & II. cap. 17. Toletanum I. cap. 20. Arausicanum cap. 1. & 2. vbi ait: *Hæreticos, in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episco-*

Episcopus, à Presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari placet. Quod de Sacramento Confirmationis, à simplici etiam Sacerdote extraordinariè conferendo, multi intelligunt, vt dicetur infra. Cabilonense II. cap. 27. Parisiense lib. 2. cap. 33. Meldense cap. 6. Senonense de Sacramento Confirmationis: *Sacramentum*, inquit, *Confirmationis Christus instituit, cum paruulis manus imponeret. Vnde nunc impositionis manuum, nunc Confirmationis appellatum est sacramentum. Baptismo si quidem regeneramur ad vitam, post baptismum hoc Sacramento confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum hoc Sacramento roboramur, cuius conferendi potestas Episcopis à Christo cõcessa, donum Dei est, quod asseruit Petrus pecunia possideri non posse.*

Præcipua scripturæ loca, quibus hæc fidei veritas, ac doctrina reuelata habetur, sunt Actor. 8. Vers. 14. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant in Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei: miserunt ad eos Petrum, & Ioannẽ. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritũ Sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erat in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et cap. 19. V. 5. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Per huiusmodi enim manuum impositionem, de qua fit ibi sermo, quicquid fit de alia manuum impositione hæreticorum reconciliatiua olim vsurpata, Sacramentum confirmationis intelligi docent tum Summi Pontifices, & Concilia statim citata, tum Veteres Patres statim adducendi; imo frontis Chrismationem cum manuum impositione in hoc Sacramento coincidere ostendemus sectione sequẽti aduersus Nouatores; vt apertè docere videtur Innocentius III. in epist. ad Patriarcham Constantinopolitanum: *Per frontis Chrismationem*, inquit, *manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio: quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur, & robur.* Non igitur Chrismatis, seu confirmationis Sacramentum consistit in consecratione, aut in substantia Chrismatis, sed in vsu illius per frontis Chrismationem, aut manus impositionem.

Ad hoc idem Sacramentum si pertinet, vt volunt aliqui; quod habetur. Corinth. 1. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus: qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris:* & Ephes. 4. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei: in quo signati estis in die redemptionis.* Certe huiusmodi locis clarè patet illud situm esse in actione obsignatiua, vel inunctiua, non autem in consecratione Chrismatis, quod si interdum dicitur Sacramentum, prout Fabianus illud appellat in epist. 2. vbi ait: *Sicut ipsius diei* (Cænæ Domini) *solemnitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius Sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda; quia nouum Sacramentum est per singulos annos, & iam dicto die innouandum;* id debet intelligi quia est materia Sacramenti confirmationis, vt plerumque materia, nec non etiam forma Sacramentorum vocari solent etiam Sacramenta, quia sunt partes eorum essentiales.

Præter verbum scriptum, habetur etiam pro eadem veritate traditum, perpetuo Ecclesiæ consensu, & vsu firmatum, nec non Sanctorum, ac veterum Patrum irrefragabili authoritate. Ex Grecis sunt Clemens I. Constitut. Apostol. lib. 3. cap. 16. & 17. & lib. 7. cap. 23. Dionysius Areopagita Eccles. Hierachiæ cap. 2. par. 2. *Sic indutum baptizatum ad Pontificem ducunt: ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signans, Sacratissimę communionis participem facit*; tum part. 3. cap. 4. Clemens Alezandrinus lib. 6. stromatum,

tum, vbi vocat hoc Sacramentum, *Beatum signaculum*; Origenes homil. 8. in Leuiticum. Eusebius Cæsariensis lib. 6. Hist. Eccles. cap. 35. vbi agens de Nouato ait; quod, *morbo elapsus, neque cætera, quibus post baptismum secundum Ecclesiæ canonem, imbui oportuerat, acquisiuit, neque sigillo ab Episcopo obsignatus fuit*; sic enim vocat Sacramentum confirmationis; Cyrillus Hierosolimitanus Catechesi 3. Mystagogica; Amphilochius in vita Sancti Basilij; *Maximinus Episcopus baptizauit Basiliũ, & Eubulum, vestiuit albis, atque vngens eos Sancto Chrismate tradidit eis viuificam communionem*. Gregorius Naziãzenus orat. 40. quæ est oratio in Sanctum Baptisma. Epiphanius hæresi 22. Ioannes Chrisostomus ad cap. 8. Act. Apostol. vbi ait, huius Sacramenti administrationem, *donum solorum Apostolorum fuisse*: item Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 45. Theodoretus ad cap. 1. Canticorum: *Sacri Baptismatis mysterium recordare, in quo initiantur, post Sathanæ abnegationem, & Dei confessionem, veluti signo ac nota quadam regia, spiritualis vnguenti Chrismate inuncti, sub ea visibili vnguenti specie inuisibilem Sanctissimi Spiritus gratiam suscipiunt*. Oecumenius ad cap. 8. Apostolorum; Theodorus Balsamon ad canonem 48. Synodi Trullensis: *Canon*, inquit, *vocauit Sanctum vnguentum Chrisma, & non simpliciter Chrisma, sed supercæleste, vt quod per sanctas preces, & inuocationem Sancti Spiritus Sanctificatur, & eos, qui inunguntur, Sanctificet, & regni cælorum faciat participes, etc.* Simon Thessalonicensis lib. 2. de Sacramentis: *Petrus, & Ioannes imponebant manus, et accipiebant Spiritum Sanctũ, quod est Chrisma. Impositio enim manuum prabet Chrisma*, id est Sacramentum confirmationis, *Sicut fiebat ab Apostolis, et per eos à multis alijs, etc.* Seuerus Alexandrinus in ordine Baptismi; *Tunc signat oleo oliuæ Sacerdos eum, qui baptizatur, tribus crucibus super frontem eius factis atque in hunc modum dicit; Signetur talis N. oleo lætitiæ aduersus omnem efficaciam inimicam ad insidiationem: quæ est bona oliua in Ecclesia Sancta Catholica, et Apostolica, signaculo positionis, filiorum adoptionis, in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, Amen*. Hieremias Constantinopolitanus Responsione 1. cap. 2. *Mox is, qui baptizatus est, Sacro vnguento vngendus est: Chrisma enim hoc sigillum, et signum Christi est, etc.* Id ipsum tandem colligitur ex rituali Armeniorum superius citato, vbi vocatur, & communiter etiã ab omnibus, Chrismatis Sacramentum, *Signaculum*, vt ostendant illud non consistere in consecratione, nec in substantia Chrismatis, sed in vsu illius, vt nos asserimus, & huc vsque probauimus.

Græci Patribus adstipulantur *Latini*; Tertullianus lib. de Baptismo cap. 8. *De hinc manus imponitur, per benedictionem aduocans, & inuitans Spiritum Sanctum, etc.* Et de Resurrectione carnis cap. 8. *Caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt et anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, vt et anima Spiritu illuminetur*: demum de Præscriptione aduersus hæreticos cap. 40. *Tingit et ipse quosdam, vtique credentes et fideles: signat illic et frontibus milites suos: celebrat et panis oblationem*. Cyprianus epist. 72. & 73. ad Iubaianum. Pacianus sermone de Baptismo, & epistola 1. ad Sympronianum. Optatus Mileuitanus lib. 7. contra Donatistas. Ambrosius lib. de his, qui mysterijs initiantur, cap. 7. lib. 3. de Sacrament. cap. 2. *Sequitur Spirituale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, etc.* item lib. 6. cap. 2. & lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 6. Prudentius in Psychomachia de luxuria & sobrietate, *post inscripta oleo frontis signacula, etc.* Hieronymus Dialogo aduersus Luciferianos cap. 4. Augustinus tract. 6. in epistolam Ioannis, vbi asserit quod, etsi ad impositionem manuum, non iam vt olim fiant miracula,

cula, non desinunt propterea fideles accipere Spiritum Sanctum; libro autem 15. de Trinitate cap. 26. dum referens, quod Actorum 10. dicitur de Christo, *Quoniam vnxit illum Deus Spiritu Sancto*, ait, *Non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia*, satis huiusmodi verbis significare videtur, in Sacramento confirmationis, aliam non fuisse manus impositionem, nisi ipsammet vnguenti, seu Chrismatis inunctionem; quam lib. 2. contra litteras Petiliani, æque vocat Sacramentum, ac ipsum Baptismum: *In hoc*, inquit, *vnguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus*. Eucherius Lugdunensis homilia in die Pentecostes: *Aduertamus*, inquit, *summæ diuitias bonitatis: quod nunc in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus Sancti descensio in credentium populo donauit vniuersis*, &c. vbi mysterij confirmationis naturam, ac necessitatem egregie explicat. Prosper sent. 342. Primasius in cap. 13. ad Hebræos, *Donum Spiritus Sancti datur in Baptismo, per impositionem manus Episcoporum*. Fortunatus vitæ S. Mauritij cap. 15. Isidorus Hispalensis lib. 2. de officijs Ecclesiast. cap. 26. & lib. 6. Etymolog. cap. de officijs. Aponius lib. 1. in Cantica. Beda in psal. 26. *Sciendum autem, quod illa vnctio, quæ per manuum impositionem ab Episcopis, quasi alia à duabus prædictis, et vulgo Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda: propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut et multa alia*; & ad caput 8. Act. Apostol. *Presbyteris siue extra Episcopum, siue præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos vngere licet, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum baptizatis*. Marcellinus Presbyter Vitæ S. Suniberti cap. 63. VVilibaldus Eistetensis vitæ S. Bonifacij cap. 20. Alcuinus de diuinis officijs cap. 19. de Sabbato S. Paschæ. Haymonius Homil in feriam 2. Paschæ: *Baptizatos vngit Ecclesia, dum per impositionem manus Episcopi Spiritus Septiformis inuocatur*. Et ad cap. 6. epist. ad Hebræos; *Impositionem manuum appellat confirmationem, per quam plenissimè creditur accipiendus Spiritus Sanctus, quod post Baptismum ad confirmationem vnitatis in Ecclesia à Pontificibus fieri solet*. VValafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis: *Confirmatio et tunc ad primos Ecclesiæ pastores pertinuit, et nunc pertinere non dubitatur. Vnde in Canonibus sæpè interdicitur Presbyteris, ne Chrisma conficiant, neque baptizatos in fronte consignent; quod solis debetur Episcopis*. Amalarius Treuirensis lib. 1. cap. 27. Rabanus Maurus de institutione Cler. lib. 1. cap. 30. *Nouissimè à summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur illi Spiritus Sanctus, vt roboretur per Spiritum Sanctum, ad prædicandum alijs idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est, per gratiam vita donatus æterna. Signatur enim baptizatus cum Chrismate per Sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem vero in fronte, etc.* Quibus vltimis verbis impositionem manus, explicat per signationem Baptizati cum Chrismate in fronte Smaragdus in diademate Monachorum cap. 71. & in epist. de Sabbato Pentecostes. Abbo Floriacensis vitæ S. Edmundi cap. 8. Berno Augiēsis ser. 1. de Pentecoste. Petrus Damianus ser. 1. in dedicatione Ecclesiæ: *Secundum Sacramentum est confirmatio: in Baptismate Spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam: ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur. Nonne in superliminari fronte domus nostræ terrestris consecrata manus Sacri Chrismatis imprimit vnctionem? Nec quilibet tanti mysterij legitur executor, sed solus Episcopus, etc.* Iuo Carnotensis ser. de excellentia Sacrorum ordinum, & serm. de conuenientia veteris ac noui Testamenti. *Populi baptizati quasi panes oblationis liniuntur, cum per manus impositionem*

nem Sacro Chrismate, ad agonem fortiter tolerandum contra spirituales nequitias, confirmantur: Rupertus Tuitiensis lib. 5. de diuinis officijs cap. 16. *Postquam per seipsum veniens Christus Dei filius à Deo Patre Cælesti, & vero vnguento est delibutus iam non soli Pontifices, & Reges sed & omnis Ecclesia vnctione Chrismatis per manuum impositionem consecratur. Quod solis debetur Episcopis vt consignent, & Spiritum Sanctum tradant.* Hugo Victorinus de Sacrament. fidei lib. 2. part. cap. *Manus impositio, quæ vsitato nomine confirmatio vocatur, qua Christianus vnctione Chrismatis per impositionem manus in fronte signatur, solis Episcopis, Apostolorum vicarijs, debetur, vt Christianum consignent*; idem habet parte 15. cap. 1. vbi tria distinguit genera olei Sancti, & *de Chrismate, quod est, oleum cum balsamo mixtum*, ait, quod *illo baptizatos Sacerdos, vngit in vertice, sicut eodem Pontifex per impositionem manus confirmãdos vngit in fronte*; Quo loquendi modo, sicut & duorum præcedentium doctorum clarè significari videtur impositionem manuum spectantem ad Sacramentum confirmationis, esse ipsammet Chrismatis vnctionem, quæ fit manu, vel digito Episcopi in frontibus baptizatorum. Tandem Petrus Lombardus Magister sententiarum, lib. 4. dist. 7. quique illum deinceps secuti sunt omnes Doctores Catholici eamdem, quam hic principaliter intendimus fidei doctrinam à maioribus acceptam nobis tradiderũt: tunc videlicet, cum vnguentum ex oleo & balsamo mixtum benedicitur, & cõsecratur, non confici hoc Sacramentũ, sed tantùm præparari materiam, quæ ad illud conficiendum, & ad gratiam Spiritus Sancti significandam sit apta; confici autem, quando vnctio huius vnguenti ad crucis formam in fronte baptizati applicatur à ministro competenti per manus impositionem, cum debita verborum prolatione.

Ratio à Priori huius veritatis, sola est Christi Domini institutio, quæ sufficienter colligitur ex huc vsque dictis, qui hoc Sacramentum vnctionis noluit esse permanens, sicuti sectione sequenti Deo dante probabimus contra hæreticos Occidentis Eucharistiç Sacramentum esse permanens; igitur non potest consistere in consecratione, nec in substantia Chrismatis, ad vsum confirmationis asseruati, sicut in Ecclesia asseruatur Eucharistia, vt suo à fidelibus tempore recipiatur in Sacra communione; sed in vsu illius, hoc est, in obsignatione frontis per illud cum debita forma. Alias si esset Sacramentum permanens, siue tunc conficeretur, quando vnguentum ab Episcopo consecratur, tenerentur aduersarij asserere, fieri tunc etiam in illo transsubstantiationem, quemadmodum contingit in Eucharistia, vel quid simile, quo nihil absurdius.

Secunda ratio desumitur ad hominem ex ipsamet huius Sacramenti forma, quam admittunt Armeni in suo rituali: *Vnguentum suaue in nomine Iesu Christi effusum est super te, signaculum donorum Cælestium, etc.* vt supra; ea enim apertè significatur hoc Sacramentum consistere formaliter, & essentialiter in vsu, seu applicatione olei balzamati consecrati ad frontem baptizati consignando illum; sicut enim ex hoc quod hoc verbum baptizo, vel aliud ei æquiualens, fit essentiale formæ Baptismi, exprimens proximam eius materiam, quæ est vera actualis ablutio, vt de facto exercetur circa corpus baptizandi, rectè colligitur Sacramentum Baptismi essentialiter consistere in vsu, seu applicatione aquæ naturalis, tanquam materiæ remotæ, ad corpus, abluendo illud, siquidem ablutio, quæ est baptismo essentialis, consistit formaliter, & essentialiter in vsu; Similiter ex hoc, quod iuxta dictum rituale, hoc verbum *effusum est super te vnguentum suaue in nomine Iesu Christi*, consignando frontem confirmandi, æquiualens verbo, *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis*, in forma Latinorum, vt nota-

notauimus supra, sit essentiale formæ Confirmationis, exprimens proximam eius materiam, quæ est vera actualis vnctio, seu vnguenti effusio, vt de facto exercetur circa frontem confirmandi, rectè infertur, hoc Sacramentum essentialiter quoque consistere in vsu, seu applicatione Chrismatis, tanquam materiæ remotæ, ad frontem, consignando illum, si quidem talis vnctio, quam ex admissa ab Armenis forma, supponimus esse Confirmationi essentialem, sicut ablutionem Baptismo, consistit etiam formaliter, & essentialiter in vsu.

Tertiò denique probatur, quia aduersarij concedunt simplicem Sacerdotem, simul cum Episcopo, esse ordinarium Sacramenti Chrismatis, seu confirmationis ministrum; sed ex ijsdem vnguentum Chrismatis conficitur, & consecratur à solis Episcopis, quin imo id inter Armenos Patriarchæ reseruatur: Hoc ergo Sacramentum non consistit in consecratione, nec in substantia Chrismatis, sed in vsu illius, qui secundum ipsos communis est Sacerdoti, & Episcopo.

Secunda Conclusio. Sanctæ Confirmationis ordinarius minister est solus Episcopus; ista conclusio, pro vt iacet, est de fide; cuius expressa definitio habetur in superius citatis Epistolis decretalibus, Vrbani I. Melchiadis, Innocentij I. Leonis I. Gelasij I. Gregorij Magni, Gregorij III. Nicolai I. & Innocentij III. cuius verba, quia tam ad huius conclusionis probationem, quam ad sequentium decisionem, plurimum valere possunt; ea hic per extensum adducemus; In epistola igitur ad Luc. Vicarium apud Constantinopolim hæc scribit; *Peruenit sanè ad audientiam nostram, quod quidem simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis Pontificibus reseruata, vt est Sacramentum confirmationis, quòd Chrismando renatis soli debent Episcopi per manus impositionem conferre, ad excusandas excusationes in peccatis, & sui erroris fomentum solam consuetudinem prætendentes; cum diuturnitas temporis peccata non minuat, sed augmentet, quæ tanto grauiora existunt, quanto infelicem animam diutius detinent alligatam. Volentes igitur hæc, & alia, quæ oculos diuinæ Maiestatis offendunt, de agro Dominico extirpari, discretioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districtè prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant: quæ licet non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quàm vt ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate quæ lege damnatur, non sine graui periculo inaniter conferantur: cum vmbra quędam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.* Et in epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum; *Per frontis Chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio: quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur, & robur. Vndè cum cæteras vnctiones semper Sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, hanc nonnisi summus Sacerdos, idest, Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarij sunt Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat.*

Eadem habetur definitio in Concilio Generali Florentino superius citato, nec non Tridentino sess. 7. de Confirmatione Can. 3. *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrū non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem; anathema sit.* Et sess. 23. cap. 4. can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem anathema sit.* Tum in alijs pluribus Concilijs particularibus pro superiori conclusione adductis.

Præcipua scripturæ loca, quibus hęc fidei

fidei veritas, eiusque definitio innititur, sunt superius allata ex cap. 8. & 19. Act. Apost. vbi de solis Apostolis legitur, quod confirmarint fideles, qui ab alijs fuerant baptizati; idque non vt Presbyteros, sed vt Episcopos præstitisse, Summorum Pontificum, Conciliorumque citatorum definitione clare nobis constat, tùm quod in hac re potissimum est, diuina traditione.

Verbo igitur diuino scripto, pro eadem veritate accedit traditum, communi sensu, & vsu Ecclesiæ, Sanctorumque Patrum authoritate irrefragabiliter contestatum, qui dum asserunt locis superius citatis, Episcopum, aut absolutè, aut solum esse Sacramentum confirmationis ministrum, saltem loquuntur de ordinario. Hi sunt ex Græcis Clemens, Dionysius, Ioannes Chrisostomus, Isidorus Pelusiota; & ex Latinis Cyprianus, Ambrosius, dum enim lib. 3. de Sacrament. cap. 2. loquens de Sacramento confirmationis ait; *Ad inuocationem Sacerdotis Spiritum Sanctũ infundi*, quasi per antonomasiã Episcopum, Sacerdotem vocat: est enim re vera Sacerdos, & Sacerdotũ princeps: nec Ambrosius ait, Spiritum Sanctum dari ad inuocationem cuiuslibet Sacerdotis, sed simpliciter ac indefinitè ad inuocationem Sacerdotis, scilicet principalis, ac præcipui, qualis est Episcopus. Hieronymus dialogo aduersus Luciferranos cap. 4. cuius verba proferre huc destuli, quia potissimum faciunt ad probationem præsentis conclusionis; ibi igitur Orthodoxum sic loquentem introducit; *Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui, disce hanc obseruationem ex ea authoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit, & multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotij, quam ad legis necessitatem*; Vbi est aduertendum hæc vltima verba, *ad honorem potius Sacerdotij, quam ad legis necessitatem*, non facere hunc sensum, quod ministerium Sacramenti Confirmationis, conueniat solis Episcopis, tantùm ob honorẽ, non vero tanquam solis ordinarijs eius ministris; nam verba eiusdem S. Hieronymi immediatè sequentia satis declarant hunc sensum esse omnino alienum ab eius mente: sed hunc tantum esse, quod nimirum administratio Sacramenti confirmationis, eiusque susceptio non sit simpliciter, & absolutè loquendo, necessaria ad salutem animæ, quasi absq; illo baptizati non possint saluari; ita enim subdit, *Alioqui, si ad Episcopi tantum imprecationem, Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis, per* Presbyteros, *et Diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inuiserentur*; Quæ verba, conformiter ad doctrinam, quam S. Melchiades citata sua epistola tradit, apertè docent, baptizatos nõ desinere saluari, licet ante mortem non acceperint hoc Sacramentum.

Diuus Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. *Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe, vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis* Præpositis *etiã nunc seruat Ecclesia*. Isidorus lib. 2. de Officijs Ecclesiast. cap. 26. Primasius, Beda, & alij deinceps superiori conclusione citati.

Ratio autem à priori huius secundæ conclusionis, sicut & primæ est, sola Christi Domini voluntas & institutio, quæ sufficienter nobis innotescit ex citatis Conciliorum, Summorumque Pontificum definitionibus, ita illam nobis ex verbo Dei scripto, & tradito credendam proponentibus. Congruentia verò est, non quod simpliciter hoc Sacramentum sit dignius Baptismo, & maiorem gratiam conferat; nam & Eucharistie longo nobilior est, quam tamen simplices Sacerdotes ordinariè conficiunt; sed quod, vt ait Diuus Tho. 3. part. q. 72. art. 11. Sacramentum

Con-

Confirmationis consummat, ac perficit baptizatum, dans illi plenitudinē Spiritus Sancti; ideoque collatio eius Episcopis reseruatur, qui obtinent summā potestatem in Ecclesia. Item quia milites conscribere, proprium est Ducum, & Imperatorum: sed in Confirmatione milites Christi Domini conscribimur, hoc igitur ab Ecclesiæ Ducibus, ac primatibus, cuiusmodi sunt Episcopi, fieri debet.

Superest, vt antequam ad vlteriora in hac controuersia transeamus, breuiter satisfaciamus aduersariorum obiectis contra hanc secundam conclusionem. Primo obijciunt, Act. 9. Ananiam imposuisse manum Paulo, vt impleretur Spiritu Sancto, cum tamen non esset Episcopus. Respondetur *primò* ibi sermonem non esse de Sacramento confirmationis, sed de manus impositione curatiua seu sanatiua, vt patet, *primùm*, quia scriptura non dicit, Ananiam imposuisse manus Paulo ad dandum ei Spiritum Sanctum, sed ait in hunc modum, *Abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu Sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squama, & visum recepit: et surgens baptizatus est.* Fuit ergo illa manus impositio spectans ad gratiam gratis datam sanitatis, iuxta illud Marci vltimo, *Super ægros manus imponent, et bene habebunt*, qua primùm Paulus visum recuperauit, deinde baptizatus Spiritum Sanctum recepit. *Secundò*, quia illa manus impositio facta est ante baptismum: Sacramentum autem confirmationis administratur post baptismum, ea igitur non confirmatiua, sed vt dicebamus mere curatiua fuit. *Tertiò*, quia Ananiam nedum Episcopum, sed nec tunc Sacerdotem fuisse plures docent, non igitur per manus impositionem administrauit Paulo Sacramentū Confirmationis, cuius soli sunt ministri ordinarij Episcopi, vel Sacerdotes ex aduersarijs. Respondetur *secundò*, gratis admisso, quod ibi fiat sermo de Sacramento Confirmationis, quodque iussu diuino contra legem ordinariam potuerit Paulus confirmari, antequam baptismum perciperet, vt iuxta textum tenentur concedere aduersarij, nihil tamen concludi contra nos; *primò*, quia, qua ratione dicent aduersarij, Paulum fuisse ab Anania confirmatum, priusquam baptizatum, speciali iussu Dei, qui ordinariam legem non abstulit, sed in ea dispensauit, eadem ratione nos quoque dicere poterimus, Paulum cōfirmatum fuisse ab Anania, quamuis non esset Episcopus, sed simplex Sacerdos, singulari etiam iussu Dei dispensantis in hac lege de ordinario ministro huius Sacramenti. *Secundò*, quia non minori certitudine asserere possumus Ananiam tunc fuisse Episcopum, quam aduersarij dicant eum fuisse tantum simplicem Sacerdotem, cum nihil ab ipsis adduci possit, quo ostendant illum nondum fuisse in Episcopum consecratum; nos autem in contrarium id probare possimus, supposito quod Paulo, vt ipsi in obiectione intendunt, Sacramentum Confirmationis dederit, quodque cum eo in lege ordinaria de ministro huius Sacramenti Deus non dispensauerit, (si quidem aliqua fieri ab illo præter legem ordinariam, affirmari non debet, sine magno fundamento) eo quod ex verbo diuino, tam scripto, quam tradito, declarauerit nobis Ecclesia solum Episcopum esse ordinarium ministrum Sacramenti Confirmationis.

Secundo obijcitur illud 1. ad Timotheum 4. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuū Presbyteri.* Respōdetur primò, non esse legendum, *Presbyteri*, sed *Presbyterij*; vnde illa particula non designat ministrum, sed modum, seu speciem illius manus impositionis, quæ non fuit Sacramentum Confirmationis, sed Ordinis. Respondetur secundo, esto legendum esset,

Presbyteri, fieretque ibi sermo de manus impositione confirmatiua per Sanctum Chrisma, nihil contra nos, illa enim particula, *Presbyteri*, simpliciter, ac indefinitè prolata, posset intelligi de Episcopo, sicut supra diximus, de nomine Sacerdotis. Præter quam quod Act. 20. Episcopi vocantur expressè Presbyteri, cum enim ibi prius dicatur, Paulum mittentem Ephesum vocasse *maiores natu*, seu Presbyteros, *Ecclesiæ*; ad eos postea loquens ait. *Attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo*.

Tertiò obijcitur Concilium Toletanum I. cap. 20. vbi dicitur: *Statutum vero est, diaconum non Chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo, præsente vero non, nisi ab eo fuerit præceptum*. Quod Concilium, etsi Prouinciale fuerit, confirmatum tamen fuit authoritate Leonis Papæ. Respondetur ad hoc argumentum dupliciter, & primò in sententia illorum, qui asserunt solum Episcopum esse ordinarium confirmationis ministrum, tàm necessitate præcepti, quàm necessitate Sacramenti; dicitur, in hoc Concilio, vbi statuit, *Presbyterum Chrismare absente Episcopo, etc.* non esse sermonem de vnctione Chrismatis in frontibus, sed de ceremoniali vnctione, quæ in vertice fit in baptismo solemni; Sacerdoti etiam illicita, nisi ex licentia Episcopi, vel in eius absentia, nam, vt ibidem dicitur, *Episcopo sane, certum est, quod omni tempore licet Chrisma conficere, sine conscientia autem Episcopi nihil penitus Presbyteri agere præsumant*) quod igitur olim nihil Presbytero agere liceret absque licentia Episcopi, vt habetur etiam ex Leone Papa epist. 86. alias 88. & Damaso in epist. 2. mirum non est, quod etiam hęc Ceremonialis vnctio ei fuerit in præfato concilio interdicta; nisi ex licentia Episcopi, vel in eius absentia. Et eodem modo loquitur Innocentius I. in epistola ad Decentium Eugubium cap. 3. vbi, vt vidimus supra, præmisso, quod *consignatio infantium, non ab alio, quam ab Episcopo, fieri liceat*, postea subiungit, *Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos vngere licere, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum*; quod enim dicit, *præsente Episcopo*, intelligi rectè potest de licentia eius; quamquam dici etiam potest, hunc Pontificem ampliasse decretum Concilij Toletani, licereque per ipsum Presbyteris illam vnctionē ceremonialem, *siue extra Episcopum*, id est, in absentia, siue *præsente Episcopo*, id est, in præsentia; cum per Concilium Toletanum, illis duntaxat liceret in absentia, non autem in præsentia. Quo sensu videtur intellexisse præfata Pontificis verba Hugo Victorinus lib. 2. de Sacrament. p. 7. cap. 3. dum ait: *Primis temporibus omnis vnctio Chrismatis per solos Pontifices fiebat: sed postquam institutum est, vt baptizatum Sacerdos in vertice liniat, consignatio tamen frontis solis Pontificibus reseruatur*.

In sententia verò illorum Doctorum, qui asserunt solum Episcopum, esse quidem ordinarium Sacramenti confirmationis ministrum necessitate præcepti, non autem Sacramenti; siue quod idem est ministrum ordinarium huius Sacramenti ex institutione diuina esse Episcopum; simplicem verò Sacerdotem esse ex eadem institutione ministrum, non quidem ordinarium, sed ex iniunctione, vel commissione, quæ si desit, peccat quidem sacerdos, illud conferendo, collatum tamen tenet; de quo sequenti conclusione. Respondetur secundo, Concilium Toletanum citato canone loqui de vnctione confirmatiua, quam illicitam quidem esse existimauit Presbytero, præsente Episcopo, nisi fieret de eius licentia, aut præcepto, non tamen inualidam; eo autem absente & validam, & licitam esse, vbi vrgeret necessitas illud conferendi

randi. Quemadmodum in Sacramento Baptismi, cuius quia minister ordinarius, tam est Episcopus per totam Diœcesim, quam sacerdos curatus, per totam suam Parochiam, illis præsentibus Diaconus licitè baptizare non potest baptismo solemni, tam extra necessitatem, quam in necessitate, absque concessione, delegatione, seu permissione Episcopi, vel sacerdotis Parochi, & præter peccatum mortale, quod cõmittit, si secus facit incurrit irregularitatem, vt habetur *cap. si quis*; validè tamen potest; & illis absentibus, tùm validè, tùm licitè, si fiat sine solemnitate, & adsit necessitas.

Objiciuntur quartò duo primi canones Cõcilij Arausicani I. quibus Chrismatio, seu consignatio, vt per simplicem sacerdotem ordinariè etiam concedenda explicari videtur. Primi verba sunt; *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine Chrismate vsquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari. De eo autem, qui in baptismate, quacumque necessitate faciente, chrismatus non fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur, Nam inter nos chrismatis ipsius non nisi vna benedictio est, non, præiudicantes cuiquam hoc dicimus, sed vt necessaria habeatur chrismatio.* Alterius, *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placet.*

Respondetur ad hanc obiectionem dupliciter, iuxta duplicem allatam sententiam. Prima enim negat illa verba, *chrismatus non fuerit*, intelligenda esse de illa chrismatione, quæ fit in fronte per administrationem Sacramenti Confirmationis; sed tantum de illa ceremoniali, quæ fit per ministrum baptizantem in vertice eius, quem baptizat; nam ideo præcipit ministrum, qui recipit officium baptizãdi, nunquam progredi sine chrismate, & quia poterat aliquando contingere, hanc inter baptizandum omitti, propter aliquam necessitatem, vel occasionem, Arausicanum Concilium hic præcipit, *vt in confirmatione Sacerdos commoneatur*, vbi per sacerdotem simpliciter, & indefinitè sumptum, rectè potest intelligi Episcopus confirmaturus, non autem simplex sacerdos, quasi ille possit confirmare; vel si quis ibi per sacerdotem velit intelligi quemcumque simplicem sacerdotem, dicendum est, Concilium præcipere eum, cui in baptismo chrismatio verticalis collata non fuit, antequam accipiat ab Episcopo confirmationis sacramentum, remitti ad simplicem sacerdotem, qui dictam chrismationem omissam illi conferat, vt ad illum locum, relatum de consecrat. dist. 4. cap. *nullus ministrorum*, glossa rectè explicat: vnde quando verbis immediatè, sequentibus sic dicitur, *Nam inter nos chrismatis ipsius, nonnisi vna benedictio est*, solùm vult chrismationem Episcopis propriam, quæ scilicet fit in fronte, esse tantum vnam, quia non est solius Episcopi administrare verticalē; sed eam tantùm, quæ conuenit Sacramento Confirmationis.

Ad secundum autem canonem respondetur, chrismationem, quæ ibi, si desit Episcopus, permittitur Presbyteris, esse tantum reconciliatoriam, & nõ propriè sacramentalem, sed ceremonialem pro admittendis hæreticis baptizatis, & confirmatis pænitentibus ad Ecclesiam redeuntibus; vt facilè intelligitur ex ipso textu huius secundi, & sequentis tertij canonis *de solemnitate seruanda pro moribundis pænitentibus*; nec non ex eo, quod limitatur ad solos hæreticos; si enim locutus fuisset de Sacramento Confirmationis, non erat ad eos solos coarctandus, sed maiori ratione extendendus ad omnes fideles in mortis discrimine positos, quando non adest Episcopus, qui eos confirmet. Ideo ergo Concilium de hæreticis specialiter loquitur, quia non agit de Sacramento confirmationis, sed vt dicebam, de reconciliatione solemni, qua olim ad Ecclesiæ gremium recipiebantur

tur hæretici, qui ab hæresi conuertebantur, in qua inter alias ceremonias in aliquibus regionibus, seu Prouincijs adhiberi solebat, quædam vnctio, seu consignatio chrismatis, vt ex hoc loco colligitur, aut sine illa, manus impositio, vt haberi videtur ex epistola 22. cap. 4. Innocentij I. vbi dicit, Clericos conuersos ex hæresi solere admitti ad communionem laicam per manus impositionem, & cap. 5. declarat id fieri per pœnitentiam, & addit interdum recipi in suo gradu, & ordine ad clericalem communionem: Quod auté huiusmodi vnctionis, vel manus impositionis purgatiuæ, seu reconciliatiuæ, quæ erat per modum cuiusdam publicę pœnitentiæ, & absolutionis, si deesset Episcopus, presbyteri esse potuerint ministri, male infertur eos quandoq; valide posse, vel pręsente, vel absente Episcopo conferre Sacramentum confirmationis, proindeque Episcopum nō esse solum illius ministrum, necessitate pręcepti, verum etiam necessitate Sacramenti, vt asserit prima sententia.

Secunda sententia, quæ docet solum Episcopum esse quidem ordinarium Sacramenti confirmationis ministrum necessitate præcepti, non autem Sacramenti, libenter admittit præfatos canones, & similes loqui de confirmatione, imo ex illis suum probat intentum, quod nimirum simplex sacerdos possit hoc Sacramentum validè etiam conferre, sed non semper licitè, quia solus Episcopus, & non simplex Sacerdos, est illius ordinarius minister.

Quia igitur sanctę confirmationis ordinarium ministrum esse solum Episcopum, prout præcisè definit Concilium Tridentinum sess. 7. de confirmatione can. 3. dupliciter intelligi potest, primò, quod sit ordinarius minister necessarius non tantùm ex necessitate præcepti, verum etiam necessitate Sacramenti, ita vt si sacerdos simplex propria authoritate, illud tentet conficere, nihil efficiat. Secundo, quod sit ordinarius minister necessarius tantùm ex necessitate præcepti, non autem Sacramenti, ita vt si simplex sacerdos propria authoritate, sine debita licentia, vel commissione, illud tentet conficere, peccet quidem, validè tamen operetur. Inde etiam Doctores Catholici in duas diuersas abiere sententias, primaque defendit, Episcopum esse ordinarium Sacramenti confirmationis ministrum primo modo, & de illo intelligendum esse tam sacrum Concilium Tridentinum, quam cętera iura, quibus Episcopus asseritur minister ordinarius huius Sacramenti; secunda verò docet, esse tantum eius ordinarium Episcopū secundo modo, nihilque aliud Concilium, aut alia iura intendisse, aut saltem circa hoc nihil definire voluisse, sed disputationi doctorum reliquisse, vt in pluribus alijs materijs.

Pręcipua primæ sententiæ fundamenta sunt quædam epistolæ decretales, Eusebij III. Damasc. I. Leonis, & Ioannis III. verum quia illæ nedum dubiæ, sed etiam suppositititiæ, & sub finem septimi sæculi pia fraude ab Isidoro Mercatore confectæ sub dictorum Pontificum nomine, à pluribus æstimantur, de quo consuli potest Cardinalis Baronius ad annum 865. *num. 5.* Petrus Marca lib. 3. *concordiæ* Sacerd. & Imper. cap. 5. & Lucas Holstenius dissert. 1. de Ministro confirmationis; Quæ certius pro hac sententia possunt afferri, sunt eadem tum Summorum Pontificum decreta, tum alia superius ad probationem secundæ conclusionis iam adducta; illa enim Episcopum solum esse ordinarium Sacramenti confirmationis ministrum probare videntur, vtroque necessitatis modo. Plures autem sunt, ijque grauissimi doctores huius sententiæ propugnatores, etiam qui tenent posse committi à Summo Pontifice simplici sacerdoti, vt Sacramentum confirmationis ritè, & validè ministret; vndè qui docent oppositum cum Adriano, & Durando in 4. sentent. à fortiori debent hanc sententiam amplecti.

Plura

Plura etiam non dèsunt, quę secundæ suffragentur sententiæ; præterquam enim *primò* multa à prima proferuntur sententia, quæ non pertinent propriè ad Sacramenti confirmationis collationem, vbi à Patribus ea dicuntur non licere presbyteris, sed solis Episcopis, vt est v.g. Chrismatis confectio; *secundò*, etiam si multoties ab illis sermo fiat de hoc Sacramento, dicaturque illius administrationē ad solos Episcopos spectare, non autem ad presbyteros, aut simplices sacerdotes, id facilè explicari potest ex antecedentibus, & consequētibus, non de inualida, sed illicita prorsus eorum administratione, vbi nimirum propria authoritate, ac sine debita superiorum licentia conferrent hoc Sacramentum, vsurpando munus Episcoporum, qui soli ex institutione diuina sunt ordinarij eius ministri necessitate præcepti; hoc enim sufficit, vt presbyteri grauiter peccent, illud conferendo sine debita eorum, vel Summi Pontificis licentia, & dispensatione, vt dicetur: *Tertiò* pro hac sententia facit exemplū, & constitutio S. Syluestri Papæ, de quo Anastasius in eius vita: *Hic constituit Chrisma ab Episcopo confici, & priuilegiū Episcopis dedit, vt baptizatum consignarent, propter hæreticam suasionem. Hic & hoc constituit vt baptizatum liniret presbyter chrismate leuatum de aqua, propter occasionem transitus mortis.*

Quod enim dicitur consignationis priuilegium à Syluestro datum fuisse Episcopis, vix aliud probat, quam eos esse illius ministros ordinarios necessitate tantum præcepti, simulque ostendit ante Syluestrum etiam Presbyteros saltem validè consignasse, & ab eo talem potestatem, qua prius passim forsan vtebantur, restrictam fuisse ad casum necessitatis, ob priuilegium, & honorem ordinis Episcopalis, ad quem solum spectat ordinaria confirmandi potestas necessitate præcepti. Item solet afferri authoritas Innocentij I. epistola ad Decentium cap. 6. vbi ait: *De his vero baptizatis, qui postea à dæmonio, vitio aliquo aut peccato interueniente, corripiuntur, quæsiuit dilectio tua, si à presbytero, vel diacono possint, aut debeant consignari: quod hoc nisi Episcopis, præcipere nō licet nā ei manus imponenda omnino non est, nisi Episcopus authoritatem dederit id efficiendi. Vt autem fiat, Episcopi est imperare, vt manus ei vel à presbytero, vel à cęteris clericis imponatur.* Quæ quidem authoritas, si fieret ibi sermo de Sacramento confirmationis, vel de consignatione, aut impositione manus confirmatiua, magni pro hac sententia esset momenti, verum nihil minus ibi loqui Innocentium, quàm de tali Sacramento, patet *Primò*, ex hoc quod nulla fit mentio chrismatis, neque vnctionis, sed tantùm consignationis, & manus impositionis, nisi dicatur, hæc coincidere in Sacramento confirmationis, manus impositionem, & chrismatis vnctionem, quod nos libenter admittimus, sed negant nonnulli huius sententiæ sequaces, vt Lucas Holstenius loco superius citato. *Secundò*, quia hoc Sacramentum nunquam applicatum fuit Energumenis, seu correptis à dæmone in remedium, de quo ibi est sermo. *Tertiò*, quia consignatio, & manus impositio nedum ibi de licentia Episcopi permittitur presbytero, sed & cæteris inferioribus Clericis, qui tamen sunt incapaces ministrandi Sacramentum confirmationis; non eo igitur loco, est sermo de illo, sed indicatur tantùm aliqua ceremonia, quæ olim fuit in vsu, qua soli Episcopi vtebantur ad expellendos dęmones; presbyteri autem, & inferiores Clerici solùm ex licentia Episcopi.

Quartò, pro validitate Presbyteralis Chrysmationis pugnat principaliter vsus Ecclesiæ Græcæ, quo nedum post schisma, sed etiam ante illud simplices Sacerdotes simul baptizare, & post baptisma chrismare, seu confirmare consueuisse pluribus ostendit Petrus Arcudius lib. 2. de Confirmat. Lucas Holstenius dissertat. 1. de Ministro Confirmat. vbi etiam ad cap. 4. probat eumdē

Græco-

Græcorum vſum maxima habere præſidia in Occidentali Eccleſia. Quamobrem Latini in Concilio Florentino Chriſmationẽ illam Presbyteralem nõ poſuerunt inter capita controuerſa, neque vlla indè vnioni conciliandæ difficultas, aut mora obiecta fuit; quaſi, vt inualida, iterari deberet, vel haberi.

Quintò, quod Summi Pontifices pro prima ſententia ſuperius adducti, præſertim Innocentius III. ſolis Epiſcopis Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem tribuentes, cum excluſione Presbyterorũ facilè intelligi poſſint, eos tantum excluſiſſe, non à valida, ſed licita eiuſdem Sacramenti adminiſtratione; qua nimirum ſine debita eorum ad quos ſpectat licentia, vt dicetur infra, illud propria conferre authoritate, quaſi eius ordinarij miniſtri, non ſecus ac Epiſcopi, temerariè præſumerent. Ideoque vbi Innocentius III. loco citato Presbyteralem reprehendit Chriſmationem illam reprehenſionem reſtringit ad Presbyteros Latinos, mandatq; ne illam de cætero ſua temeritate præſumant: audaciam nimirum, & propriæ authoritatis præſumptionem caſtigando, non verum & legitimum miniſterij modum tollendo, aut, vt iteretur illud, quaſi nullum, præcipiendo; vndè cum ſubiungit, tutius eſſe, & ſine periculo ex neceſſitate Sacramentum Confirmationis, omittere quàm vt ab ijs, quibus illud conferre non licet, ex temeritate, non ſine graui periculo, inaniter conferatur; cum vmbra quædam oſtendatur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu; illæ particulæ, *inaniter, vmbra quædam*, quæ paſſim etiam vſurpantur in alijs Sacramentorum adminiſtrationibus, quæ quidem valida fuerunt, ſed illicita, tantum adiectæ ſunt, vel in odium talis illicitæ & malè collationis; vel ad grauitatem delicti exaggerandam; vel quia caret effectu eiuſmodi Sacramentum, propter peccatum à dante, & recipiente ſimul commiſſum. Sicut 1. q. 1. c. *qui vult*, 1. & 2. dicitur de Presbytero per ſimoniam promoto, quod Sacerdos non eſt, ſed inaniter ſolum vocatur. Sixtus etiam II. epiſt. 2. de Epiſcopo in aliena Diœceſi, ait, quod irrita ſit ordinatio. Idem quoque habetur 1. q. 2. c. in multis. In quibus tamen, & ſimilibus locis, quia nihil præcipitur de iterando Sacramento, propterea non de inualida abſolutè ſed illicita duntaxat illius adminiſtratione, ea intelligi ſolent.

Sextò tandem, & vltimo facit pro hac ſecunda ſententia, quod, vt dicetur infra, Summus ſaltem Pontifex poteſt ſimplici Sacerdoti, abſque eo quod ei conferat Ordinem Epiſcopalem, dare facultatem, & priuilegium conferendi Sacramentum Confirmationis; *ſi autem* Epiſcopus eſſet ex inſtitutione diuina ordinarius illius miniſter tam neceſſitate præcepti, quàm Sacramenti; difficilè eſt explicatu, quomodo ſimplex Sacerdos poſſit ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ illud validè etiam miniſtrare.

Hæc ſunt præcipua huius ſententiæ fundamenta, pro qua multi quoque ſunt grauiſſimi Doctores, Franciſcus Ferrarienſis Ord. Prædicat. lib. 4. contra Gentes cap. 66. Alphonſus Salmeron Societ. Ieſu, qui Tridentino innterfuit Concilio tom. 12. tract. 26. in Act. Apoſtol. Lucas Holſtenius in diſſert. 1. de Miniſtro Confirmationis, Romæ cum Superiorum permiſſu typis excuſſa anno 1666. Pro eadem citari etiam debet Caietanus 3. par. q. 72. art. 11. quatenus putát, vel Epiſcopum non eſſe neceſſarium Confirmationis miniſtrum neceſſitate Sacramenti, ſed tantum præcepti, ſecluſa Pontificis diſpenſatione, vel ſi Epiſcopus eſt priori modo neceſſarius, non poſſe alium loco eius ſubſtitui, etiam Pontificia authoritate. Vnde ſit.

Tertia concluſio; Vtraque ſententia præallata probabilis eſt, probabiliterq; defendi poteſt; Iſta concluſio eſt contra Franciſcum Suares 3. p. q. 72. art. 11. diſp. 36. ſect. 1. vbi docet eadem certitudine fidei certum eſſe, & quod ſolus Epi-

Episcopus sit ordinarius minister Confirmationis, & quod sit ordinarius minister, tam necessitate præcepti, quam Sacramenti. Ad probabilitatem autem vtriusque sententiæ sufficit doctorum illas propugnantium authoritas; cum ab Ecclesia nihil circa hoc reperiatur expresse definitum, nisi quod Sanctæ Confirmationis ordinarius minister sit solus Episcopus, quæ definitio subsistit cum hoc, quod sit tantùm ordinarius minister necessarius ex necessitate præcepti, non autem Sacramenti; vt Sacerdos, ob eamdem necessitatem dicitur simpliciter ordinarius minister Sacramenti baptismi. Quemadmodum autem in prima sententia vitandum est extremum eorum, qui negant huius Sacramenti ministerium posse vlla ratione committi Sacerdoti simplici, ita in secunda fugiendum est aliud eorum, qui plus nimio Presbyteralem Chrismationem extollere videntur; etsi enim probabile sit, Sacerdotes simplices validè hoc Sacramentum, sua posse authoritate conferre; nihilominus certum puto, eos nunquam id licitè posse, absque licentia Summi Pontificis, vel Episcopi, de quo infra, præsertim post Innocentij III. prohibitionem, qui loco citato maluit fideles carere Sacramento Confirmationis, quam dispensare cum simplicibus Sacerdotibus pro illo administrando; quod quidem non fecit, ex aliqua inuidia boni Ecclesiæ, aut ex defectu authoritatis, sed ex eo quod tunc temporis simplices illi Sacerdotes de quibus ibi agit, hoc tanquam sibi proprium, non minus quàm baptizare, ex vi suæ ordinationis vendicabant, seque in hoc pares Episcopis faciebant; ideoque ad hanc hæresim retundendã, cum Sacramentum hoc, non sit necessitatis, sed vtilitatis tantum, melius toti Ecclesiæ fuit aliquos sine illo decedere, quam istis Sacerdotibus, id ita sibi arrogantibus concedere, vt colligitur ex ipso textu Innocentij.

Quarta conclusio. Potest Summus Pontifex committere simplici Sacerdoti facultatem confirmandi; in hac conclusione, tanquam certiori conueniunt omnes ferè Theologi, contra Durandum, Adrianum, & alios; præcipuè autem eam docent illi Theologi, qui, vt vidimus, tenent Episcopum tantum esse ordinarium Confirmationis ministrum, necessarium ex necessitate præcepti diuini, non autem Sacramenti. Prima eius probatio desumitur ex facto S.Gregorij Magni, qui cum Sardiniæ Sacerdotes vetuisset baptizatos infantes signare sacro in fronte Chrismate, tali obsignatione Episcopis reseruata epist.9. lib.3. pauloque post Felix Episcopus, & Cyriacus Abbasindè Romam venientes retulissent Sanctissimo Pontifici, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati erant, prohibuisset; illam prohibitionem quasi excusans scribit Ianuario Metropolitæ Calaritano: *Et nos quidem secundum vsum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac in re aliqui contristantur, vbi Episcopi desunt, vt Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus*. Ex quibus verbis nedum nostra habetur conclusio, sed insuper clarè colligi videtur Presbyteralem Chrismationem tunc in Occidente consuetam, nec pro inualida habitam fuisse, Sardis enim suæ in hoc Ecclesiæ vsum opponentibus, S.Gregorius non vt erroneum damnauit, neque vt legi diuinæ absolutè aduersantem prohibuit. Sed potius, quod, cum talis functio pertineret ad Episcopos necessitate præcepti, tanquam ad ordinarios eius ministros, simplices tamen Sacerdotes contra veterem Romanæ Ecclesiæ vsum Innocentij I. & Gelasij decretis confirmatum, illam sine debita licentia passim sibi arrogare præsumpsissent; quare concedit, vt deinceps, Episcopo deficiente, à Presbyteris pręstari possit, nulla prorsus mentione facta, sin minus, inualiditatis alicuius, aut preteritæ, aut futuræ.

Secundò probatur conclusio ex decreto

creto Eugenij IV. quod habetur ad calcem Concilij Florentini, & ex Concilio Tridentino sess. 7. de Confirmatione can. 3. quæ vbi agunt de ministro huius Sacramenti, asseruntque esse solum Episcopum, addunt semper hanc particulam *ordinarium*, qua satis innui videtur dari posse extraordinarium ipso Episcopo inferiorem, simplicem nimirum ad minus Sacerdotem ex dispẽsatione Sedis Apostolicæ; Vndè etiam Eugenius loco citato expressè notat. *aliquando simplicem Sacerdotem per talem dispensationem, ex rationabili, & admodum vrgente causa, hoc Sacramentum administrasse*; quæ singularis obseruatio, est aperta nostræ conclusionis approbatio: si enim tale factum, puta Gregorij Magni, & aliorum, esset nullum, & irritum, malè diceret Eugenius istam dispensationem fuisse ex causa rationabili, & admodum vrgente, cum nulla possit afferri causa rationabilis pro faciendo eo, quod est intrinsecè malum, iurique diuino repugnans, vt, iuxta oppositæ sententiæ authores, esset confirmatio à simplici Saderdote collata per dispensationem Summi Põtificis, non enim facienda sunt mala, vt indè eueniant bona.

Tertiò probatur ex Concilio Senonensi anno 1528. in decretis morum, cap. 38. quod cum dixisset Abbates nõ habere potestatem confirmandi postea subdit: *quod si qui sint, qui contendant, sibi competere hanc facultatem ex priuilegio, voluimus, quod cum primum fuerint requisiti à suffraganeis nostris de priuilegio fidem facere teneantur*: huiusmodi enim verbis, seu statuto apertè supponitur, Abbates etiã si non sint Episcopi, sed simplices Sacerdotes, ex priuilegio posse hoc Sacramentum conferre.

Quartò ad eiusdẽ conclusionis probationem, nonnullæ quoque solent rationes afferri, sed cum materia, forma, & minister Sacramentorum pendeat ex institutione diuina, ad illam solum in præsenti casu, & similibus, tanquam ad vnicam rationem recurrendum est; primumque intelligendum, potuisse Christum Dominum instituere, vt Sacerdoti simplici ex vi suę ordinationis non daretur potestas ordinaria proxima ad conferendum hoc Sacramentũ, siue licitè, siue validè, sed hæc daretur soli Episcopo per consecrationem eius, & nihilominus simul voluisse eumdem Christum, vt Sacerdos ex vi suæ ordinationis esset veluti in actu primo, aut potentia remota, vt adiuncta commissione, seu delegatione Pontificis posset hoc Sacramentum conferre, tam validè, quàm licitè, iuxta sententiam docentẽ, Episcopum esse ordinarium eius ministrum, non tantùm ex necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti; vel licitè solùm iuxta aliam sententiam; in hoc enim institutionis modo nulla prorsus apparet repugnantia, imo potuit esse magna congruentia, vt nimirum in absentia Episcopi non carerent fideles aliqua via, & potestate obtinendi hoc Sacramentum, & habendi sufficientem ministrum eius. Eum autem de facto à Christo Domino obseruatum fuisse, clarè constat ex facto Gregorij Magni admirandæ Sanctitatis, & doctrinæ viro, nonnullorumque successorum eius, tum ex Concilijs Florentino, & Tridentino locis citatis; nam cum dicunt ordinarium Confirmationis ministrum esse solùm Episcopum, duo significant. Primum, Episcopum ex vi suæ ordinationis habere hanc indelebilem potestatem, vt ipsummet Tridentinum ait sess. 23. cap. 4. Secundum, ita habere Episcopum hanc ordinariã potestatem, vt tamen in simplici Sacerdote sit capacitas ad recipiendam illam saltem ex delegatione, & commissione.

Per quod patet ad omnia aduersariorum argumenta; nam dum primò dicunt Summum Pontificem non posse immutare ministrum Sacramentorum, vtpotè quid pertinens de iure diuino ad substantiam illorum; Respondetur in nostro casu, eum non immutare, sed constituere, vel declarare talem ministrum huius Sacramenti, qualem Chri-

stus

ſtus inſtituit,voluit autem Chriſtus miniſtrum ordinarium, & ex officio eſſe ſolum Epiſcopum, extraordinariè verò poſſe eſſe ſimplicem Sacerdotem, authoritate Summi Pontificis ſupremi in Eccleſia Chriſti Vicarij ad hoc deputatum, hunc enim fuiſſe inſtitutionis modum, probatum eſt ex vſu, & traditione Eccleſiæ. Neque propterea hoc extendendum eſt ad quamcumque aliã, aut materiam, aut formam, aut miniſtrum Sacramentorum, quia non oportet, eumdem eſſe modum inſtitutionis in omnibus, cum non ſit in omnibus eadem ratio, vel neceſsitas, vel traditio Eccleſiæ, cui potiſſimum innituntur, quæ à Deo circa Sacramẽtorum eſſentiam, & inſtitutionem reuelata ſunt, & credenda. Erit tamen ſimile exemplũ in minoribus Ordinibus, ſupponendo, quod ſint verum Sacramentum: nam ordinarius miniſter eorũ eſt ſolus Epiſcopus, & tamen poſſunt ex conceſsione Pontificis per ſimplicẽ Sacerdotem conferri. Atque hinc fit, characterem Epiſcopalem eſſe ſufficiens principium Sacramenti Confirmationis, neceſsariũ in miniſtro ordinario, & ex officio, non tamen abſolutè, & ſimpliciter, quia etiam character Sacerdotalis poteſt ſufficere, non tamen per ſe, & veluti vi ſua, ſed quaſi extenſus, vel applicatus per conceſsionem Pontificis, vt ſimplex Sacerdos iuxta diuerſitatem opinionum, illud aut validè, aut licitè miniſtrare valeat.

Vbi ſimiliter aduerſarij obijciunt ſecundò, adminiſtrationem Confirmationis eſſe proprium actum Ordinis, & characteris Epiſcopalis, atque adeo ſimplicem Sacerdotem, accedente etiam Summi Pontificis diſpenſatione, non eſſe illius capacem, ſiquidem per illam non creatur Epiſcopus, nec accipit characterem Epiſcopalem; aut ſi ad confirmandum non requiritur ſimpliciter, & abſolutè ordo, & character Epiſcopalis, tam benè poſſe Summum Pontificem diſpenſare cum laico baptizato, vel alio inferiore ipſo Presbytero, vt validè confirmet. Reſpondetur adminiſtrationem Confirmationis in ratione miniſtri ordinarij, ſeu ex officio, eſſe actum ordinis, & characteris Epiſcopalis, ita vt illam, vt ſic, reliqui ordinum inferiorum non poſſint exercere ſaltem licitè; in ratione verò extraordinarij miniſtri, eſſe actum characteris Sacerdotis, ſuppoſita tamen diſpenſatione, ſeu commiſsione Summi Pontificis, ita vt ſimplex Sacerdos per ſuum characterem, ſecundum ſe & ſimpliciter ſpectatum, habeat remotam potentiam ad id munus obeundum; quæ tamen fiat proxima, aut validè, aut licitè, per ſupradictam Summi Pontificis deputationem, vt conditionem omnino eſſentialem, qua explicatur, & completur eius potentia. Vndè, vt dicebamus ad primũ, ad hoc vt quis ſit miniſter ordinarius huius Sacramenti, vel ex officio, requiritur quidem abſolutè character Epiſcopalis: vt autem ſi tantum extraordinarius, ſufficit Sacerdotalis cum præfata Summi Pontificis deputatione nihil reale Sacerdotali characteri ſuperaddente; ſed illum tantùm complente per modum conditionis eſſentialis, ad id præſtandum requiſitæ. Cum enim character non tam ſit potẽtia phyſica, quam moralis, ſeu ſignaculum quoddam, inducens quandam rationem moralis potentię, ſeu facultatis, facilè intelligi poteſt in aliqua actione poſſe pendere ex conceſsione, ſeu facultate morali iuxta Chriſti inſtitutionem, vel determinationem; quæ pro ſimplici Sacerdote in miniſtrũ extraordinarium Sacramenti Confirmationis, nobis innoteſcit ex ipſa praxi Eccleſiæ, vt ſupra vidimus.

Ad aliam verò conſequentiam, quæ infertur, ſi ad confirmationem dandam non requiritur ordo, & character Epiſcopalis neceſsariò, tam benè poſſe Summum Pontificem diſpenſare cum laico baptizato, vel alio Clerico ipſo Sacerdote inferiore, vt validè, aut licitè confirmet, etſi nonnulli illam admittant, de quibus conſuli poteſt Sua-

rez 3.p.q.72.art.11.disp.36.sect.2.nihilominus tamen cum eodem authore, & alijs communiter omnino neganda est, iuxta statim dicenda in sequenti conclusione, si prius nonnulla circa præsentem breuiter annotauero. *Primò* eam ita esse certam, vt saltem temerarium sit contrarium velle pertinaciter defendere, Ledesma enim ait 3.p esse hæreticum. *Secundò*, Papam electum, & habentem iam supremam Ecclesiæ iurisdictionem, nondum tamen Episcopum consecratum, posse huius Sacramenti administrationem committere simplici sacerdoti, nec non etiam ipsam, si sit sacerdos, illud ministrare. secum dispensando. *Tertiò*, simplicem sacerdotem, qui facultatem habuit à Summo Pōtifice ministrandi hoc Sacramentum, posse, eo mortuo, illud conferre. *Quartò*, licet fortasse cesset ratio, vel necessitas, quæ mouet Pontificem ad hoc priuilegium concedendum, non propterea statim cessare ipso facto huiusmodi facultatem, nisi in ea sit expressum, ita vt sub ea conditione, vel limitatione data sit, alioqui si absolutè concedatur, semper durare, etiam si causa non duret. *Quinto* tamen, posse hanc facultatem semel concessam reuocari, ita vt, sicut confirmatio collata à simplici Sacerdote, priusquam habeat à Pontifice authoritatem est inualida, aut illicita, iuxta diuersitatem opinionum superius adductarum, ita etiam data post reuocationem authoritatis, vel facultatis prius concessæ, quia per hanc facultatem non confertur aliquis ordo, neque imprimitur aliquis character indelebilis, & ideo de se reuocari potest, sicut alia priuilegia; facta autem huiusmodi reuocatione, res manet in eodem statu, in quo antea erat quare tàm impotens manet simplex Sacerdos ad ministrandum hoc Sacramentum post reuocatam prædictā facultatem, quam erat impotens ante illius concessionem.

Quinta conclusio. Nulli laico, neque inferiori ad Sacerdotem Clerico potest Sacramenti Confirmationis ministeriū committi. In hac etiam conclusione, tanquam certissima conueniunt omnes ferè Theologi; cuius ratio fundamentalis est, quia in his quæ spectant ad substantiam Sacramentorum, nihil immutari, aut alterari potest à Christi Domini institutione, sed ex illa, vt vidimus supra, solus Episcopus est ordinarius minister huius Sacramenti, solusque Sacerdos est in potentia, vt ei possit committi hoc ministerium per Summum Pontificem, hæc enim sola exceptio constat nobis traditione, & praxi Ecclesiæ, quæ nulla firma, & probabili authoritate extendi potest ad inferiores Clericos: id ergo temere non est faciendum. Vel aliter dispensatio in his, quę sunt iuris diuini ordinarij, non potest fieri à summo Pontifice, nisi in his, quæ vel ab humana voluntate aliquo modo pendent, vel in his, in quibus eodem iure diuino constat, concessam esse huiusmodi potestatem, & iuxta mensuram, nec non regulam ipso iure diuino definitam, quę ex vsu, & traditione Ecclesiæ certo colligenda est; In præsenti igitur Confirmationis Sacramento, cum ordinarium ius diuinū sit, vt Episcopus illud ministret; quod verò alteri delegetur, sit dispensatio quædam ipso diuino iure concessa, extendi ad alios nō potest, quam ad simplices Sacerdotes, respectu quorum, praxis Ecclesiæ hactenus solùm docuit, hanc dispensationem habere locum, iuxta Christi Domini institutionē. Cuius optimam affert congruentiam Diuus Thomas, quod nimirum Sacerdos habet directam potestatem in corpus Christi verum, quam Diaconus, & consequenter quilibet inferior non habet, nec non etiam per se, & ex officio directam potestatem in corpus Christi mysticum ad remittenda peccata, & ad ministranda Sacramenta ex officio; meritoque proindè Christum voluisse, solum simplicem Sacerdotem esse capacem ministrandi Confirmationem, saltem per delegationem, aut extraordinariè;

nariè; vt qui posset Corpus Christi conficere, & per Sacramentum illud populum fidelem spiritualiter reficere, posset etiam, deficiente Episcopo, illum confirmare, & ad Christianam militiam instruere.

Nunc maior est difficultas, vtrum solus Summus Pontifex Romanus, & nullo modo quicumque alius Episcopus, possit huius Sacramenti ministerium committere simplici sacerdoti; in hoc enim diuisi sunt Theologi; nonnullique docent, iam de facto non posse quidem Episcopos tale ministerium simplicibus sacerdotibus in suis Episcopatibus committere, quia hoc est eis à Summo Pontifice prohibitum, secus autem stando in solo iure diuino, & seclusa prohibitione Summi Pōtificis; Ita Alphonsus Salmeron Societatis Iesu tom. 12. tractat. 26. in Act. Apostol. Ledesma 3. p. quæst. 72. art. 11. & nouissimè Lucas Holstenius in dissert. 1. de ministro confirmationis Romæ typis mandata anno 1666. vbi pagina 7. primò ait, *Ante schisma Chrismationis ministrum fuisse apud Græcos, & Episcopum, & Presbyterum: illum ordinaria, hunc extraordinaria, & delegata authoritate; quę tamen longo, & perpetuo vsu ordinaria quodammodo euasit.* Secundò *eodem iure Græcorum Presbyteros post schisma solos chrismationem cōferre, quo ante schisma, hoc est, ex consuetudine inueterata Ecclesiæ Orientalis.* Vnde ad caput quintum *de consensu Pontificio*, quem author ab eo ibi refutatus exigebat, hæc ait, *Hic non opus est confutatione longiori. Vniuersalis Ecclesiæ consuetudo sufficiebat pro lege, neque in ritualibus illis Sacramentorum consensus specialis, aut dispensatio Apostolica requirebatur* &c. & ad cap. 6. de approbatione Pontificia, *Nedum Orientis, sed & Occidentis Ecclesiam chrismationem Presbyteris olim permisisse, scientibus & approbantibus Romanis Pontificibus, nihilque suæ dispensationi reseruantibus, cum res ea plenissimè à Synodis, & Episcopis penderet.* Tum denique ad cap. 7. concludit, *Chrismationem presbyteralem ex mera Episcopi voluntate, & iussu olim pependisse, si tamen ipse præsens adesset Episcopus; nam absente Episcopo, liberè, & absolutè licebat hoc presbyteris, irrefragabili antiquitatis testimonio.* Hactenus pręfatus Lucas Holstenius.

At alij Theologi communiter cum Diuo Thoma asserunt oppositum, solum videlicet supremum Pontificem, ex plenitudine potestatis, quam habet in Ecclesia, posse confirmationis ministerium committere simplici sacerdoti, tanquam ministro eius extraordinario; quæ sententia vt est magis inter Doctores communis, & probabilis, ita sit pro illa,

Sexta Conclusio. Solus Summus Pontifex potest dare simplici sacerdoti facultatem administrandi extraordinariè Sacramentum Confirmationis. Ratio eadem est, ac pro superioribus conclusionibus, in his videlicet, quæ sunt iuris diuini, absolutè, & simpliciter, non posse dispensari, nisi iuxta modū, & mensuram, ipsomet iure diuino statutam, & concessam, prout de illa ab Ecclesia edocemur, sed ius ministrandi hoc Sacramentum est diuinum, lege ordinaria concessum Episcopis, in quo ex praxi, & traditione Ecclesię habemus, quod solus Summus Pontifex dispensare possit; si quidem à tempore Apostolorum ad hoc vsque tempus, nullus Episcopus particularium Diœceseum istud aliquando propria authoritate tentasse legitur; nec iura, quæ ab aduersarijs pro tali authoritate possunt adduci, sunt clara, aut necessario intelligenda de chrismatione confirmatiua, vbi chrismationem, ab Episcopis permitti posse simplicibus sacerdotibus dicitur, aut manum impositionē, imo potius in contrarium, cum decretum Eugenij sæpius citatum, quando facit mentionem huius concessionis, signanter solum meminerit Apostolicæ Sedis; *Legitur*, inquit, *aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili,*

nabili, & vrgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum: Fatendum igitur est, administrationem huius Sacramenti ordinariam, esse quidem actum ordinis Episcopalis, non tamen ipsam ad illud ministrandum commissionem, delegando facultatem simplici sacerdoti; sed hoc solum competere Summo Põtifici ex vi supremæ illius potestatis, qua totam regit Ecclesiam, quæ illi soli propria est, nec secundum omnes suos actus est ei communis cum cœteris Episcopis etiam respectu suarum Ecclesiarum; Vnde quod nonnulli aduersariorum dicunt, tantam habere potestatem Episcopum in sua Prouincia, ac Papam in toto orbe, proindeque posse in illa sua authoritate committere simplici sacerdoti eamdem confirmationis administrationem, est omnino falsum, & improbabile.

Deindè, si stando in iure diuino possent Episcopi hanc facultatem concedere, solumque ex censura, & limitatione Ecclesiæ hoc esset Summo Pontifici reseruatum, vt volunt aduersarij, cum nullibi prohibitum reperiatur Episcopis, ne vtantur hac potestate; quodque facta sit illius reseruatio, aut coarctio; si quidem nullum de hac re extat Pontificium, aut Conciliare decretum, legeremus eos illam aliquando ad actum reduxisse; quod cum nullibi referatur, dicendum eos non amisisse hoc ius, per non vsum, vt respondere possent aliqui, quandoquidem hoc non est priuilegium, sed ordinarium ius; verum potius talem vsum nunquam habuisse, quia nunquam habuerunt hanc potestatem, nec competit illis.

Quod si quis dicat Græcis, sicut & Armeniis, alijsque Orientalibus Christianis consuetudinem esse, ac fuisse peruetustã, vt passim Presbyteri Chrismatis Sacramentum conferant baptizatis immediatè post baptisma, quod tamen non faciunt ex facultate à Summis Pontificibus Romanis aliquando sibi concessa. Respondet Petrus Archudius Græcus lib. 2. de Sacrament. cap. 15. *Non quidem apertè constare, à quonam id obtinuerint, an à Romano Pontifice, an ab alijs Episcopis; sed tutissimum esse dicere Græcorum Presbyteros per suos Patriarchas, & Antistites eiusmodi facultatem à Summo Pontifice obtinuisse, à quo omnis iurisdictio, quasi à capite in alios, veluti membra mediatè vel immediatè deriuatur, & diffunditur*.

Additque paulo post: *Quicquid sit de reuocatione aliorum Pontificum, profecto cum in Concilio Florentino, post omnes Pontifices, qui reuocarunt, Græci de hac re interrogati, omnem difficultatem (vt ibi asseritur) legitimè, & canonicè diluerint: ipse etiam Pontifex Eugenius IV. redditæ ab ijs rationi acquieuerit: hoc vel vnum ad omnem controuersiam de hac re sedandam sufficere posse videtur. Recesserit sanè ab vsitata consuetudine aliorum voluntas Pontificum; attamen clarissimè apparet, denuo accessisse consensum Eugenij Pontificis dum Græcorum responsum sine vlla controuersia admittit*. Hactenus Archudius de confirmatione, à Græcis Presbyteris collata.

Quod de Græcis Archudius, idem de Armenijs dici posse, asserit Clemens Galanus Surrentinus Conciliationis Ecclesiæ Armenæ cum Romana &c. tom. 2. tract. 3. quæst. 4. §. 2. *Primò*, quia Armeniorum Ecclesia iam olim à principio Patriarchalibus Grçcorum Cathedris subiecta longo tempore fuit: vndè si Græcis per legitimã facultatem licuit, vt Presbyteri confirmarent, etiam ad Armenos eadem facultas extendi debuit. *Secundò*, quia Armeniorum Ecclesia post suum ab Ecclesia Romana schisma pluries ad vnionem rediit cum illa, atque in ijs vnionibus tempore nõ modico perstitit, quo eorum Presbyteri similiter confirmabant. *Tertiò*, quia plures extant Romanorum Pontificum ad Armenos Patriarchas epistolæ; in quibus cum

cum sermo sit de confirmationis Sacramento, traditur quidem ea doctrina, quod ordinarius eius minister sit solus Episcopus; cæterum nullum fit verbum, quo Armenis Presbyteris eiusdem confirmationis administratio prohibeatur. Quartò denique, quia in Concilio Florentino, cum ad vnionem cum Romana Ecclesia rursus venissent Armenij, editum fuit ab Eugenio IV. decretum pro illa, vbi Concilio approbante post hæc verba: *Ordinarius minister Sacramenti Chrismatis est Episcopus: & cum cæteras vnctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre* &c. subijcit alia iam superius citata; *Legitur tamen: aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & vrgenti admodum causa, simplicem sacerdotem Chrismate, per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*.

Quare sic ad intentum discurri potest: Sciebat Eugenius Pontifex cum Concilio Florentino, Armenis, æquè, ac Græcis, consuetudinem esse, vt Cõfirmatio daretur inter eos etiam a Presbyteris: maximè quod in præfato decreto dictum antea fuerat: *Deputauimus de omni statu huius sacri Concilij viros, iuris diuini, & humani doctissimos, qui cum omni cura, studioque, & diligentia rem ipsam cum ipsis pertractarunt oratoribus* (nempe Armenis, qui ad Concilium venerant) *ab eis accuratè inquirentes eorum fidem tàm circa diuinæ vnitatem essentiæ, & diuinarum Personarum Trinitatem; quàm Domini Nostri Iesu Christi humanitatem, & septem Ecclesiæ Sacramenta, atque alia ad fidem Orthodoxam, & ritus vniuersalis Ecclesiæ pertinentia*. Et tamen non solùm eis consuetudine illa non interdixit; verùm etiam significauit, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem concessum fuisse, vt presbyteri confirmarent: Igitur per hæc verba concedere Armenijs videbatur Eugenius saltem permissiuè, vt eorum presbyteri confirmationem de more conferre possent.

Ex dictis in tota hac controuersia breuiter colligo. *Primo*, expresè tantum ad fidem pertinere, illaque credẽdum esse, quod solus Episcopus sit ordinarius, & ex officio minister Sacramenti Confirmationis; *Secundo*, sub opinione versari, an sit ordinarius necessitate tantùm præcepti, an verò tàm illa, quàm necessitate Sacramenti; quo stante, vt iuxta sententiam admittentem, Episcopum esse ordinarium ministrum, vtroque necessitatis modo, sequitur simplices sacerdotes nec validè, nec licitè propria authoritate conferre posse Sacramentum Confirmationis, ita iuxta aliam docentem, eum esse ordinarium ministrum necessitate duntaxat præcepti, dicendum illos licitè quidem id non posse, secus autem validè. *Tertio*, in vtraque sententia, capaces esse administrandi hoc Sacramentum extraordinariè ex dispensatione Sedis Apostolicæ. Ideoque si Greci, & Armeni vellent, vt deinceps illud à solis Episcopis sibi cõferretur, essent quidem laude dignissimi; sin minus, quodque à presbyteris detur, non statim pro inualidè dato habendum est; nec etiam illicitè, si existimẽt istud fuisse illis concessum extraordinariè, aut eorum Patriarchis à Summo Pontifice pro illis, aliquo expresso indulto, aut saltem ad minus, tacito consensu Summi Pontificis id probe scientis, nec improbantis, sed potius tolerantis; secus autem si crederent authoritate propria se posse tale munus exercere; nisi aliquos excusaret ignorantia inuincibilis, dummodo tamen adhibeant legitimam materiam, & formã, quandoque cum illa frontẽ baptizati chrismate consignant, intentionem habeãt conferendi aliud à Baptismate Sacramentum, nempe Confirmationem. Quippe cum semper soliti sint immediatè post Baptisma Chrismationem hanc facere; ipsorum plerique ob inscitiam putant, illam non esse Sacramentum

mentum

mentum à Baptiſmo diſtinctum, ſed potius ceremoniam, vel circumſtantiã quãdam ad illum actum Baptiſmi pertinentem; ſicut cum latini verticem puerorum chriſmate poſt baptiſma inungunt. Ob defectum autem huius tertij requiſiti, quamuis nonnulli cẽſeant non eſſe apud Græcos, & Armenos Confirmationis Sacramentum; nihilominus oppoſita ſententia probabilior videtur, ſufficereque ad validitatem Sacramenti, intentionem vniuerſalem, quam omnes Græci, & Armeni Presbyteri habent faciendi per illam frontis chriſmationem quicquid facere intendit vera Chriſti Eccleſia; hæc enim intentio corrigit intentionem, & errorem illum mentis particularem. Tantùm de hac controuerſia de qua Theologi agunt cum Diuo Thoma 3. p. q. 72.

CAPVT XIX.

Statuitur contra nonnullos Græcos, eorumque in Oriente ſequaces, Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ritè, & validè confici etiam in pane azymo.

OMnibus Latinis tanquam de fide tenentibus, & aſſerentibus, tàm panem fermentatum, quàm azymum eſſe materiam Euchariſtiæ conſecrandę ſufficientem, pro vt fuit verbis expreſſis definitum in litteris Sanctæ vnionis vtriuſque Eccleſiæ, Latinæ nimirum, & Græcæ, in vltima ſeſſione Concilij Florentini, huiuſmodi enim panes ſpecie non differunt inter ſe, ſed tantùm accidentaliter, ſuntque ambo verus panis triticeus; nonnulli tamen Græci, præſertim poſt exortum ſchiſma, eo deuenerunt audaciæ, vt non tantùm dixerint Chriſtum Dominum conſecraſſe in pane fermentato, verum etiam contenderint, ſolum hunc panẽ ſufficere ad Sacramentum Euchariſtiæ validè conficiendum. Imò anno Chriſti 1054. tempore Leonis IX. Summi Pontificis, Michael tunc temporis Epiſcopus Conſtantinopolitanus præſumpſit anathematizare omnes vtentes azymis, vt illi exprobrat prædictus Leo Summus Pontifex ſua ad illum epiſtola, relata à Baronio tomo Annal. 11. ex quo factum eſt, vt ijdem Græci nos Occidentales vocarent per deriſionem *azymitas*, vt refert S. Anſelmus lib. 3. epiſt. 134. ad Valerianum Epiſcopum; nec non altaria ſuper quæ Latini ſacerdotes celebrauerãt, abluerent, nec aſſurgerent, quando Chriſti Domini Corpus deferebatur ad ęgrotos, vt narrat Iacobus Vitriacus in ſua Orientali hiſtoria cap. 75. & in Occidentali cap. 38. Sunt etiam, qui tribuant eumdem errorem Armenis, verum quidquid ſit de nonnullis eorum, Clemens Galanus Sedis Apoſtolicæ ad ipſos Miſſionarius tom. 2. Concilia. tract. 3. quæſt. 4. §. 3. expreſsè refert Armenos modo in hoc Sacramento conficiendo, vti pane azymo iuxta ritum Occidentalis Eccleſiæ; eumdemque antiquitus morem ipſis fuiſſe ſcribit Nicephorus lib. 18. hiſt. cap. 53. Lutherani autem, & Caluiniſtæ, licet exiſtiment tàm panem azymum, quam fermentatum, ſufficere ad ſubſtantiam huius Sacramenti, conuenientiorem tamen, magiſque congruentem materiam eſſe aſſerunt panem fermentatũ, quam azymum, dicuntque vſque ad Alexandrum III. Eccleſiam fuiſſe vſam fermentato, illum vero Pontificem, vt aliquid nouum, & inuſitatum faceret, azymum introduxiſſe, quam conſuetudinem ipſi deſpicientes, fermentatum in ſuis cænis Dominicis, vt vocant, adhibent. Verum ſit.

Prima Concluſio. Tam fermentatus, quàm azymus panis, eſt materia Euchariſtiæ conſecrandæ ſufficiens. Iſta concluſio eſt de fide; quia autem in illa, quoad panem fermentatum, conueniunt Græci nobiſcum, nos tantum de azymo probabimus. Primaque eius defini-

definitio habetur citata epistola Leonis IX. vbi sententiam Græcorum hereticam appellat, nec non Innocentij III. lib. 4. de myster. cap. 4. Vnde quod Nouatores dicunt, azymi vsum esse rem nouam, & introductam ab Alexandro III. impudentissimum est mendacium, & contra omnem historiæ veritatem; Quam autem præfati Pontifices à maioribus acceptam circa hoc nobis tradiderunt fidem, eamdem expressis verbis confirmauit, definiuitque Eugenius IV. in Concilio Florentino in sæpius citatis litteris vnionis, quibus tam ipsi Græcorum Episcopi, quã eorum Imperator, cum Latinis Patribus subscripsere; *Hoc sacro*, inquit, *vniuersali approbante Florentino Concilio, definiuimus, vt hac fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, in azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici &c.*

Potissimum huius veritatis fidei, definitionisque illius fundamentum desumitur ex facto Christi Domini, Math. 26. Marci 14. & Luc. 22. vbi referunt eum, celebrasse Pascha primo die azymorum, quando cæteri Iudæi immolabant, illisque non licebat vti fermentato. Inde enim sic ad intentum argui potest, Panis ille est sufficiens materia Eucharistiæ consecrandæ, in quo Christus Dominus de facto primùm illam confecit: sed panis ille erat tantùm azymus; ergo certa fide tenendũ est, panem azymum esse sufficientem materiam consecrandæ Eucharistiæ. Maior huius argumenti debet esse apud omnes certa, qui admittunt Eucharistiæ Sacramentum, siquidem Christus Dominus subijciendo illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, iussit Apostolos, & eorum in sacerdotio successores, obseruare inter conficiendum Eucharistiam ea, qua ipse tũc, vt substantialia fecerat: cum igitur panis consecrandus sit aliquid substantiale huic Sacramento conficiendo, manifestè sequitur, panem illum, in quo Christus Dominus de facto tunc consecrauit, esse ex eius institutione saltem sufficientem pro hoc eodem Sacramento conficiendo materiam.

Minor verò probatur, quia panis ille, in quo Christus consecrauit, talis erat, qualis tunc lex Mosaica eum requirebat, nusquam enim Christus, qui ad Galatas 4. dicitur *factus sub lege*, fuit præuaricator illius, sed lex Mosaica, siue consideretur penes diem, & horã diei, qua Christus Dominus primò cõfecit Eucharistiam, siue penes cænam illam, in qua eamdem primo consecrauit, exigebat omnem, & quemlibet panem tunc apud Iudęos esse solummodo azymum; habemus enim tàm ex sacris litteris, quàm ex Sanctis Patribus, etiam Græcæ Ecclesiæ, Christum Dominum eodem die, & tempore per legem statuto celebrasse cum ipsis Iudæis cænam Agni Paschalis, & illum, peracta legali cæna, & vsuali inchoata, vel, vt alij volunt, pręparata, illo eodem die instituisse Sacramentum Eucharistiæ; dies autem illa erat decima quarta luna primi mensis, qua, & sequentibus diebus vsus panis fermentati erat omnino prohibitus, & solus azymus erat in vsu, vt expressè legitur cap. 12. Exodi: Panis igitur ille, in quo Christus primò consecrauit, fuit tantùm azymus.

Quia aduersarij, vt effugiant vim huius argumenti in facto Christi fundati, quod proculdubio est demonstratiuum, duo solent respondere; *Primò*, Christum Dominum anno illo quo est mortuus, & instituit Sacramentum Eucharistiæ, cœnam legalem non celebrasse, id est, Pascha Iudaicum, seu Agnum Paschalem non comedisse; atque adeo non in azymo, sed in fermẽtato Eucharistiam confecisse inter cænam communem, & vulgarem; *Secundo*, eum quidem cænam legalem obseruasse in comedendo Agno Paschali, sed anticipasse tempus à lege statutum, luna nimirum 13. cum deberet fieri 14. primi mensis ad vesperam Exod. 12. Leuit. 23. num. 28. *Primùm* etiam

etiam ostendemus Christum Dominũ, eo die, quo instituit Sacramentum Eucharistiæ, cænam legalem obseruasse; *Secundò*, in ea non præuenisse diem a lege præscriptum, sed decima quarta luna comedisse Agnum Paschalem ritu Iudaico; *Tertiò* gratis admissa præfata anticipatione, vt Græci volunt, adhuc verisimilius esse, quod in azymo confecerit augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Igitur pro intelligentia primi aduertendum est ex Diuo Chrysostomo homil. 81. in S. Matthæum, Iudæos, die illo, quo celebrabant Pascha Iudaicum, solitos esse duas cęnas facere, *legalem* vnam, qua comedebant Agnum Paschalem stantes, & alias ceremonias in eius esu præscriptas Exod. 12. seruantes; alteram, quę sequebatur, *communem*, & *vulgarem* pro corporali refectione familiæ institutam, cui totæ alēdæ Agnus ille Paschalis adhuc anniculus, non sufficiebat; & in hac cæna pro more suæ gentis accumbebant mensæ; Sanctus enim Chrysostomus volens explicare, qua ratione Christus Dominus, & eius Apostoli non violauerint legem à Deo præscriptam, de comedendo Agno Paschali, stando, cũ in Euangelio dicantur recubuisse, seu accubuisse, ita sibi obijcit, & respondet, *Quomodo autem si Pascha comedebant, aduersus legem recumbentes comedebant? sed dicere possumus, quia postquam comederunt Pascha, ad cænandum recubuerunt*. Quo loci Sanctus Doctor non ait Christum Dominum eo anno, quo mortuus est, Agnum Paschalem non comedisse, sed potius verbis prioribus id clarè explicat, posterioribus autem communem, & vulgarem cœnam. Idque ad fidem pertinere patet, ex cap. 26. S. Matth. 14. S. Marci, & 22. S. Lucæ, vbi Christus sciscitantibus Discipulis, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* respondet, *Ite in Ciuitatem, ad quemdam, & dicite ei, Magister dicit tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis*. Inde enim sic discurri potest ad præsens intentum. Eodem modo sumitur illa particula, Pascha, in responsione Christi Domini, ac in ipsa interrogatione discipulorum; alias inepta, nec ad propositum, & interrogantium intentionem esset responsio: sed particula hęc, Pascha, in interrogatione discipulorũ supponit pro agno Paschali, & ijs, quæ ad eius esum erant requisita; item prædicta Christi responsio significabat, eũ se apud istum hominem esse comesturum cum suis discipulis agnum Paschalem; nam loco istorum verborum Matth. 26. *apud te facio Pascha cum discipulis meis*, Christus Dominus ait Marci 14. vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis manducam? quod idem habet Lucæ 22. minimè ergo dubitandum est, quin verè & de facto Christus Dominus manducauerit tunc agnum Paschalem; cum *facere Pascha*, & *comedere Pascha*, quæ in præfatis Euangelistarum locis sunt synonima, non inueniantur in Sacra Scriptura, nisi pro vt pertinent ad esum Agni Paschalis.

Alter Scripturæ locus, vndè veritas hæc colligitur, habetur 1. Corinth. 11. vbi Apostolus agens de institutione Eucharistiæ, ait Christum consecrasse calicem, *postquam cænauit*; sicut & Sanctus Lucas cap. 22. hæc autem verba debere intelligi de cœna legali expleta, non autem de communi, patet ex Matth. cap. 26. & Marco 14. dicentibus, Christum inter cænandum instituisse hoc Sacramentum: *cænantibus autem eis*, inquit S. Mathęus, & S. Marcus, *discumbentibus eis, & manducantibus*, hoc est in procinctu cænæ communis, vel paulo post eam inceptam, vt exponunt sacri Interpretes.

Verbo Dei scripto adstipulatur traditum apud Sanctos, ac veteres Patres, tùm Græcos, tùm Latinos, Origenem tract. 35. in Math. ad illa verba, *prima die azymorum*; Chrysostomum loco superius relato, Hieronymum in cap. 26. S. Math. vbi ad illum versiculum, *cænantibus illis*, ait, *Postquam typicum Pascha*

cha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, &c. Quare Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. expressè docet, *Christum celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, nouum instituisse Pascha, seipsum in Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit*. Nec mirum, quod ita Christus se gesserit, qui fuit vniuersæ veteris legis obseruantissimus; fuisse autem conuenientissimum, vt ibi comederetur agnus typicus, vbi verus agnus in nouo Testamento erat comedendus, siue Christum, peracta cęna prius legali, rectè instituisse Eucharistiam in communi cæna docet S. Thomas 3. p. q. 73. art. 5. in corpore ex S. Leone sermo. 7. de Passione Domini, scilicet *vt vmbræ cederent corpori, antiqua obseruantia nouo excluderetur Sacramento, hostia in hostiam transiret, sanguine sanguis auferretur, & legalis festiuitas dum mutatur, impleretur*.

Quibus non obstat, quod objiciunt primò aduersarij, Christum Dominum in cæna vltima obseruasse alias omninò ceremonias ab ijs quas Deus in immolatione, & esu agni præscripsit; nam S. Matthæus cap. 26. narrat eum *discubuisse in cæna*, eaque longissima, & longissimo sermone interpolata, in qua iusculum fuerit, quo panem intinctum Iudæ proditori tradiderit; cum in cæna Agni Paschalis manducantes deberent stare, baculos in manibus habere, festinanter comedere, nullum iusculum admiscere agno, sed illum tantummodo assum, non coctum aqua, comedere, calceos in pedibus habere, vt præcipitur Exodi 12. facilè enim respondetur ex præmissa superius obseruatione de duplici cæna, Christum Dominum instituisse Sacramentum Eucharistiæ, nō in cæna legali, sed ea iam expleta, in communi, & vulgari, tantùm præparata, vel inchoata, vndè nil mirum, si recumbens mensæ pro more suæ gentis in cæna communi, non autem stans, & instituerit hoc Sacramentum. Notatque Diuus Augustinus tract. 55. in S. Ioannem, ad illa verba, vbi dicitur c. 13. Christus Dominus *cæna facta*, surrexisse, & lauisse pedes Discipulorum, idem esse ac inchoata, seu facta quidē, & præparata, sed non consummata. Non fuisse autem indecorum Christo Domino inter cænandum surgere a mensa illa communi pro facienda lotione pedum discipulorum, patet ex multis mysterijs sub illa contentis, quodque potissimum illam fecerat in ordine ad Eucharistiam, quam in ista cęna erat mox instituturus.

Secundo objicitur. Christus Dominus eodem die instituit Eucharistię Sacramentum, quo discipuli dixerunt ei Math. 26. *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* ibidem enim Christus refertur vespere facto cænasse cum illis, & instituisse Eucharistiam: sed Christus Dominus non eo die celebrauit cænam legalem, seu non comedit Agnum Paschalem; Ergo illam non præmisit cænæ vulgari, in qua instituit Eucharistiam. Maior huius argumenti cū sit certa; Minorem probant aduersarij, quia illa dies, qua Apostoli dixerunt Christo, *vbi vis paremus* &c. erat luna 13. nam Christus illo eodem capite S. Mathæi 26. præmiserat, *Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, & crucifigetur*: & dum subditur postea, *prima die azymorum accessisse discipulos ad Iesum dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* ea particula, *prima die azymorum*, non videtur posse intelligi illa dies, qua vere Agnus Paschalis comedebatur ritu Iudaico, sed tantùm dies præparatoria eorum, quæ erant necessaria pro celebritate festi azymorum, vt indicat hęc Euangelij particula, *paremus tibi Pascha*; tum quia nunquam decima quarta primi mensis vocatur in scripturis prima dies azymorum, si quidem

vera prima dies illorum, erat decima quinta luna, quę incipiebat post occasum solis diei decimæ quartæ, & illa ineunte Paschalis cæna celebrabatur; tum quia non est verisimile Discipulos Christi Domini, tam tardè cogitasse de præparanda Paschali cæna, vt primum illum diem azymorum propriè dictum, quo iuxta legem, Paschalis Agnus comedebatur, expectauerint: Igitur cum Christus Dominus esset legis obseruantissimus, iuxta quam talis solemnitas fieri debebat luna 15. si instituit Sacramentum Eucharistiæ luna 13. vt ex dictis constare videtur, necessario sequitur, anno illo quo est mortuus, & in cuius vltima cæna communi instituit hoc Sacramentum, eum illud instituisse non præmissa celebratione Agni Paschalis, alias non fuisset obseruator, sed præuaricator legis Iudaicæ, illum comedendo luna 13. atq; adeo non in azymo, sed fermentato tunc consecrasse.

Respondetur ad hoc argumentum, concedendo maiorem, & negando minorem; ad cuius probationem, negatur quoque diem illum, quo Apostoli dixerunt Christo, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* fuisse lunam 13. vel quod idem est, illum eumdem numero diem, quo Christus dixit Discipulis, *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*. Etsi enim hæc verba Christi referantur eodem cap. 26. S. Matth. quo & illa discipulorum, non tamen fuerunt eodem die dicta; quoniam eo die, quo præcepit discipulis, vt pararent sibi Pascha, fecit vltimam cænam, & à Iuda proditore est Iudæis traditus, vt patet ex citatis locis Euangelistarum, & ex fundamento aduersariorum; sed in die, quo dixit, *Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & tradetur filius hominis*, non fuit traditus, alias dicendo, *post biduũ*, mentitus fuisset, cum particula illa, *&* coniungat celebrationem agni Paschalis, & Christi Domini traditionem, vt vno, & eodem die futuram, tum etiam quia Euangelistæ narrant seniores fuisse congregatos biduo ante Pascha, vt Christum dolo tenerent; item Christũ fuisse moratum in Bethania, ibi accubuisse mensæ apud Simonem Leprosum; ac tandem Iudam indignatum conuenisse prædictos Principes, quæsiuisse opportunitatem tradendi Christum, primumque diem azymorum elegisse vt commodiorem, quæ omnia, iuxta narrationem Euangelistarum, nõ possunt intelligi vno & eodem die cõtigisse: Non igitur dies ille, quo Apostoli dixerunt Christo, vbi vis paremus tibi comedere Pascha, quoque Christus, vt concedunt etiam aduersarij, instituit Eucharistiam, fuit luna 13. vt statim magis ostendemus, sed verus primus dies azymorum, in quo peracta cæna legali Christus Dominus in cæna communi instituit Eucharistiam, atque adeo illam non in fermentato, sed in azymo confecit.

Ad id autem, quod aduersarij dicũt primò particulam illam, *prima die azymorum*, non posse intelligi de illo die festo, quo agnus comedebatur, sed de antecedenti, vel præparatorio, respõdetur falsum esse, idque ex ipsismet Euangelistę verbis perspicuè probari, sic enim Sanctus Lucas cap. 22. ait, *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, quibus sanè verbis, determinat illam diem azymorum, fuisse eam diem, in qua, vel in cuius priori vespera, Agnus Paschalis iuxta legem erat immolandus; sed vespera illa, erat vespera posterior decimæ quartæ lunæ (quæ quia erat initiũ festi azymorum, dicitur prima dies azymorum) vt patet Exodi 12. præfata igitur Euangelistarum verba, dum referunt, *prima die azymorum accessisse discipulos ad Iesum dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* non possunt intelligi, vt inepte aiunt aduersarij, de aliqua die antecedenti, sed necessario de ipsamet vera, & propria die azymorum, qua agnus comedebatur. Ideoque Sanctus Hieronymus ad citata verba expresè ait; *primam diem azymo-*

azymorum, esse decimam quartam diem mensis primi quando agnus immolatur, & luna plenissima est, & fermentum abijcitur; nam Exod. 12. & Leuit. 23. prima illa dies vocatur, *dies festa, solemnis, & celeberrima, in qua non debet fermentum reperiri in domibus*, illa ergo, prima dies azymorum sola dici debet, non autem antecedentes à die decima vsque ad vesperam decimæ quartæ exclusiuè, quibus licitè fermentum domi seruari, & comedi poterat.

Ad secundum quod dicitur, non esse verisimile Discipulos Christi tàm tardè cogitasse de præparanda Paschali cæna, vt primum illum diem azymorum propriè dictum expectauerint, quasi etiam illud tempus non fuerit sufficiens ad præparationem huiusmodi cænæ. Respondetur facile ex Iosepho lib. 5. de bello c. 45. apud Claudium Sanctesium repetit. 1. de Eucharistia cap. 7. fuisse Iudæis in more positum, vt Hierosolymitani ciues præpararent aduentantibus exteris pretio condicto cubicula, agnos, & reliqua pro solemnitate agni Paschalis necessaria, propterea que illos fuisse solitos adducere in vrbem, iuxta præceptum Exodi 12. v. 3. agnos die decima, quos postea exteri ab illis emerent die immolationis faciendæ; vndè facile fuit Discipulis Christi eo ipso die, quo agnus erat immolandus ista omnia reperire; & hanc ciuium consuetudinem indicat Christus Math. 26. dicens, Ite in Ciuitatem ad quemdam, & dicite ei &c. item Lucæ 22. *Occurret vobis homo quidam*, &c. *sequimini eum in domum* &c. *ostendet vobis cænaculum magnum stratum, & ibi parate*. Ex quibus omnibus satis superque patet primum quod intendebamus, scilicet Christum anno illo, quo est mortuus, & in vltima cæna instituit Sacramentum Eucharistiæ, cænam legalem celebrasse; tum eam huius Sacramenti institutioni præmisisse, eadem prorsus die, qua iuxta legem celebrari debebat, atque adeo panem illum, in quo Christus primò consecrauit, non fuisse fermentatum, sed azymum.

Nunc contra alios admittētes, Christum Dominum cænam quidem legalem celebrasse, illamque institutioni Sacramenti Eucharistiæ præposuisse, sed anticipasse tempus à lege statutū, secundò nobis ostendendum est magis ex professo, eum in comedendo agno Paschali minimè præuenisse diem à lege præscriptum, sed decima quarta luna comedisse agnum Paschalem ritu Iudaico. Pro cuius intelligentia notandum est primò Exod. 12. Leuit. 23. & Num. 28. præceptum fuisse Iudæis vt 14. luna primi mensis ad vesperam comederent agnum Paschalem ritu ibi præfixo.

Notandum secundò, in veteri lege solemnitatem agni Paschalis, fuisse omnino diuersam à solemnitate azymorum, præceptumque de vtraque distinctum, vt patet ex locis statim adductis; traxerant enim originem ex duplici beneficio, festiuitas quidem agni Paschalis, ex conseruatione primogenitorum Israel, eo tempore, quo primogenita Aegyptiorum interficiebantur ab Angelo percutiente: azymorū verò celebritas, ex eo quod populus Israel, liber egressus de Aegypto, comedit azyma. Deindè solemnitas agni Paschalis vno tantum die, & adhuc ad vesperam istius diei fiebat, cum azymorum festiuitas septem duraret diebus.

Aduertendum est tertio, apud Iudæos dies ceremoniales, seu festiuitatum incepisse à vespera prima, seu statim ab occasu solis diei antecedentis festum, vsque ad vesperam eiusdē diei festi, quæ erat secunda vespera; exempli gratia dies Sabbathi computabatur à vespera feriæ sextæ, seu diei Veneris exeuntis, vsque ad occasum solis ipsius diei festi Sabbathi: ita enim præcipitur Leuit. 23. *à Vespera ad Vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*; vbi datur regula generalis celebrandorum festorum: item apud Iudæos menses fuisse

fuisse lunares, & incepisse à nouilunio docent Iosephus lib. 3. antiquit. Iud. cap. 10. & Philo Iudæus lib. de vita Moysis; quique deinceps scripserunt de Kalendario Hebræorum; de quo videri possunt dicta à nobis tom. 4. lib. 3. sect. 7. c. 19.

Notandum est quarto, & vltimo, vnam, & eamdem vesperam, complete sumptam, apud Hebræos agentes de immolatione, & esu agni Paschalis, diuidi quasi in duas, quarum prior incipiebat post meridiem, sole iam inclinante, seu vergente ab hora nona illius diei vsque ad occasum: Posterior autem erat post occasum solis vsque ad finem crepusculi vespertini; cumque in priori immolaretur agnus Paschalis, & in posteriori comederetur, vt expresse notat Iosephus lib. 7. belli Iud. cap. 17. manifestè sequitur, tempus eius immolationis, fuisse distinctũ à tempore eius comestionis, vnde periti linguæ Hebraicæ obseruant hanc particulam, *ad vesperam*, cap. 12. Exodi, vbi agitur de immolatione agni, exprimi nomine duali, cuius sensus sit iste, *inter duas vesperas*.

His ita prænotatis, Græcis, vt suum errorem de consecratione Eucharistiæ, in pane fermentato facilius tueantur, asserentibus Christum Dominum tunc ita celebrauisse cœnam legalem agni Paschalis, vt tamen vno die præuenerit tempus statutum per legem, hoc est illum comedisse non 14. lunæ, sed 13. nos dicimus, id apertè repugnare expressissimis Euangelij verbis.

Primum enim Matth. 26. habetur: *Prima die azymorum accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* quo loci per primam diem azymorum intelligi debere primam diem azymorum propriè dictum, incidentem in lunam decimam quartam primi mensis, iam ostendimus supra. Item, dum Marci 14. v. 12. scribitur: *Et primo die azymorum, quando Pascha immolabant*, scilicet Iudæi, *dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha?* & Lucæ 22. v. 6. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*; certè huiusmodi particulæ, *quando immolabant*, item, *necesse erat*, nec non illæ, quibus discipuli loquuntur de præparatione Paschatis, Christus verò Dominus ibidem exprimitur celebrasse Pascha cum illis, luce meridiana clarius significant hæc omnia, id est, interrogationem Discipulorum pro præparatione agni Paschalis, eius immolationem per Iudæos, obligationem eius cadentem, in diem istum, & eius obseruationem à Christo Domino in eumdem diem incidisse; & proindè, cum dies per legem constituta, esset 14. luna primi mensis ad vesperam, Christum alias Mosaicæ legis obseruantissimus ista die cænam agni Paschalis de facto celebrasse. Vndè Græci, quia vident his Sacræ Scripturæ testimonijs apertissimè probari nostram sententiã, vt vno verbo illorum vim eludant, non erubescunt dicere, tres priores Euangelistas, quo ad hoc errasse, & per Sãctum Ioannem fuisse correctos; sed hæc responsio est blasphema, totam fidem, & authoritatem sacræ Scripturæ destruens, qua enim facilitate vnus, aut alter Euangelista admittetur errasse, eadem & alij dicentur errasse, nosque respondere possemus, non tres priores Euangelistas, sed vnum potius Ioannẽ hallucinatum fuisse; quod cum Spiritui Sancto sit iniuriosum, tàm propriè triũ priorum Euangeliorum primariò authori, quam quarti, semper, & vbique infallibili, omnino dicendum, quod sicut dictando Sancto Ioanni Euangelium non errauit; ita nec dictando reliquis; omnesque Euangelistas tam in præsenti intento, quàm in omnibus alijs esse perfectissimè concordes, vt patebit ex solutionibus obiectionum, nec non ex sequenti argumento desumpto ex Euangelio S. Ioannis.

Quæcumque Sanctus Ioannes narrat à capite 13. incipiente his verbis; *Ante diem festum Paschæ*, vsque ad historiam

ſtoriam Paſſionis Chriſti, ea contigerũt poſt cænam legalem, pridie mortis ipſius; ſed dies paſſionis, vel mortis Chriſti Domini incidit in decimam quintã lunam, cuius antecedens dies, erat decimaquarta luna: Ergo Chriſtus comedit agnum Paſchalem luna 14. Probatur Maior ex ipſomet textu S. Ioannis, tùm quia, *ante diem feſtum Paſchæ*, idem ſonat, ac *pridie Paſchatis*, tùm quia verba ſequentia, *ſciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, idem quoque ſignificant, ac inſtare diem paſſionis eius. Nec refert, quod in editione Græca Sancti Ioannis non habeatur, vt in editione vulgata, *Ante diem feſtum Paſchæ*, ſed ſimpliciter, *Ante feſtum Paſchæ*, cum enim multi ex Græcis Patribus illam particulã *diem*, legant, S. Cyrillus lib. 9. cap. 2. S. Chriſoſtomus homil. 69. in Ioan. Euthimius ibi, & omnes Latini, primùm dici poſſet errore typographi eã ab authographo excidiſſe, illique reſtituendam eſſe; vel ſecundò, etiam ſi in illo nunquam fuiſſet, ſemper tamen fuiſſe ſubauditam, vt ipſe textus, & ſenſus ſententiæ ſatis indicant; Sanctique Patres, etiam Græci interpretati ſunt, particulam ante de die immediatè præcedenti feſtum Paſchæ; de quibus conſuli poteſt Arcudius author Græcus lib. de Euchariſtia cap. 4. Iam probatur Minor, diem nimirum Paſſionis Chriſti incidiſſe in 15. lunam; quia incidit in eum diem, quo præſes ſolebat dimittere vnum de vinctis, & quo Pilatus dimiſit Barrabam, vt patet ex poſtremis verbis cap. 18. & primis cap. 19. eiuſdem Sancti Ioannis, vbi dimiſſio Barrabæ, flagellatio, & crucifixio Chriſti Domini referuntur, vt vno, & eodem die factæ: ſed dimiſſio Barrabæ contigit luna 15 ſeu in prima illa die ſolemni azymorum, nam ibi apud S. Ioannem ait Pilatus, *Eſt conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha*, id eſt, vt habet S. Matth. *per diem ſolemnem*; S. Marcus cap. 15. & S. Lucas cap. 23. *per diem feſtum*, dies autẽ feſtus in Paſchate, nullus alius erat; quam primus, & vltimus Exod. 12. Igitur cum Paſſio Chriſti non potuerit, etiam iuxta aduerſarios, incidere in diem vltimum azymorum, oportuit incidiſſe in primum, & conſequenter in lunam decimamquintam.

Obijcitur primò. Sanctus Ioannes cap. 13. refert cænam vltimam Chriſti Domini, fuiſſe ante diem Paſchæ; ſed Chriſtus Dominus inſtituit Euchariſtiam in vltima cæna, & dies, quæ præceſſit feſtum Paſchæ, fuit luna 13. nam luna 14. ad veſperam iucipiebat feſtum Paſchæ; ergo Chriſtus Dominus inſtituit Euchariſtiam luna 13.

Reſpondetur ex dictis per *diem feſtum Paſchæ*, apud S. Ioannem intelligi primum diem azymorum; cum enim veſpera illa ita eſſet inter duos dies, vt eſſet finis vnius, nimirum 14. & principium alterius, ſcilicet 15. iuxta modum computandi dies apud Hebræos, factum eſt, vt aliquando computetur cum die præcedenti, quem terminat, aliquando cum ſequẽti, quem inchoat, vt patet Exodi 12. vbi modo annumeratur 14. lunæ, modo 15. Hoc autem S. Ioannis loco annumeratur lunæ 14. & per *diem* intelligitur dies ille artificialis, qui incipit ab ortu ſolis, vt ſatis denotat particula illa *feſtum*; quia prima azymorum erat valde ſolemnis, & licet luna 14. diceretur *dies Paſchæ*, propter immolationem, & comeſtionẽ agni Paſchalis; ſola tamen luna 15. vocabatur, *dies feſtus Paſchæ*, vt habetur numeror. 28. *Decima quarta die menſis phaſe Domini eſt, & decimaquinta ſolemnitas*.

Secundo obijcitur. Iudæi mane illo, quo Chriſtum Pilato tradiderunt, introire noluerunt, in Prætorium, ne contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha, Ioan. 18. nondum ergo comederant agnum Paſchalem, ſed iſta die ad veſperam illum comeſturi erant; cũ igitur dies illa eſſet luna 14. iuxta præceptum Exodi 12. Chriſtuſque Dominus pridie comediſſet agnum Paſchalem,

lem, manifestè sequi videtur comedisse ill um luna 13.

Respōdetur, vbi loco citato S. Ioannis dicuntur Iudæi noluisse *introire in Pratorium, ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, ibi per *Pascha*, non intelligi agnum Paschalem, sed victimas Paschales, seu sacrificia, quæ illis azymorum diebus offerebantur Deo, vt patet Denteron. 16. Paralip. 2. cap. 35. vbi oues, boues, & cætera animalia, quæ istis diebus offerebantur, appellantur *Phase*, seu *Pasche*, quorum quidem sacrificiorum pars vna in holocaustum consumebatur, secunda cedebat in vsum Sacerdotum: tertia comedebatur à populo; requirebatque in manducantibus saltem Sacerdotibus, Leuitis, Principibus, & Magnatibus munditiem legalem, vt colligitur ex lib. 2. Paralip. cap. 30. & 35. propterea Marci 15. dicitur quidem, quod *Summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis, vniuerso Concilio, vincientes Iesum ducunt, & tradunt illum Pilato*: item ibi & Math. 27. quod illum accusāt apud Pilatum, suadent populo, vt petat Barrabam dimitti non Christum; cæterum, cū audita accusatione Pilatus introisset in Prætoritum illi, vt pote Seniores, & Principes, illud ingredi noluerunt, ne legalem contraherent immunditiem, & & sic prohiberentur edere de prædictis victimis, & sacrificijs Paschalibus. Quare quod aliqui volunt, nusquam in Sacris litteris manducare Pascha, dici, nisi de esu agni Paschalis, absolutè falsum est; negari tamen non potest, quin id specialiter dicatur de illo quatenus, vbi per immolationem, iugulationem & effusionem sanguinis erat immolatus, cedebat totus in comestionem familię, quæ si ei comedendo non sufficeret, reliquum comburebat Exod. 12.

Obijcitur tertiò. Christus eo die celebrauit cœnam agni Paschalis, comparatione cuius est mortuus postridie; sed illa dies, cuius cōparatione postridie mortuus est, fuit luna 13. si quidē hoc postridie vocatur à S. Ioanne cap. 19. *parasceue Paschę*, eo quod esset dies præparatoria illorum, quæ erant necessaria pro celebrando Paschate, & ex consequenti erat luna 14. antecedens Pascha; Igitur dies quæ istam præcessit parasceuen, & cuius comparatione Christus postridie mortuus est, fuit luna 13. consequenterque isto anno, anticipato tempore à lege statuto, comedit agnum Pascalem luna 13.

Respondetur ad hoc argumentum, concedendo maiorem, & negando minorem: ad cuius probationem dicitur hac particula *parasceue Paschę*, loco citato S. Ioannis, non significari diem præparatoriam eorum quę erant necessaria ad esum agni Paschalis, sed feriam sextam subsequentem, qua, quæ ad victum erant necessaria, disponebantur pro sequenti sabbato. Et si enim die primo azymorum liceret Iudæis præparare cibaria, vt patet Exodi 12. non tamen diebus Sabbati, vt habetur ibidem cap. 15. & 35. dum iubentur feria 6. colligere cibum pro eo die, & pro sequenti Sabbato. Quod autem res ita se habeat, seu hæc parasceue fuerit, non propter Pascha, vel agnum Paschalem immolandum, & comedendum, sed propter Sabbatum sequenti die obseruandum, ita clarè explicat ipsemet S. Ioannes, vt nullus sit dubitandi locus, nam cap. 19. quem diem, Versu 14. vocauerat parasceue Paschæ, eumdem Versu 31. vocat parasceuen Sabbati, dum ait, *Iudęi ergo (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus ille dies Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, &c.* cui consonat Marcus cap. 15. V. 42. dicens: *Cum iam sero esset factum (quia erat parasceue, quod est ante Sabbatum) venit Ioseph ab Arimathæa; &c.* Cur autem S. Ioannes diem, quæ erat parasceue Sabbati, vocauerit etiam parasceue Paschæ, varias adducunt rationes sacri interpretes, vel quia erat Sabbati incidentis in vnum diem Paschalem, seu azymorum; vel quia erat ipsemet

met vnus dies Pascalis, seu aliquis ex septem diebus azymorum. Neque hanc interpretationem, aut similem necessario adhibendam, ne Euangelistas sibi contradicere cogamur asserere, destruit quod apostata Spalatensis lib. 5. de Repulica Ecclesiastica capit. 6. num. 265. ait illam esse violentam, & similem isti, qua quis vigiliam festi Sancti Ioannis Baptistæ incidentem infra octauam festi Corporis Christi, vocaret vigiliam illius, cum vera esset vigilia Sancti Ioannis Baptistæ; dispar enim est vtriusque ratio; nam habere vigiliam cum sit pluribus festis commune, ex isto, quem exemplificat Spalatensis, loquendi modo non satis intelligeretur, cuius festi esset ista vigilia; At quia soli Sabbato conueniebat in lege veteri habere parasceuen, vt diximus supra, inde est, quod Diuus Ioãnes nomine parasceue Paschæ rectè significare potuit parasceue Sabbati incidentis in vnum diem Paschalem seu azymorum, vel etiam, quia erat vnus aliquis ex septem diebus azymorum, aut parasceue Sabbati incidens in vnũ è Paschæ diebus; remque ita de facto se habuisse, quicquid sit de nomine, iam clarè ostendimus.

Obijcitur quartò, si Christus non 13. Sed 14. luna comedisset agnum Pascalem, Eucharistiamque instituisset, sequeretur eum fuisse cruci affixum in die festo, scilicet primo die azymorum, qui erat solemnissimus; at hoc falsum esse plura demonstrare videntur, *primum*, quod Iudæi Matth. 26. cogitantes de interficiendo Christo dicunt, *non in die festo* &c. *Secundum*, quod cum de hoc festo tale extet præceptum Exodi 12. *Nihil operis facietis in eo, exceptis ijs, quę ad vescendum pertinent*, referunt tamen Euangelistæ Iosephum, eo, quo Christus mortuus est die, mercatum esse syndonem, Simonemque Cyrenæum iter fecisse Hierosolymam, quæ sunt opera eruilia, non igitur fuit dies festus *tertium*, quod si Christus mortuus fuisset in die festo luna 15. eius resurrectio necessario cecidisset in lunam 17. & proindè aliquando contingeret, vt Ecclesia eo die celebraret festum Paschæ, quo Christus iacuit in sepulchro, idque toties, quoties Iudaicum Pascha caderet in diem Sabbati, nam sequenti die, qui est Dominicus, celebramus nostrum Pascha, scilicet 16. die primi mensis, quia Ecclesia celebrat suum Pascha die Dominica proximè sequenti lunã 14. Hoc autem absurdum esse colligi videtur ex eo, quod non alia de causa primitiua Ecclesia tãtopere abominata est Quartodecimanos, nisi quia Christi Domini resurrectio contigit decima septima die.

Respondetur ad hoc argumentum libenter concedendo Maiorem, Christum scilicet fuisse cruci affixum in die festo, & negando Minorem; ad cuius primam probationem dicitur, Iudæos quidem cogitantes de interficiendo Christo, strepituque, & iudicio forensi ad id requisito, dixisse *non in die festo*, non tamẽ propter illius solemnitatem, quasi in eo iudicium exercere crederẽt esse opus illicitum, verùm *ne tumultus fieret in populo*, vt expresè notant Euangelistæ; contraria nihilominus præualuit opinio, videntes enim occasionem sibi oblatam à Iuda existimauerunt se obsequium præstituros Deo, si Christum interficerent; sicut Ioannis 7. non attenta celebritate festi Scenopegiæ voluerunt apprehendere Christum; & sequenti cap. 10. in die festo illum lapidare.

Ad secundam probationem de Syndone empta, & itinere facto, die quo mortuus est Christus, respondetur inde male colligi illum non fuisse festum; ista enim non fuere prohibita die festo. Primum quidem, quoniam non erat opus seruile, sed pietatis cum cederet in sepulturam Christi Domini; Tobias enim cap. 2. legitur sepelisse mortuos die festo; cautumque erat Deuteron. cap. 21. vt qui in patibulo esset appensus, eadem die sepeliretur; vndè ex consequenti permittebantur ea, quæ ad talem

talem sepulturam conducebant; sicuti erat emptio Syndonis, & aromatum, pro more, quem Iudæi in sepeliendis mortuis tenebant. Secundum item non fuit prohibitum fieri die festo, quia dici potest, villam è qua redibat præfatus Simon, parum ab vrbe distasse, tantùmque habuisse iter vnius Sabbati, id est, spatium quod in Sabbato licebat cuique peragere, cuius oppositum probare non possunt aduersarij, siquè probarent, certò aliunde constare, quod Christus in die festo, scilicet primo die azymorum cruci affixus mortem subierit, dicendum esset Simonem transgressum fuisse præceptum, si aliquod fuit, de non itinerando die festo.

Ad tertiam denique probationem respondetur, nihil esse absurdi, quod Ecclesia interdum eo die celebret festum Paschæ, quo Christus iacuit in sepulchro; non enim propterea celebramus præcisè nostrum Pascha, quia Christus die, illi determinatè correspondente, resurrexit: alias cum hic dies plerumque incidat in aliquam feriam hebdomadæ, & non semper in diem Dominicum, deberet festum Paschæ celebrari non die Dominico, sed quouis alio in quem incideret, sicut festum Natalis Domini; quod tamen est contra id, quod Sanctissimi Papæ, & Martyres Pius, & Victor, & post illos Patres Concilij Niceni definierunt, nos scilicet debere celebrare festum Paschę proximo die Dominico sequenti lunā decimam quartam, primi mensis, eo quod tali die, quicumque alius sit lunæ, Christus de facto resurrexit à mortuis; vndè quemadmodū Iudæi celebrabant semper suum Pascha luna 14. in quēcumque septimanæ diem incideret, ita & nos Christiani, quia Christus Dominus resurrexit primo Dominico die post Pascha Iudaicum seu proximè sequenti lunam 14. celebramus memoriam istius resurrectionis singulis annis primo simili Dominico die sequenti lunam 14. qua Iudęi celebrabant suum Pascha, in quemcumque diem lunæ incidat talis diēs Dominicus; nullo habito respectu, quod illo anno quo Christus Dominus mortuus est, id contigerit luna 15. & 16. non resurrexisset, sed eius corpus iaceret in sepulchro. Quamobrem cum Iudæi celebrarent suum Pascha, vt diximus, luna 14. & solemnitatem azymorum 15. quæ est aliquid distinctū à ceremonia Paschatis ex dictis etiam supra, si dies Dominicus proximè sequens Pascha Iudaicum incidat in 15. lunam, rectè tali die nostrum celebramus Pascha, vt docet Venerabilis Beda lib. 3. Hist. Ecclesiast. Angl. cap. 25. hacque posse interdum euenire ait lib. de rat. temp. cap. 58. imò & de facto contigisse propè tempora Concilij Niceni asserit Clauius in explicatione Kalend. Rom. cap. 18. Occasio siquidem decreti contra Quartodecimanos non fuit ipsa Christi Domini sepultura, sed tantum ne Pascha celebraremus cum Iudæis, & coleremus diem Dominicum, quo Christus Dominus resurrexit à mortuis.

En quomodo ex diuinis scripturis ritè intellectis, & inter se combinatis habetur, quod Christus præuiè ad institutionem Eucharistiæ, cænam legalem celebrauit, id est, Pascha Iudaicū anno illo quo mortuus est, nec diem à lege præscriptum præuenerit, *sed luna* 14. id præstiterit, atque adeo non in fermentato, sed in azymo, qualem tunc lex Mosaica panem requirebat, confecisse Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum. At quia apud Iudæos dies ceremonialis claudebatur duabus vesperis, vna priori, altera posteriori, indeque dubium natum fuerit inter ipsos doctores Latinos, an quando dicimus Iudęos manducasse agnum Paschalem, & Christum post eius vsum instituisse Eucharistiam luna 14. ad vesperam, id intelligatur de priori vespera luna 14. quæ terminaret diem, seu lunam 13. & inchoaret lunam 14. an verò de posteriori vespera, quæ terminaret diē siue lunam 14. & inchoaret diem seu lunam 15. aliquibus recentioribus existiman-

stimantibus id esse intelligendum de priori vespera inchoante Lunam, seu diem 14. nos cum sententia magis communi asserimus comestionem agni Paschalis, & institutionem Eucharistiæ contigisse posteriori vespera Lunæ 14. primi mensis; tum quia in eadẽ significatione debet in isto præcepto Exod. 12. accipi hæc particula, ad vesperam, qua communiter vsurpatur in alijs scripturæ locis; communiter autem in illis sumitur non pro initio diei, sed pro eius fine, & termino, Genes. 20. *Redeunte ad vesperam Iacob de agro*, Exo. 18. *de mane vsque ad vesperam*, Leuit. 11. *erat immundus vsque ad vesperam*; & sic de cæteris: in isto igitur præcepto Exod. 12. debet quoque particula, ad vesperam, accipi pro fine, & termino istius diei, de qua ibi est sermo. Tum maximè, quia eadem vespera Lunæ 14 Christus Dominus, & Iudæi celebrarũt cœnam legalem, Christusque post illã instituit Eucharistiam, qua Hebræi in Aegypto primùm dictam cœnam celebrarunt iuxta diuinum præceptum; sed Iudæi illam primum celebrarunt in posteriori vespera Lunæ 14. siquidem Exod. 12. eadem nocte comedunt agnũ Paschalem, & egrediuntur ex Aegypto; egrediuntur autem ex illa nocte præcedente diem 15. artificialem primi mensis, vt patet ex eodem capite Exodi, & nox ista est posterior vespera Lunę 14. & prior 15. cum ab illa etiam incipiat vsus azymorum, vt ibidem constat; Christus ergo Dominus, & Iudæi celebrarunt cænam legalem in posteriori vespera Lunæ 14. & in eadem Christus Dominus instituit Sacramentum Eucharistiæ. De quo videri possunt Sacri Interpretes, ad præfata scripturæ loca, ex Theologis verò Suarez 3. part. tom. 2 quæst. 46. disp. 40. sect. 2. & 3. tom. 3. q. 73. disp. 41. sect. 1.

Tertiò superest, vt breuiter ostendamus, gratis admisso, quod Christus anticipasset eo anno suæ mortis tempus à lege præscriptum, cœnassetque 13. luna, vt Græci volunt, adhuc tamen certius esse, cum in azymo Eucharistiam confecisse, vt docet Diuus Thomas in 4. dist. 11. q. 2. art. 2. quæstiun. 3. Christus enim Dominus tunc celebrando illam cœnam agni, obseruasset singula, quæ in illa erant seruanda; siquidem Iudæi, quando alio tempore quam Luna 14. primi mensis comedebant agnũ Paschalem, tenebantur tunc & illum comedere cum panibus azymis, & abstinere à fermentato pane per septem sequentes dies, vt expresè constat ex lib. Numer. cap. 9. & lib. 2. Paralipomen cap. 3. Sicut ergo credendum est, quod Christus Dominus vsus esset lactucis agrestibus in illa cœna, ita etiam quod pane azymo iuxta pręscriptum legis. Si dicant primùm aduersarij Christum habuisse potestatem supra legem Mosaicam, eiusque proindè ceremonijs adstrictum non fuisse; Respondetur eũ, circa obseruationem illorum, quæ à lege pręscribebantur, tali nunquam de facto vsum esse potestate; nam hoc sensu ad Galat. 4. dicitur *factus sub lege*, & certè, si hac ratione, vt concedere debent aduersarij, esum agni Paschalis nõ omisit, dicendum quoque est, cæteras illum non omisisse ceremonias in hunc finem statutas. Si dicant secundo, in cœna quidem legali vsum esse Christũ pane azymo, cæterisque etiam ceremonijs, sed illa absoluta, statim redijsse ad panem fermentatum, qui nondum erat prohibitus; Respondetur primò, tam incertum esse hoc, quam est incertum consecrasse in vino albo, aut rubro; ergo sicut esset erroneum alterutrum ex illis vinis præscribere, propter factum Christi, ita & præscribere panem fermentatum, vt faciunt aduersarij. Secundò cum ex dictis Christus consecrarit in cœna vsuali, paulò post finitam legalem, verisimile satis est consecrasse in pane, & vino, quæ superfuerant ex cœna legali. Tertiò tandem, si ipsi dicunt, Christum anticipasse cęnam legalem, cur non etiam dicent ob eandem rationem anticipasse totam ceremoniam illorum dierum, in quibus post inchoa-

tum Pascha, & azyma, non licebat ad fermentatum redire? Igitur supposito, non tamen concesso, quod Christus eo, quo mortuus est anno, anticipauerit diẽ à lege præscriptũ pro comedendo agno Paschali, tunc tamen non est vsus pane fermentato, etiam inter consecrandum, sed tantum azymo.

Nunc, post diuini verbi, tam scripti, quam traditi authoritatem, quæ ostendimus ex facto Christi cõtra Græcos, panem azymum esse materiam conficiendæ Eucharistiæ sufficientem, idem probandum est ratione fundata in institutione Christi, qui, vt sufficienter per Ecclesiæ praxim, ac definitionem edocemur, voluit, quod panis confectus ex farina triticea naturali aqua subacta, & puro igne concoctus esset materia, saltem sufficiens huius Sacramenti; vndè cum huiusmodi panis, siue sit fermentatus, siue sit azymus, semper sit verus panis, de fermentato non est controuersia, de azymo autem innumera sunt Scripturæ loca, quibus absolutè & simpliciter dicitur panis; habeatque insuper proprium panis vsum, quia licet fermentati vsus sit frequentior, quã azymi, eo quod est delectabilior, & aptior, vtriusque tamen vsus, est propriè panis vsus, scilicet, vt cum alijs cibis tanquam illorum comes adhibeatur; differuntque solum accidentaliter, quatenus in fermentato massa per fermentum extollitur, & ab eo excluditur simplicitas, & puritas, quam habet panis azymus; dubitari non potest quin vterque panis sit materia conficiendæ Eucharistiæ sufficiens.

Nec obstat, quod dixerimus Christum Dominum de facto consecrasse tantum in azymo, dum instituit Eucharistiam, quasi inde sequeretur azymũ solum, non autem fermentatum panem posse esse materiam illius sufficientem. Respondetur enim duo debere distingui in hoc vtroque pane. Primum, illud in quo conueniunt substantialiter, & est ratio veri panis. Alterum, penes quod distinguuntur à se inuicem accidentaliter, & est esse fermentatum, & esse azymum, seu non fermentatum; Christus autem Dominus instituendo Eucharistiam, instituit illius materiam in ratione veri panis, & non in præcisa, & determinata ratione azymi; vnde cum ratio panis propriè dicti cõueniat etiam fermentato, inde fit, vt sit etiam sufficiens materia conficiendæ Eucharistiæ, licet Christus de facto in vltima Cœna consecrauerit tantum in azymo.

Ex quo intelligitur dici non posse, alterutrum panem esse simpliciter de necessitate Sacramenti in hac vel illa Ecclesia Græca aut Latina, preterquam enim huc vsque dicta æque probant de omni Ecclesia; erroneum est asserere Sacramenta habere alias essentias in vna parte Ecclesiæ, ac in alia; siue Christum Dominum aliam materiam pro Græcis, aliam pro Latinis instituisse in Sacramento Eucharistiæ; sicut etiã, quod aut consuetudo, aut præceptum Ecclesiæ possit immutare, aut essentialiter limitare materias Sacramentorũ.

Secunda Conclusio. Azymus panis nedum est materia sufficiens, sed etiam conuenientior Eucharistiæ consecrandæ, quam fermentatus: Ita omnes Latini contra Græcos. Cuius potissima ratio fundatur in eo quod *talis vsus sit* conformior facto Christi, qui, vt vidimus supra, consecrauit in azymo. Cui adhuc vsui non desunt insuper plures congruentiæ rationes. Prima veluti litteralis est, quia, vt ait Anselmus in epistola de fermentato, & azymo, panis azymus facilius, purius ac decẽtius cõficitur: item ex Diuo Thoma 3.p.q.74. art.4. ad 4. magis est immunis ab omni corruptione. Secunda sumitur ex significatione, tum quia per illum significatur puritas, & Sanctitas ipsiusmet corporis Christi 1. Corinth. 5, per fermentatum autem non tanta puritas, & simplicitas, imo carentia alicuius puritatis, & simplicitatis, vt Apostolus ait ad Galatas 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; tum etiam illa, quæ requiritur in accedentibus ad hoc Sacra-

cramentum. Et sic de alijs, de quibus videri possunt Innocentius III. lib.4.de mysterio Missæ cap.4.Diuus Anselmus epistola citata; Cardinalis Humbertus disputatione de azymo, & fermentato, quã Cardinalis Baronius refert ad calcem tomi 11. suorum Annalium, nec non Scholastici cum Magistro in 4.dist. 11.& Diuo Thoma 3. part. qu. 74.

Nonnullas interim soluemus Græcorum obiectiones contra præcedentẽ doctrinam. Prima est, quod legalia sunt per Christum abrogata; sed panes azymi sunt aliquid legale,nam Leuit.2. fermentum reijcitur à sacrificijs: Ergo panis azymus in ijs, quę spectant ad legem Euangelicam, inter quæ est maximè Sacramentum Eucharistiæ, aut non est materia eius sufficiens, aut saltem peræque conueniens, ac panis fermentatus.

Respondetur ad huius argumẽti maiorem ex dictis supra cap.6.legalia posse considerari duobus modis,primò formaliter, seu quatenus legalia, id est assumpta ad significandum aliquid futurum in noua lege; & hoc modo admittimus ea fuisse per Christum abrogata, & sic esse nobis in lege noua prohibita; secus autem si considerentur secundo modo, nimirum materialiter,seu secundum suam realem, & physicam entitatem, aut perfectionem. Quare ad Minorem dicitur, panem azymum à nobis conficientibus Sacramentũ Eucharistiæ, non asumi tanquam aliquid legale, sed quatenus est verus quidã panis propriè dictus, ob factum & exemplum Christi Domini primò consecrãtis Eucharistiam, nec non ob maiorem, quam habet cum illa analogiam, vt diximus. Alias etiam esset ceremonia Iudaica, consecrare in fermentato, quia interdum præcipiebatur Iudæis vti illo, & non azymo, vt constat Exod.7.& 23. Leuit. cap.7. item vti aqua in Baptismo, quia pariter Iudæi lauacris,varijsq; baptismatibus vtebantur. Qua ratione igitur Græci,pane fermentato vtentes, negant se tali eius vsu iudaizare, aut Iudaicam ceremoniam seruare, quia scilicet non faciunt more,& affectu Iudaico, neque ex veteris legis obligatione, sic etiam nec Latini vtendo azymo iudaizant, quia tantum exemplo Christi, & affectu erga illum hoc totum faciunt.

Secunda obiectio est, quia solus ille panis est vera,sufficiensque materia Sacramenti Eucharistiæ, qui propriè est vsualis; sed panis azymus non est panis vsualis, sed solus fermentatus, vt constat experientia; Ergo azymus panis, aut non est sufficiens materia Eucharistiæ, aut saltem non ęquè apta, ac panis fermentatus.

Respondetur ad hoc argumentum concedendo Maiorem, & negando Minorem, si procedit, vt debet de pane simpliciter, ac per se vsuali, non autem de pane solummodo per accidens non vsuali. Theologi enim communiter notant, aliquem panem dici vsualem duobus modis, vno per se, altero per accidens; & similiter non vsualem ijsdem duobus modis. Panis ille dicitur per se vsualis,qui conficitur ex farina verè, & propriè triticea, subigitur aqua naturali, & concoquitur naturali calore ignis; vsualis verò per accidens ille, quem homines, ob defectum panis ex farina verè triticea modo nunc descripto confecti, plerumque conficiunt ex alijs granis, quam tritici propriè dicti, & asumunt in cibum, & alimoniã corporis, occasione sterilitatis locorũ,paupertatis, vel caritatis annonæ, aut alterius similis circumstantiæ: & panis iste rectè etiam dicitur non vsualis per se, cum tantum per accidens, nimirũ occasione prædictorum incommodorum, asumatur in supplementum veri panis triticei: ille autem panis dicitur tantum per accidens non vsualis, qui cum in seipso, & ipsa sui confectione habeat omnes conditiones in pane verè, & per se vsuali superius requisitas, nihilominus occasione minoris delectationis, quam habet, v.g. defectu fermenti, aut salis in aliquibus regionibus, postponitur

nitur cōmuniter alteri carenti tali defectu, indeque maiorem delectabilitatem habenti; quemadmodū enim esse magis, & minus delectabile, habet se merè per accidens, ad rationem vini propriè dicti, vt patet ex eo quod inter vera vina dantur alia alijs suauiora: sic etiam maior, & minor delectabilitas habet se merè per accidens ad verum, & propriè dictum panem triticeum.

In responsione igitur ad obiectionē, asserimus panem azymum, esse panem simpliciter, ac per se vsualem, solumque posse dici per accidens non vsualē, quia ob minorem in eo, quam in fermentato repertam delectabilitatem, isti in esu communi solet postponi; vndè sicut vinum minus alio delectabile, semper est sufficiens, ac legitima materia Dominici calicis consecrandi, quia maior, & minor suauitas habet se tantum per accidens, ad formalem rationem vini verè vitiginei, & propriè dicti; sic etiam panis ille azymus, quo Latina Ecclesia vtitur, est sufficiens, atque legitima materia pro conficiendo corpore Christi Domini, quia minor illa suauitas, quæ in eo reperitur, semper relinquit in illo formalem rationem veri panis triticei, per se, & natura sua vsualis. Nec ea maior delectabilitas, quam habet panis fermentatus, facit, vt sit aptior, & conuenientior materia Eucharistiæ, quam azymus, etsi enim inde panis, vbi assumitur in cibum, & alimoniam corporis, possit dici illi aptior, & conuenientior, non tamen vbi assumitur pro materia spiritualis alimoniæ in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, ob rationes superius allatas.

Dici etiam potest Christum Dominum instituisse Eucharistiam absolutè in pane propriè, & per se vsuali, etiamsi illam confecerit in azymo, quatenus tempore eius institutionis, non erat alius, vt vidimus supra, panis vsualis Iudęis, quam azymus.

Tertiò obijcitur, si panis azymus nedum sufficiens, sed insuper conuenientior esset materia Eucharistiæ sequeretur, quod Sacerdos Græcus posset in eo non solum validè, sed etiam licitè consecrare; cuius tamen oppositum docent omnes ferè Doctores: Ergo &c.

Solutio huius obiectionis petit, vt vltimo loco explicemus, quinam possint, vel debeant, vti azymo, siue quod idem est, an, supposito, quod vterque panis fermentatus, & azymus, spectata præcisè Christi Domini institutione, sit materia sufficiens consecrando corpori Christi, par quoque sit conditio vtriusq; panis, respectu corporis Christi Domini consecrandi, ac est veri vini rubri, & albi, respectu calicis, seu sanguinis Christi Domini pariter consecrandi. Pro quo sit.

Tertia conclusio, tam Græcis, quam Latinis, licet Ecclesiæ suę consuetudinem obseruare. Hæc conclusio est communis, & certa inter Doctores, illamque docet Leo IX. in epist. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum cap. 29. vbi Latinorum consuetudinem defendens subdit, eam esse Romanæ Ecclesiæ moderationem, ac prudentiam, vt cum tam extra, quam intra illam multæ sint Græcorum Ecclesiæ, nullam à paterna *sua traditione*, proprioque ritu perturbet, sed potius eum seruare moneat, quod etiam nunc in Romana Ecclesia videmus obseruari. Vndè patet iure diuino neutrum horum esse pręceptum, quia solum Christi factum non sufficit ad inducendum præceptum: nam licet, exempli gratia consecrauerit in vino albo, aut hora noctis, non ideo præcepit nos ita consecrare. Non solùm autem ex alio testimonio scripto aut tradito, non potest huiusmodi pręceptum colligi, quin potius nullū tale esse, clarè arguit Ecclesiæ consuetudo, qua tam Gręcis, quàm Latinis semper licuit Ecclesiæ suę ritum sequi.

Quarta Conclusio. Sacerdos Græcus celebrans in Ecclesia Græca tenetur consecrare in fermentato, Latinus verò

rò Sacerdos celebrans in Ecclesia Latina tenetur consecrare in azymo. Ista conclusio habetur in Concilio Florentino sess. vlt. in decreto; vbi consecratio corporis Christi non permittitur cuilibet Sacerdoti indifferenter in pane fermentato, vel azymo, sed è contrario verbis expressis; *Vnusquisque Sacerdos iubetur illud conficere in azymo, vel fermentato, iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem*. Vndè sumitur ratio nostræ conclusionis; Vnusquisque in celebratione, & administratione Sacramentorum tenetur sequi honestum morem, & ritum Ecclesiæ, in qua illa administrat, siquidem quodlibet membrum tenetur se se conformare capiti corporis sui, præsertim si in hoc accedat lex, vel decretum Ecclesiæ Vniuersalis; sed ritus Ecclesiæ Græcæ habet, vt Græcus Sacerdos celebrans in sua Græca Ecclesia consecret tantum in fermentato, Latina verò, vt Latinus Sacerdos celebrans in Ecclesia Latina consecret solùm in azymo, & vtrumque ritum Ecclesia vniuersalis nedum approbauit, sed insuper iussit, vnumquemque Sacerdotem debere sequi in illo suæ Ecclesiæ, siue Orientalis, siue Occidentalis consuetudinem, cùm vnaquæque suam habeat honestatem, suasque rationes; adeò vt si Græci redirent ad vnitatem Ecclesiæ, non possent sine alio consensu totius Ecclesiæ talem consuetudinem abrogare, ob prædictum Concilij Florentini decretum: Ergo Græcus Sacerdos celebrans in Græca Ecclesia tenetur cõsecrare in fermentato, & Latinus celebrans in Latina consecrare in azymo; nullaque priuata persona, aut particularis Ecclesia potest in hoc dispensare, præfatamque legem vniuersalis Ecclesiæ abrogare, & immutare.

Per quod patet ad tertiam obiectionem superius allatam contra secundam conclusionem; quod enim possit, vel non possit Græcus Sacerdos consecrare in azymo, non fundatur in hoc, quod plures sint rationes honestatis, & maior congruentia in pane azymo, quam in fermentato; sed in ipsa praxi Ecclesiæ, quam quilibet tenetur sequi, accedente maximè circa talem praxim, vel obseruantiam decreto vniuersalis Ecclesiæ: Quemadmodum enim in moralibus plerumque contingit, vt maius bonum non sit in præcepto, minus verò sit; ita potest fieri in praxi Sacramentorum, vt materia minus conueniens sit in præcepto, magis verò conueniens minimè.

Si quis autem dicat non debuisse ab Ecclesia vniuersali approbari, minusque præcipi ritum Ecclesiæ Græcæ consecrandi in fermentato, ex eo quod ipsa sit schismatica; Respondetur eam in hoc precisè facto non esse schismaticam; aliud enim est improbare morẽ Ecclesiæ Latinæ, asserendo illum esse contra veritatem, & reuerentiam Sacramenti; aliud verò seruare suã propriam consuetudinem; siquidem illud prius pertinet ad schisma, & hæresim, ideoque tenentur omnino Græci illud vitare, vt in illo Ecclesia Latina eos pro hæreticis habet, & condemnat; hoc autem posterius, non pertinet ad schisma, sed ad quamdam consuetudinem honestam, accidentaliter duntaxat distinctam, ab ea quæ seruatur in Ecclesia Latina, quam ipsa proindè præcipere potuit, tenenturque Sacerdotes Græci obseruare vt patet ex dictis. Idque sub peccato mortali, obligatio enim rei alicuius faciendæ sub tali culpa, colligitur tam ex grauitate rei præceptæ, quã ex magnitudine pœnæ impositæ transgredientibus istud præceptum; sed consecratio Eucharistiæ, cum sit nobilissimum Ecclesiæ Sacramentum, est res grauis, magnique momenti: item priuatio officij, & beneficij in perpetuum, est Sacerdoti maxima pœna, propter mortale peccatum solummodo infligẽda, quam *capite finali de celebratione Missæ* legimus fuisse impositam Latino Sacerdoti, eò quod in fermentato confecerat: Igitur cum eadem sit ratio Greci Sa-

ci Sacerdotis cõsecrãtis in Ecclesia Greca, ac Latini in Latina, obligatio cõsecrãdi in fermentato Græci; sicut & in azymo respectu latini, est sub culpa mortali.

Quinta conclusio: Si Latinus Sacerdos tantum peregrinetur apud Grecos; Græcus apud Latinos, tunc quilibet eorum debet seruare ritum suæ Ecclesię in consecrando. Ista etiam conclusio est communis inter doctores, colligiturque tàm ex citata Leonis IX. epist. cap. 29. quam ex citato quoque decreto Concilij Florentini, vbi statuitur, *vnumquemque Sacerdotem debere consecrare iuxta ritum suæ Ecclesiæ*; at Latinus Sacerdos peregrinans est Latinæ Ecclesiæ, quia tunc respectu Græcorum est alienigena, quemadmodum & Grecus, peregrinans apud nos, est Ecclesiæ Grecę, vnusquisque ergo ipsorum tenetur seruare consuetudinem suæ Ecclesię, Latinus consecrando in azymo, Græcus in fermentato.

Cui non obstat, quod communiter docent Theologi peregrinum teneri, aut saltem posse obseruare leges loci, in quo, & per quem transit: Preterquã enim responderi potest pręfata decreta speciali iure derogasse communi isti obligationi, aut licentiæ, cum expressè dicant, vtrumque debere sequi consuetudinem suę Ecclesiæ: insuper additur has consuetudines, non tam esse consuetudines diuersorum locorum particularium, quam generales quosdam ritus vtriusque Ecclesię, quas quãdiu Latinus Sacerdos censetur esse mẽbrum Ecclesię Latinę, & Grecus Grecę, vt contingit, quando Latinus Sacerdos tantum peregrinatur apud Grecos, & Grecus apud Latinos, ibique habitant alicuius tantum negotij conficiendi gratia, ad suos reuersuri, tenentur omnino seruare.

Sexta Conclusio, si latinus Sacerdos commoretur apud Grecos non vt peregrinus, sed vt incola, neque ibi habeat propriam Ecclesiam Latinorum, tunc debet consecrare in fermentato, Grecus autem in azymo, si pariter commoretur apud Latinos, vt incola, neque habeat propriam Græcam Ecclesiam. In hac etiam conclusione conueniunt Theologi, cuius prima pars probatur ex præfatis decretis statuentibus, vnumquemque teneri sequi ritum suæ Ecclesiæ, sed tunc propria Ecclesia Sacerdotis latini est Græca, item propria Ecclesia Græci est Latina, nam eo ipso quo habent ibi fixum domicilium, cum animo permanendi, fiunt partes istius Ecclesiæ, sicut in republica ciuili quicumque extraneus fit illius pars; Tunc igitur Latinus Sacerdos tenetur consecrare in fermentato, & Græcus in azymo.

Altera conclusionis pars probatur, tùm ex eo quod Leo IX. citata epistola conqueratur, quod Græci non permitterent, Latinos in suis Monasteriis, & in Ecclesijs, quas habebant in terris Græcorum, consecrare in azymo; tum experientia ipsa, qua Romæ Græci in suis Ecclesijs consecrant in fermentato, & Latini Constantinopoli in azymo; tum denique ratione, quatenus istę Ecclesiæ, vel Monasteria eo ipso quo omniũ consensu obtinentur à Latinis, & Græcis respectiuè, reseruanturque illis solis, censentur induere rationem, & cõditionem terræ, & regionis Latinæ Ecclesiæ, vel Græcæ: Igitur sicut oportet Latinum sacerdotem apud latinos commorantẽ consecrare in azymo, & Græcum apud Græcos in fermentato; ita etiam & Latinum apud Græcos manentem consecrare in solo azymo, in Ecclesiis, & Monasterijs proprijs Latinorum, & similiter Græcum Sacerdotem in eodem casu consecrare in fermentato.

Cum satis pateat ex dictis, præceptũ de facienda consecratione in azymo esse tantum iuris Ecclesiastici, si quis inquirat, vtrum Latinus Sacerdos possit licitè, seu absque peccato consecrare in fermentato, vbi & quando aliquis casus necessitatis occurrit, v. g. celebrandi Missam in die Paschæ, ministrandi viaticum morienti: Respondent communiter Doctores, in nullo casu posse, quod etiam esse dicendum asserunt de Sacer-

Sacerdote Græco consecrante in Ecclesia Græca respectu azymi; de quo, nec non de tota hac controuersia videri possunt cũ Diuo Thoma 3. parte q. 74.

CAPVT XX.

Statuitur contra Armenos, vinum aqua mixtum esse legitimam calicis Dominici consecrandi materiam.

CVm Aquarij hæretici, & Ebionitæ apud SS. Epiphanium hæresi 30. & Augustinum hæresi 64. longe ante docuissent, non in vino, sed in aqua pura calicem Christi Domini esse consecrandum, postea Armeni, vt constat ex sexta Synodo Constantinopolitana in Trullo habita can. 32. & Nicephoro lib. 12. Histor. Eccles. cap. 58. affirmare per oppositum cæperunt, nihil aquæ esse apponendum calici, sed eum consecrari debere in puro, & solo vino. Vnde in Conciliabulo Monaschiertensi paucorum Episcoporum hæreticorum ante annos fere mille præcipitanter celebrato à Ioanne Osniensi Patriarcha, in gratiam Homaris Sarracenorum Ducis, vt Armenam Ecclesiam à Catholica separaret, primùm in eam introductus fuit mos non amplius miscendi aquam vino Sacri Calicis. Et quamuis in duobus vltimis ipsorum Concilijs, Sisensi, & Adanensi, in hunc præcipuè finem canonicè, ac generaliter congregatis; præcepta expresè fuerit vini, & aquæ mixtio ad sacri calicis consecrationem; nihilominus Vartanus lib. de monit. cap. 4. Stephanus Siuniensis lib. 2. contra Diaphysitas cap. vlt. Gregorius Datiuiensis in lib. interrogat. tract. de Sacrament. cap. de Eucharistia, alijque plures Armeniorum Pseudomagistri præfato potius conciliabulo adhærentes, ritum ab eo præfixum sequendum esse docuerunt.

Quia autem aquam vino misceri debere, potest intelligi dupliciter, primò necessitate Sacramenti, secundò necessitate præcepti, vel diuini, vel Ecclesiastici, notandum est primò præsentem controuersiam non procedere priori modo; & si enim aliqui apud Sanctum Bernardum epist. 69. ad Guidonem putauerint istam mixtionem aquæ esse de essentia calicis Dominici consecrandi, communis tamen Theologorum sententia est omnino opposita. Secundò, cum nõ minori consensu doceant prædictam admixtionem aquæ non esse præceptam iure diuino, siue quod idem est, non esse necessariam necessitate præcepti diuini, de hac quoque inter nos, & aduersarios non est quæstio, sed tantum de necessitate præcepti Ecclesiastici; ipsis enim id negantibus, Catholici omnes constanter affirmant, necessitate præcepti Ecclesiæ debere misceri aquã vino consecrando, atque adeo vinum aqua mixtum esse legitimam sacri calicis consecrandi materiam.

Prima huius veritatis declaratio habetur in epist. 1. Alexandri Papæ I. *Non debet*, inquit, *vt à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum &c.* idem prorsus docent Anicetus apud Burchardum lib. 5. cap. 29. & apud Iuonem part. 2. cap. 32. Iulius de Consecratione dist. 2. Innocentius III. lib. 2. myst. Missæ cap. 58. Honorius III. C. *pernitiosus* de celebratione missæ.

Ex Concilijs autẽ Generalibus, Cõstantinopolitanum Trullanum, Quinisextum dictũ, Armenios de hoc errore non admiscendi aquam vino in Sacrificio Missæ, qui recens in eos irrepserat, reprehendens ait Can. 32. *Quoniam ad nostrã cognitionem peruenit, quod in Armenorum regione vinum tantùm in Sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum sacrificium peragunt, &c.* Si quis ergò Episcopus, vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, nec aquam vino miscens sic immaculatum offert sacrificium, deponatur, vt imperfectè, ac simpliciter mysterium annuncians, & quæ tradita sunt innouans.

Concilium Florentinum sess. vlt. in doctrina de Sacramentis, ijsdem præcipit Armenis, vt deinceps in calice sacro vinum aqua temperent, quia omnes Ecclesiæ Latinorum, & Græcorum ita semper fecerunt; & addit: *Aqua ideo admiscetur vino; quoniam iuxta testimonia Sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto instituisse hoc Sacramentũ; deinde, quia hoc conuenit Dominicæ Passionis repræsentationi*. Concilium denique Tridentinum sess.22. cap. 7. *monet præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo misceant; tum quod Christum Dominum ita fecisse, credatur, tum etiam, quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit; quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi B. Ioannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo vnio repræsentatur*.

Plura etiam sunt Concilia particularia, vbi eadem veritas habetur, Carthaginense III. cap. 24. Aurelianense IV. cap.4. Antisiodorense cap. 8. Bracarense III. cap. 1. VVormatiense cap.4. Triburiense cap. 19. citans epistolam Alexandri successoris Euaristi, tùm Sisense, & Adanense, potissimum aduersus Armenos vrgenda, cum ad rem hanc excutiendam generaliter fuerint congregata, & post accuratam sacrorum librorum inspectionem, ac disputationem cum aduersariis habitas, in quibus singulę eorum nugæ doctissimè fuerunt refutatæ, decretum tandem fuit sub grauissimis censurarum pœnis, vt ritus ille offerendi purum vinum in sacrificio ab Armenis Ecclesiis penitus tolleretur. Adeò vt mirum sit, quomodo idem abusus, à tot tantisque Armenis Patribus synodicè reiectus, in Armena ipsa Ecclesia hactenus perseueret.

Quamuis autem nullus sit scripturæ locus, in quo expressè habeatur, quod Christus vinum aqua dilutum in vltima cæna consecrauit, id tamen satis colligi videtur ex eo, quod Euangelistę, ac Diuus Paulus hanc rem commemorantes dicunt, fuisse à Christo acceptũ, & Apostolis propinatum, non purum vinum, sed calicem, id est poculum, in quo vinum aqua temperatum fuisse verisimile est; tùm, quia erat hoc maximè solitum in ea calidissima regione, vbi fortissima vina crescunt, debebatque proindè infusa aqua vis illorum nonnihil infringi; tùm etiam, quia non videtur credibile, in frugali Domini mẽsa, contra hunc morem, vinum fuisse adhibitum, quod aqua temperatum non esset.

Cæterum pro hoc ritu, quodque Ecclesia iure merito illum præcipere potuerit, habemus ipsummet Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis vsum, tùm Sanctorum, ac veterum vtriusque Patrum irrefragabile testimonium, qui hanc calicis mixtionem ab Apostolis, eorumque discipulis acceptam fuisse, vnanimiter contestantur. Ex Græcis Iustinus Martyr in apologia 2. ad Antoninum Pium, Irenæus lib. 4. cap. 57. & lib.5. cap. 2. Basilius in sua Liturgia, Chrysostomus ibidem, vndè quod ait homil. 83. in Mattheum, *Christum Dominum post resurrectionem, bibisse vinũ, & non aquam, vt improbam hæresim extirparet, & doceret in vino esse consecrandum*, quodque potissimum fuit aduersariorum fundamentum, vt habetur loco superius citato Sexti Concilii Constantinopolitani, nihil prorsus fauet eorum errori, cum idem Concilium expressè dicat mentem, & sensum Sancti Chrysostomi tantùm fuisse, quod consecratio Dominici calicis non sit faciẽda in sola, & pura aqua, ibi enim disputat contra hæresim aquariorum, qui id asserebant, eam autem in consecratione calicis vino esse apponendam probet ex doctrina, quam ipsemet S. Chrysostomus tradidit Ecclesiæ Constantinopolitanæ in citata Liturgia, *quando*, inquit, *& suæ Ecclesiæ, vbi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi sacrificium oportet*. Philo Carpathius in cantica, ad illud, *Potabo te in*

vino

vino aromatico, & illud aliud, *Vmbilicus tuus crater tornatilis*: Proclus Constantinopolitanus de ordinatione diuinæ Liturgiæ. Theodoretus dialogo 1. Germanus Constantinopolitanus in Theoria. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide Orthodox. cap. 14. Samonas Gazensis de Corpore, & sanguine Christi. Theophilactus in cap. 19. Ioannis, *Confundantur*, inquit, *Armenij, qui non admiscent in mysterijs aquam vino*. Nicolaus Methonensis ad eos, qui hæsitant de corpore, & sanguine Christi. Theodorus Balsamon in Synodi Carthaginēsis canonem 40. aliique deinceps Doctores Græci, quos notandum est vocare calicem consecrandum crama, quod teste Plutarcho lib. de sanitate tuenda significat vinum aqua mixtum, seu potum vini aqua mixti.

Patribus Græcis suffragantur Latini, Cyprianus lib. 2. epist. 3. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & 5. & lib. 5. cap. 1. Hieronymus in cap. 4. Marci. Augustinus lib. 4. de doctr. Christ. cap. 21. & tract. 120. in Ioannem, Eucherius Lugdunensis homil. 5. de Pascha. Gennadius Massiliensis lib. de dogmat. Ecclesiast. cap. 75. Beda ad cap. 14. Marci. Haymonius in Passionem Domini secūdum Marcum; Christianus Druthmarus ad cap. 26. Matth. Rabanus Maurus lib. 1. de institut. Clericorum c. 31. Paschasius Rathertus de corpore, & sāguine Domini cap. 11. Anselmus ad cap. 9. epist. ad Hebræos, cæterique deinceps.

In omnibus denique Liturgijs, Diui Petri, D. Iacobi, D. Marci, D. Clementis, Diui Basilij, D. Ambrosij, D. Ioannis Chrysostomi, Aethiopum, expressa fit mentio, huius moris aquam in sancto calice miscendi vino, quod in missa consecrandum est; nec non in omnibus authoribus, qui de diuinis officiis, ac sacrificio missæ scripsere, Isidoro Hispalensi lib. 1. de Eccles. offic. cap. 18. Alcuino cap. 39. VValafrido Strabone cap. 16. Amalario Treuirensi lib. 3. cap. 19. Remigio Antisiodorensi cōmentario de actione Missę. Ioanne Micrologo de Eccles. obseruat. cap. 10. Ruperto Tuitiensi lib. 2. de diuinis offic. cap. 21. Ioanne Beletho de diuinis officiis cap. 41. Quilelmo Durando lib. 4. rationalis diuin. offic. cap. 30. & aliis deinceps.

Ex quibus omnibus clarè apparet, quam fabulosè, & mendaciter Siuniēsis, & Dattiuiensis superius citati, asseruerint, Apostolos, veteresque post eos Patres oppositum tradidisse, vsque ad Chalcedonensis Concilii tempora; siquidem omnes, iam à nobis adducti Patres, qui primis quinque floruerunt sæculis, siue ad annum Christi 451. quo Chalcedonense Concilium celebratum est contra Eutichetem, & Dioscorum, expressis verbis præfatam sacram mixtionem fieri debere, atque ab ipso Saluatore factam fuisse, tradunt summo consensu, vt videri potest locis à nobis citatis.

Rationes autem, seu congruentiæ, cur in consecratione calicis aqua debeat vino admisceri, plures sunt; 1. ad significandam vnionem humanitatis cum diuinitate in Christo Domino. 2. ad denotandam gratiam, quæ confertur per hoc Sacramentum, in quo ipse fons vitæ existit: nam passim in sacris litteris aqua significat gratiam. 3. ad repræsentandum cruentum sacrificium Crucis, cuius commemoratiuum est sacrificium Missæ, siquidem ex latere Christi Domini pendentis in Cruce fluit non tantum sanguis, sed & aqua, Ioannis 19. quam fuisse veram, & naturalem aquam docet Innocentius II. Extra. de celebratione Missarum cap. *in quadam*. 4. ad significandam vnionē Christi Domini cum populo Christiano, quæ per hoc Sacramentum efficitur. Et sic de aliis mysticis significationibus, de quibus videri possunt superius citati Patres, & Doctores, per istam admixtionem repræsentatis, ob quas maximè fieri debet, non autem solùm, vel ob gentis consuetudinem, vel ob sobrietatem, licet istæ duæ ratione-

tiones sint sufficientes, vt verisimiliter credamus Christum Dominum de facto in consecratione sanguinis sui, inter cœnandum, vsum fuisse vino aqua temperato, vt notauimus supra.

Per quod patet ad obiectionem hæreticorum nostri temporis, propterea docentium admixtionem aquę esse tãtum ceremoniam quamdam indifferẽtem, nec præcipi debere, quia non habet rationem materiæ propriè dictæ pro confectione Eucharistiæ; *Improbamus*, inquit Musculus in locis communibus *cap. de cæna Domini, vsum illum, quo aqua vino in calice admiscetur à Papistis, idque non libera obseruatione, quod ferri posset, sed vsque adeo necessariu, vt eos damnent, qui solo vino absque aqua vtuntur, &c. Non dubito in Orientalibus regionibus, vbi fortissima vina crescunt, catholicum fuisse morem infusa aqua vim vini nonnihil infringere. Ex eo tamen non debebant ponere legem Ecclesiis, & vsum vulgarem mysticis expositionibus palliare, & damnare eos, qui sine aqua mixtione communicant.*

Respondetur enim, hæc duo valdè distingui, non esse de essentia rei alicuius in ordine ad humanos, & morales actus, & esse indifferens; nam in rebus eiusmodi dantur multæ circumstantiæ, quę non spectant propriè ad earum essentiam, aut substantiam, & tamen sunt in aliquo pręcepto, siue quod idem est, non sunt indifferentes, aut ad liberam obseruationem pertinentes, eo quod vel Rex, vel Respublica illas iusserit, ob graues aliquas rationes, vt videre est in contractibus, & aliis rebus similibus. Pari modo licet admixtio aquæ non sit de substantia materię calicis consecrandi, nihilominus supposito semel Ecclesiæ præcepto, & vsu, quo potuit, & voluit illam sacerdotibus consecrantibus præcipere, ad exemplum Christi Domini, & propter significationes supra explicatas, non est amplius ceremonia quædam indifferens, sed necessario obseruanda; ita vt sine illa sit quidem valida, sed omnino illicita consecratio calicis. Vnde quod iidem hæretici dicunt Armenos consecrasse in puro vino, vsque ad Concilium Florentinum, nec propterea fuisse reprehensos tanquam de re illicita, falsum est; nam vt vidimus supra Concilium Constantinopolitanum VI. longè ante Florentinum, celebratum, quamprimum sciuit hunc eorum errorem, subito eosdẽ grauiter arguit, iussitque eorum sacerdotes consecrare in vino aqua mixto, sub pæna depositionis; quod autem hoc non obstante, nec etiam Concilio Florentino, vbi idem iussum fuit, cuique subscripserunt, & promiserunt se in omnibus, & singulis fideliter obtẽperaturos, denuò consecrauerint, & adhuc consecrent in puro vino, non magis fauet hæreticis, quam quod Græci post Concilium Florentinum cui subscripserunt pro processione Spiritu sãcti à Patre, & Filio, nunc post iteratum schisma, velint Spiritum sanctum à solo Patre procedere, quod tamen nec Lutherani, nec Caluinistæ admittent esse orthodoxum.

Superest vt breuiter explicemus, qua certitudine tenendum sit, admiscendã esse aquam vino consecrando, cum enim tàm Eugenius IV. in citato decreto, quàm Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. dicant, *Christum Dominum credi miscuisse aquam vino in calice offerendo*, & Eugenius addat, *id esse iuxta testimonia Sanctorum Patrum*, quorum consensus, & traditio, vt alias diximus, arguit rem aliquam esse de fide, ad eamdem quoque pertinere videtur, ad exemplum Christi Domini, miscendam esse aquam vino in calice consecrando, ita vt qui id negauerit censeatur verè hæreticus, vt affirmat Vasques 3. p. quæst. 74. disput. 179. num. 8.

Melior tamen videtur esse sententia opposita, etsi enim post præfata Concilia, vbi res diligenter examinata fuit, ac discussa, non potest negari sine nota grauissima temeritatis, quod Chri-

stus

ſtus Dominus conſecrando calicem ei admiſcuerit aquam, nihilominus, ſi agatur de rigore Theologico, non eſt propriè de fide, vt apertè docet Sãctus Thomas 3. part. quæſt. 74. art. 6. in corpore, vbi ait, *id probabiliter credi*; Illud enim ſolum eſt de fide, quod habetur à Deo reuelatum vel expreſsè in ſacris litteris, vel ex traditione Patrũ, & conſenſu, non quomodocumque cõſiderato, ſed vt in rem de fide, indeque ab Eccleſia vt tale definitum fuit: ſed nullibi reperitur expreſsè in ſacris litteris Chriſtum Dominum feciſſe hanc mixtionem, nec Patres in illam, vt in rem de fide, quod appareat ex modo loquendi ipſorum, conſentiunt, vel vt talis ab Eccleſia in prædictis Concilijs definita, imo ex modo quo iſta particula, *creditur*, applicatur ibi rationi, quam reddunt inſtitutionis talis præcepti, videtur potiùs ſignificari pura fides, & credulitas Eccleſiaſtica, quæ in gradu certitudinis eſt inferior fide Catholica; nec enim vllatenus contemnunt ſententiam contrariam, vt hæreticam: Propriè igitur ad fidem Catholicam non pertinet, quod Chriſtus Dominus admiſcuerit aquam vino in calice conſecrando: per quod patet ad fundamentum oppoſitę ſententiæ.

Vndè colligitur, primo Armenos nõ eſſe præcisè hæreticos ex eo, quod id negent, nec ſecundò ex eo, quod exiſtiment, vinum purum, ſine vlla aquæ mixtione, eſſe ſufficientem calicis conſecrandi materiam, vt enim diximus, & ſupponimus tanquam certum, mixtio aquæ non eſt de eſſentia Sacramẽti pro calice conſecrando, ſed ſolum vinum, etiam admiſſo quod Chriſtus illi aquam admiſcuiſſet, nam ex dictis ſuperiori capite, pro conſecratione Corporis Chriſti in pane azymo, Chriſtus Dominus non præcepit omnes, & ſingulas actiones, vel ceremonias, quibus eſt vſus in inſtitutione, & prima conſecratione huius Sacramenti, aut eos ad illius eſſentiam pertinere voluit, niſi aliunde id nobis certò conſtet, quod in præſenti caſu non ita ſe habere diximus. Poſſunt tamen eſſe hæretici, primò ſi dicant, vinum aqua temperatũ, ita tamen vt per exceſſum illius ſupra quantitatem vini ſpecies eius nõ ſoluatur, non eſſe ſufficientem materiã conſecrandi calicis; ſecundò ſi dicant, Eccleſiam non habere authoritatem, inſtituendi aliqua ad maiorem Sacramentorum ſolemnitatem pertinentia, qualis eſt ceremonia admiſcendi vino conſecrãdo paululum aquæ, cum enim materia calicis conſecrandi poſſit duobus modis ſpectari; primò, tantùm in ordine ad conſtituendum formaliter Sacramentum, & ad hoc, vt accidentia habeant ſub ſe, per prolationem formæ conſecratoriæ, ipſum ſanguinem Chriſti Domini; ſecundò in ordine ad repræſentationem, & ſignificationem myſticam, quam ſupra docuimus ex Concilijs, & Patribus denotari per hãc admixtionem; licet primum ſuperet Eccleſiæ authoritatem fundeturque in inſtitutione diuina, qua ſolum vinum eſt de ſubſtantia materiæ calicis Dominici conſecrandi; ſecus autem ſecundũ, præſertim cum hæc admixtio aquæ, vt inter præparandam materiam calicis conſecrandi facta, non ſolũ per Chriſtum non fuerit excluſa, ſed ab ipſomet potius vſurpata, vt dictum fuit, quando Auguſtiſſimum Euchariſtię Sacramentum in vltima cæna inſtituit.

Cœterum ſi Armeni neutrũ ex iſtis negent, ſed tantum aſſerant conſecrationem Dominici calicis eſſe faciendã in ſolo vino abſque vlla vel modica aquæ admixtione, quia credunt Chriſtum ea vſum non fuiſſe, ideoque non teneri in hoc obedire Eccleſiæ, non tam hæretici, quàm Schiſmatici, & inobedientes ſunt æſtimandi, eorumq; pænis obnoxij.

Quale autem ſit peccatum omiſſio huius mixtionis; Theologi communiter docent eſſe mortale, colliguntque tùm ex eo, quod ſit contra vniuerſalem conſuetudinem totius Eccleſiæ, vt patet tam ex citato canone Trullano,

quam

quàm ex citato decreto Eugenij, in re graui, vt pote ad Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, totalemque, & completam eius significationem pertinente; tum etiam ex pœna, relato canone Trullano imposita, quod Sacerdos in puro consecrans vino debeat deponi; nec non capite finali de celebratione Missarum, cum enim sit grauissima, indicat quoque culpam hanc esse mortalem. Per accidens tamen posse esse venialem communiter asserunt iidem Theologi, exempli gratia, quando fit per obliuionem, ignorantiã, vel negligentiam excusantem à peccato mortali, vt accidit in aliis materiis. Tantùm sufficiat pro præsenti controuersia, de qua videri potest Diuus Thomas cũ Interpretibus suis 3. par. quæst. 74. quæ autem ab illis disputantur de transitu aquæ admixtæ calici consecrando in sanguinem Christi Domini, quomodocumque explicentur, nihil stabilitæ huc vsque veritati officiunt, in fauorem aduersariorum.

CAPVT XXI.

Statuitur aduersus Iacobitas, dari verum Pænitentiæ Sacramentum, illudque non confici, nisi per confessionem pænitentis, & absolutionem Sacerdotis.

QVem habent errorem Iacobitæ, nonnullique alij Orientales, circa Sacramentum Pœnitentiæ, negantes illud esse verè, ac propriè dictum Sacramentum, aut saltem confici per exomologesim, hoc est, confessionem pænitentis, & absolutionem sacerdotis, quia est cõmunis omnibus ferè hæreticis Occidentis, ideo in sectione sequẽti commodius aduersus illos omnes hanc controuersiam agitabimus.

CAPVT XXII.

Ostenditur contra Armenos nullum dari peccatum tàm enorme, vel etiam tantam peccatorum multitudinem, quæ per pænitentiam, aut in ratione Sacramenti, aut in ratione virtutis sumptam, deleri non possit.

ETsi de Sacramento Pœnitentiæ Armenij rectè nunc sentiant, eoque vtantur non aliter, quam Catholica solet Ecclesia; nihilominus circa potissimum eius effectum, qui est remissio peccatorum mortalium, tribuitur hic error ipsis, quod putent aliqua esse tam enormia, vel etiam in tanta multitudine, vt per pænitentiam deleri non possint, vt refert Prateolus, viderique potest Armacanus lib. 9. de quæst. Armenorum cap. 27. de quo tamen nihil habet Clemens Galanus tom. 2. Conciliationis Ecclesiæ Armenæ cum Romana, sed tantùm aduertit quemdam Vartanum tam mira fraude, atque astutia doctrinam de pœnitentia disposuisse, vt nihil ad aliud spectare tandem videatur (quamuis de industria id apertè non efferat) nisi ad Exomologesim, sacramentalem scilicet confessionem, è medio suæ nationis tollendam.

Pro explicatione, & intelligentia huius controuersiæ, notandum est primò eam valdè distingui ab illa, quæ fuit olim inter Nouatianum Presbyterum Romanum, tempore Sanctorum Martyrum Cornelij Papæ, & Cypriani Carthaginẽsis Episcopi; Nouatianus enim, eiusque sectatores, licet eos, qui post susceptum baptisma inciderant in grauissima peccata, siue mortalia, exhortarentur ad pænitendum de suis peccatis, & ad Deum sibi conciliandum per lachrymas, & alia id genus opera; negabant tamen dari aliquod remedium in Ecclesia, quo Episcopi, & Sacerdotes possent iure, & potestate sibi per Christum tradita illos Deo reconciliare: cõtendebantque illis à Deo duntaxat veniam

niam suorum eiusmodi peccatorum esse expectandam; & propterea ad communionem non esse recipiendos, sicque nullam esse in Ecclesia potestatem ad remittendum illis peccatum. Ita habetur ex Socrate lib.4.hist. Ecclesiast.cap. 13. item ex Sancto Paciano epist. 1. ad Simpronianum Nouatianum, vbi postquam introduxit Nouatianum respondentem Deum solum remittere pœnitentibus sua peccata, ita instat, *Verum est, sed & quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est; nam quid est illud, quod Apostolis dicit, quæ ligaueritis in terris, ligata erunt & in cælis, cur hoc, si ligare hominibus, ac soluere non licebat?* Ex huiusmodi enim verbis clarè colligi videtur, Nouatianum admisisse remissionẽ quorumcumque peccatorum in pœnitentibus baptizatis, solùmque voluisse illam non posse fieri per sacerdotes aliqua potestate sibi à Deo ad hunc effectum concessa, atque adeo negasse absolutè Sacramentum Pœnitentiæ. Confirmaturque ex eo, quod illius sectatores postea hanc eius hæresim ita temperarunt, vt voluerint esse quidem aliquod remedium, quo Ecclesia per potestatem clauium possit remittere leuiora peccata, non tamen grauiora, & magis atrocia, vt intelligitur ex S. Ambrosio lib. 2. de pænitent. cap. 3. Nam si Nouatianus id etiam admisisset, non erat, cur eius sectatores præfata vsi fuissent distinctione, eamque S. Ambrosius reiecisset tanquam doctrinæ Nouatiani aduersam; cuius hæc sunt verba loco citato: *Sed aiunt se exceptis grauioribus criminibus relaxare veniam leuioribus; non hoc quidem author vestri erroris Nouatus, qui nemini pænitentiam dandam putauit, ea scilicet contemplatione, vt quod ipse soluere non posset, non ligaret, nè ligando, sperari à se faceret solutionem; in eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorũ facitis, quę soluenda à vobis esse putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini.*

At verò hæretici, cum quibus modo agimus, licet admittant nedum virtutem, sed & Sacramentum pænitentiæ, tanquam externum remedium per Deũ in Ecclesia institutum pro remittendis peccatis post baptismum commissis; negant tamen vtrique valorem inesse ad remissionem quorumdam peccatorum grauissimorum, quantumuis quis vno, vel altero modo perfectam eorum habeat pęnitentiam.

Vnde notandum est secundò, duobus modis intelligi posse, talia peccata non posse auferri per pœnitentiam. Primò, quia vera pœnitentia haberi non potest. Secundò quia licet habeatur, non sufficit ad tollenda illa peccata; pręsens cõtrouersia non primo procedit modo, sed secundò; Etsi enim communiter Theologi doceant in tractatu de gratia, semper posse haberi in hac vita pœnitentiam sufficientem ad remittenda peccata in quacumque grauitate, & multitudine, non defuerunt tamen aliqui, qui opinati sunt, nonnullos peccatores interdum peruenire in hac vita ad eum statum, & peccatorum cumulum, vt iam non valeant sufficientem pænitentiam agere, qua exeant ab statu peccati; cũ autem duo requirantur ad veram pænitentiam agendam, scilicet libertas arbitrij, & auxilium gratiæ, pręfati Doctores non asserunt, veram pœnitentiã haberi non posse à nonnullis peccatoribus, vel quod in hac vita amiserint libertatem sufficientem ad agendam pœnitentiam, propter grauitatem, aut multitudinem peccatorum; vel quod diuinę gratię virtus non insit, ad vincenda omnia peccata, & pænitentiam agendam, illis non obstantibus in quacumque grauitate, & multitudine; vtrumque enim est falsum, quia peccatum non tollit vsum rationis, nec facultatem voluntatis in se minuit, sed ad summum auget habitus prauos, & inordinatos affectus, quibus nihilominus potest voluntas dominari, vt cum Diuo Thoma docent omnes Theologi 12. quęst. 85. art. 1. & 2. nec non 3. p. qu. 86. art. 1. non deesse virtutem gratię, ad inducendam pænitentiam omnium quantumuis

atro-

atrocium peccatorum, esset enim contra Dei omnipotentiam, & contra excellentiam diuinæ gratiæ, hanc virtutẽ illi denegare, vt rectè Diuus Thomas aduertit, sed tantum volunt illam, quæ ad hunc effectum sufficit, gratiam interdum denegari aliquibus hominibus propter suorum peccatorum grauitatẽ, & multitudinem, loquunturque de gratia sufficiente non de efficaci, nam de hac posteriore, non est dubium, quin multis hominibus non detur.

Quo in sensu, cum possint vlterius duo alii distingui, vnus, vt respectu ipsarum culparum, & in pœnam earum, sit hæc lex à Deo generaliter statuta, vt quicumque tale peccatum commiserit, vel ad talem statum, & multitudinem peccatorum peruenerit, omnino priuetur auxilijs necessarijs ad pęnitentiam eorum agendam, etiam si multo tempore in hac vita maneat; Alter respectu personarum aliquarum; Deo ita se habente, vt eis deneget talia auxilia propter sua peccata, quamuis alijs habentibus similia, vel maiora, non deneget; nam *cuius vult miseretur, & quem vult indurat* Roman. 9. Dicti etiam Doctores non loquuntur in primo sensu, satis enim constat ex scriptura, & ex ipso vsu, Deus ex omnibus statibus conuertisse aliquando grauissimos peccatores ad pœnitentiam, & in omnibus ætatibus, & temporibus, vt intelligeremus nullum genus peccatorum hominum exclusum esse à misericordia Dei; sed tantùm in secundò, cuius oppositus licet sit probabilior, cum tamen non esse censura dignum existimant multi Doctores in materia de gratia; Quare, si, cum dicitur aliqua peccata atrocia non posse auferri per pænitentiam, quia vera pænitentia haberi non potest, hæc propositio reducitur ad hunc vltimum sensum, manifestè patet pręsentẽ controuersiam in eo cum aduersarijs nõ procedere, sed in altero, quod, licet vera habeatur pænitentia, non sufficit tamen ad tollenda quædam peccata grauissima, v. g. apostasiam à fide, aut negationem Christi in tormentis &c.

Tertiò notandum est, hoc quod dicitur, veram pænitentiam non sufficere ad tollenda dicta peccata, posse prouenire, vel ex ipsamet natura pænitentiæ, quæ, quantum vera, non habet virtutẽ illa delendi; vel ex voluntate Dei nolentis eam acceptare, ad hunc effectum, secundum legem ordinariam. In pręsenti controuersia præcipuum difficultatis punctum non est, an vera pænitentia, seclusa diuina voluntate, nec ne, habeat, vel non habeat ex sola perfectione, aut natura sua, virtutem delendi omnia prorsus peccata, etiam grauissima, hoc enim forsan problematicè disputari potest; verùm ad hoc tandem reducitur, an de facto Deus, secundum legem ordinariam, prout illam nobis reuelauit, voluerit, nec ne, veram hominum pænitentiam acceptare, ad aliquorum grauissimorum peccatorum remissionem; aduersarijs enim negatiuam partem tenentibus, nos tanquam de fide certũ asserimus, nullum dari peccatum tàm enorme, quod deleri, nõ voluerit Deus, per veram pænitentiam, aut in ratione Sacramenti, aut in ratione virtutis sumptam, nam eo ipso, quod actus contritionis, post institutionem Sacramenti Pęnitentiæ, illud includit in voto, iam omne peccatum, quod per pænitentiæ Sacramentum potest remitti, dicendũ est, auferri etiam posse, per contritionem includentem votum eiusdem Sacramenti, iuxta doctrinam Concilij Trident. sess. 14. c. 4.

Prima huius veritatis definitio habetur in Concilio Generali Niceno I. can. 8. Tum Lateranensi, sub Innocentio III. relato *cap. firmiter*; *Extra de Summa Trinitate, & Fide Catholica*; ibi enim Concilium distinguit duplicem statum hominis adulti, vnum ànte susceptionem baptismi, & ait, *Baptismum ritè ei collatum proficere ad salutem*, id est remittere omnia, & singula peccata mortalia, quæcumque illa sint; alterum post baptismi susceptionem, de quo sic statuit, *si post susceptionem Baptismi*, *quis-*

quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari; vbi diligenter notandæ sunt duæ illæ particulę, *in peccatum*, & *semper*, prior enim, cum ponatur indefinitè, & absolutè, idem significat, ac in *aliquod peccatum*, quodcumque, & qualecumq; illud sit; posterior verò, cum nullum excludat tempus vitæ humanæ, denotat, nullam quoque dari posse multitudinem peccatorum, quæ non possit deleri per veram pęnitentiam. Idem quoque docet Tridentinum sess. 6. cap. 14. & can. 29. sess. 14. cap. 1. & can. 1. Ex Concilijs autem Prouincialibus Arelatense II. cap. 9. Mileuitanum cap. 13. & Arausicanum c. 3.

At innumera sunt Scripturæ testimonia, quibus hæc Ecclesiæ fides, ac definitio innititur, cum ita agant de remissione peccatorum per veram pænitentiā accipienda, vt expresse dicant nullum dari peccatum, quod per illam non possit tolli; nullumque tempus humanę vitæ, quod excludat hominem à consequenda venia quorumcumque peccatorum, si ad Deum conuersus, serio de illis pœnitentiam egerit; Deuteronomij cap. 4. 29. *cumque quæsieris ibi Dominum, inuenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. Iudith. cap. 5. v. 19. *Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cęli virtutem resistendi*. Psalmo 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Sapientiæ 11. v. 24. *Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*, id est patienter expectas, donec pęnitentiam agāt, & sic veniam consequantur. Isaię cap. 55. v. 7. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum*. Ieremiæ cap. 18. v. 8. *Si pænitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei*. Ezechielis cap. ver. 21. *Si autem impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis*, &c. & vers. 30. *Conuertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Item cap. 33. vers. 12 *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua*. Ioelis cap. 2. v. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro* &c. *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*, quia eius misericordia est maior, quam quælibet hominum iniquitas. Zachariæ cap. 1. v. 3. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & ego conuertar ad vos*. Quibus lanè, alijsque similibus veteris testamenti locis, tàm clarè comprobata habetur veritas nostræ conclusionis, nec non ex eo, quod Deus passim tam in illo, quam tempore legis naturæ veris pænitentibus indulgentiam fecerit grauissimorum etiā delictorum, vt de ea non sit ambigendi locus.

Nec refert, quod prædictæ promissiones in testamento veteri contineantur; quia non sunt propriæ illius, cum non sint de bonis temporalibus, neque ad iudicialia, aut ceremonialia præcepta pertineant, sed ad moralem vitam, & internam sanctitatem. Vndè sicut ob hanc rationem, licet non prius fuerint scriptæ, prius nihilominus fuerunt factæ, & executioni mandatæ in illis, quibus tempore legis naturæ, remissa peccata fuere, ita quoque extendi debent ad peccata, in statu legis Euangelicæ commissa, post baptismi susceptionem.

Insuper lex Euangelica est longè suauior lege Mosaica, & vita æterna potest facilius obtineri in illa, quàm in ista; est enim lex Euangelica lex gratię, lex Mosaica verò lex seruitutis; Igitur si in lege veteri habuerunt locum prædictæ promissiones, fuitque aliquod remedium, quo, qui post receptam circumcisionem peccauerant, reconciliabantur Deo non tantùm semel, atque iterum, sed sæpe sæpius, & toties, quoties

ties, quantumque grauissimè peccauerant; multo magis asseri debet eas valere in lege noua, darique remedium, quo qui peccant post baptismum, etiam atrociter, reconcilientur Deo.

Demum, si in lege noua res non ita se haberet, vel esset, quia in adductis, aut alijs veteris testamenti locis haberetur aliqua particula, qua promissiones in illis contentæ restringi deberent ad solum tempus legis Mosaicæ; vel quia Deus noluisset in illa veram acceptare pænitentiam, ad aliquorum grauissimorum peccatorum post baptismum commissorum remissionem; sed primũ dici non potest, cum potius contineant verba generalissima, respectu quorumcumque temporum, & hominum; nec etiam secundum, quia vt mox patebit, ex adducendis noui testamenti locis, nullum in eo quantumuis magnum, & recidiuum peccatorem, verè postea pænitentem, à sua misericordia maiori, quam quęlibet hominum iniquitas, excludi voluit; ergo absque vllo fundamento restringitur ad solum tempus, vel homines legis Mosaicæ.

Primùm igitur plura sunt noui testamenti loca, quibus habetur generalis prædicatio pænitentię, tanquam necessariæ, & fructuosę ad remissionem peccatorum, absque vlla eorum, vel temporis distinctione, vndè satis conuinci posset error aduersariorum; verùm ex hoc, quod absolutè non negent pænitentiæ vtilitatem sed tantum respectu quorumdam atrocissimorum peccatorũ post baptismi susceptionem patratorũ, ea magis illos vrgent testimonia, quibus talia legimus peccata, esse remissione digna, quæ putant ipsi esse irremissibilia, vt negationem Petri, qui iã tunc erat baptizatus, peccatum grauissimæ fornicationis, ob quod 1. Corinth. 5. fidelem eius reum excommunicat Apostolus, vt eum ad pænitentiam trahat, & *Spiritus eius saluus fiat*: peccatũ hæreseos, vel resistentium veritati, dum idem Apostolus 2. Timothei 2. monet eum, vt illos corripiat, si fortè per pænitentiam resipiscant; peccatum simoniæ, habemus enim Actor. capit. 8. exhortationem Petri ad Simonem Magũ iam baptizatum, *vt pœnitentiam agat ab hac nequitia sua, & roget Deum, si fortè remittat illi* &c. vbi particula, *si fortè* nihil fauet aduersarijs, quia, vt rectè Sanctus Ambrosius notat lib. 2. de pœnitentia, & probat ex pluribus scripturę locis; imò & Homeri lib. 3. Iliad, hæc particula *fortè*, non est semper signum dubitationis; sed quemadmodum Sanctus Gregorius docet homil. 9. in Ezechielem, Deus plerumque illa, vel simili vtitur, vt innuat libertatem nostræ voluntatis, vel difficultatem rei, de qua tunc loquitur.

Alia autem noui Testamenti loca, pro veritate nostræ conclusionis, sunt illamet, quibus aduersarij nobiscum sẽtiunt fuisse à Christo Domino promissum, & institutum Pænitentiæ Sacramentum quo peccantes post baptismũ possent Deo reconciliari; Matt. 18. v. 18 *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erũt soluta & in cęlo.* & Ioannis 20. v. 23. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.* Prędicta enim verba cum sint generalissima, malè ab aduersarijs restringuntur ad remissionem peccatorum duntaxat leuiorum, exclusis ab ea aliquibus grauioribus, contra apertum scripturæ textum, & receptam in Ecclesia traditionem.

In huius enim veritatis probationem non solum Verbi diuini scripti, sed etiã traditi authoritatem habemus, Sanctissimi enim Ecclesię Patres, irrefragabiles eius testes, vnanimi semper assensu illam docuerunt, tanquam diuinitus reuelatam, nec non iuxta illam præfata Scripturæ loca esse intelligenda; Præcipui ex Græcis, sunt Athanasius orat. de peccato in Spiritum Sanctum ad c. 12. Matthæi: Basilius homil. 29. quæ est de pænitentia, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 2. Epiphanius hæresi 59.

Chry-

Chrysostomus homil.7. ad populum,& 23. in Matth. Ex Latinis Cyprianus serm. de ablutione pedum, & epist. 73. ad Iubaianum; Pacianus Episcopus Barchinonensis in epistolis contra Nouatianos, tum in parænesi ad pænitentiā; Ambrosius lib.2.de pænitentia c.4.& 5. vbi, vt etiam refertur de pęnitētia distinct.1. cap.54. docet tantam esse propitiationem Dei erga pęnitentes, vt Iudas potuisset tanta miseratione Dei, nō excludi à venia, si pænitentiam non apud Iudæos, sed apud Christum egisset, ideoque suis in librum Leuitici annotationibus, obseruat Iudam proditorem fuisse indignum venia: *quia*,inquit, *non intima mentis conuersione ingemuit, nec sedulò gessit pænitentiam : tantæ enim pietatis est Dominus Iesus, vt ipsi donasset veniam, si Christi expectasset misericordiam*. Hieronymus epist. 46.48. 50. 54. & 61. nec non lib. 2. contra Iouinianum; Augustinus epist. 108.serm.15 de verbis Apostoli, & 181.de tempore, lib.2. de adulterinis coniugijs, cap.6.& libro de vera, & falsa pænitentia cap. 3. & 5.Gregorius Magnus lib.3.epist.103 & alij deinceps.

Ex quibus omnibus sic efformo rationem pro veritate Catholica; si quæ peccata post baptismi susceptionem cōmissa, remitti non possent per veram pænitentiam, id fieret maximè defectu diuinæ voluntatis, quia nimirum ordinasset Christus, vt hæc, & illa peccata non remitterentur verè de illis pænitēti, vel quod idem, noluisset in eorum remissionem acceptare veram pænitentiam, siue in ratione virtutis, siue etiam in ratione Sacramenti consideratam; sed ex testimoniis Sacræ Scripturæ relatis, tum traditione, & Ecclesię definitione, quibus, modo vnicuique proprio, certò, & infallibiliter voluntas Dei innotescit; non solùm talis lex non habetur, sed expressè contraria, remittendi nimirum, quo ad culpam, omnia, & singula peccata, etiam post baptismum commissa, quoticscumque vera de illis fiet pænitentia, ergo &c. Quæ sanè lex est valdè consentanea, tum misericordiæ diuinæ, tum etiam iustitiæ, & infinitati redemptionis Christi, vt rectè explicat Diuus Thomas 3.p.q.86. art.1. Supposita verò promissione Dei, ex parte ipsius veræ pænitentiæ non desunt quoque optimæ congruentiæ; quia nullus potest esse actus magis proportionatus ad hunc effectum; item quia tunc homo facit, quod potest, vt hanc remissionem consequatur, attenta eius natura fragili, & infirma: insuper quia in hac vita, homo semper est in statu viæ, inde enim necessarium fuisse, & ad prouidentiam Dei maximè spectasse videtur, ei concedere aliquem modum, quo posset veniam peccatorum obtinere. Quæ & similes rationes, non minus procedunt tempore legis nouæ in homine iam baptizato, quam in alijs, vt satis patet; imò quadam ratione maiorem vim habent in illo, cum sit tempus gratiæ, & in quo Dei misericordia liberalius operatur, iamque Christi redemptio perfecta est. Deindè, ni res ita se haberet baptismus, contra ipsum aduersariorum vsum, vsque ad finem vitæ differendus esset, vt omnia peccata in vita commissa simul deleret: essetque valdè temerarium antea baptizari, si postea non superesset pænitentiæ remedium pro quibuscumque peccatis: cum nemo sibi certò possit promittere, quantumuis baptizatus, præseruationem ab illis.

Hic autem per veram pœnitentiam, qua asserimus post baptismum remitti peccata mortalia, quantumuis grauia, & multa, non solum intelligitur Sacramentum, sed & virtus etiam pęnitentiæ; etsi enim verum sit, quod actus virtutis pęnitentiæ, seu contritio nunc non remittat peccata post baptismum commissa, nisi cum voto Sacramenti, & in ordine ad illud, vt docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. nihilominus tamen habita vera contritione, ea statim remitti certum est: tum quia Sacramentum Pænitentiæ non est institutum ad coarctandam viam salutis; neq; ad constituendum hominem in periculo dam-

damnationis, si expectanda semper esset realis susceptio illius Sacramenti ad obtinendam peccatorum veniam; tum etiam quia hic effectus est proportionatus illi dispositioni, & promissus à Deo sine temporum restrictione. Vndè, cum Doctor Louaniensis Michael Baius asseruisset per contritionem, vel actum charitatis, statim infundi habitum gratiæ, & charitatis: non tamen remitti peccatum ante realem susceptionem Sacramenti pænitentiæ hæc opinio cōdemnata fuit à Summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII.

Contra doctrinam fidei huc vsque sufficienter stabilitam, nonnulla primū aduersarij obiiciunt Scripturæ loca, Matt. 12. v. 31. *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur*, &c. Marci 3. v. 28. *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blasphemiæ, quibus blasphemauerint: qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Ad Hebræos cap. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati* (id est baptizati) *& prolapsi sunt, rursus renouari ad pænitentiam:* & cap. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* 1. Ioann. cap. 5. v. 16. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.*

Verùm hæc; & alia, si quæ sint similia scripturæ loca, nihil prorsus fauent aduersariorum errori, cum ipsimet teneantur illa explicare, & quam ipsi dabunt interpretationem, vel solutionem, possimus etiam nos adhibere; si quidem in duobus Matth. & Marci locis; omnia prorsus peccata dicuntur remissibilia, vno excepto blasphemiæ in Spiritum Sanctum, ad quem tamen aduersarij nō restringunt irremissionem, sed potius eā ad alia plura extendunt peccata grauissima. Item non omnia peccata post baptismum commissa dicuntur ab ipsis irremissibilia, cum tamen locus Apostoli id sonare videtur.

Igitur ad duo prima loca diuersimodè responderi potest, secundum quod à Patribus diuersimodè sumitur, & explicatur blasphemia in Spiritum sanctū; Si enim per illam, iuxta Diuum Augustinum varijs in locis, lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 4. lib. 4. cōtra Cresconium cap. 8. Enchiridionis cap. 83. & epist. 50. ad Bonifacium, intelligatur finalis impœnitentia, rectè dicitur absolutè, & simpliciter irremissibilis, tam in hoc, quàm in futuro sæculo, quia cum illa hęc vita absoluitur: Si autem, per illam significatur peccatum ex certa malitia, id est ex electione mali, prout contemnit ea, quę à peccato retrahere possunt, aut verò Spiritui malo tribuuntur diuina, & supernaturalia opera, quę Spiritus sanctus ad confirmandam fidem, vel ad conuertendos peccatores, speciali prouidentia operatur: nam illud est propriè Spiritui sancto resistere, vt in varijs locis scriptura loquitur; Respondetur peccatum in Spiritum sanctum non dici præfatis in locis simpliciter, & absolutè irremissibile, sed tantùm quatenus ratione specialis illius modi, quo committitur, maiorem pro sui remissione difficultatem reperit in peccatore, est autem satis familiare sacris litteris illud, quod est admodum difficile, vocare interdum impossibile.

Eodem etiam modo responderi potest primò ad Apostoli loca, iuxta interpretationem Patrum; qui volunt eum ibi loqui de peccato apostasię à vera fide, commisso ab ijs, qui post eius notitiam plenè acceptam, ex aliqua tamē singulari malitia, & voluntate deliberata recedunt ab Ecclesia, negari enim non potest, quin tale peccatum sit grauissimum, & ratione specialis modi, quo perpetratur, quantum ad consecutionem veniæ, difficillimum, non ita tamen, vt hęc difficultas impediat, quod, acta de illo vera, & sincera pęnitentia, eius remissio absolutè accipi nō possit. Si verò iuxta aliam Patrum explicationem, ibi fiat sermo de Sacramento

mento Baptismi, & singulari eius effectu, quatenus per illum remittuntur peccata omnia, tam quo ad totam pęnā illis debitam, quàm quo ad culpam, rectè ait Apostolus, semel illuminatos, seu baptizatos, qui grauissima commisere peccata, talem remissionem non posse sibi polliceri, cum baptismus non iteretur, nec aliud medium ordinarium detur in Ecclesia, quod communiter talem effectum operetur; quod indicare videtur istud Apostoli ibidem, *iam non relinquitur pro peccatis hostia*, quę nimirum sit talis, quo ad hunc effectum, qualis fuit baptismus semel collatus. Cæterum ex hac interpretatione, licet agatur de remissione peccatorum mortalium post baptisma commissorum, non propterea sequitur eam denegandam esse, siue de illa agi, vt deneganda vero actui virtutis pænitentiæ, aut debitæ susceptioni illius in ratione Sacramenti, de quo tamen solo est controuersia inter nos, & aduersarios.

Ad vltimum ex epistola S. Ioannis, primò respondetur, si ibi per *peccatum ad mortem*, intelligatur quodcumque peccatum mortale, pro vt distinguitur à veniali, nihil fauere aduersarijs, qui admittunt peccata mortalia, minus tamen enormia, & grauia post baptismum commissa, deleri posse per veram pænitentiam. Si autem ibi, quod est probabilius, per *peccatum ad mortem*, intelligatur grauissimum aliquod inter mortalia peccatum, quod propterea speciali appellatione vocat Ioannes *peccatum ad mortem*, quodque sacri Interpretes ad illum locum dicunt esse peccatum, vel blasphemiam in Spiritum sanctum; respondetur secundò, dum ait S. Ioannes, *non pro illo dico, vt quis roget*, his verbis eum non prohibere, aut non permittere Christianis, vt orent pro eo, qui est infectus tali peccato; sed sensus eorum est tantum iste, [se] non audere polliceri fore, vt qui orat pro tali peccatore, eiusque peccati remissione, illam ei certò impetret ob specialem difficultatem, quam supra diximus reperiri in ijs, qui illud speciatim committunt.

Secundò obijciunt aduersarij, sępe haberi in decretis, & antiquis canonibus, pœnitentiam semel tantùm esse concedendam, seu non iterandam. Respondetur primò hæc non patrocinari aduersarijs, qui absolutè volunt irremissibilia esse peccata, quæ vocant atrocia, ac proindè pro illis, nec semel concedendam esse pęnitentiam. Secundò respondetur, in illis decretis non esse sermonem de pænitentia, vt est virtus, vel Sacramentum, & ad internam peccati remissionem ordinatur; sed de quadam solemni pœnitentia, ad disciplinā Ecclesiasticam pertinente, quoniam peculiari ritu ab Ecclesia instituto olim fiebat ad publicam satisfactionem, & ædificationem; quam proinde eadem Ecclesia pro diuersitate temporum, personarum, & aliarum circumstantiarum, nunc denegare, nunc concedere poterat, prout iudicabat ad fidelium salutem expedire. Cæterum nullibi sacri canones, aut Patres negant, sed potius constanter affirmant in Ecclesia Catholica, seu eius Pastoribus, & sacerdotibus dari potestatem remittendi quæcumque peccata etiā grauissima post baptismum receptum commissa.

Tertiò obijcitur, si quas habent scripturæ promissiones remittendi peccata, quotiescumque de illis vita fiet pænitentia, comprehenderent peccata etiam grauissima, sequeretur indè, dari hominibus licentiam, & ansam illa perpetrādi, sed hoc est absurdum, ergo & illud vndè sequitur. Respondetur hoc argumentum retorqueri posse contra aduersarios admittentes remissionem omniū aliorum peccatorum mortalium; verùm, sicut non datur propterea licentia hominibus illa committendi, quia hoc nō sequitur per se ad remissionem, sed ad hominum malitiam, qui interdum deteriores fiunt, eo quod Deus bonus sit, totiesque remittat, quoties delinquimus; ita neque ex eo, quod pro sua infinita misericordia, grauissima etiam peccata dimit-

dimittat, sequitur licentia eadem liberius committendi; imo, vt rectè dixit S. Augustinus lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 5. multo maior daretur, si homines desperarent illorum remissionem. Deinde quod aliqui ita malè vtantur hac Dei misericordia, non ideo boni debuerunt priuari fructu pęnitentiæ. De ista controuersia videri possunt cum Diuo Thoma eius Interpretes 3.p.q.86. & 22.q.14.

CAPVT XXIIII.

Ostenditur contra Armenos, Iacobitas, Cophtos, & Abyssinos, matrimonium consummatum Christianorum non posse dissolui quo ad vinculum, ob adulterium alterius coniugum, aut aliam causam, & peccatum.

QVamuis Alphonsus Castro lib. 11 aduersus hæreses, tit. nuptiæ, hæres. 3. referat, Armenios primum asseruisse, Christianorum matrimonium nō esse Sacramentum, nihilominus, talem nunc inter eos errorem non esse, sed vna cum Catholicis firmiter credere matrimonium esse sacramentum, tradunt expressè, qui apud illos missionarij fuere, pręsertim verò Clemens Galanus tom. 2. Conciliationis Eccles. Armen. cum Romana. At cum tria distinguantur bona matrimonij, *Sacramentū*, quod attenditur penes vinculum indissolubile, quæ indissolubilitas vocatur Sacramentum, quia significat vnionem Christi cum Ecclesia. *fides*, quæ attenditur penes copulam coniugalem, ne quis illam extra coniugium exerceat cū non coniuge; & *proles*, quæ est fructus matrimonij, vt amanter suscipiatur, benigne nutriatur, & religiosè educetur: Circa primum turpiter errarunt Armenij, Ioannes enim, Armenus Episcopus apud Armachanum lib. 10. cap. 26. *Sentiunt*, inquit, *Armeni matrimonium posse solui*: & licet idem, qui supra Clemens Galanus, asserat, se non legisse hanc eorum sententiam in Armenis libris, imo oppositum docere præsules ipsorum prudentiores, tamen testatur dirimi passim apud eos rata matrimonia etiam consummata, & coniuges ad nouas admitti nuptias; idque non solum ob causam fornicationis, sed cuiuscumq; etiā grauis incommodi. De Iacobitis, Cophtis, & Abyssinis idem refert Thomas à Iesu lib. de conuersione omnium gētium. Caluinus quoque in Occidente eumdem secutus est errorem lib. 4. institut. cap. 19. §. vltimo: & Kemnitius in suo examine ad can. 7. sess. 24. Concilij Tridentini.

Pro cuius refutatione, nec non controuersiæ intelligentia, nonnulla sunt obseruanda. Primum, matrimonium diuidi in ratum, & consummatum. Ratum est illud, quod completum est legitimo contrahentium consensu, non copula coniugali: consummatum verò illud, quod completum est legitimo contrahentium consensu, copulaque coniugali.

Secundo notandum est, duplicem distingui debere solutionem matrimonij: vnam propriam, scilicet quando nō tantùm impeditur vsus matrimonij, seu solutio debiti coniugalis, verum etiam ipsa obligatio omnino tollitur, ita vt qui contraxerunt matrimonium eidem restituantur libertati, in qua erant ante initum matrimonium; vnde ista solutio dicitur esse tam quo ad vinculum, quàm quo torum, & cohabitationem. Altera solutio matrimonij est impropria, scilicet quando manente vinculo, ita vt alteri non liceat aliam coniugem ducere, ei tamen est liberum non habitare cum illa, nec ei reddere debitum; quare hæc solutio dicitur esse tantùm quo ad torum, & habitationem.

Aduertendum est tertiò, matrimoniū fidelium ratum duntaxat, & non consummatum, posse solui tàm quo ad vinculum, quàm quo ad torum, & habitationem, per professionem alterius coniugum in aliqua religione approbata: vt habetur definitum in Concilio Tridentino sess. 24. can. 6. Item quando datur

tur causa aliqua legitima, vt ex parte boni alicuius publici, vel etiam ex parte contrahentium, tunc matrimonium tantum ratum posse dissolui ex dispensatione Summi Pontificis, multotiesq; dissolutum fuisse communiter docent Theologi, & Canonistæ.

Quartò notandum est, si sermo sit de matrimonio fidelium iam consummato, illud non posse dissolui etiam quo ad torum, & cohabitationem solùm per ingressum, & professionem religionis vnius, contrahentium altero renitente, pertinere ad fidem, docent Theologi ex textu S. Pauli 1. Corinth. cap. 7. *Qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere* &c. quare, si quæ facta legatur monialis inuito marito, aut vice versa quis factus monachus inuita vxore, vt de Theone Abbate viro Sanctissimo, & miraculis claro refert. Cassianus collat. 21. cap. 9. & 10. dicendum est id de genere eorum esse, quę solent vocari admiranda, non imitanda, factumque esse ex speciali Spiritus Sancti instinctu, sicut multa alia notantur in Sanctis, quę non possunt trahi in exemplum. Ex mutuo autem coniugum consensu matrimonium consummatum solui posse quo ad torum, & cohabitationem per ingressum religionis vtriusque certum est; imo, & stando iuri communi nondum restricto per ius Canonicum, per susceptionem sacrorum ordinum, & vnius tantum ingressum in religionem, accedente consensu alterius; secus autē quo ad vinculum, docente expresse Apostolo 1. Corinth: 7. *Mulierem alligatam esse legi quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius liberatam esse à lege*, illa enim verba, *vir dormierit*, debent accipi in propria sua significatione, & sensu litterali, secundū quem significant mortem naturalem; vndè cum talis mors non sequatur ex ingressu, & professione religionis facta ab vtroque contrahentium, vinculum matrimonii adhuc durat inter illos.

Quintò tandem certum est, matrimonium consummatum Christianorū posse solui quo ad torum, & cohabitationem, ob fornicationem, vel aliam aliquam legitimam causam, vt habet Concilium Tridentinum citata sessione 24. can. 8. Quare inter nos, & aduersarios, controuersia de dissolubilitate matrimonij inter Christianos, non procedit omnibus præfatis modis; sed totum illius pondus reducitur ad hoc, vtrum matrimonium consummatum Christianorum possit dissolui, nec ne, quo ad vinculum, ob adulterium alterius coniugum, aut aliam causam, & peccatū. Aduersarijs enim partem affirmatiuam tenentibus, ita vt sicut in lege Mosaica, Deo dispensante, permittebatur Iudæis sumpta occasione ab eorum duritia, vt possent licitè vxores, quas antea duxerant, dimittere causa adulterij, vel alterius rei; ita quoque in noua lege, ex ijsdem causis posse dissolui matrimonium à Christianis contractum, etiam quo ad vinculum, doceant. Nos contrarium tenemus, & tanquam de fide certum asserimus, in nullo prorsus casu, siue ob adulterium alterius coniugum, siue ob aliud peccatum, vel occasionem, matrimonium consummatum Christianorum posse dissolui quo ad vinculum, nec parti innocenti licere aliud matrimonium contrahere, altera parte adhuc viuente.

Primam huius rei definitionem habemus in varijs Summorum Pontificū decretalibus epistolis; Euaristi epist. 2. Innocentij I. epist. 3. ad Exuperium c. 6. Nicolai I. epist. 59. Ioannis VIII. epist. 65. Alexandri III. de sponsalibus, & matrimonijs c. ex parte, & de diuortijs cap. quæsiuit Innocentij III. Decret. Constitut. lib. 4. tit. de diuortiis capit. gaudemus.

Cum in Synodo Trullensi Quinisexta dicta; & pro vniuersali habita, hæc eadem veritas de indissolubilitate matrimonij consummati Christianorum quo ad vinculum, can. 87. & 98. definita, ac declarata fuisset; illam quoque Concilium Florentinum Tract. de Sacramentis,

mentis, & Tridentinum sess. 24. can. 5. & 7. definierunt.

Ex particularibus autem Ellbertinũ cap. 9. Arelatense I. cap. 10. errauit tamen in hoc, quod rem ad consilium reducere videtur, non autem ad præceptum diuinum; *De his*, inquit, *qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, & ijdem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit, vt in quantum potest, consilium eis detur, ne viuentibus vxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant*; nisi talia verba fuerint forsan dicta, habita tantum ratione ad legem ciuilem, qua tunc temporis permittebatur quidem viris dimittere vxores ob fornicationem carnalem ipsius vxoris, & posse aliam ducere vxorem, non autem vice versa vxoribus; quomodo etiam loquitur Diuus Ambrosius, aut quicumque alius author commentariorum in 1. epistolam ad Corinth. c. 7. qui sub eius nomine circumferuntur, vbi expresse notat, illud quod ibi dicitur de muliere, *aut reconcilietur viro suo, aut maneat innupta*, non dici de viro, *quia*, inquit, *viro licet ducere aliã*. Cum enim aliud sit loqui habita tantũ ratione ad legem ciuilem aliquid indulgentem, & aliud loqui habita ratione ad legem Dei, si quidem fit interdũ. vt quod lege Dei, & in conscientia prohibetur, illud permittatur aliqua lege ciuili, inde præfatum Concilium habita ratione ad dictam legem ciuilẽ potuit statuere, vt in quantum posset, consilium adolescentibus fidelibus daretur, ne illa vterentur, hoc est ne viuentibus vxoribus suis, licet adulteris, alias acciperent, legem ciuilem id permittentem anteponentes legi diuinæ prohibenti, vt sonant priora verba, *& prohibentur nubere*. Eodem modo Ambrosius dicere potuit, viro licere ducere aliam vxorem; quam interpretationem si non admittant eius verba, respondendum est præfata commentaria non esse Ambrosij; nam lib. de Abraham cap. 4. & 7. nec non lib. 8. in Lucã expresse distinguens legem diuinam prohibentem, in hoc præsentis controuersiæ casu, conuolare ad alias nuptias, & legem humanam id concedentem, illam ait esse huic præferendam. Has quoque duas leges distingunt Lactantius lib. 6. cap. 23. Basilius epist. ad Amphilochium cap. 9. Hieronymus epist. 30. in epitaphio Fabiolæ cap. 1. & Augustinus lib. 1. de nuptijs cap. 10.

Ideoque in Cõcilio Mileuitano can. 17. cum Patres statuissent pœnam aduersus eos, qui dimissis vxoribus alias ducunt, addunt postulandam esse pro hac re legem ab Imperatore, qua hoc idem prohibeat in foro ciuili; verba canonis sunt hæc: *Placuit, vt secundum Euangelicam, & Apostolicam disciplinã, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari*. Idem plura, quæ deinceps secuta sunt vbique cõcilia particularia, tradiderunt Anglicanum anno 670. cap. 10. Foroiuliense cap. 10. Triburiense cap. 46. Nannetense c. 12.

Primus scripturæ locus, vbi hæc veritas fuit reuelata, habetur Matth. c. 5. Christus enim Dominus ibi superaddens legi Mosaicæ quæ spectabant ad Euangelicam perfectionem, vt patet ex istis verbis, *Dictum est autem: Quicumque dimiserit vxorem suam, dat ei libellum repudij, Ego autem dico vobis &c.* reuocat matrimonium ad primam, quã habuit in lege naturali indissolubilitatem, etiam quo ad vinculum; vndè subdit, *Quia omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam machari, & qui dimissam duxerit adulterat*: hac enim vltima particula significat eum, qui repudiatam, vel dimissam ducit, peccare peccato adulterii, atque adeò vinculum prioris matrimonij non esse solutum. Cui non obstat, quod hic habeatur ista particula, *excepta fornicationis causa*, & eiusdẽ S. Matth. cap. 19. *nisi ob fornicationem*; Christus namque Dominus ibi interrogatus

gatus de diuortio perfecto, seu quo ad vinculum, an ex quacumque causa liceat dimittere vxorem, sic respondet. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit mæchatur:* quasi à contrario sensu possit inferri, vt volunt hæretici, *qui propter causam fornicationis dimittit vxorem, & aliam ducit, non mæchatur*. Talis, inquam, particulæ, seu exceptionis appositio, nihil prorsus obest veritati fidei, tantùm enim refertur ad illam propositionis partem, *quicumque dimiserit vxorem suam*, vt significetur, licere pręcipuè ob fornicationem, vt pote cum natura matrimonij intrinsecè pugnantem, quatenus per illam fit diuisio carnis, quæ per matrimonium cōsummatum est vna in vtroque coniuge, dimittere vxorem suam; ideoque Christus Dominus dictam particulam exceptiuam statim subiecit isti parti propositionis, vt sciremus, nec tunc quidem licere aliam ducere, quādo etiam licitè dimissa est vxor propter fornicationem, non autem sequenti parti, nec eam quoque subintellexit, alias sensus huius partis, *qui dimissam duxerit mæchatur*, esset is, *qui dimissam vxorem duxerit, excepta causa fornicationis, vel nisi ob fornicationem, mæchatur*, & consequenter Christus Dominus significasset vxorem dimissam ob adulterium, posse ab alio marito accipi in matrimonium, quod est absurdum, & contra iustissimam Christi legem, sic enim melior foret conditio vxoris fornicantis, & adulteræ, quā castæ, quæ iniustè dimissa, nubere alteri non posset: item cum nullus ex peccato commodum reportare debeat, sequeretur contrarium in vxore ob fornicationē dimissa, transeundo ad aliud magis optatum connubium; ac tandem data fuisset adulterandi occasio volentibus alia matrimonia quærere.

Per quod satis patet ad instantiam hæreticorum, libenter enim admittimus consequentiam à contrario desumptam valere, dummodo tamen illa iuxta sensum suum non magis extendatur, quam se se extendat alia consequentia ei opposita intra proprium suū sensum, quia sic sunt tantùm contrarię, & sic tantum contrariorum contrariæ valent consequentiæ: At Christus Dominus, quando Matth. 19. dixit, *Quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem*, hac exceptione solum affecit præcedentem illam particulam; *Quicumque dimiserit vxorem suam*, non autem aliam sequentem, vt diximus, & interpretantur communiter Patres inferius adducendi, præsertim Hieronymus in expositione eiusdem capitis, Augustinus lib. contra Adimantum Manichæum cap. 3. & lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 8. & 9. Theophilactus in Matth. citato capite. Igitur, vt hic consequentia à contrario sensu, sit legitima, non debet inferri, vt hæretici faciunt, eum, qui in tali casu aliam ducit, non mæchari, sed tantùm licere viro propter fornicationem dimittere vxorem, quo ad torum, vel cohabitationem, sic enim ambæ contrariæ continentur consequentiæ intra eosdem limites, ac terminos.

Nec sequitur ex eo, quod dicta particula exceptiua *nisi* &c. afficiat priorem duntaxat partem, propterea Christum non respondisse directè ad quæstionem sibi à Pharisæis propositam, hęc enim sunt verba illorum; *Si licet homini dimittere vxorem suam ex quacumque causa*, vbi loquuntur tantum de dimissione, & quoniam ibi addiderant istam particulam, *quacumque ex causa*, ideo Christus respondet non licere vxorem dimittere, *nisi ob fornicationem*, loquens tantum de causa diuortij, quæ pugnat intrinsecè cum natura matrimonii, quicquid sit de alijs; quam exceptionem non habent alij Euangelistæ statim citandi, quia etiam vel in interrogatione Pharisæorum non continetur ista particula, *quacumque ex causa*, vt apud S. Marcum cap. 10. vel non sit mentio istius interrogationis Phari-

Pharisęorum,vt apud S.Lucam cap.16. Quod verò spectat ad ducendam vxorem, priori ob fornicationem dimissa adhuc viuente, respondet Christus, tā pro tempore præterito, quàm pro futuro,pro præterito in illis verbis, *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras*, pro sequēti verò in illis;*qui dimissam duxerit mæchatur*, significans in noua lege, ad distinctionem veteris, indissolubilitatem matrimonij consummati quo ad vinculum quacumque ex causa. Nec solū Christum in eo sensu locutum fuisse, verum etiam Discipulos adstantes,verba ipsius intellexisse,clarè patet ex eorumdem obiectione: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Si enim Christus Dominus, quemadmodum in veteri lege, ita & in noua voluisset, vt intendunt aduersarij, licitum esse viro occasione adulterij, vel alterius rei, dimittere vxorem, & hac dimissa aliam accipere, sicque matrimonium consummatum dissoluere quoad vinculum, malè dixissent discipuli, *non expedit nubere*,cum æque nūc quantum ad hoc expediret, ac tunc, si pro vtroque tempore, eadem lex matrimonij fuisset in ordine ad eius dissolubilitatem, & non diuersa; Quare etiam Christus Dominus ex hac diuersitate, maiorique matrimonii in statu legis Euangelicæ, ac Mosaicæ indissolubilitate,sumpsit ibi occasionem prædicandi virtutem castitatis.

Alia scripturæ loca pro eadem veritate habentur Marci cap. 10. & Lucæ cap. 16. qui dum eamdem quam Matthæus historiam, & Christi Domini sētentiam referunt, nulla vtuntur exceptione; Marci verba sunt, *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mæchatur*: Lucæ autem; *Omnis qui dimittit vxorem suam,& alteram ducit, mæchatur: & qui dimissam à viro ducit, mæchatur*. Huiusmodi enim verbis, cum ita vniuersaliter Dominus iubeat nunquam dissolui matrimonium inter Christianos consummatum, vt nullam excipiat causam, ex qua liceat ad alias nuptias conuolare vtroque viuente coniuge, manifestè constare videtur, particulam exceptiuam, quam habet Matthæus, afficere solùm, vt diximus, priorem propositionis partem, illamque intelligendam esse de dimissione quo ad torum solùm, in causa fornicationis.

Idem docet Apostolus, tùm epistola ad Romanos cap. 7. tùm 1.Corinth. cap.7 *Iis autem*,inquit, *qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, Et vir vxorem non dimittat.* Vbi Apostolus duplicem distinguit discessionem vxoris à viro: vnam iniustā, & eam vetat fieri primis propositionis verbis; alteram verò iustam, legitimaque ex causa factam, vt ex causa fornicationis, & illam permittit quidem fieri, sed ea conditione vt vterque maneat innuptus vel sibi inuicem reconcilietur, si vterque non possit manere cælebs, in sequentibus verbis, *quod si discesserit &c.* prout explicant communiter Patres; præcipuè Hieronymus epist. 30. Augustinus lib. de bono coniugali cap. 7. & lib 1. de adulterinis coniugijs cap.1. Theodoretus in præfatum caput 1.epist.ad Corinth.

Huic veritati, præallatorumq; iuxta illā,scripturę locorum intelligētię,adstipulatur diuina quoq; traditio,perpetuo Ecclesię vsu firmata, quo sēper pro hęreticis habiti sunt illi,qui eam negauerunt, nec non puniti,qui aliquid cōtra eam tentarunt; tùm vnanimi Patrū consensu, Ecclesię Græcæ, & Latinæ. Ex Græcis præcipui sunt, Athanagoras in apologia pro Christianis; Clemens Alexādrinus lib.2. Stromat.c.12 vbi adducit citatum S. Matth. locum; Origenes tract. 7. in Matth. explicans locum epist, ad Rom.cap.7. *Mulier ligata est*, &c. Basilius epist. ad Amphilochium can. 9. *Vir vxore dimissa* &c.

Epipha-

Epiphanius hęresi 55. contra Catharos; Chrysostomus homil. 17. in Matth. Victor Antiochenus in capit. 16. Luc. *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam ducit, adulterium committit. Etsi vxor per diuortium à viro diuellatur, attamen ob copulam initio initam iure ab illo seiungi nequit. Quamobrem prima adhuc superstite, alteri se coniungere adulterium vocat. Idem quoque de vxore alteri nubente pronuntiat.* Theopilactus ad cap. 7. prioris ad Corinthios.

Ex Latinis Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 34. & lib. de Monogamia cap. 9. Ambrosius lib. 8. in cap. 16. Lucę. *Dimittis vxorem quasi iure sine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed diuina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deũ verere. Audi legem Domini, cui obsequũtur etiam qui leges ferunt: Quæ Deus coniunxit homo non separet. Sed non solùm hic cœleste pręceptum, sed quoddam etiam opus Dei soluitur* &c. Hieronymus epist. 3. ad Oceanum, in epitaphio Fabiolæ cap. 1. *Præcepit Dominus vxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit manere innuptã. Quicquid viris iubetur, hoc consequenter redundat in fœminas. Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus. Si quis meretrici iungitur, vnũ corpus facit, ergo & quæ scortatori impuroque sociatur, vnum cum eo corpus efficitur. Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcepit* &c. Item epist. 147. ad Amandum, & in cap. 19. Matthæi; Augustinus de bono coniugali cap. 7. vbi explicat locum 1. Corinth. 7. tum cap. 15. & 18. lib. 1. de adulterinis cap. 9. & 11. *Restat*, inquit, *vt Matthæum intelligamus, à parte totum significare voluisse; eamdẽ tamen tenuisse sententiam, non quidem vt dimittens vxorem, & alteram ducens, quidam mœchetur, id est, qui præter fornicationem dimiserit: quidam verò non mœchetur, id est, qui propter fornicationẽ dimiserit: sed omnis, qui dimittit vxorẽ suam, & ducit alteram, mœchari minimè dubitatur*: Item lib. 2. cap. 4. 5. & 9. vbi explicat omnia superius citata scripturæ loca; & lib. 50. homil. 49. capit. 2. Quando igitur lib. 1. de nuptijs cap. 10 loquens de præsenti quæstione, ait venialiter peccari, sensus eius non est, qui dimissa vxore adultera adhuc viuente aliam accipiunt, peccare tantum venialiter, sed sensus est, eum esse dignum venia, id est excusatione, quia fallitur in eruenda illa veritate ex sacris litteris, ita vt particula illa, *venialiter*, non referatur ad factũ mariti, sed ad ignorantiam istius difficultatis ex sacris litteris. Primasius ad cap. 7. prioris ad Corinth. Isidorus Hispalensis lib. 2. de Eccles. offic. cap. 10. Beda in cap. 10. Marci. Carolus Magnus lib. 6. legum. cap. 87. Haymonius ad cap. 7. prioris ad Corinth. Anselmus Cantuariensis ad cap. 5. Matth: & 7. 1. ad Corinth. Iuo Carnotensis epist 157. Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 35. Petrus Lombardus lib. 4. distinct. 32. & 33. aliique deinceps Theologi.

Ratio autem à priori huius veritatis fundata est in voluntate, & institutione Christi Domini: etsi enim matrimonium consummatum habeat aliquã indissolubilitatem à iure naturæ, & diuino ex prima sua institutione, illud tamen non esse absolutè indissolubile, ita vt dissolubilitas eius sit intrinsecè mala, seu prohibita, quia mala, clarè constat, tùm ex eo, quod in lege veteri Moyses, Deo dispensante permisit Iudæis, sumpta occasione ab eorum duritia, vt possent licitè vxores, quas antea duxerant, dimittere ex quibusdã causis, & alias, istis adhuc viuentibus, accipere, vt habetur in cap. 24. Deuteronomij; nam ibi pręscribitur modus faciendi tale repudium, & vers. 4. eiusdem capitis significatur fuisse licitum vxori iam repudiatæ, alterum maritum ducere, nec permittitur vllo modo redire ad priorem adhuc viuentem; Deinde in Scriptura sacra nunquam repudium numeratur inter scelera populi Iudaici, nec legitur fuisse illi prohibitum,

bitum, ab alijs iam repudiatas accipere in vxores; sed soli tantum sacerdoti Leuit. 21. vers. 13. Imò & repudium hoc, ante aduentum Christi Domini, fuisse etiam apud Ethnicos licitum videtur apertè docere factum Esther, quę consilio Mardochæi legis Iudaicæ obseruantissimi, nupsit Regi Assuero, post Reginam Vasthi ab illo repudiatam. Tum ex eo, quod in statu etiam legis Euangelicæ, matrimonium infidelium consummatum, vno se ad fidem conuertente, dissolui possit quo ad vinculum, in aliquibus casibus. Primus est, si infidelis nolit habitare cum fideli, sed velit discedere. Secundus est, si infidelis nolit cohabitare cum eo sine contumelia Creatoris. Tertius est, si infidelis nolit manere cum prædicto fideli, nisi pertrahendo illum ad peccatū mortale: vt cōmuniter docēt Theologi, & Canonistæ; Quod igitur in statu legis Euangelicæ, matrimonium inter fideles consummatum in nullo prorsus casu dissolui possit quoad vinculum, nec parti innocenti liceat aliud matrimonium contrahere, altera parte adhuc viuente, absolutè refundi non potest in naturam matrimonij, sed in Christi Domini voluntatem, ac institutionem, qua, vt satis nobis constat ex dictis, eleuando matrimonium ad naturam, & perfectionem Sacramenti, vtque significaret practicè gratiam sanctificātem in illud contrahentibus, qua quidē gratia contrahentes se se mutuo diligerent, & hac mediante dilectione charitatem mutuam inter Christum, & Ecclesiam repræsentarent, vt ait Apostolus ad Ephesios 5. loquens de matrimonio baptizatorum, *Sacramentum hoc magnum est, Dico autem ego in Christo, et in Ecclesia*, voluit illud esse absolutè quo ad vinculum indissolubile. Vnde prima ratio congruentiæ huius indissolubilitatis, matrimonij consummati, iuxta institutionem Christi, desumitur ex hoc, quod non solum significat gratiam sanctificantem, seu coniunctionē Christi cum anima, verùm etiam, ex Apostolo loco citato, coniunctionem Christi cum Ecclesia per charitatem, & assumptionem humanæ naturæ, quæ omnino insolubilis est. Quia autem matrimonium ratum, & non consummatum, significat tantùm vnionē Christi cum anima per gratiam, quæ vnio solubilis est, ideo dirimi potest per vota monastica, vt notauimus supra; diciturque illi deesse aliquod in ratione Sacramenti, non quidem essentiale, aut accidentale, sed tantùm integrale, quoniam, licet sit verum sacramentum, non tamen completum, quoad omnem significationem, vt diximus; quod etiā sufficit ad hoc, vt sit per monasticam professionem solubile; secus autem consummatum, aut ex quacumq; alia occasione, vel causa.

Altera ratio congruentiæ præfatæ indissolubilitatis matrimonij semel cōsummati, desumitur ex hoc quod sit Sacramentum nouæ legis, peculiarem consequenter gratiam conferens, qua incommoda coniugij facilè tolerētur; quale non erat matrimonium Iudæorum, indè enim Christus licitam in lege veteri Iudæis coniugibus ob eorum cordis duritiam, permissionem soluendi per repudium vinculū matrimonij, iure merito, locis superius citatis, reuocauit in noua; neque consequenter in vtroque statu reperitur eadem causa, qua durante, eadem, quæ in veteri testamento lex, durare deberet in nouo, vt posśent instare aduersarij, quorum etiam alijs obiectionibus parui momēti, v.g. ex matrimonio infidelium desumptis, vbi alter ad fidem conuertitur &c. quia satis patet ex dictis, tantùm sufficiat de præsenti cōtrouersia; quam Theologi tractant cum Diuo Thoma 3. p. q. 49. supplementi.



CA-

CAPVT XXIV.

Statuitur aduersus nonnullos Orientales, tùm Græcos, tùm Armenos, tum Iacobitas, existentia Purgatorij.

NOmine Purgatorij locum aliquẽ, quidquid sit de qualitate illius, intelligunt Catholici Romani, in quo fidelium animę, quæ vel reatu culpæ venialis, vel debito pœnæ alicuius tẽporalis ob peccatum mortale remissũ, adhuc obstrictæ, migrauerunt ex corpore, cruciantur, vt diuinæ iustitiæ satisfaciant, donec ab eiusmodi reatibus siue per suas pœnas, siue per viuorum suffragia omnino expiatæ; cœlestem beatitudinem consequantur. Cuius loci existentiam, cum omnes hæretici Orientales non negent, sed aliqui duntaxat, tùm Græci, tùm Armeni, tùm Iacobitæ, errore communi hæreticis Occidentis, Lutheranis, & Caluinistis, illum sequenti sectione refellemus.

CAPVT XXV.

Ostenditur contra Græcos, Armenos, Iacobitas, & alios fere omnes Orientis hæreticos, vnumquemque iam hominem in die obitus, seu ante iudicium vniuersale, promeritam retributionem accipere.

ESt error ferè communis omnium Orientalium Christianorum, quod statim à morte vniuscuiusque non detur iudicium particulare, quo dignam operibus suis retributionem accipiat, ita vt animæ iustorum, quibus nihil est purgandum, mox in cælum recipiantur, clarè Deum Trinum, & Vnum visuræ; animæ autem reproborum subeãt pœnas sibi debitas in inferno; sed hoc totum, post resurrectionem reseruari diei Iudicij vniuersalis; & interim peccatorum animas mærore solum affici ex tormentis, quæ illis debentur in tali die, residereque in aeris inuisibili loco; iustorum verò, collocatas esse sub octaua sphæra. Sic rem expressè docent, ex Armenis Ioannes Orodniensis lib. de hęresibus, Vartanus in monitis ad Arm. cap. 5. Datticuensis in lib. interrogat. Vanachanus in tract. de locis animarũ; solùmque hic vltimus differt ab alijs, quod asserit, animas mediocriter iustas detineri quidem sub octaua sphæra cælorum, at Sanctorum Animas esse nunc in Empyreo vna cum Christo, & Angelis: de illarum tamen gloria nihil dicit. Gręci quoque, vt refert Sanctus Thomas in opusc. de erroribus eorũ; habeturq; in Concilio Florentino sess. 1. licet Sanctorum Animas beate agere, & pro nobis orare, & nostras preces exaudire faterentur, eas tamen non putabant in cœlum, atque ad conspectum Dei ante resurrectionem admitti. Ab hoc eodem errore alienus non fuit Lutherus ad cap. 25. Genescos, *Sancti*, inquit, *dormiunt, & nesciunt quid hic agatur, & tamen quiescunt*; & Caluinus lib. 3. institut. cap. 25. §. 6. docens, *stultum, & temerarium esse, inquirere, in quo loco sint animæ iustorum, & an gloria fruantur nec ne*.

At fides Catholica contra hos omnes docet, iustorum animas post discessum ex hac vita, quibus nihil est purgandum, aut à quibus iam in Purgatorio debitæ persolutæ sunt pœnę, recta in cœlum tendere, ibique glorifica Dei visione frui; reproborum autem animas æternis inferni pœnis addici. Prima huius veritatis definitio habetur ex Alexandro III. capit. quod incipit *Apostolicam*, tit. *de Presbytero non baptizato*: Innocentio III. cap. *Maiores* Extrau. de Baptismo, tum in fidei formula, quàm Clemens Papa IV. Michaeli Palæologo Græcorum Imperatori proposuit; quamque posteà confirmans Nicolaus IV. ad Haytonem II. Armeniæ Regem, in Ecclesiæ Romanę communionem admitti petentem, etiam transmi-

transmisit. At Benedictus XI. in Extrauaganti, quæ incipit, *Benedictus Deus*, omnium clarissimam de hac re definitionem exhibuit.

Ex Concilijs, duo Generalia idem confirmarunt, Florentinum sess. vlt. *Item definiuimus illorum animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel ijsdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum, Trinum, & Vnum sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius.* Et Tridentinum sess. 25. in decreto de inuocatione Sanctorum, vbi expressè docet, *Sanctos in cælo vna cum Christo regnare, & æterna felicitate frui.* Cum prius Synodus Francofurdiensis anno 794. in epistola ad Hispaniæ Episcopos hæc scripsisset: *Sufficit nobis Sanctorum Patrum vestigia sequi, & illorum dicta firma tenere, quorum animæ apud Deum, Dei filium, Dominum nostrum Iesum Christum, pro magno pietatis labore regnant in cęlis. Hos ergo sequimini, vt horum doctrinis inconcussa veritate inhęrentes, consortium æternæ beatitudinis cum illis habere mereamini in cælis.*

Plura autem sunt Scripturæ loca, quibus hæc fidei veritas reuelata habetur, eiusque definitio innititur; primùm enim pro animarum reprobarum ad inferos deductione, statim à morte ipsorum, ab ipsomet mundi principio, dicitur Sap. 12. Ver. 23. *Vndè & illis, qui in vita sua insensatè, & iniustè vixerunt, per hæc quæ coluerunt, dedisti summa tormenta.* Et Lucæ 16. *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in Inferno*, &c. quod respondent aduersarij, Christum ibi loquutum fuisse parabolam, narrasseque futura, tanquam præterita, est omnino falsum; nam præterquam asserunt communiter Sancti Patres, Sacrique interpretes, fuisse veram historiã, ex eo adhuc satis liquet, quod in illa referuntur propria nomina Lazari, & Abrahæ, quod fieri nequaquam solet in parabolis. Deindè, etiamsi esset parabola, non potest res, post diem iudicij futuras, enarrare; siquidem Diues ait: *Rogo te Pater Abraham, vt mittas Lazarum in domum Patris mei: habeo enim quinque fratres: vt testetur illis, ne, & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Et respondit Abraham: *Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos.* Et, *si Moysen, & Prophetas non audiunt; neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Quę quidem omnia vera esse nequaquam possunt post diem iudicij; quando nec fratres remanent in mundo; nec audiri possunt amplius Moyses, & Prophetæ, nec aliquis reperitur, qui à mortuis non resurrexerit: gratis igitur admisso, quod esset parabola, in ea Christus talia futura, tanquam præterita enarrare non potuit. Verum tamen est, ea, quæ in hac historia referuntur de oculis, lingua & digito, non esse propriè, sed translatè solùm, seu metaphoricè intelligenda; prout Scriptura in similibus referendis semper vti solet verbis, humanæ locutioni proportionatis. Item vbi dicitur, S. Iudæ Apostoli epist. cath. ver. 7. *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates, simili modo exformicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes*, huiusmodi verbis, clarè significatur, Sodomitarum, atque Gomorrhensium animas iamdiu ignis æterni pœnam sustinere; similiter dum ait Ioannes Apocal. cap. 19. v. 20. *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure*; reuelatum ei fuisse videtur, Antichristum in gehennam ignis mittẽdum fore, etiam ante diem extremi iudicij.

Loca Scripturæ, pro animarum iustorum, mox post mortem, in cęlum receptione, si nihil habent purgandum, aut eo, si habent, in Purgatorio suffi-

cien-

cienter emundato, in statu legis Euangelicæ, quo cęlum prius clausum, per Christi mortem reseratum fuit, habentur Lucæ cap.23. vbi Christus pendens in Cruce ait latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso*, hoc est in æterna futuri seculi vita, illo die inchoanda, eo in loco, in quo iustorum animæ requiescebant, quem alio nomine Iudæi vocabant sinum Abrahæ, perficienda verò, quando cum Christo in gloriosa sua ascensione, captiuam ducente captiuitatem, cęlesti habitatione, claraque ibi Dei visione fruiturus erat. Ibi enim Christum Dominum non fuisse locutum de Paradiso terrestri, in quo Adam positus fuerat, vt explicant aduersarij, sed de spirituali, hoc est æterna Sanctorum gloria, cuius terrestris Paradisus figura fuit, & de quo loquitur Apostolus 2. Corinth. 2. cum ait, *se raptum fuisse in Paradisum*, videlicet supra tertium cęlum, vt antea dixerat, colligitur tũ ex eo, quod Christus promisit latroni consortium suum, cum ait, *mecum eris in Paradiso*, mihi socius in illo nunquam separandus, vt es socius in cruce, ac pœna, Christum enim Dominum non se transtulisse in Paradisum terrestrem, præsertim ibi permansurum, vsque ad finalis iudicij diem, certissimum est. Tum ex eo quod promissio Christi debebat respondere petitioni latronis: Latro autem non petierat Paradisum terrestrem, sed absolutè vnà cum ipso Christo esse, cum ait: *Memento mei, cum veneris in regnũ tuum*; igitur Christus, promittendo illi Paradisum, Regnum suum promisit, id est, summam, & æternam felicitatẽ; sicque, vt ait Ambrosius vberior fuit gratia, quam precatio, plusque ei Dominus tribuit, quam rogatus fuerat; cum enim non auderet dicere, fac me participem regni tui, conscius ipse sibi scelerum, vilitatisque suæ, sed sufficeret ipsi, si Iesus memor ipsius à morte foret, cum venisset in regnum suum, non solùm virtualiter dixit ei Iesus ero tui memor, verum etiam expressè, *mecum eris in Paradiso*, non vsus nomine regni, dicens in regno meo, ne arrogantius admittere videretur oblatum sibi à latrone honorem regis.

Ioannis 12. vers. 26. vbi ait Christus: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit*: cap. 14. v. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus, dixissem vobis.. Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipsũ, vt vbi sum ego, vos sitis*. cap. 17. vers. 24. *Pater quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum*: Sed Christus iam est in cęlo, ibique regnat gloriosus, ergo dum vult, vt vbi ipse est, illic sui sint ministri, & discipuli, dicitque se vadere parare illis locum, necessario sequitur animas iustorum post discessum ex hac vita, non alio recipi, quam in æterna tabernacula, ibique clara Dei visione frui, interim dum ad completam eorum beatitudinem fiat corporum resurrectio, in die finalis iudicij.

Actorum cap. 7. Stephanus morte imminente: *Vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait ecce video Cælos apertos*, non alia certè ratione, nisi vt intelligeremus cęlum antea clausum, iam post Christi mortem, gloriosamque eius ascensionem, reseratum fuisse, Stephanoque patuisse, vt statim post obitum in Paradisi gloriam reciperetur à Domino, ideoque exclamasse; *Domine Iesu suscipe spiritum meum*.

2. Corinth. 5. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*, &c. quorum verborum sensus est, quod, si vita hæc mortalis perit, habemus statim aliam longè meliorem, æternam scilicet in cęlis; Vndè bonum est, cito mori in hoc mundo, vt cito viuamus beati in cælo; non enim ait Apostolus, postquam induti fuerimus corpus immortale in die iudicij, sed mox post dissolutionem terrestris domus nostræ, id est, corporis mortalis, vt absorbeatur, quod mortale est, à vita

nos

nos habituros domum,non manufactã, æternam in Cęlis.

Ad Ephesios 4. vbi dicitur, *Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*, per particulam,in altum,significat Apostolus summum cælum, vt paulò post exponit sic dicens: *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos*. Illuc ergo animas Sanctorum Patrum, quæ respectiuè ad gloriam Paradisi in Lymbo, vel sinu Abrahæ veluti captiuæ detinebantur, secum adduxit, vt interpretantur cõmuniter Patres.

Ad Philippenses cap. 1. ait Apostol. *cupio dissolui, & esse cum Christo*, non per gratiam,quam iam habebat,sed per gloriam, quam post mortem, seu dissolutionem corporis expectabat; alias cum Christum in cęlis esse dubium nõ sit, frustra cum illo esse desiderasset Apostolus, si mox post mortem id non obtinuisset, sed eius anima expectare alibi debuisset finale iudicium, vt cum Christo in gloria iungeretur, & illud assequi posset, quod promiserat idem Dominus Ioann. 12. dicens, *vbi sum ego, illic, & minister meus erit*.

Ad idem pertinent; quæ habentur epistola ad Hebræos cap.4.9.v.8.& 15. cap.12. vbi ait, Ecclesiam Sanctorum, & iustorum perfectorum esse iam in cælesti Ierusalem; *Accessistis*, inquit, *ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, &c.*

Scripturę accedit traditio, docentibus vnanimiter Patribus, hanc veritatem tanquam diuinitus reuelatam, deque illa, & iuxta illam debere intelligi pręfata Sacræ Scripturæ loca. Ex Gręcis, sunt Dionysius Areopagita lib. de Eccles. Hierarch. cap. 7. par. 1. vbi loquens de Sanctis, ac iustis, in mortis articulo constitutis ait: *Norunt profectò, se totos percepturos exactissimam, ad Christi speciem, requiem,cum ad pręsentis vitę finem peruenerint*. Ignatius in epist. ad Romanos anhelans ad martyrium: *Aqua viua*, inquit,*manens in me,intrinsecus mihi dicit: veni ad Patrem*, &c. Irenæus lib.1.cap.2. *Iustis, & ęquis, & præcepta eius seruantibus, & in dilectione eius perseuerantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam donans,in corruptelam loco muneris confert, & claritatem æternam circumdat*. Vbi notandum *quibusdam quidem ab initio*, quoniam ijs, qui mox à baptismo moriũtur; vel qui pro Christo vitam ponunt; vel qui denique ita sunt perfecti, vt nihil purgandum habeant, statim donatur vita, & claritas æterna,aliis nonnisi post pœnitentiam, hoc est satisfactionem in futuro sæculo pœnis Purgatorij redditam. Vnde quod ait idem Irenæus lib.5. c.31. *Et discipulorum eius, propter quos hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum, definitum ijs à Deo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur*; non significat Sanctorum animas interim non esse in cælo beatas, ni velimus dicere eum sibi contradicere, sed præfatorum verborum sensus est, vel eas non esse in illa perfecta beatitudine, in qua est Christus, qui anima & corpore est beatus, cum id iusti habituri sint tantum in die resurrectionis;vel per inuisibilem locum, definitum ijs à Deo, vsque ad resurrectionem, intelligendũ esse cælum, quatenus lib.2. cap.63. per hæc, quæ narrat Lucas cap.16. de diuite, & Lazaro iam asseruerat,*manifestissime declaratum esse, perseuerare animas, & non de corpore ad corpus transire*, &c. *& dignam habitationem vnamquamque gentem percipere etiam ante iudicium*. Eusebius Cęsariensis lib.10.Histor.Eccles. cap.2. *Verum hi Sancti Martyres*, &c. & lib.1. vitæ Constantini cap.1. Athanasius tam in vita S. Antonii, vbi refert animam Ammonis, Angelis stipatam visam fuisse ab illo, pergere ad Cęlum, quàm super illud Matth.11.*Omnia mihi tradita sunt à Patre*. Cyrillus Hierosolymit. Catecheſi 13. ad illud Lucę 23. *Amen dico tibi hodiè mecum eris in Paradiso*. Ephrem Syrus in serm. de ijs, qui in Christo obdormierunt: *E terra exierunt, & iam supernam Ierusalem inhabi-*

habitant: vitę præsentis vanitatem reliquerunt, & ad supernam beatitudinem peruenerunt. Basilius homil. in 40. Martyres: *Vos non terra contexit, sed cœlum excepit. Aperta sunt vobis Paradisi portæ;* & orat. in Gordium Martyrem: *Erat enim affectus, non vt qui in lictoris manus deuenturus esset; sed velut Angelorũ manibus seipsum commissurus; qui statim ipsum, recens mactatum assumptum ad beatam vitam translaturi essent.* Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Cęsarii fratris in fine: *Tu vero sacrum, & diuinum caput è cęlo quæso nos respice*, &c. orat. in laudem Gorgonię sororis, & S. Basilii. Epiphanius hęresi 78. Gregorius Nyssenus orat. funebri in Magnum Meletium. Ioannes Chrisostomus ad cap. 12. Ioannis: *Vbi ego sum, inquit Christus, illic & minister meus erit. Vbi Christus? in cęlis, ergo ante resurrectionem illuc anima, & mente transferemur*, tum serm. 3. in epist. ad Philipp. *Peccatores vbi sunt?* &c. & serm. 4. *Et quid eligam ignoro. Quid ais? cum hinc abiens ad cœlum sis migraturus, & cum Christo futurus, ignoras quid eligas? sed longè nos absumus à Pauli anima.* Marcus Eremita in pręceptis salutaribus: *Passionis Christi emolumenta sunt, inferni, mortisque spoliatio, earum quæ cum Domino venerunt, animarũ assumptio in cœlos*, &c. Synesius hymno 3. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 36. *Certam huius rei spem habeamus, firmiter credentes, in manibus Dei nos post mortem futuros, vitamque multo meliorem, ac perpetuo cum Christo victuros. Ideo enim Paulus desiderauit resolui, & esse cum Christo.* Isidorus Pelusiota epist. 151. Theodoretus lib. 8. Gręcarum affectionum: *Animę trimphatorũ Martyrum in cœlesti nunc patria vitam agunt, Choris insertæ Angelorum*, &c. Basilius Seleuciensis de Lazari exuscitatione: *Iustus è viuis excedens ad Angelorum cętus hinc transmigrat.* Cyrillus Eremita vitę Ioannis Salentiarij cap. 13 *Dum ea de re Deum rogaret*, &c. Leontius Cyprius vitę Simeonis Sali c. 46.

Eustachius Presbyter orat. in S. Eutychium. Ioannes Damascenus, aut alius historiæ Barlaam cap. 40. Theostericus orat. funebri in S. Nicetam, *cum verò tempus venisset, quo dissolui haberet*, &c. Theodorus Studites orat. funebri in S. Platonem cap. 47. *Et nunc ille quidem in cœlis est*, &c. Michael Syngelus in encomio Dionysij Areopagitę, *O Sanctum & diuinum caput*, &c. Theophilactus ad cap. 23. Lucæ. *Dicendum est idẽ esse regnum Cœlorum, & Paradisum. Latro quidem est in paradiso, hoc est regno*, &c. Oecumenius ad cap. 9. ad Hebr. *Quod in Sancta Sanctorum Pontifex solus ingrediebatur, typus fuit, quod solus Christus, verus ille Pontifex, ipsum penetrauerit cœlum. Sed reliquum iam est, vt reuersus, hominum secum genus adducat. Fuerat enim ante inuium, nunc verò per Christum peruium factum est.* Græci, qui Concilio Florentino interfuerunt, sessione vltima, *Ex nobis ipsis proferimus, iustorum animas perfectam laureolam, in cœlo iam consecutas esse, ac impiorum perpetuas pœnas luere.* Gennadius Scholarius de Sanctorum fruitione sectione 2. & 3.

Ex Latinis, Cyprianus serm. de mortalitate, *Considerandum est*, &c. in lib. de exhortatione Martyrij cap. 12. *Quis non omnibus viribus elaboret, vt cũ Christo statim gaudeat: vt post tormenta, & supplicia terrena, ad pręmia diuina perueniat?* &c. *Tam velociter migrandi quanta fœlicitas; vt terris repente subtraharis, & in regnis cœlestibus reponaris.* Zeno Veronensis serm. de S. Arcadio Martyre: *O dignus gloriosi exitus finis*, &c. Hilarius psal. 64. & 124. loquens de Apostolis, alijsque Sanctis, *Quomodo possumus*, inquit, *montes non eos significatos esse, intelligere; qui super terrenã naturam gloriosi, iam in Dei rebus exultant?* Ambrosius ad cap. 22. Lucæ, *Vnde te euocem Petre*, &c. orat. de fide resurrectionis, *Ego malim de vestro merito melius iudicetis*, & lib. 7. epist. 59. de S. Acholio; *Est igitur Acholius iam Superiorum incola, possessor Ciuitatis eter-*

æternæ, illius Ierusalem, quæ in cælo est, &c. Hieronymus epist.3. ad Heliodorũ cap.3. *Ante Christum Abraham apud inferos; post Christum latro in Paradiso* &c. epist.24. de obitu Leæ, & 25. Blesillæ. 27. ad Eustochium in Epitaphio Paulæ cap.14. Gaudentius Brixiensis tract. in dedicatione Basilicę Concilij Sanctorum, *In medijs cruciatibus* &c. Chromatius ad cap.5. Matth. *Quia omnia, quæ pro nobis Dominus egit in Sacramentum salutis nostræ ostensa cognoscimus, in eo quod baptizato Domino Cæli aperti sũt, idem monstratur, quia renatis in baptismo cælorum regna paterent, quæ nobis filius Dei in corpore ad cælum ascendens primus aperuit*. Augustinus passim, sed præsertim lib.20. de Ciuitate Dei cap. 13. *Animæ Victrices* &c. lib.meditat. c. 23. *felix anima* &c. in Psal.83. super illud: *Beati, qui habitant in domo tua Domine*, Et lib.2. quæst. Euangelic. cap.38. *Dicentes enim Angeli, quid statis intuentes in cælum? quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum vsque in illud penetrare secretum, quo ibat Dominus, cum in conspectu discipulorum ferretur in cælum. Iam cætera secundum superiorem expositionem accipi possunt; quia secretum Patris bene intelligitur, vbi etiã ante resurrectionem iustorum animæ viuunt cum Deo*. Paulus Nolanus in martyrio S.Genesij, *In eo loco exoptato* &c. Petrus Chrysologus serm. 66. *Postquã Dominus, resurgens à mortuis, aperuit infernum, patefecit cælos, Paradisi claustra reserauit, dedit Sanctis Paradisi intrare requiem, ad cæli gloriam peruenire*. Leo Magnus serm. de Ascensione Domini cap.4. & de S.Laurentio capit. 4. Gennadius Massiliensis de Ecclesiast. dogmat. cap. 78. Fulgentius serm, de S. Stephano. Salonius in Ecclesiasten, *Spiritus filiorum Adam non simul cum corpore dissoluitur, sed mox vt egreditur de corpore, aut deducitur ad gloriam, aut demergitur ad pænam*. Fortunatus lib.8. de Senatu curię cœlestis, Gregorius Magnus in Psal.4. pœnitentialem, *Beatitudo*, inquit, *& animabus Sanctorum ante resurrectionem tribuitur, & corporibus nihilominus post iudicium conferetur*. lib. 13. in Iob. cap. 15. *Quia auctoris nostri gratia redempti sumus, hoc iam cælestis muneris habemus, vt cum à carnis nostræ inhabitatione subtrahimur, mox ad cælestia præmia ducamur* &c. item lib. 4. dialogor. cap. 25. *Perfectorum animę mox vt huius carnis claustra exeunt, in cælestis regni sedibus recipiuntur: quod & ipsa per se veritas attestatur dicens* Luc, 17. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Quia vbi ipse Redemptor noster est corpore, illuc proculdubio iustorum colligũtur animæ. Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Qui ergo Christum in cælo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cælo negat*. Isidorus Hispalensis lib. 1. de summo bono cap.16. Iulianus Toletanus lib.2. Prognosticon cap.1. Beda lib. 3. hist. Anglic. cap.8. de transitu Earcongotis filiæ regis. Alcuinus lib. de offic. Ecclesiast. cap.18. Ambrosius Ansbertus lib. 4. in Apocal. cap.7. *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ &c. Ante resurrectionem quippe stolas singulas accepisse perhibentur electi: quia in sola adhuc anima æternis beatitudinibus perfruuntur: binas autem in resurreptione accepturi sunt, quando cum animarum perfecto gaudio etiam corporis incorruptione vestientur*. Haymonius Dominica Septuagesimæ; Hincmarus in vita S. Remigij: *Nam vt taceamus* &c. Rabanus Maurus lib. 4. de vniuerso cap.10. Hucbaldus vitæ S. Lebuini cap.15. Abbo Floriacensis vitæ S.Eadmundi cap.16. Petrus Damianus serm.2. de S. Appollinari. Anselmus ad caput.5.1. Corinth. ad capit.1. epist. ad Philipp. & 12. ad Hebræos. Honorius Augustodunensis lib.1. synopsis mundi cap.139. Hugo Victorinus de claustro animæ cap. 41. *Luce clarius constat, quod perfectorum iustorum animæ, mox vt huius claustra carnis exeunt, cælestibus sedibus recipiuntur. Hoc autem ipsis iustis pro retributione suæ iustitiæ crescet in die iudicij, quod nunc animarũ sola, postmodum verò etiam corporum beatitudine*

titudine perfruentur. Bernardus serm. in vigilia SS. Petri, & Pauli; & serm. 2. de Sancto Victore. Alexander Alesius par. 4. summæ q. 15. membr. 4. art. 4. §. 4. *Iudicium illud erit quantum ad consummatam glorificationem in anima, & carne, quam nondum habent mortui: quamuis animæ iam sint beatæ in cælo.* Thomas Aquinas supplementi quæst. 69 ar. 2. En quot & quantis Patrum testimonijs diuina præsentis veritatis ad nos peruenit traditio, quàm licet vni, clarius alijs, quandoque expresserint, omnes tamen simul illam sufficientissimè contestati sunt.

Vnica huius veritatis ratio à priori est voluntas diuina; cum enim rẽ vtroque modo fieri, nihil repugnaret, nullamue contradictionem inuolueret, de facto Deus, secundum quod ex huc vsque dictis ab eo reuelatũ nobis fuit, voluit, vt in statu legis Euangelicæ, statim ac animæ iustorum absoluerentur à corpore, ad cœlos euolarent, nisi impedirentur aliquo reatu, vel macula, qua oporteret euolationem differri, prius in purgatorio diluenda.

Rationes autem congruentiæ talis voluntatis, à citatis Patribus allatæ, duæ sunt præcipuæ; prima desumitur ex infinita perfectione redemptionis Christi, qua iam realiter per mortem eius consummata, conueniens erat, vt deinceps iustorum animæ, statim per discessum ex hac vita, illic essent, vbi & Christus, iuxta promissionem eius, nam, vt ait Marcus Eremita, *Passionis Christi emolumenta sunt, inferni mortisque spoliatio, earum, quæ cum Domino venerunt, animarum assumptio in cælos.* Vndè cum ante Christi aduentum defleretur potius dies mortis Sanctorum, & iustorum, vt notauit S. Basilius orat. in S. Barlaam, nunc in Ecclesia summa cum lætitia celebratur. *Mosque Ecclesiasticus,* inquit Alcuinus superius citatus, *obtinuit, diem illum non funebrem, sed natalitium appellare. Iure enim nasci dicuntur, qui de pressuris huius mundi, tanquam de angustijs cuiusdam arctissimi ventris, ad illam spatiosissimam, & lucidissimam cælestis habitationis, emittuntur latitudinem.*

Altera ratio congruentiæ desumitur ex hoc, quod iusti habuerunt iam in hac vita meritum æternæ beatitudinis, cùm in alia vita non sit nouis meritis locus, verum hæc ratio non valet, nisi præsupposita prima, nam etiam in veteri testamento iusti morientes habuerant iam in hac vita meritum æternæ beatitudinis, & tamen illam statim non obtinebant. In tantum igitur Deus voluit, vt nunc animæ iustorum, statim post merita huius vitæ, æternam reciperent beatitudinem, tanquam coronã certaminis, & mercedem laboris, in quantum cœlum antea clausum, post Christi mortem, gloriosamque Ascensionem patefactum est, vel, vt diximus ex Gregorio Papa lib. 13. in Iob. c. 15. *auctoris nostri gratia redempti sumus;* hoc enim sublato impedimento, non erat cur post militiæ certamina, & mercenarij laborem statim non redderetur iustis corona, & merces, sed expectare illam deberent vsque ad sæculi consummationem.

Superest, vt nonnullis aduersariorũ obiectionibus satisfaciamus, contra huc vsque dicta de retributione pœnæ, vel præmij ante iudicium vniuersale, reddenda in iudicio particulari cuiusque mox post obitum. Prima eruitur ex cap. 8. S. Matth. vers. 29. vbi duo habentes dæmonia occurrentes Christo dixerunt ei, *cur venisti huc, ante tempus torquere nos?* & Lucæ cap. 8. v. 31. *rogabant illum ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* Inde enim colligi videtur dæmones nondum fuisse punitos, sed puniendos reseruari in diem iudicij, atque adeo prauos etiam homines; cumque eadem ratio videatur esse de præmio beatitudinis, iustos quoque illud tantùm reportaturos eodem die.

Respondetur ad hanc obiectionem, quod sicut Sãcti Angeli iam nunc glorificantur in cælis, & Dei faciem intuentur, iuxta Christi Domini testimonium,

nium, qui ait Matth. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei*; ita consequenter perspicuum est, omnes præuaricatores Angelos, iam nunc inferni pœnis subiacere, nec oppositum colligi potest ex præfatis scripturæ locis, aut alijs similibus; sed tantum in inferno, ibi per abyssũ significato, quosdam eorum agere, vt habetur Apocaly. 20.v. 3. cum animabus eorum, qui in impietate decesserunt, alios verò ad nostram exercitationem in aere hoc inferiori versari, ita docente Apostolo Ephes. cap.2.v.2. & cap.6.v.12. qui tamẽ ijsdem cum alijs excruciantur pœnis, suã secum vbique portantes gehennam, extremo tandem Christi iudicio Apocaly. 20.v. 10. inferni carceribus detrudendos, concludendosque, ne amplius noceant. Quod ergo dæmones citato Lucæ loco abyssum deprecantur, non eo spectat, quod iam inferni pęnis non torqueantur, sed quod ipsis volupe sit inter homines versari, vt illos seducant, & ad se plures semper pertrahant: id quod in abysso non possunt, vbi nulli sunt, quos seducant, sed seducti duntaxat, quibus, secum puniendis, præsint. Amare autem videntur regiones illas præ alijs, in quibus mores hominum, propter longam consuetudinem, perspectiores habent, ac vbi maior est eis nocendi occasio, & spes, dum Marci c. 5. *deprecantur Christum multum, ne se expelleret extra regionem*.

Objiciunt secundo Matth. cap. 25. haberi; *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ad inuicem* &c. *tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi* &c. *& his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*. Ex quo manifestum esse videtur, in finali tantùm iudicio, & non antea, futuram esse operum retributionem.

Respondetur, die nouissimo futurum esse iudicium, & examen omnium hominum generale, quo omnes simul a Christo palam iudicabuntur, & cuilibet præmia, vel pęnæ publicè reddentur, & integrè; nunc enim solum animę iudicantur, & præmij, aut pœnæ partem accipiunt, & hoc est, quod probant tũ allatæ scripturæ, tum aliæ similes; quæ tamen minimè negant, ante generale illud iudicium, præcedere aliud particulare immediate post vniuscuiusque mortem, quo singulæ animæ, à corporibus separatę, priuatim à Deo iudicẽtur, vel in infernum detrudi, vel in cælum recipi, vel esse recipiendas, post exsolutas in Purgatorio debitas pœnas. Nec propterea frustraneum fore vniuersale iudicium dicetur in solutione vltimæ obiectionis.

Objiciunt tertio, quod vnusquisque illico à morte, operum suorum retributionẽ accipiat, id contradicere Apostolo dicenti 2. Corinth. cap. 5. vers. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, pro vt gessit, siue bonum, siue malum*. Non igitur in anima solum reportabit, vt dicimus nos, sed in anima cum suo vnita corpore, in die vniuersalis iudicij, quo, vt ait idem Apostolus Roman.14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*.

Respondetur primò si præfatus Apostoli locus legatur iuxta translationem Syriacam, qua vtuntur Armeni, & in qua loco, *propria corporis*, habetur, *in suo corpore*, facit potius pro nobis, quàm contra nos, dum enim dicitur, quod post resurrectionem, recipiet vnusquisque in suo corpore id, quod gessit; implicitè significari videtur, quod in anima hoc idem recipiat ante resurrectionem in iudicio particulari; de quo nonnulli etiam intelligunt illud eiusdem Apostoli ad Hebr. 13. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium*. Si autem legatur ex vulgata nostra, *propria corporis*, sensus est, quod referet vnusquisque pœnam, vel præmium se-

cundum

cundum ea, quę gessit viuens in corpore, quatenus post dissolutionem ab eo, non datur amplius nouis meritis locus. Quæ quidem verba, vna cum alijs ex epist. ad Romanos citatis, tam de vniuersali iudicio possunt intelligi, quã de particulari post mortem; de quo Hieronymus in cap. 2. Ioelis ait: *Quod in die iudicij futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur*, & Chrysostomus homil. 14. in Matth. *Omnes animæ, cum hinc emigrauerint, ad terribile illud ducentur tribunal.*

Obijcitur quartò locus eiusdem Apostoli ad Hebræos cap. 11. vbi enumerans iustos ab Abel vsque ad Prophetas ait in fine: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* Si enim illi, vt adducta verba sonare videntur, nondum suorum laborum præmium acceperunt, ne soli sine alijs glorificati fuissent, sequitur, nec vllum etiam sanctum illud accepisse, nec vsque ad diem iudicij accepturũ; vt tunc omnes simul glorificentur.

Respondetur primò Apostolum ibi significare voluisse, nullum hominem quantumuis justum, ante Christi mortem, & in cœlum ascensionem, beatitudinis repromissionem obtinuisse, sed tantum post illam, Deo pro nobis Christianis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis, id est ante nos glorificarentur, cum hoc sit fructus passionis Christi, specialeque priuilegium legis Euangelicæ præ veteri. Secundò dici etiam potest locutum fuisse Apostolum de beatitudine integra, & consummata, animæ scilicet, & corporis, quæ habebitur post resurrectionem, cuius repromissionem sancti veteris testamenti non acceperunt, quasi iam resurrexissent, sed tantum habituri sũt cum cæteris noui testamenti iustis, & sanctis in die iudicii vniuersalis. Cæterum non negat Apostolus, Sanctos ante illud tempus secundum animas esse beatos beatitudine partiali, essentiali tamen, quæ in visione & fruitione Dei consistit, vt satis ostendimus supra, ex varijs eius, nec non aliis scripturæ locis.

Obijcitur quinto illud Apocal. 6. v. 9 *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo Domine (Sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albę: & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.* Ex quibus verbis duo inferunt aduersarij, primò animas Sanctorum Martyrum visas à Ioanne fuisse, non in cælo, sed subtus altare, hoc est, in loco aliquo sublunari, quicumque sit ille, quiescere. Secundò, eas, vbicumque sint, nondum esse beatas, sed expectare, vt glorificentur, diẽ iudicij, quando numerus Martyrum expletus erit.

Respondetur, quinto sigillo aperto, animas Martyrum ibi petere accelerari iudicium finale, non vt in eo beatitudinem animæ, qua iam fruuntur, accipiant, sed per corporis resurrectionem vindicetur sanguis eorum de illis, qui eum effuderant, quasi credentes, eos in carne nunquam esse resurrecturos.

Ad primum, quod inferunt aduersarij, dicitur, per *altare* minimè significari locum aliquem sublunarem, siue is aër sit, siue Paradisus terrestris, siue altaria ipsa, prout diuersimode aduersarii illud explicant; sed in hac visione symbolica, pro altari holocaustorũ terrestri, in quo corpora Martyrum immolata, & sepulta sunt, sumitur altarę thymiamatis Templi cœlestis, in quo propriè animæ ipsorum, stolis albis indutæ, hoc est, cęlesti, & æterna gloria coronatæ, dicuntur quiescere, cum enim Deus nos fecerit ad se, inquietũ est cor nostrum, donec æternaliter in eo quiescat. Idque satis declaratur ex eo, quod de iisdem Martyribus subditur

tur cap. 7. ſubſequenti; *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & vnde venerunt?* & reſponſum fuit; Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas *ſuas in ſanguine Agni: ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die, ac nocte in templo eius.* In hoc igitur cæleſti templo aſſiſtunt beatæ animæ apud altare thymiamatis, offerentes Deo thymiama laudum, & orationum, vt clarè explicatur cap. 8. *dataque ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, quæ gloriam animę ſignificant*, & dictum, *vt requieſcerent adhuc tempus modicum*, hoc eſt vſque ad reſurrectionem, quo alteram ſtolam, id eſt, gloriam corporis, adimpleto iam conſeruorum numero, accepturi erant; vt nonnulli Patres ſuperius citati interpretantur hunc locũ, Auguſtinus ſerm. 4. de feſto Innocentium, Gregorius Magnus in 4. Pſalm. Pœnitentialem, Ambroſius Ansbertus lib. 4. in Apocal. cap. 7. Dionyſius Carthuſianus ad cap. 6. Apocal.

Obijciunt ſextò Tertulliani, & Origenis authoritatem; reſpondetur vtrũque præcipuè Tertullianum; re nondum ab Eccleſia definita, aut ſufficienter explicata, perplexum, ac dubium in ea fuiſſe, lib. 4. contra Marcionem cap. 34. Carmine contra eumdem de Iudicio Domini, in Apologetico cap. 47. & in lib. de anima cap. 2. verùm hi non præponendi, quidquid ſenſerint, ſed omnino poſtponendi ſunt cæteris Patribus à nobis relatis, qui hanc veritatem clarè, & expreſsè tanquam diuinitus reuelatam vnanimiter docuerunt. Inter quos cum ſit Diuus Auguſtinus, vbi in Enchiridione ait: *quod tempus inter hominis mortem, & vltimam reſurrectionem interpoſitum, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquæque digna eſt requie, vel ærumna*: Malè arguunt aduerſarii, hæc abdita receptacula non poſſe intelligi Paradiſum, & infernum: quia, inquiunt in illis, etiam poſt reſurrectionem vltimam, animæ cum corporibus erunt: ne igitur pro nihilo diſtinguat tempus ante reſurrectionem, & poſt reſurrectionem; vſque ad diem Iudicii non erunt nec in Paradiſo, nec in inferno. Reſpondetur enim per illa verba, quod animæ abditis illis receptaculis continentur, ſicut vnaquæque digna eſt requie, & ærumna, ſatis denotari per huiuſmodi receptacula, de quibus Auguſtinus loquitur, tàm Paradiſum, vbi requies, quàm infernum, vbi ærumna, in quibus animæ aliquæ ante reſurrectionẽ continentur. Ideo autem diſtinguitur tempus ante reſurrectionem, & poſt: quia ante reſurrectionem ſunt ibi ſine corpore, poſt autem erunt cum corpore; & quia in aliquibus receptaculis nunc ſunt animę in quibus poſt reſurrectionem non erunt; vt explicat Diuus Thomas ſupplementi quæſt. 69. art. 2. ad 2.

Septimò, & vltimo obiicitur, ſequi ex veritate catholica, qua aſſeritur ſtatim poſt mortem quemlibet iudicari; & reddi vnicuique retributionem ſecundùm eius opera, quod fruſtra eſſet iudicium vniuerſale in nouiſſima die; quo nihil abſurdius dici poſſe videtur, tàm clarè diuinis vbique ſcripturis teſtantibus illius maieſtatem.

Reſpondetur, vt loco citato obſeruat Diuus Thomas ad 4. Gregorium Papam eamdem obiectionem ſibi propoſuiſſe, & ſoluiſſe lib. 4. dialogor. c. 25. *Si igitur*, inquit, *nunc ſunt in cælo animæ iuſtorũ, quid eſt quod in die iudicij pro iuſtitiæ ſuæ retributione recipient?* & reſpõdet, Hoc eis nimirùm creſci in iudicio, *quod nunc animarum ſola, poſtmodum verò etiam corporum beatitudine perfruentur: vt in ipſa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino, cruciatuſque pertulerunt.* Adeò vt ſufficiat, ne iudicium vniuerſale, etiam ſi particulare in morte præceſſerit, fruſtra ex parte hominis fieri dicatur, quod in illo totus homo, ex anima, & corpore conſtitutus, ſit iudicandus; & pœnam, aut præmium ſuũ integrum recepturus, cùm poſt mortẽ ſolùm animæ iudicentur, & præmij, aut pœnæ partem reportent. Dixi, ex parte

te

te hominis, quia præter hanc, licet alias plenè sufficere posset ad institutionem iudicij vniuersalis, non desunt aliæ plures causæ, ob quas de facto Deus illud voluit, & consequenter frustraneum nequaquam potest dici. *Prima* vt clarificetur filius hominis coram toto mundo, & qui in primo aduentu cum iniquis reputatus fuerat, & tanquam reus, iniustè iudicatus, appareat in secundo gloriosus, & iustus omnium iudex. *Secunda*, ad maiorem laudem bonorum, & ignominiam malorum: vt nimirum iusti, & sancti, qui in suis certaminibus spectaculum facti sunt mundo, & Angelis, & hominibus, similiter etiam coram omnibus illis victores, & triumphatores agnoscantur in die finalis iudicij. *Tertia* ad diuinę iustitiæ manifestationem, & si enim Deus nihil sine iustitia, & æquitate agat, causæ tamen propter quas operatur, vniuersos homines communiter latent: ignorant enim, cur hic, qui bonus est, ac pius, sit pauper, & cur ille, qui malus est, ac impius, sit diues; cur in iudicijs humanis interdum innocentes opprimantur, & nocentes absoluantur: cũque hæc, & similia considerando, temere de Deo, eiusque prouidentia nõnunquam iudicent, propterea Deus generale statuit iudicium, in quo iustissimas horum omnium causas declarabit, adeò vt cogentur homines tunc exclamare, *Omnia in sapientia fecisti, Domine, ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ, quam incomprehensibilia sunt iudicia tua!* Et sic præclarè docet Diuus Augustinus diem hunc vltimum merito vocari diem iudicij, eo quod in eo rationes rerum omnium ita euidenter apparebunt, vt nullus amplius querelę dabitur locus. *Quarta* vt finis mundi suo correspondeat principio, omnia enim Deus in orbem, seu circulum condidit: vndè cum in principio mundi, duo intercesserint: Primum, vniuersalis omnium rerum creatio, & deindè vniuscuiusque hominis in singulari productio, sicuti huic singulari productioni respondet particulare iudicium, quod fit in morte vniuscuiusq; ita etiam vniuersali rerum creationi respondebit vniuersale iudicium, in quo homines, tanquam iudicandi cõparebunt; vt rectè explicat Diuus Thomas in 4. dist. 47. quæst. 1. art. 1. & supplementi quæst. 88. art. 2. responderq; ad primum, non propterea Deum bis iudicare in idipsum, quia nec priorem suam mutabit sententiam, nec duas pro vno peccato inferet pęnas, quomodo intelligi debet Nahum Propheta dum ait cap. 1. *Non iudicat Deus bis in idipsum, & non consurget duplex tribulatio.* Sed tantum pęna, quæ ante iudicium complete inflicta non fuerat, in vltimo iudicio complebitur, postquam impij cruciabuntur, quo ad corpus, & animã simul.

Quoniam autem huc vsque dicta plusquam sufficiunt ad refutationem propositi erroris, nec ad illam necessariò conducunt, quæ inter Doctores salua fide disputari solent, circa iudicium particulare, quod in morte vniuscuiusque fieri necesse est, vt dignam operum suorum retributionem accipiat; de illis tomo sequenti agemus, vbi breue totius Theologiæ inter Catholicos cõtrouersæ compendium Deo iuuante daturi sumus.

CAPVT XXVI.

Statuitur aduersus Armenos, Christum, cum descendit ad inferos, non omnes indè animas liberasse, tùm bonas, tùm malas, nec inferni locum ab eo ita destructum fuisse, vt deinceps substituta sit aeris regio ad animas peccatorum, seu reproborum excipiendas.

PRo intelligentia, & resolutione huius controuersiæ, supponimus Christum Dominum quo ad animam, in triduo descendisse ad inferos, etsi enim Caluinus id neget, sectione sequenti refellendus, admittunt tamen tanquam fidei articulum Armenij, cum quibus

quibus modo agimus; ficut etiam, quod ante Chrifti mortem, præfatumq; eius ad inferos defcenfum, omnes humanæ animæ, fiue iuftæ, fiue iniuftæ illuc è corporibus demigrarent; eo enim ipfo quod afferunt Chriftum ad inferos defcendentem, omnes indè animas liberaffe, neceffariò concedere tenentur, ibidem quoque eas fuiffe, id eft in inferioribus terræ vifceribus; fic enim ait Iacob Genef. 37. *Defcendam lugens ad filium meum in infernum*, hoc eft ad Iofeph, quem credebat à feris deuoratum, & iam inter mortuos effe. Et Iob. cap. 17. *Infernus domus mea eft*. Et Chriftus Lucæ 16. *Mortuus eft diues*, *& fepultus eft in inferno*.

Secundò fciendum eft, quod nec inficiantur omnes faltem aduerfarii, in inferis hoc modo fumptis, pro vifceribus terrę, diuerfa tunc fuiffe animarum poft hanc vitam receptacula.

Primum fuit pro damnatis, quod cæteris eft inferius, & propriè infernus dicitur; de quo ait Propheta Pfal. 83. v. *Eruifti animam meam ex inferno inferiori*; hoc eft, ex inferno damnatorum, qui ei pro peccato debebatur. Secundum pro infantibus in peccato originali morientibus, quod dicitur lymbus puerorum. Tertium pro animabus, Deo quidem gratis, fed nondum perfectè in hac vita purgatis; quod appellatur Purgatorium. Quartum denique pro animabus fanctis, quæ decedebant ante Chrifti in Cælum Afcenfionem, quod vocabatur finus Abrahæ, nec non interdum lymbus Sanctorum Patrum.

Etfi enim quandoque in fcripturis, & Patribus hæc receptacula confundātur, & omnia communi inferorum nomine nuncupentur, ea tamen effe diuerfa certum eft, colligiturque manifeftè ex diuerfis pænarum generibus vnicuique proprijs. Nam omnis pæna, aut eft damni folum, aut etiam fenfus, & iterum aut eft æterna, aut temporalis, pro pæna damni, & fenfus æterna datur infernus damnatorum: pro pæna damni, & fenfus temporali, purgatorium: pro pæna folius damni ęterna lymbus puerorum: ac tandem pro pæna folius damni temporali, erat olim finus Abrahæ, qui nunc vacuus eft.

Tertio, loquendo de inferno damnatorum; notandum eft, de fide quidē effe, dari certum aliquem locum, infernum à fcripturis dictum, in quem reprobi per diuinam fententiam cruciandi, ab initio mundi mandati funt, & vfque ad eius finem emandabuntur. Vtrum autem locus hic fit fubtus terram, & circa centrum ipfius, Andreas Duuallius 12. tract. de quatuor nouiffimis quæft. 5. art. 1. docet non pertinere ad fidem, propter nonnullos ex Patribus, qui eum alibi conftituunt, effe tamen adeo certum, vt iam citra temeritatem, à quoquam negari non poffit; nec etiam ab aduerfarijs, fi confequēter loqui velint, nam eo ipfo, quod afferunt inferni locum fuiffe à Chrifto, illuc defcendente, ità deftructum, vt deinceps fubftituta fit aëris regio ad animas peccatorum excipiendas vfque ad diem iudicij, apertè videntur fupponere inferni locum, ante Chrifti aduentum, pro animabus peccatorum deftinatum, fuiffe locum fubtus terram, & circa centrum ipfius. Quod etfi non fupponerent, fed negarent, nihil adhuc faceret ad fubftantiam præfentis controuerfiæ, in qua tantum difputamus, an Chriftus, cum defcendit ad inferos, vbicumque fint, omnes indè animas liberauerit, etiam damnatorū; adeò vt pro illis pænæ inferni non fuerint æternæ, fed tantùm vfque ad illud tempus durare debuerint.

Quartò obferuandum eft; infernum damnatorum non minus à creatione mundi cæpiffe, quam ipfum cælum, non folùm loquendo de eo fecundum fe, nempè centro terræ, fuppofito quod ibi fit, certum eft enim illud effe à creatione mundi, ficut eft elementum terrę; verum etiam de eo, pro vt eft ad cruciandos impios deftinatus, & pro vt in eo productus eft ignis, tanquam inftrumentum diuinæ iuftitiæ, contra ipfos

ipsos impios: Ideoque Christus Math. 25. dicet illis in die iudicij, *Ite maledicti in ignem æternum; qui paratus est diabolo, & Angelis eius*; cum enim Angeli ab initio mundi peccauerint, moxque post suum peccatum igne infernali puniti fuerint, necesse est tunc quoque illum extitisse.

Quintò supponimus probabile quidem esse; vt deducunt Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioann. cap. 36. & alii Patres ex illo Ecclesiastici 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, &c. & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*; quod Christus Dominus descenderit ad omnia prorsus inferorum loca, ac proindè etiam ad damnatorum gehennam; licet non minus probabilis sit opposita sententia Diui Thomæ 3. p. q. 52. art. 2. docentis, Christum substantialiter descendisse solùm ad eam inferni partem, in qua iusti detinebantur, videlicet sinum Abrahæ, & Purgatorium: *Vt quos ipse*, inquit Sanctus Doctor, *per gratiam intus visitabat secundum diuinitatem, eos etiam secundum animam visitaret & loco*. Quare inter nos, & aduersarios, non est quæstio an Christus, nec ne substantialiter descenderit ad infernum damnatorum, & lymbum puerorum; parte enim affirmatiua, vt probabili, imo vt certa adhuc admissa, non sequitur propterea eum omnes inde animas liberasse, cum talis descẽsus ob alias potuerit fieri causas, & de facto fuerit, nimirum, vt Christus, sicut viuorum, ita etiam mortuorum dominatum acciperet, & quasi possessionem caperet totius regni sui; tùm vt damnatos, qui iussu ipsius in carceribus, & tormentis tenebantur, incredulitatis, & impietatis argueret; terroremque Gehennæ, ac dœmonibus ipsis iniiceret, non autem vt eos conuerteret, & liberaret, vt probabimus infra. Vnde, sicut habetur citato Ecclesiastici loco, inspexit quidem omnes dormientes, sed non illuminauit, nisi sperantes in Domino sanctas animas, quibus gloriæ lumen cum beatifica visione largitus est, vt docent Theologi 3. par. q. 52. art. 8.

Sextò, & vltimò certum est de fide, quod Christus sinum Abrahæ penetrans inde liberarit omnes iustos; secumque illos in die Ascensionis conduxerit in cælum: vt ostendimus superiori capite; concedimusque etiam tanquam probabile aduersariis, liberasse quoque omnes pias animas à Purgatoriis pęnis; quamuis opinio Diui Thomæ 3. par. q. 52. art. 8. sit probabilior, docentis accidere quidem potuisse, vt Christus aliquas animas ex Purgatorio liberarit, si ex deuotione peculiari ad futuram Christi passionem, id illæ meruissent in hac vita, vt tunc liberarentur, cum Christus in eum locum descenderet; non autem omnes; quia Christus non aliquid cõtulit vlli, nisi quod meruerat passione sua. Passio autem eius non habet temporalem virtutem, & transitoriam, sed sempiternam: secundum illud Hebræor. 10. *Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos*. Et sic non habuit tunc maiorem efficaciam passio Christi, quam habeat nunc. Ideoque illi, qui fuerunt tales, quales nunc sũt, qui in Purgatorio detinentur, non fuerunt à Purgatorio liberati per descensum Christi ad inferos. Si qui autem inuenti sunt tales, quales etiam nunc virtute passionis Christi à Purgatorio liberantur, tales nihil prohibet per descensum Christi ad inferos à Purgatorio esse liberatos.

His ita prænotatis, tota huius controuersiæ difficultas in hoc consistit, an anima Christi descendens ad inferos, sicut animas sanctas, quæ in sinu Abrahæ erant, inde eas liberauit, essentialem beatitudinem, ac cętera animæ dona, quæ illam consequuntur, eis cõferendo, vt probauimus superiori capite, ita quoque eduxerit de inferno animas damnatorum, comprehendendo sub damnatis, etiam pueros cum solo peccato originali vita functos, quia li-

cet in pœnę modo ab aliis differant; tamen in æternitate pœnæ damni eadem est de illis, ac de cæteris ratio, & conditio; locoque inferni deinceps substituerit aëris regionem, ad animas impiorum excipiendas. Circa quod multi falsi Armeniorum magistri superiori capite citati partem affirmatiuam docent, nos autem negatiuam, scilicet, animam Christi descendēdo ad inferos non eduxisse de inferno animas damnatorum, nec mutasse eius locum. Quę sententia intellecta secundum ordinariam legem, atque vniuersaliter de omnibus damnatis (vt possit esse locus alicui priuilegio) est certa de fide. Propter quod Diuus Augustinus libr. de hæresibus. 79. inter illas ponit, quæ asserit, Christo descendente ad inferos, credidisse incredulos, & omnes inde fuisse liberatos, secutus Philastrium lib. de hæresib. cap. de descensu Christi ad inferos.

Expressa huius veritatis definitio habetur lib. 6. Regesti epist. Gregorii Magni, epistola 15. ad Georgium, & Theodorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clericos, his verbis: *Post discessum vestrum, dilectissimis filijs meis Diaconis narrantibus, agnoui, quod dilectio vestra dixisset, Omnipotentem Dominum Saluatorem Nostrum Iesum Christū, ad inferos descendentem, omnes, qui illic confiterentur eum Deum, saluasse, atque à pœnis debitis liberasse. De qua re, volo, vt fraternitas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos, solos illos per suam gratiam liberauit, qui eum & venturum esse crediderant, & præcepta eius viuendo tenuerant.* Quod etiam prius in Concilio Toletano IV: can. 1. definitum fuerat; explicans enim specialiter illud Symboli Apostolici *Descendit ad inferos*, vbi mox subiungit, *vt sanctos, qui ibi tenebantur, erueret*, satis innuit, Christum inde non liberasse animas damnatas.

Præcipua Scripturæ loca, quibus hæc veritas innititur, sunt primum illa, vbi absolutè, & absque distinctione per modum legis vniuersalis statutum habetur, pænas damnatorum esse ęternas, quam inflictionem superiori capite ostendimus, non differri vsque ad vniuersale iudicium, sed mox, vt è corporibus migrarunt animæ, eam incepisse; indè enim manifestè sequitur, etiam pænas eorum, qui ante Christi aduentū damnati sunt, esse æternas, atque adeo illos omnes non fuisse à Christo liberatos; si enim omnes fuissent liberati, eorum pœna non perpetua, sed temporalis fuisset, contra expressa Scripturæ testimonia generaliter docentis pęnas damnatorum esse æternas: Isaiæ cap. 66. v. 24. *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Ezechielis cap. 26. v. 19. *Cum dedero te vrbem desolatam, sicut Ciuitates, quæ non habitantur: & adduxero super te abyssum, & operuerint te aquæ multæ: & detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum.* Vbi damnati ratione æternitatis pęnarum vocantur populus sempiternus; Math. 3. *Paleas autē comburet igne inextinguibili*, & cap. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Marci 9. 42. *Et si scandalizauerit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur* &c. Iudæ Apost. epist. Cathol. v. 7. *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, facta sunt exemplum, ignis ęterni pænam sustinentes.* 2. ad Thessalonic. cap. 1. v. 9. *Qui pænas dabunt in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria virtutis eius.*

Quod respondent aduersarij, præfata scripturæ loca, & similia debere intelligi de animabus damnatorum, vel pœnis eorum, non ante, sed post mortem Christi Domini, omnino gratis dicitur & absque vllo prorsus fundamē-

to

to, imo contra expressum scripturæ textum, nullibi tali distinctione vtentis, sed vbique absolutè dicentis, pænas damnatorum esse æternas. Quæ propterea scripturæ authoritas nedum conuincit animam Christi ad inferos delapsam, omnium damnatorum animas indè non liberasse, verùm etiam secundum communem legem diuinæ iustitię nullam ex illis fuisse eductā. Quicquid sit an Christus ex speciali priuilegio talem alicui gratiam conferre voluerit; de quo non disputamus modo cum aduersarijs; quia licet videatur temerariū hoc affirmare contra generales regulas scripturæ sine fundamento, vel authoritate, nonnulli tamen Doctores, inter quos Suares 3. p. q. 52. art. 8. disput. 43. sect. 3. existimant, non esse simpliciter erroneum, vel hæreticum. Quia non est de fide, generalem illam legem, de æternitate pænarum damnatorum, nullam prorsus dispensationem, priuilegiumue admittere.

Item Ecclesiastes cap. 9. vbi dicitur, *Si ceciderit lignū ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, Significatur hominis iudiciū post obitum esse immutabile; siue post huius vitæ tempus concessum hominibus ad comparandam, vel amittendam vitam æternam, qui hic nō fuerit vsus medijs ad consecutionem illius à Deo elargitis, secundum legem ordinariam obtinere amplius salutem non posse; atque adeo Christum non eduxisse ab inferno animas damnatorum. Sicut etiam verum non esset, quod Prouerb. 9. habetur: *Mortuo homine impio nulla erit vltra spes*; Si Christus animas impiorum, ante mortem eius damnatorum liberasset.

Ex illo quoque Osee 13. V. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ò mors, morsuus tuus ero inferne*; colligitur Christum interemisse quidem mortem, quia omnino illam extinxit, & perpetuam vitam hominibus obtinuit: infernum autē solùm momordisse, quia non omnino illū euacuauit: sed quamdam ei partem duntaxat eripuit, electos suos nimirum indè educendo, reprobos vero ibidem relinquendo, vt ait Glossa interlin. nam qui mordet, non totum sed partem abducit; & interpretantur Diuus Augustinus serm. 137. de tempore; Gregorius Magnus lib. 12. Moral. cap. 8. & ex illis Magister sent. lib. 2. distinct. 6.

Verbo Dei scripto adstipulatur traditum, quatenus Sancti Patres, non solum in generali docent, tanquàm quid ad fidem pertinens, animas hominum impiorum à morte corporum statim, ad inferos detrusas semper fuisse, perpetuas ibi scelerum pœnas, & supplicia luituras, verum etiam, loquendo in particulari, de Christi descensu ad inferos, expresse asserunt, non indè per eum liberatas fuisse damnatorum animas, simul cū omnibus animabus ijs, quæ iustæ fuerunt. Ex Græcis Iren. lib. 5. aduersus hæreses c. 31. Orig. hom. 15. in Gen. *Quod enim*, inquit, *dicit ad latronem, hodie mecum eris in paradiso: non hoc illi soli dictum, sed etiā omnibus Sanctis, pro quibus in inferna descenderat*: Christus enim Dominus, & si tunc in Paradiso non fuerit, quantum ad Locum, qui erat infernus, seu Sanctorum Patrum lymbus, fuit tamen quantum ad effectum, quia anima ipsius beata beatificauit ibi animam latronis, & aliorum Sanctorum. Cyrillus Hierosolymitanus Cathec. 4. & 14. Epiphanius lib. 1. hæresi 42. inter Marcionis hæreses refert, quod docuisset, *Christum ad inferos descendisse, vt saluaret Cain, & Core, & Dathan, & Abiron, & Esau, & omnes gentes quæ non nouerunt Deum Iudæorum*; libro vero 2. hæresi 69. prope finem ait: *Volebat enim Deitas omnia perficere, quę ad Passionis mysterium pertinent, & cum anima descendere ad inferna, ad operandum salutem eorum, qui illic prædormierunt, Sanctorum, inquam, Patriarcharum*. Chrisostomus serm. 4. in feriam quintam Passionis, & homil. 37. in Matth. vbi ex professo refellit hunc errorem de liberatione damnatorum

torum à Gehenna per Christi illuc descensum, vocatque fabulas aniles, atque Iudaicas. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Isaiam cap. 5. Solus ex Græcis Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. ante medium scribens Christum descendendo ad inferos, etiam damnatis prædicasse suum aduentum, ac fructum eius, si in ipsum crederent &c. hac in re deceptus fuit, secutus ex parte errorem Marcionis. Quod enim Gregorius Nazianzenus orat. 42. agēs de Christi descensu ad inferos inquirit, *Vtrum omnes sine vlla exceptione aduentu suo saluos fecerit, an illic quoque eos dumtaxat, qui crediderunt*, talia non scripsit, quasi de hac veritate dubitaret, sed solùm vt proponeret, quid de hoc mysterio inquirere, scireque oporteat. Ioanni vero Damasceno falsò imponitur oratio illa pro defunctis, vbi refert de Falconilla, quod ab inferno liberata orationibus Sanctæ Theclæ fuerit.

Eidem veritati ex Latinis Patribus testimonium perhibent, Tertullianus in lib. de anima cap. 55. vbi ait, *Si Christus descendit ad inferiora terrarum, vt illic Patriarchas, & Prophetas compotes sui faceret: habes & regionem Inferorum subterraneam credere*. Philastrius Brixiensis, qui, in libro de hæresibus vsque ad suá tempora post medium, hæreticos vocat eos, qui dicebant, *Dominum in Infernum descendisse, & omnibus post mortem ibidem renunciasse, vt confitentes ibidem saluarentur: cum hoc sit contrarium dicenti Propheta Dauid: In Inferno quis confitebitur tibi? & Apostolo: Quotquot sine lege peccauerunt, sine lege peribunt*. Hieronymus in illud Osee 13. *Ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis*, *Vasa*, inquit, *desiderabilia, quæ in thesauro retinebantur inferni, Sanctos intelligimus; quos alligatos à forte Dominus eripuit, et rapuit, & tulit de inferis; & quasi vasa pretiosissima secum perduxit in Paradisum*. Idem docet explicans illud Apostoli ad Ephesios 4. *Descendit in inferiora terræ*, sic enim ait: *Inferiora autem terræ infernus accipitur; ad quem Dominus, Saluatorque descendit, vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor abduceret*. Augustinus lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 15. *Non absurdè*, inquit, *credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis; sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret*. Item lib. de hæres. 79. hæc habet: *Alia est hæresis eorum, qui descendente ad inferos Christo, credidisse incredulos, & omnes inde existimant liberatos*. Quando ergo idem Sanctus Doctor lib. 12. de Genesi cap. 33. & epist. 99. ad Euodium propter locum Act. 2. V. 24. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni*, asserit præter animas sanctas, quæ in sinu Abrahæ quiescebant, Christum liberauisse aliquas ex ijs, quæ dolores inferni patiebantur, non loquitur de animabus impijs, quas hæreticum existimabat, fuisse, Christo ad inferos descendente, conuersas, ac liberatas, sed de animabus, quæ adhuc luebant purgatorias pænas; quarum multas illo beneficio dignas reperire potuit. Immo nec improbabile est, si dicatur Christum annuntiasse animabus, in Purgatorio detentis, primum sui iubilæum, ac contulisse eis indulgentiam plenariam, liberando omnes à pænis purgatorijs ex gratia speciali, vt docet Thomas Argentinensis in 3. dist. 22. quæst. vnica, art. 4. Maior ibidem, & Gabriel art. 3. dub. 3. Sotus in 4. distinct. 45. q. 1. art. 3. Et ratio est, quia Dominus non est alligatus Sacramentis, aut meritis nostris. Tamen, cum id non liqueat, notauimus supra, probabiliorem esse oppositam Diui Thomæ sententiam.

Vnica autē ratio à priori assertæ veritatis, est diuina voluntas, cū enim nullā ex se videatur implicare contradictionem, quod Christus si ita voluisset, descendendo in infernum omnes animas, etiam damnatorum, modo sibi benè

viso

viso liberasset, de facto tamen rem ita se habere noluit, sed potius, secundum quod nobis reuelauit, suamque per Ecclesiam credendum proponit, voluit, quod semel damnati, qui ue in præsenti vita non sunt vsi medijs ab ipso concessis ad salutem, consequi illam amplius non possent, iuxta communem, seu ordinariam diuinæ iustitiæ legem.

Quare congruentes huiusmodi voluntatis rationes, illæ eædem sunt, quibus Deus semel damnatos pænis æternis decreuit esse obnoxios, quarum congruitatem vt aduersarij non negant in ijs, qui nunc damnantur, ita nec possunt negare in illis, qui ante mortem Christi damnati sunt: proindeque dictas rationes hic adducere necesse non est, sed consuli possunt quæst. 99. Supplementi summæ Diui Thomæ, nec nō lib. 3. contra Gent. cap. 144.

Ex huc vsque, nec non superiori capite dictis, satis patet altera propositionis nostræ pars, Inferni scilicet locum non fuisse à Christo, illuc descendente ita destructum, vt deinceps substituta sit aeris regio ad animas peccatorum excipiendas; quatenus ostendimus, æterna reproborum supplicia, quo ad animas, non differri vsque ad vniuersale iudicium, sed illis statim infligi post suam à corpore solutionem; nec eas à Christo fuisse liberatas, quæ iam ante eius mortem damnatæ in inferno degebant, si enim ibi erant, illasque inde Christus non eduxit, dici non potest, eum deuastasse inferni loca, eiusue loco substituisse aeris regionem.

Superest, vt nonnullis aduersariorum obiectionibus breuiter satisfaciamus; quarum primæ desumuntur ex quibusdam malè intellectis scripturæ locis; Zachariæ 9. V. 9. *Tu quoque in Sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*: Vbi per vinctos in lacu, in quo non erat aqua, intelligunt impios detentos in inferni cruciatibus, vbi nulla erat aqua refrigerationis, quos Christus, de quo ibi est sermo, descendens ad inferos, etiam liberauit merito suæ passionis, seu preciosissimi sanguinis sui. Respondetur primò hunc locum, & similes, nihil fauere aduersarijs, imo nec posse ab illis obijci, cum enim asserant animas damnatorum, tam ante, quam post Christi mortem reseruari ad pœnas futuras post finale iudicium, consequenter ad hunc errorem affirmare nequeunt, Christum ad inferos descendentem, eas inde eruisse, si ibi non dum erant. Secundò respondetur admisso, quod in hoc loco fiat sermo de Christi ad inferos descēsu, factaque tunc per eum animarum liberatione, per illam particulam *vinctos tuos*, debere tantum intelligi animas iustas, Deoque gratas, quæ detinebantur in sinu Abrahæ, vbi non erat aqua eius consolationis, quam illæ in Christi sperabant aduentu. Quippe improbi, & damnati non sunt vincti Dei, de quibus Osee Propheta cap. 2. ait; *Vos non populus meus, & ego non ero vester Deus*, illas igitur, & non hos Christus Dominus in sanguine suæ passionis emisit de lacu, iuxta Zachariæ prophetiam.

Secundò, vbi Psal. 106. V. 16. dicitur, *Quia contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit*: hoc est, inquiunt, cum Christus descendit ad inferos, originale, & actuale peccatum mortuorum, qui ibi detinebātur dissoluit. Verùm adhuc supposito, quod ibi Regius Propheta loquatur de Christi ad inferos descensu, eius tamen verba minimè faciunt sensum ab aduersarijs intentum; sed quem Chrisostomus superius citatus homil. 37. in Matt. eorum errorem expressè confutans habet: *Præsens enim hæc vita rectè viuendi occasionem, & opportunitatem habet: postquam verò diem tuū obieris, iudicium, & pœna consequetur: in Inferno enim, Psalmista dicit, quis cōfitebitur tibi? Quomodo igitur æreæ portæ confractæ sunt, et vectes ferrei contriti? per corpus eius, tunc enim primò immortale corpus hominis apparuit, quod etiam mortis ipsius tyrannicam dissoluit potestatem; omnibusque ostendit, vires mortis iam*

iam esse destructas, non eorum, qui ante ipsum mortui fuerant, peccata dissoluta.

Tertiò ex illo loco Ioannis 12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, colligunt omnes etiam animas, quæ in infernis detinebantur carceribus, fuisse à Christo illuc descendente, liberatas. Sed præterquam quod huiusmodi verba, *omnia trahã ad me ipsum*, in pluribus alijs possunt intelligi sensibus, quam in isto de Christi ad inferos descensu, esto adhuc de illo essent intelligẽda, nihil aduersariorum errori patrocinantur; his enim Christus tantum significauit omnes electos, & prædestinatos esse inde trahendos; vt exponit Diuus Hieronymus; *omnia*, inquit, *traham: id est omnia prædestinata, de quibus nihil perit*: nec non Gregorius Magnus citata superius epistola, ad Georgium, & Theodorum, vbi eos eiusdem hareseos arguens sic habet. *Quod enim per Euangelium Dominus dicit: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum; omnia videlicet electa. Nam trahi ad Deum post mortem non potuit, qui se à Deo male viuendo separauit*.

Quartò obijciunt illud Actor. 2. v. 24. *Quem Deus suscitauit à mortuis, solutis inferni doloribus, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. Dolores enim inferni, inquiunt aduersarij, erant illi, quos damnati patiebãtur ex supplicijs: Si igitur Christus resurrexit doloribus hisce solutis; sequitur eum resurrexisse, postquam damnatos à supplicijs liberauit.

Vt respondeamus huic obiectioni aduertendum est, non eodem modo codices omnes legere ista verba, *solutis inferni doloribus*, nam quidam, loco *inferni*, habent *mortis*, vt Chrysostomus, & Oecumenius iuxta Græcum textum, in quo est thanatou; alij communiter *inferni*, cum Vulgata: sed diuisi sunt, quid *inferni* significetur nomine; aliqui enim per illud mortem significari putant, quod nonnunquam in scriptura *infernum* pro sepultura, atque adeo pro morte sumi soleat. Quo sensu si intelligatur hic locus, manifestè patet eum nihil suffragari aduersarijs, sed eo tantũ denotari, immortalem iam esse Christum, quia exolutus est ab his doloribus, & molestijs, quibus subest homo in mortali statu. Et fauet huic interpretationi Syrorum lectio, quæ pro *doloribus* vertit *funes*. Nam sicut funes hominem ligatum trahunt, v. g. ad patibulum, sic dolores ad mortem. Iam ergo ab illis funibus solutus est Christus post resurrectionem, quia mors illi vltra non dominabitur. Siue etiam solutus doloribus est, quia sustinuit eos dolores, qui vitã abstulerunt; vel quia debitor creditori Patri persoluit dolores mortis, & mortem ipsam, quam pro peccatis hominũ in seipsum tanquam fideiussor susceperat. Solutis enim huiusmodi doloribus, quos creditori suo debebat ex pacto, rectè dicitur ab eo suscitatus à mortuis.

Si autem, vt volunt alij multi, hic nomine *inferni*, subterraneus intelligatur locus, in quo mortuorum animæ in illũ diem, seruatę claudebantur, dicimus quoque huiusmodi sensum nihil prorsus fauere aduersariorum errori; quatenus dolores inferni, qui dicuntur soluti, non eorum, qui illic degebant, sed ipsiusmet Christi fuisse, seu ad Christum referri debere, clarè sonat textus; non quod ille, vt impie asseruit Caluinus sectione sequenti refellendus, gehennæ ignem, vel aliquos inferni dolores passus fuerit, sed vt ait Diuus Augustinus epist. 99. præuentus sit, ne illos etiam subiret, quibus, vt docet Diuus Thomas 3. p. q. 52. ait. 2. ad 2. Sancti Patres ibidem affligebantur ex dilatione expectatæ redemptionis, & beatitudinis nec nõ resurrectionis corporum vsque ad finale iudicium; cum scriptum sit Prouerb. 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Solutis ergo inferni doloribus, id est solutus ab illis, dicitur Christus resurrexisse, non quia in triduo mortis alligatus fuerit, sed quia ne alligaretur, à Domino prouisum fuerat. Quo sensu Principes soluti legibus esse dicuntur,

non

non quia subiecti fuerint aliquo tēpore, sed quia ne subessent, vt pote legibus superiores, cautum est. Vnde etiam hic hypallage quædam est, quia non tàm soluti sunt dolores, quàm ipse Christus à doloribus solùtus est, & liber. Sicut Matthęi 8. dicitur, *confestim mundata est lepra eius*, pro mundatus est à lepra. Isaiæ 6. *peccatum tuum mundabitur*, id est, à peccato mundaberis: et Ecclesiastici 28. *deprecanti tibi peccata soluentur*, id est solueris à peccatis.

Quod si cum alijs Interpretibus dicatur, dolores solutos, ad Christum nō referri, sed ad eos, quos ad inferos descendens inde liberauit, minimè sub illis comprehenduntur damnati, vt satis probauimus supra; sed iustorum duntaxat animæ; quæ licet in sinu Abrahæ, id est; in consolatione secretę quietis tenerentur, à dolore tamen mortis, siue inferorum non erant omnino liberę, quia nōdum superna in cœlis gaudia videre poterant, donec fieret id quod Christo per Zachariam cap. 9. dictum est: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*. Cum igitur duplex in inferno dolor tunc fuerit: alter, quem damnati capiebant ex æternis supplicijs, animæ verò purgantium ex pœnis temporalibus; alter, quo, vt diximus, Sancti etiam Patres affligebantur, hunc secundū duntaxat dolorem soluit Christus in inferno, cum indè Sanctos Patres, in Abrahæ sinu detentos, eripuit, beatificam eis visionem communicādo.

Quintò obijciunt verba Diui Petri 1. epist. cap. 3. v. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quādo expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca* &c. quibus significari putant aduersarij, Christum ad inferos descendentem, ibi etiam peccatoribus, & incredulis prædicasse Euangelium, multosque ex illis credentes, inde ab ipso fuisse liberatos.

Respondetur perobscurum quidem, ac difficilem esse hunc scripturę locum; nihil tamen facere ad intentum aduersariorum, etiam si intelligatur de descensu Christi ad inferos, & de prædicatione ibi facta per animam assumptā; Diuus enim Augustinus epist. 99. ad Euodium, quem sequitur Diuus Thomas 3. par. quæst. 52. art. 2. ad 3. illum interpretatur de prædicatione facta ab ipso Deo per spiritum suum in diebus Noe; supposito namque, quod primo intelligatur modo, non propterea sequitur Christum prædicasse in inferno reprobis, & infidelibus ad eos conuertēdos, cum id expressè hic non dicatur, & aliundè manifestè repugnet sacrę Scripturæ, vt vidimus supra, sed necessario dicendum est, eum prędicasse, seu præconem egisse animabus duntaxat iustorum in lymbo detentis, non vt eas conuerteret, nam antequam ex hac vita excederent, fuerant iam conuersæ, & egerant pœnitentiam, sed lætissimum, quemque tamdiu auidissimè expectarant, nuntium illis afferret redemptionis, liberationis, ac beatitudinis suæ.

Verùm dupliciter instant aduersarij, primò Christum hic dici prædicasse his, qui in carcere erant; deindè his, qui increduli fuerant tempore Noe prædicantis diluuium; sed sinus Abrahæ non potest propriè dici carcer, nec incredulæ vllæ animæ iustorum, quæ in illo detinebatur; loquitur ergo Petrus de prædicatione Christi facta reprobis, & infidelibus, ad eas conuertendas.

Respondetur ad primam huius instātiæ partem, falsum esse, quod sinus Abrahæ non fuerit, aut ab Apostolo carcer vocari non potuerit; etsi enim comparatiuè ad infernum damnatorū, tantus non fuerit; nihilominus absolutè talis fuit; non solùm quia, iuxta opinionem Doctorum probabiliorem, locus ille sanctarum animarum fuit tenebrosus, proindeque in illo, tanquam in carcere, poterant dici esse in tenebris sensibilibus, verùm etiam quia, quod omnes asserunt, per luminis gloriæ, & visionis Dei carentiam, versabantur in tenebris spiritualibus. Qua pariter ratione, cum dici possint fuisse in vinculis,

lis, quia in eo loco detinebantur, & ab ingressu patriæ, & cælesti loco exulare cogebantur, meritò etiam dici possunt fuisse absolutè in carcere.

Ad secundum quod dicitur, Christum prædicasse spiritibus illis, qui fuerant increduli tempore Noe, respondetur per hos Spiritus minimè intelligi animas aliquorum damnatorum, ob suam incredulitatem, sed potius colligi ex verbis Petri, iuxta Diui Hieronymi interpretationem, quod licet illæ animę fuissent aliquando incredulæ, hoc est initio, cum fabricaretur arca, non credidissent Noe, culpanti peccata, & peccatoribus minitanti diluuium, postea tamen crediderunt, præsertim cum re ipsa viderunt diluuium, à Noe prædicatum, inchoari, pænitentiamque egerunt, ob quam à Christo descendente ad inferos meruerunt indè cum cæteris iustis liberari: Petrus enim addens illam particulam *aliquando*, clarè significauit eas non semper perseuerasse in dicta incredulitate, sed ab ea tandem recedentes, mentem, vitamque correxisse.

Cur autem, cum Christus descendēs ad inferos salutem omnibus bonis spiritibus annunciarit, indeque eos liberarit, Diuus tamen Petrus eorum duntaxat specialem fecit mentionem, qui fuerant in diebus Noe primum increduli, postea verò crediderunt, pœnitentiamque egerunt, & saluati sunt, varias adducunt rationes Sacri Interpretes; omnium tamen optima, textuique magis consona, videtur illa, quod, cum de istis maius esse posset dubium, an essent salui, nec ne; quia puniti fuerant à Deo, & submersi aquis diluuij, Diuus Petrus indicare voluit, etiam ex illis fuisse aliquos, qui in fine vitæ pœnitentiam egerint, & licet quantùm ad corpus perierint; tamen quantùm ad animam salui fuerint; atque adeò animum fidelibus addere, prout intendit in toto illo capite, ad patiendum pro Christo, & non desperandum inter quascumque huius mundi calamitates, de diuina misericordia, summam, veluti rationem in eo ponendo, quod licet, plerumque in corpore affligamur, grauiterque à Deo puniamur, & ab eo idcircò derelicti credamur à multis, salutem nihilominus consequimur; quam rationem, vt efficacius persuaderet, dicto declarauit exemplo; nulli enim videbantur magis afflicti, & puniti, quam illi, qui tempore diluuij aquis diuinæ iustitiæ submersi fuerant, & tamen multi ex illis saluati sunt, ideoque Christus illis vna cum Sanctis alijs prædicauit, veniens in infernum, indeque eorum animas eduxit. Et ita etiam optimè intelliguntur verba cap. 4. v. 6. *Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est: vt iudicentur quidem secundum homines in carne, viuant autem secundum Deum in spiritu*; id est, vt secundum homines exterius iudicentur carne, hoc est, damnati existimentur humano iudicio, quia corpora eorum aquis necata fuerunt: tamen viuant secundum Deum, hoc est, animæ eorum saluæ sint apud Deum.

Omnes autem, qui diluuio mersi sunt, vel ante illud per spatium centum annorum, quibus Noe fabricauit arcā, mortui sunt, fuisse impœnitentes, ideoque damnatos, nullo prorsus fundamēto affirmare, & inde suum errorem vtcumque tueri possunt aduersarij. Immo Diuus Hieronymus de ipsis diluuio mersis docet oppositum in quæst. Hebraicis in Genesim capit. 6. vbi explicans illud, *Non permanebit spiritus meus in homine*, ait Deum puniuisse multos temporaliter aquis diluuij, ne puniret in Gehenna in æternum. Quæ sufficiunt ad plenam huius obiectionis solutionem.

Sextò obijcitur, Christus secundum animam descendens ad inferos, nedum locum, vbi iusti, sed & illum, vbi damnati detinebantur, penetrauit, iuxta nonnullorum Patrum sententiam non alia ratione, nisi vt omnes prorsus liberaret. Respondetur, etiam admisso, quod Christus descenderit ad locum Gehennæ, non propterea sequi damna-

torum

torum animas inde ab eo fuisse eductas, aut aliquod aliud commodum reportasse, sed tantùm seipsum secundum animam illis manifestasse, vt eas ad se adorandum compelleret, generaliterque verum esset illud: *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Vndè consequenter factum est, vt & earum malitiam, & pertinaciam reprehenderit, ipsæ verò ex superbia nouam quandam afflictionem, inuidiamque persenserint.

Septimò obijciunt infinitum Christi meritum, quo tunc potuit damnatos etiam liberare à suis cruciatibus. Respondetur id quidem forsan potuisse de sua potentia absoluta; cæterum de facto noluisse clarè demonstrant, quæ adduximus supra de æternitate pœnarum semel damnatorum, quodque in altera vita, vt pote in termino, non relinquitur locus, merito, nec demerito; ac proindè, quæ Deo ingratæ decedunt, & inimicæ, non posse amplius reconciliari cum illo, nec in eius redire gratiam. Deindè istud argumentum ex infinitate meritorum Christi desumptum, quia nimis probat, nimirum quod nemo esset, qui damnaretur, nihil probat; Quod enim primò aduersarij solent respondere illam restringi ad redemptionem eorum, qui ante, non autem post Christi mortem damnati sunt, pugnat cum asserta ab eis meritorum eius infinitate, facitque, absque vllo prorsus fundamẽto, meliorem sortem illorum, qui Incarnationem Domini præcesserunt, quã istorum qui post illam nati sunt. Similiter quod aiunt secundò, non saluatas quidem à Christo, descendente ad inferos, animas damnatorum; sed solum in aeris regionem eductas, vt post vniuersale iudicium ad inferos iterum reuertantur, plenum est contradictionis, & fatuitatis; si enim Christus eas solum in aeris regionem eduxit, relinquens eas prioribus cruciatibus, falsum est, quod asserunt, non damnari reprobos ad illos, nisi post vniuersale iudicium; sicut, vbi illis dicuntur soluti, iam notauimus supra necessariò præexistere debuisse, atque adeò vsque ad præfatũ tempus absolutè dilatos dici non posse. Deindè, cum ipsimet dicant, animas damnatorum haud alias in inferno pœnas sustinuisse antea, sicut nec sustinere modo in aere, preter mæstitudinem quamdam ex timore suppliciorum post iudicium futurorum, nihil eis profuisset sola illa loci mutatio ex descensu Christi ad inferos, sine mutatione conditionis, ac status ipsarum; cum mæstitudo illa corporeo sensu carentibus nõ potuerit leuior in medio aeris fieri, quã fuerit in medio terræ; his ergo responsionibus aduersarij, & ineptiunt, & sibi contradicunt.

Octauò, & vltimò nonnullas afferunt historias, quibus, vt refert Nicetas super orat. 42. S. Gregorij Nazianzeni, legitur, Platonem apparuisse cuidam Christiano sæpius ei maledicenti, atque dixisse: Ego quidem me peccatorem esse non inficior: verum, cum Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit; tùm nostra etiam suffragia valere damnatis ad eorum pænas remittendas, multorũ opinione ferente, quod Traiani anima orationibus Sancti Gregorij fuerit ab inferni pænis erepta; vndè mirum non est, quod Christus illuc descendens, animas quoque damnatas liberarit.

Respondetur ad hoc argumentum, primò historiam de Platone, & similes apocryphas esse, cum ostẽderimus nullam in inferno redemptionem esse, Christumque proinde non prædicasse damnatis, vt spem salutis illis præberet; aliud verò exemplum Traiani nihil fauet aduersarijs, æternitatem pænarum damnatorum post Christi mortem nobiscum admittentibus, falsumque esse, quod pro illis suffragia valere quidquã possint: quare dicimus præfatam Traiani historiam non esse, probatæ fidei, aut si talis sit, illum non fuisse simpliciter damnatum ad infernum, eoque immediatè translatum ad beatitudinem: sed reuocatum ad hanc vitam, vt pæniten-

tiam ageret. Hactenus de præsenti controuersia, quam tractant Theologi cum Diuo Thoma 3. part. quæst. 52. de descensu Christi ad inferos, & q. 99. supplementi de misericordia Dei respectu damnatorum; nos vltimo loco de illa egimus, quia pendebat ex doctrina præcedentis capitis, quod semper animæ reproborum statim à morte inceperint pœnas sibi debitas in inferno luere. Nec non ad maiorem Dei gloriã, animarumque salutem de alijs inter nos & Orientales principaliter versantibus, in quibus si à veritate se vinci semel paterentur, facilè in multis indifferentibus conueniremus: quarum etiam stãte diuersitate, Ecclesia Orientalis, sicut olim, ita & nunc cum Occidentali posset fieri vnum ouile, sub vno Romano Pontifice Supremo Ecclesiæ militantis Pastore in statu legis Euangelicæ. Fiat, fiat.





INDEX

INDEX
ALPHABETICVS

Præcipuarum rerum, quæ in hac prima parte Quinti Tomi Bibliothecæ Theologicæ continentur.

Primus numerus Paginam; secundus Columnam indicat.

A

B

C

D

E

Euty-

L

M

N

Opera

O

P

Q

R

S

REGESTVM.

† †† ††† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sfff Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz.

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg

Omnes sunt Duerniones excepto ††† quod est Ternio.



5-2